Ex Libris FF. carmelitarum Excalceatorum conventus Neapolitani.

100465

REV. ADM.

P. FR. MODESTI

A S. GREGORIO

CARMELITÆ DISCALCEATI EX NEAPOLITANA PROVINCIA.

Theologi celebris, tùm in Seminario noſtro Romano, tùm Neapoli Prælectoris èximij.

TRACTATVVM THEOLOGICORVM.

TOMVS PRIMVS.

In quo

De Angelorum Indiuiduatione ex Prima Parte, quæſtione L. D. Thomæ Aquinatis.

Ac ex Prima Secundæ à quæſtione prima vſque ad 21. iuxtà mi-ram eiuſdem Angelici Doctoris Doctrinam accuratè diſquiritur.

OPVS POSTHVMVM,





NEAPOLI,

Ex Typographia Hyacinthi Paſſari. M. DC. LXXI.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO DOMINO.

D. PETRO ANTONIO RAYMVNDO FOLCH DE CARDONA,

Olim de Aragona, Duci Segorbiæ, & Cardonæ, Marchioni Pallaridis, & Comares, Comiti Empuriarum, & Prades, Biscomiti Villamur, Domino Ciuitatum Segurbi, & Sorzonæ, Baroni septem Baroniarum, &c. Equiti, & Clauiculario Ordinis de Alcantara, Cameræ Catholicæ Maiestatis Patritio, Duci Alemanæ Cohortis, & Principali Custodiæ Castellæ, Apud Summum Pontificem Oratori, Locumtenēti, Viceregi, & Capitaneo Generali Neapolitani Regni, &c.

IN Tui clientelam Nominis, ad manus tuas liber hic supplex, quin ad genua tua prouoluitur protectionis tuæ gratiā expostulans (Excellentissime Princeps) quique in hoc Neapolitano Regno Sapientissima manu pro inclito nostro Domino Hispaniarum Rege clauum tenes, ac moderaris Imperij, eandem dexteram, qua Regis, tutelarem in illum generosus extende. Nec hærendum omninò fuit ancipiti, cui liber hic dicaretur, vt Aristarcos inuidentes exploderet, nec in deliberatione sistendum, sub cuius vmbra locaretur, vt ex obloquentium carie mordente seruaretur, ipse enim es, & quem in promptu Mæcenatem habemus, & ipse, cuius salutari præsidio detractantiū caries omnis arcetur. Amat ergo vmbram tuam, qui non diù viuere extimescit. Tuæ sisti cupit amplitudini, qui orbatus Patre, ac Posthumus hanc aspiciens lucem à te foueri expectat, quem & Parētem, & tutatorem orphani omnes agnoscunt. Pusillitatem suam, magno licet mentis vtero conceptus, deplorat, quod vix natus genitoris non sit exceptus in vlnis, quod maternis non sit lactatus vberibus, quod ei Pater non sit blanditus ad genua, & quod natalem ab illo non acceperit venustatem; Sed in tuæ magnitudinis brachijs, vt magnus sit, lachrymulis absterfis, suam ex te discit dediscere paruitatem: Age iam, Excellentissime Princeps, tibi sistitur liber hic, tibi sacratur. Magnum Excellentissimi D. Petri de Aragonia Nomen, amplissima sub cuius vmbra feliciter, vel res paruę grandescunt! Nouimus probè magnitudinem tuam, nouimus & magnificentiam, illam, qua in Hispanico Cœlo fulges, vt Lucifer, hanc, qua extrà Hispaniarum oras in Regis Nostri Monarchicam gloriā dilatādo totus es, ac singularis; Sed quid de vtraque, vel lingua, vel calamus efferat, qui etsi, Pliniana elo- *Plin. in Traian.*

b quen-

Digitized by Google

quentia intinctus, ac maiestate, nihil aliud didicit scribere, quã: *Magnorum non est laus, sed admiratio.* Quo quisquis in tuam magnitudinem figit obtutus, admoneatur, silentij repagulis obsignanda potiùs, quam exponenda, quæ de te Sole clariora, quæq; eò in aspectabiliora, quò spectabiliora proponuntur. Te nouit Hispania, quæ genuit, sed de tua magnitudine, seù potiùs sua superbiens propalare nescit, quod nec plenè valet mente concipere. Diceret illa, quæ in te ornamenta miratur, quod Regio Aragoniorũ sis Sanguine satus, quod tot dominiorum sis sorte potitus, quod tot Magnatibus ex primoribus cognatione iungaris, inter quos Solis instar effulgeas Syderibus coronatus; Sed quid de illis exprimeret, si maiora sunt, quæ te circumstant ornamenta virtutum? Pietatis, Iustitiæ, Liberalitatis, Munificentiæ, Generositatis, Fortitudinis, Consilij, ac Prudentiæ, adeò vt, maiorane claritatis incrementa ab Atauis longa serie coronatis hauferis, an ex tot ingenuarum Splendorem Virtutum, adhuc problema sit. Hærent Hispaniæ stupore defixæ, & tuæ magnitudinis fulgore perstrictę & tuo cœcutiẽtes in lumine, quę de illa multa, ac magna possent efferre, silẽt, hoc vnũ attestãtes, verã tuæ magnitudinis gloriam esse, non quæ laude captatur, sed quæ magnarum tenetur splendore virtutũ.

Si verò Magnificentiæ tuæ mẽtis aciem intendamus, quæ sicut Magnitudini affinis est virtus, ita verè magno Principe digna, quæq; siue Theologiæ magisterio edocti

S. T. 2.2. q. 134. ar. 1.

Virtus est factiua magnorum, non in magnis modò sumptibus, sed & in omni ópere, quod mirabilitate grandescit: siuè Philosophiæ Principem sectemur docentem; *magnificum esse id omne, quod mirabile*: siuè etiam Romanæ eloquẽtiæ Patrem audiamus. *Est magnificentia magnarum rerum, atque Excelsarum animi agitatio*, adeò tibi congenitam illam admiramur, vt quem magnitudo generis claritate extollit, ac propriarum splẽdore virtutum, magnificentia in rebus magnis agẽdis concrepantibus tubis prædicet singularem. Nec opus est, Excellẽtissime Princeps, vasta tranare maria, remotas pertingere terras, Hispanias trãsmeare, vt ex illis ad nos magnificentiæ tuæ argumenta ducamus, quæ enim in promptu habemus, ac viciniora conspicimus, quęque manibus contrectamus, ipsa ab oculos ponunt, quod sicut Hispaniæ te genuere magnum, sic miratur Italia magnificentissimum. Est nobis Roma Theatrum, in quo spectemus, in quo miremur magnificentiam tuam: Est Neapolitana Ciuitas, est Regnum, quæ tuo plaudant nomini. Testatur Roma Nobiliorem nullum priscis suis temporibus admiratam se fuisse triumphum, quam cum semel, & iterum apud duos Summos Pontifices Alexandrum VII. felicis recordationis, ac Clementẽ X. Diuina miseratione Regnãtem pro Nostro Catholico atq; inuictissimo Hispaniarũ Rege, ipse Sapientissimus Orator accederes, communi omnium calculo tua magnificentia triumphauit. Testatur hæc, omnem sui Capitolij

Arist. 4. Æthic. c. 2.

Cic. de Inuent.

glo-

Digitized by Google

gloriam retroactis Sæculis decantatam fulgoribus tuis occupatam, cum vltimis temporibus omnem Hiſpanicæ Maieſtatis altitudinem ad Chriſti Vicarij Clementis X. prouolutam exponens, ipſe adoraturus apparuiſti lucidior, quam cũ meridianus Sol vnquam illuxit. Curru quippè vectus aurato, quadriga illa fabuloſa oblitione ſepulta, Hiſpanici Cœli Sol alter vna cum Hiſpanicæ Maieſtatis Luna ad increati Solis venerandum, animatumq; Simulacrum, eiuſque pedum veſtigia procubuiſti, vt figurã illam Ioſephi Patriarchæ, qui verus typus eſt Chriſti, factis tui summe totius populi Romani conſpectum animares, Romanuſque Pontifex in ſuæ Apoſtolicæ dignitatis, ac magnificentiæ tuæ Splendidiſſimã Claritatem merito de te poſſet efferre. *Vidi quaſi Solem, & Lunam adorare me*. Nobiliſſimus Currus auro præfulgens, vt Hiſpanicam decebat Maieſtatem, vtq; par erat ad occurſum Pontifici Maximo; Currus, in quo ipſe inter magnificentiam inſidens medius, ac Maieſtatem, notum faceres Vrbi, & Orbi, nullum à Noſtro Catholico Rege ad id muneris digniorem, neque aptiorem cooptari potuiſſe, quam ipſe, qui magnus es, ac magnificentiſſimus, vt in te ſua magnificentia, ac tua triumpharent. Tuum eſt comitata Magnificentiæ triumphum Nobilium Procerum Neapolitanæ Vrbis ex primoribus confœderata, ac numeroſa Societas, quotum quiſque ad augendam tuæ magnificentiæ gloriam in vultu, in habitu, in Curribus, in ſplendidiſſimo Comitatu adeò magnus apparuit, vt Regulus videretur, nec mirum, ſi magnificentię tuæ magnificaturi triumphum ſaperent Maieſtatem Romam aduenientem meminimus Pyrri Epirotarum Regis Cineam legatum adeò de Romanorum Ciuium obſtupuiſſe Maieſtate, vt ad Regem ſuum hoc reſponſum afferret. *Vidi Romam, vidi Ciuitatem Regum*. Tibi ergo in hoc magnificẽtiæ tuæ triumpho ſummæ aſcribẽdum eſt gloriæ, quod tot in tuo ſplendidiſſimo comitatu Regulos, qui tuã magnificarent triumphum, habueris, quot Equites tibi, ac magnates aſciuiſti, vt meritò, & Roma iterũ Ciuitas Regum meruerit appellari, & ipſe inter eos magnificentius triumpharet. Sol veluti alter Hiſpanici Cœli totſyderibus coronatus. Quid plura? Hoc vnum. Cum tanta Hiſpanicæ Maieſtatis, tuæq; Magnificentiæ claritatem præferres, in auro, in gemmis, in Curribus, in Equis Phaleratis, in Comitatu, in plauſu populorum, quanta nec vnquam eſt Roma lætata, ipſa in te Magnificentiæ typum ſe agnouiſſe teſtata. Nec fuit ſpecialis Prouidẽtiæ conſilio factum, vt eo, quod illo die, quo in te magnificentia triumphauit, Sol ipſe ſe nubilo occuleret, vt dùm Hiſpanici Cœli Sol appareres, alter ſe nubibus occultaret, *non enim Cœlum vnum duos decebat continere Soles*. Quin in hac triumphali pompa, vt relatu audiuimus, tonitrua de Cœlo magno cum tempeſtatum apparatu concrepantia ſonuerunt; nec mirum, tuo enim perſonuere triumpho, nàm cum ex Romanis arcibus vndique tibi to-

menta bellica tot boatibus personarent, factum est, vt nec Cœlum tibi deesset, quod non magnificentię tuæ triumphali pompæ comboaret. Vidit Roma, ac præ gaudio tecum ipsa triumphans sua priora tempora redijsse lætata, cum Hispanicæ Maiestatis in te gloria tanta panderetur.

Redijsti ad nos tandem felici omine, & Romæ, & tibi, & nobis magnificētissimus, Excellētissime Princeps, cumq; tot annos hoc Regnum dominatione tua feliciter rexeris, iam secundò nouo Hispaniarum Reginæ imperio ad regendum vocatus, bis Prorex, quod sicut nouũ esse solet, ac singulare, sic in te magnificum, ac mirabile cum animi iubilo spectamus, cũ vt Parthenopeia Ciuitas, ac Regnum pro tuo reditu gestientis animi sui propalaret affectũ, tuæq; magnificentiæ coronidem darent triumpho, plausibus, gaudijs, festiuis vocibus occurrere. Ipse enim es, quem decus, præsidium, atque ornamentum agnoscunt, ipse, cuius potentissima manu tota hæc Austriacæ Dominationis nobilior pars ad tutamen, ad solatium, ad incrementum regiũ, ipse, cui, si calamus, si lingua, velit occurrere, semper ad exarandum promptiorem, quàd dicendum audidiorem experimur.

Sed audio Modestiæ tuæ singularis imperium silentium indicentis, ne, quæ de te multa, ac magna, posset lingua proferre, molli adulationis voce videaris audire. Audio tibi, Excellentissime Domine, ad Imperium tuum lingua sileat: at nõ tacebunt oculi, quibus, dùm in hac Vrbe, in hoc Regno, tàm multã, tàm mira patent, quæ magnificentię tuę excitauit ingenium, nec tua prohibente modestia, denegari potest facultas non tacendi. Habent enim, & oculi linguas suas, & sunt multiloqui, quod si non esset, nec Prophetæ diceretur. *Non taceat pupilla oculi tui*. Ipsi dùm magna vident, de Auctoris ingenio, atq; sapientia eloquuntur, dùm maiora mirantur, hyperbolem perficiunt oculorum, dùmq; non intermisse magna conspiciunt, panegyricam in auctoris laudem ordiuntur, ac texunt orationem. Tacet lingua, tacet Neapolitana Ciuitas, tacet Regnũ, Sapientissimi tui tempore regiminis Religionis incrementa sensisse, florentem in te vidisse Pietatem, incorruptam Aristidis Æquitatem, Cæsaris Clementiam, Alexandri liberalitatem: tacet Regnum, tuæ integritatis imperio Iustitiam vidisse spectabiliore in trono locatam, nullumq; nec pauperem potentia diuitum, ac magnatum oppressum, nec qui ad porrigendas supplicanes ad tuæ spectabile Clementiæ tribunal accesserit, vllam passum fuisse repulsam, verus Titi Imperatoris æmulator, de quo Suetonius scriptum reliquit. *Non oportere quemquam a fermone Principis tristem discedere.* Tacet Ciuitas, Sagacissimo tuæ Prouidentiæ consilio annonam se expertam esse felicem: tacet Regnum, temporibus tuis resloruisse sæcula, quæq; Eminentissimus Cardinalis tuus germanus frater feliciter cœpit, te felicius perfeciſſe. Taeet Regnum, Prudentia tua, tàm in publicis, quam in priuatis discordijs

Hierem. Thren. 2.

Suet. in Vit. Tit.

Digitized by Google

dijs se sensisse pacatum. Tacẽt Ciuitas, ac Regnum, Beneficẽtia tua, atque Humanitate pluribus se beneficijs cumulata, quâm regiminis tui enumerauerint dies. Tacent, omnium ora, Vota, & corda ad tui Magnitudinem, ac Magnificẽtiam esse conuersa, vt à mirabili tui forma regiminis omni aduersitate depulsa optata cuncta, ac prospera consequantur. Tacent hæc, & plura, dùm reuerentiali Modestiæ tuæ imperio obsequuntur. Sed de his, quæ magno cum nostro gaudio in hac Ciuitate, ac Regno pulchra, spectabiliora, ac magna conspiciũt oculi, & tacentibus linguis, ab iniquo licet Iudice deneganda nullatenùs erit Panegyris oculorum, qui dùm in his iucunda contemplatione deliciantur, ac perfruntur operibus, quæ magna, quę mira tuum perfecit ingenium, tua est architectata Potentia, spectando, approbando, ac mirando incessantem Magnificentiæ tuæ comendationẽ perficiunt oculorum.

Felix Parthenopeia Ciuitas, quã etsi Naturæ dotibus cumulatam, diuitijs auctam, Climatis benignitate, aëris Salubritate celebrem, collibus vberrimis coronatam, ac fructiferis, quam suauiatur Mare, quod, & delicijs sit, & vtilitati, Pausilippi amænitate decantatam, tui tamen felix, ac Nobile Ingenium, ac potentia in tantam posuere superbiam, vt nec ad oblectamentũ iucundius, aut nobilius ad Maiestatem, aut ad magnificentiam grãdius inspici vnquam potuerit, aut exoptari. Nihil Principi magnificentius, quam si ditionem, quam accepit, statu rẽddat meliorem Suetonij est dogma Principibus commendatum, quod sectatus Augustus, quod Romam multis modis ornasset, & communisset effari solebat. *Romam lateritiam accepi marmoream relinquo*. Tibi hoc ascribendum putamus, Excellentissime Domine, non quod lateritiam hanc Vrbem acceperis, quæ magna erat, ac magnifica, sed quod tuo regimine, ingenio, ac potentia Ciuitatem hanc magnam reddideris Magnificentissimam, oculi probant spectatores, qui magnificentiæ tuæ triumphum plausibus sequuntur oculorum.

Suet. in Vit. Aug.

Etquis vnquam credidisset, nisi re perfecta spectaret, terram, quam fixis pedibus ad radices Palatij Regij calcabamus, cessisse mari, & quod solidum experiebamur Elementum, versum esse in fluidum? quod omniũ sententiam vicit, atq; expectationem; tua tamen potentia arduorum vixq; possibiliũ operatrix, vt suam magnificentiam propalaret, Regijs triremibus, ac Nauibus, quod nec credibile videbatur, portũ aperuit ad asylũ, sũmũ commodum ad Regiam vtilitatẽ, theatrum ad gloriam, spectaculum ad magnificentiam, oblectamentũ ad voluptatem, vt Triremes, ac Naues talibus fruẽtes Regij aeris incrementis, ac commodis te iugitèr salutantes, nõ intermissam vnquam magnificentiæ tuæ laudem darent. Mirum! Excellentissime Princeps, quod mare terræ cesserit, Diuinæ manus prodigium audiuimus multis sæculis decantatũ, at quod tellus cesserit mari, tuæ sa-

Digitized by Google

gacitatis tãtùm ingenio perfectũ, atque arte miramur. Vident oculi, quæ ornamenta Portui huic addidisti, dùmque mira circumspiciunt, sine vocis sono magnificentiæ tuæ elegantes formant Periodos oculorum, ac dùm Neapolitana Ciuitas Romæ nullatenus inuidere se conspicit præ theatralibus pompis, miratur, gestit, ac gaudet, admiratorias, ac silẽtiarias tibi perfeciſſe laudationes. Vident oculi illuc circumductas affluentiſſimas aquas, innumeros illuc attractos fontes, qui circumuallantes Portũ, ac mare, placido, graſoque murmure decurrentes venerunt ad ornamentum, vt exultãtes in vocibus aquarum, præcipitioque prolabentes in affluentem decurrant, ac perennem magnificentiæ tuæ commendationem. Illic theatralis pompa, non marmorearum modo ſtatuarum ſilentio loquẽtium, ſed, & picturarum iucunda varietate distincta. Ibi viæ, quæ arduæ, & vix antea acceſſibiles, nunc magno cũ artis magiſterio complanatæ, ac regiæ, quò ad cliuum Regalis Palatij facilis, ac delicioſus pateret acceſſus, vtque pedeſtres incedentes, longo licet itinere fatigati, Chryſtallinæ aquæ fonti prælabẽtis occurrerent, atque in multis ſpeculis, ſeù in vno potiùs longiùs producto tuam magnificentiã cõtemplantes Panegyricam oculorum, atque inceſſantem illi texant laudationem. Spectat hinc Neapolitana Ciuitas, quæ ad delicias, quę ad pompam, ad vtilitatem, ad magnificentiam illi ingenio tuo, ac potentia perfeciſti; illinc è regione aſſurgentem arcem contemplatur munitiſſimã in Monte Lucullano, ſeù Eniclij, quem & ex accipitris roſtro cuius figuram refert (Pizzofalcone) patria lìngua Vulgus appellat, Arcem, quam, & ad Hiſpanicæ Militiæ commodum, Præſidium, ac Munimen, & ad propulſandos terra, marique hoſtium incurſus, magnis ſumptibus erexiſti, vtque eam magis redderes hoſti terrificam, non artis modò miro magiſterio, tormentis bellicis, ac inſtructis militum copijs muniuiſti, ſed, ne quid ad inexpugnabilitatem deſideretur, ac admiratiõnẽ omne armorum genus, & munitionum, quod in Regio Caſtro, anteà in eius armamentario aſſeruabatur, in hanc, quam erexit magnificentia tua, arcem contuliſti, vt & illa inexpugnabilitate ſuperbiens, & hæc cum tanta rei militaris ſcientia gloriabunda triumpharent. Nec minorem tuæ magnificentiæ triumpho exhibet pompam arx illa, quam vt non modò terrenis, ſed & Cœleſtibus præſidijs munires, ſub eius vmbrã poſuiſti, quæ terribilis eſt, vt caſtrorũ acies ordinata, Sanctiſſimam nimirum Virginem Mariam de Monte Carmelo, arcem tot militum copijs inſtructam, tot tormentis bellicis armatam, tanto militaris artis Magiſterio elaboratam, vt terrori hoſtium poſita potiùs, quam munimini videatur. Et hęc magnificẽtiæ tuæ opus eſt Excellentiſſime Princeps. Vah quantum eſt Excellentiſſimi D. Petri de Aragonia ingenium! ni tuæ imperio modeſtiæ, ſe ſentiret aſtrictã, Vrbs Neapolitana

tana oculorum vocibus proclamaret; Magnus planè Vir, quem non modo proauorum Claritas Sole ſplendidior magnum effecit, ſed & in rebus magnæ molis agendis, non in Pacis tantum tẽpore, ſed & in belli præſidijs ſingularis prudentia magnificentiſſimum reddidit, ac ſingularem.

Percurrit oculis Neapolitana Ciuitas, quam in tantis rebus ſpectandis, tanta tenet ſuperbia oculorum, ſpatiatur in collibus, quos ſibi ad Theatrum Magnificentiæ Natura dedit, & Coronam, vidit in Lucullano iugo arcem ſuperbia ſua, ac tua magnificentia aſſurgẽtem, & poſt belli præſidia delineatam inſpicit, quin viuis depictam coloribus Pietatem in Cœnobio Virginũ Eremitarum, quæ amore ſolitudinis captæ è Monaſterio, quod Sororis Vrſulæ appellant, ad hanc Sacram Monialium Eremum confluxere; Videt Ciuitas, ac elegantiſſimas perficit peryodos oculorum in tui commendationẽ. Nàm, & hæc magnificẽtiſsimæ Pietatis tuę opera ſunt, Excellentiſsime Domine, cuius opere, conſilio, magnis ſumptibus, ac Eleemoſynis tantum opus perfectum miramur, ne tantis operibus, quæ magnificentia tua excitauit, ornamentum deeſſet Pietatis.

Deſcendit è Collibus Partenopea Ciuitas tot recreata delicijs oculorom, per ſua plana diſcurrit, per vias, vicos, ac Plateas quærens pauperes, ac debiles, mendicitate confectos, fame pereuntes, ſiuè viros, ſiuè mulieres, ſi vel flebilibus, ac languidis vocibus magnificentiæ tuæ velint comitari triumphum; ac feſtiuis plaudit vocibus oculorum. Ecce, vel vnum quærens nullum oculis offendit, qui ſtipem in ſuis finibus petat, vel fruſtulũ panis. Ecce omnes in Xenodochijs S. Ianuarij reducti ſunt, quæ tua excitauit, erexit Magnificentia Charitatis, ibi viuunt, qui fame perierant, ibi habitant, qui nec tectum habebãt, ibi commodè aluntur, qui nec micis poterant ſaturari, ibi dormiunt, qui nec ſtramentum habentes ſub dio cogebantur incubare, ibi induuntur, qui nec laceratam veſtem habentes nudi algentis frigoris iniuria pænè concreti ad mortem vſque conficiebantur; Et hæc Magnificentiæ tuæ opera ſunt, quæ ſpectãt oculi, vt in tuæ Excellentiſsimæ Charitatis commendationem ſilentiariam præ admiratione exhibeant commendationem. Mirum? Excellentiſsime Domine, *Bonum eſt ſeneſcere in Sparta*, vetus fuit adagium priſcis ſæculis decantatum, quod ex eo ortũ ducunt, vt Iuſtin. refert; quod tanto in honore ſenes Spartę haberentur, vt quam plurimi proprijs relictis facultatibus, ac domo illuc, confluerent, vt honorabilem ibi tranſigerent ſenectutem; Sed nos, qui talia Charitatis opera ſpectando miramur, ſine vllo adulationis fuco de Neapolitana Vrbe hodie hoc *Iuſtin. hiſtor.*

lem-

Digitized by Google

lemma præducimus in tuæ commendationem Excellentiſsimæ Charitatis, quod in omnibus nõ modò huius Ciuitatis, ac Regni, ſed & in remotarum finibus terrarum audiatur. Bonum eſt pauperem vitam Neapoli ducere, vbi tuæ magnificentia Charitatis pauperes omnes ampliſsimo ſinu fouet, ac nutrit, quo fit, vt te pauperum parentem, Orphanorum, ac miſerabilium omniũ Ciuitas tota hæc, ac Regnum, te omnium oculi, te, & elinguium ora proclament.

Quid plura, vt tuæ magnificẽtiæ occurramus triumpho vocibus, ac plauſibus oculorum? Sat eſſet, ſi de illius tot iucundati ſpectaculis poſſent oculi ſatiari, ſed habent alia, quæ videant, alia, quæ mirentur, Bibliothecam tuam loquimur, quam, ne quid tibi ad magni, ac magnificentiſsimi Principis deſideretur ornamentum, magnis ſumptibus, magno ſtudio ex tot librorum voluminibus adunaſti, quorum ſinguli auro contecti, magnoque artificio elaborati, ſicut nobile ſpectaculum exhibent oculorum, ſic in frontibus excuſſam referunt veri Principis formam. Nec alio, id à te cõſilio factum putamus, niſi vt potentiſſimi Regis Philippi Secundi felicis Memoriæ, ac immortalis, cui in dilatando Monarchicam gloriam fuiſti animo, & corde ſemper addictus, Regale imitareris genium, cuius facta ſectaris. Philippi Secundi Auſtriacæ Monarchiæ propagatoris maximi, ac ornamenti memoriam excitamus, qui ſicut adhuc in Magnorum animis viuit, vt eius virtutum æmulentur exempla, ſic in bibliothecam illam, tàm celebrem colligendo in Conuentu Sancti Laurentij Regia munificentia, ac magnificentia extructo, tibi nobile excitauit ingenium, vt qui Regio animo decoratus ad magni Principis iconem adamuſsim excudẽdam in te non modo ſanguinis Regij claritatem, non prudentiam modo, ac ſcientiam rei militaris, non magnificentiam modò in rebus magnis agendis exprimeres, ſed, & Philoſophiam, amorem ſcilicet ſapientiæ repræſentares, vt Bibliotheca tua teſtatur, vtque verus ſapientiæ amator (ſeù ſi dicere libet) philoſophus ſapientes quoque ſub vmbra tua reciperes, ne quid in animo tuo deſideretur, quod ad magnitudinem, ac magnificentiã omnibus numeris abſolutã requiratur.

Effrenes, ſed non ſatis excurrimus in oculares tuæ Magnificentiæ laudes, parce Excellentiſsime Princips, eſt enim veniabilis, ſi culpa ſit oculorum, qui cum liberiores, quam lingua vagentur, ni clauderentur, quod magnæ Seueritatis eſſet, neceſſariam debebant magnificentiæ tuæ laudationem, nec à Modeſtiæ tuæ præcepto, vel leuiter declinaſſe putamus; quod ſi nec his acquieſcat modeſtia tua, Partenopeam hanc

Ciui.

Digitized by Google

Ciuitatem non nos ad illius Tribunal appella, ipsa est, quæ vt Magnificentiæ tuæ Coronidem daret triumpho, prosecuta est vocibus, ac plausibus oculorum, cumque te reuereatur, ac diligat, scimus, amantium culpas apud te esse veniales. Quæ enim de te magna audit, aut eminùs videt, tuo obstricta imperio, nec loquitur; quod beneficientia tua Puteolis balnea obliuione sepulta, ad medicamen ægrotantium aperuerit, silet, quod potentia tua ibi montem euiscerauerit, quò ad Baiam facilis pateret accessus, quod montem in Apulia Garganum explanauerit, vt ad venerationem Sancti Michaelis Arcangeli currus accederent, quo Principem illum Militiæ Angelorum, & in Pace, & in Bello propitium tibi faceres assessorem, tacet, & quæ multa, quæ magna ex totius Regni ambitu de te possent efferri. Tacet, tacet hæc Ciuitas, quæ gestientis animi perfusa lætitia non ijs, quę audiuit, sed ijs, quæ videt tantum tuæ Magnificentiæ triumpho occurrere potuit plausibus oculorum. Tacet omnia, quæ prælo commissa, ac posterorum memoriæ magno volumine congeruntur. Hoc vnum de te illa testatur, nec noua vidisse, nec audiuisse ptiora in rebus magnis aggrediendis, ac perficiendis te magnificentiorem.

Sed quorsum hæc exponimus, quæ videmus, quin, quę magnificentia tua, Prudentia, ingenio, arte perfecit, dùm librum hunc ad Excellentiæ Vestræ manus sistimus, atque dicamus? Non adulationis quidem notæ sunt hæ, quas decet de Religioso corde propellere, sed ineuitabilis necessitatis. Quò enim liber hic inferretur paruus, ac minimus, nisi ad magnitudinis tuæ manus, qua rememorata grādescceret? Quò è tenebris obliuionis emergeret, nisi tuæ Magnificentiæ radijs expositus confortetur? Quomodo pauper hic liber, ac Posthumus hāc aspiceret lucem, nisi tibi sistatur, qui *Pauperum Pater* es, ac Orfanorum? Quomodo, cum sit nudus, appareat, nisi tuæ Charitatis velamento amiciatur? Quomodo Aristarcos eluderet omni militari impugnatione pertinaciores, nisi scientia tua rei militaris armetur? Quomodo in publicis Bibliothecis exponatur, nisi priùs in tuæ repositorijs, vt fulgeat asseruetur? Quomodo diù viuat, nisi tui Mæcenatis dignissimi vmbra protegatur? *Parce* ergo Excellentissime Domine, non enim ascribendæ sunt culpæ, quæ non voluntate, sed necessitate proferuntur. Tibi ergo sistitur liber hic, qui, & si hanc aspiciens lucem rubore perfunditur, suffundi tamen cupit in aspectabilibus fulgoribus tuis; Bibliothecæ tuæ appetit inseri, tuis ambit

ma-

manibus contrectari, quæ vtpotè factiuę magnorum ex paupere, ac obscuro, ex pusillo, ac posthumo magnificabunt. Hęc sunt vota, hæ preces, hæc quæ ex intimis animi præcordijs ad tuæ benignitatis solium gratiosum exponit.

Nos verò, qui libri huius aduolantis ad te, sistentisque ad manus tuas tantam propensionem spectamus, gestimus ex corde, quod ad tanti Viri ambiat, audeatque conspectum præsentari, nec quinsuis votis benignitas tua secundet, vllatenus dubitamus; ideoque illum animo lubentissimo, ac supplici venientem ad te eo mitamus. Quod si memores beneficentiæ tuæ, quę tot beneficiorum vinculis Religionem, & hanc Prouinciam nostram specialiter astrinxit, ipse enim es, quem non benefactorem modò maximum, sed & patronum agnoscimus singularem, non librum tantum hunc, sed & nosipsos obsequio tibi mancipatos offeri-
s.Ber.Ep. mus, scientesque: *Danti quicquam ab accipiente gratius rependi non posse, quam si gratum habuerit, quod gratis acceperit*, nos in nostræ gratitudinis singulare argumentum, quæ ex beneficientia tua gratis accepimus, gratissima in æuum habituros, tibi protestamur. Vnum tamen est, quod ni ingratitudinis macula inuri velimus, non est tacendum, studium nimirum maximum, quo pro nostro Venerabili Ioanne à Cruce Sanctæ Matris nostræ Teresiæ primogenito filio, nostręque Reformationis familię post matrem antesignano, vt Beatorum fastis asciberetur, allaborasti. Summum Pontificem ipsum appellamus, quo nullum in terris omni exceptione maiorem agnoscimus, quoties Oratoris dignissimi munere fungens apud ipsum tanto deuotionis affectu, tùm ex Philippi Quarti felicis memoriæ Regis nostri, tùm ex nostræ Hispaniarum Reginæ regentis Imperio venerandum illud tribunal gratiæ adieris, ac preces, postulationes, obsecrationes enixè præsentaueris, quò vir hic omni virtutum genere, ac miraculorum gloria effulgens inter Beatorum agmina coronaretur in terris, quem pro certo habemus multo ab hinc tempore gloriæ corona redimitum in Cœlis; iamque tua, vota, tuæ supplicationes Summum Pontificem exorauerant, iamque, vt tuæ magnificentiæ coronidem dares ttiumpho, perfeciissent, quod optabas, nisi te interrupta negotij series, Roma Neapolim vrgentiora renocassent: Tibi debemus, tuo studio, tuo operi damus, quod pro tanto viro allaboraueris; Quod si, quod erat in votis tuis, Romæ perfectum non videris, opere tuo nõ intermissis litteris, ac supplicationibus animo, ac deuotionis, quo

So-

ſoles affectu, Neapoli breui auditurum communi cum exultatione ſperamus. Noſtra autem Sancta Mater Tereſia in grati animi ſui argumentum propter beneficiũ hoc, quod primogenito filio ſuo ſingulare contuliſti, cumulatiùs rependet: Nos verò, vniuerſaque noſtræ Religionis familia, qui gratias ex meritò non valemus tibi beneficentiſſimo, pijſſimo, ac beneuolentiſſimo, tuoque nomini conclamabimus; Memores, quod ſcripſit Plinius. *Nullum nec ſincerius, nec acceptius genus gratiarum eſſe, quam quum illas acclamationes æmulamur, quæ fingendi non habent tempus.* In æuum, & tibi, Ciuitati, ac Regno, nobiſque auſpicatiſſime. Vale, &c.

Plin. in Traian.

Excellentiæ Veſtræ

Humillimi Famuli, ac Sacellani

P. Prior, & Patres Carmelitæ Excalceati Conuentus Matris Dei.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

PRodit nunc primum in lucem Reu. P. Fr. Modesti Carmelitæ Discalceati Congregationis nostræ Sacerdotis professi ex Neapolitana Prouincia Tomus Primus Theologicus tractatibus duobus innexus, quorum alter de Indiuiduatione Angelorum a D. Th. prima par. quæst. 50. traditus, cui, vt radicitùs, ac planiùs explanaretur, opere pretium fuit de substantiæ materialis, atque Accidentium Indiuiduatione multa subnectere, vt communè philosophorum tramitem sequuti, oppositа iuxtàse posita magis elucescerent; prodit, fausta vtinã alite, Tractatus alter in primam secundæ eiusdem Angelici Doctoris à prima quæstione vsque ad 21. quo compendiosioribus, eo lucidioribus (quod rarum est) lectiunculis illustratus. Nec mireris quæso (Candide Lector) si tam distantes inter se, remotasque materies in hoc tomo strinxerimus. Tria tibi animaduertenda subiungam, vt lubenti animo, ac beneuolenti suscipias.

Primum nobis de præpopera auctoris morte dolendum. Cum enim ille, vtpotè vastioris ingenij nullum fecisset, dum viueret, finem scribendi, quippè quod nulla esset materia, siuè Theologica, siuè Philosophica, in qua non esset apprimè versatus, eam in varietatem, seù potiùs vastitatem eius scripta cõcreuerant, vt nec ipsemet quot partus felicis mentis suæ priuatim ediderat, memor esset; hinc alij dispersi sine conquisitore, alij surrepti ex proprijs manibus titulo commodationis, quasi liceret alijs alienos partus abripere, sibique facere supposititios, alij denique in alienis manibus obliti patrem nullum alium agnoscentes, quam illũ, à quo putatiuè seruabantur in scrinio, cumque auctoris humilitas, qua eo magis floruit, quo doctior, (quod proprium est verè sapientium) de congerendo in vnum, atque inordinatã formam disponendo, vt typis mandarentur, nunquam fuisset solicita; solicitantibus autem, vt aliqua prælo committeret, sub excusationis velo humilitatem occultans responderet, magnæ molis esse hodiernis temporibus, quod alijs esset proficuum publicæ luci committeret, accidit, vt magno nostro malo morte præuentus magnam scriptorum sarcinam in puluere, ac tenebris sepultam, indigestamque relinqueret; Verum ne tanto Viro mortuo aliqua irrogaretur iniuria, nec ingratitudinis stigmate inurerentur discipuli in eum, quem dilexerunt, veneratiq; sunt vt Magistrum, repetitis eorum postulationibus consultum est vt quæ superfuerant reliquiæ colligerentur, ne perirent, excitarenturque in lucem, quæ iacebant in tenebris, ac primò fuerunt ad manus, ac promptiores tractatus hi duo, quos exponimus, vt in ijs velut in facie legas auctoris, quæ relucebat in mente nobilem venustatem.

Secundum, quod ad hos tractatus primò depromendos extimulat, vt auctoris ingenij profunditatem, soliditatemque in difficillimis explanandis ex ijs, quæ de prima parte iuxtà miram Angelici Doctoris doctrinam traduntur, admireris; ex ijs verò, quæ de prima secundæ eiusdem Angelici Doctoris in moralibus explanantur, de facilitate, atque claritate mira cum compendiositate coniuncta iucunderis, vtque tractationum ambarum saporem veluti summis labijs libans, aliarum, quæ Deo fauente typis sunt excudendæ, appetitus acuatur, vtque ex vngue Leonem noscere edisças.

Tertium, quod tibi subiungo, est, ex industria, duos tractatus hos fuisse in hoc opere admixtos. Namque ex prima secundæ compendiolo veluti flosculos in fasciculos strinxit, in vere florentis, ac iuuenilis ætatis pro iuuenibus scripsit, vt pro facilitate discendi tanquam fasciculus florum assiduè ijs esset ad manus; quæ verò ex prima parte in tractatu primo, maturior auctor pro maturioribus scripsit, ac veluti fructus autumnales produxit, vt scias quanta cum facilitate, seù fœlicitate authoris ingenium in iuuentutis vere floruerit, quanta cum fœcunditate maturiores fructus autumnus grauioris ætatis eduxerit.

Accedit ad hæc, quod auctor posthumos quidem partus hos, non tamen abortiuos haud potuit in suis vlnis excipere, proprijs oculis, qui spiritus nobiliores instillant, inspicere, atque in elegantiam perfectam, quæ fuerat in votis, exponere, agnosce tamen gentilitium auctoris ingenium, ex quo veluti magnæ mentis vtero prodiere, ex quibus, nec dum sua forma recessit. *Virg. Æneid.* 19. Genuinam si quidem referunt parentis imaginem exceptis aliquibus diuisionibus, & titulis in quibus curator, seù emendator typorum putans maiorem addere claritatem, aliquorum videtur ingessisse dissimilis, & si quid næui offenderis, casui tribue, ac despice. Odorare ergo (candide Lector) florentis ætatis elegantissimos flores; deliba, ac degusta maturiores fructus, experimento crede sapidissimos. Amplectere, nec dedignere partus hos, etsi posthumos, in magni tamen ingenij domicilio conceptos, benignis contemplare luminibus, in manibus gesta, foue in corde, ac mẽtis tuæ brachijs amantissimè stringe; lege, fruere, ac Vale &c.

IESVS

Digitized by Google

IESVS MARIA.

FRATER PHILIPPVS A SS. TRINITATE PRÆPOSITVS GENERALIS Fratrum Carmelit. Diſcalc. Congreg. S. Eliæ, Ord. Beatiſs. Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac eiuſdem Sancti Montis Prior.

CVm opera quædam Theologica à Reu. P. Fr. Modeſto à S. Gregorio eiuſdem noſtræ Congregationis Sacerdote profeſſo compoſita duo è noſtris Theologis recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem (quoad nos ſpectat) impertimur, vt typis mandentur. In quorum fidem præſentes dedimus ſigillo noſtro munitas, ac propria manu ſubſcriptas, Romæ in Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ de Scala die 20. Septemb. 1670.

Fr. Philippus à Sanctiſſima Trinitate Præpoſitus Generalis.

Fr. Fauſtus à S. Baſilio Secretarius.

FACVLTAS ORDINIS.

AD examen Poſthumorum Operum R. Admodum P. Fr. Modeſti à S. Gregorio Carmelitæ Diſcalceati, Celeberrimi noſtri æui Theologi, & olim Seminarii noſtri Romani, Collegiique Parthenopæi Prælectoris Eximii, Iudices nos deſtinari. Orbi literario poſt accuratam diſcuſſionem Noſtrum propalamus iudicium. Huius communis noſtri Præceptoris calamus vetuſtis exhibet quæſtionibus nouitatem, Nouis Authoritatem, Obſoletis Nitorem, Obſcuris Lucem, Difficillimis Claritatem, Gratiam denique faſtiditis. *Profert de theſauro ſuo noua, & vetera* Tertulliani cupiens Cyprianus Martyr Opuſcula, dicere ſolebat: Da Magiſtrum. Debet Religio, & Prouincia Noſtra Sapientiſſimi huiuſce uiri Tractatus typis exponere, Scholæ namque Thomiſticæ præſertim addit abſque dubio Magiſtrum egregrium; nihil enim Modeſti operibus profundiùs, nihil lucidius, nihil uberiùs, ac nihil ad ſtudioſorũ cõmodũ præſtabilius; ideoque typis digniſsimos iudicamus. Datum Neap. in Collegio noſtro Matris Dei. 20. Menſis Octobris anni milleſimi, Sexcenteſimi, Sexageſimi Noni.

Fr. Eugenius à S. Ioſeph S. Theol. Profeſſor, ac Definitor Prouincialis.

Fr. Bernardus à S. Marco Sacræ Theologiæ prælector, & Prior Nouitiatus.

Tracta-

Digitized by Google

Tractatus Theologici in quatuor Tomos distributi

R. P. Fr. Modesti à Sancto Gregorio Polymnianensis Carmelitæ Discalceati Theologi Prouinciæ Neapolitanæ.

In Congregatione habita coram Reuerendissimo Domino Generali Vic. Neap. de ordine Eminentissimi Domini Cardinalis Caraccioli Archiep. Neap. sub die 20. Aug. 1667. Fuit dictum quod R. P. M. Fr. Ioannes Altamuranus Ord. Præd. reuideat, & in scriptis referat eidem Congreg.

Metellus Talpa Vicarius Generalis.

Can. D. Mattheus Renzi S. T. D. & S. Offic. Cons.

EMINENTISSIME, ET REVERENDISSIME DOMINE.

DE mandato Eminentiæ Vestræ accuratè perlegi Tractatus Theologicos in Quatuor Tomos digestos quondam Reu. Adm. P. Fr. Modesti a S. Gregorio Carmelitæ Discalceati verè eximij Theologi, in quibus nihil, quod Orthodoxæ, aduersetur fidei, deprehendi. Imò testor vniuerso Orbi, quod, & si millies exoptatlem videre semel saltem, & loqui cum Sanctissimo Nostro Doctore D. Thoma Aquinate, vt inter tot sententiarum discrimina edocerer, quæ vera sunt sua placita, iam satis mihi esset hos peruolutasse tractatus, quibus mira cum eruditione, subtilitate, ac tanta claritate Author hic sensus Sapientissimi nostri Magistri clarificat, vt nihil ad assequendum eius mentem optari queat felicius. Quapropter hæc tam præclara volumina tanti ac talis Authoris typis in publicam vtilitatem mandari posse existimo, quod omni conatu exopto. Datum in nostro Regio Conuentu S. Dominici Neap. die 20. Nouembris. 1669.

Eminentiæ Vestræ.

Addictissimus, & Humilissimus Seruus.
Fr. Io: de Altamura Magist.

In Congregatione habita coràm Eminentissimo Domino Cardinali Caracciolo Archiep. Neap. sub die 25. Nouemb. 1669. Fuit dictum, quod stante retroscripta relatione. Imprim.

Metellus Talpa Vicarius Generalis.

Franciscus Guarinus Soc. Iesu Cong. Ind. Secret.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

IL P. Prouinciale de' Carmelitani Scalzi desidera dare alle Stampe alcuni Trattati di Teologia in diuersi Tomi del quondam P. Fr. Modesto di S. Gregorio, Religioso dell'istessa Religione, e Prouincia, e però supplica V. E. ordinare, acciòche si possino stampare, e l'hauerà à gratia vt Deus.

Reu. P. Fr. Lucas de S. Antonio videat, & in scriptis referat.

Galeota Reg. Carrillo Reg. Capibl. Reg. Ortiz Cort. Reg. Valero Reg.

Prouisum per S. E. Neap. die 14. Mensis Nouembris 1669.

Mastellonus.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

NIhil mihi æquè gratum, ac iucundũ E. V. imperare poterat, ac vt recognoscerẽ aliquos Tractatus Theologicos in varios Tomos digestos quondam Reu. Adm. P. Fr. Modesti à S. Gregorio Carmelitæ Discalceati inter Theologos nostri temporis MAXIMI deuolui illos, ac maxima cum voluptate perlegi. Nec quidquam contra Regiam iurisdictionem offendi, nec quod orthodoxæ fidei, ac solidæ Theologiæ aduersetur, quin propter eximiam doctrinæ profunditatem, atque facilitatem explicandi res difficiles raros, ac digniſſimos iudico, qui prælo mandentur.

E. V.

Humillimus Seruus.
Fr. Lucas à S. Antonio Carmelit. Discalceat.

Visa retroscripta relatione imprimatur. Verum in publicatione seruetur Reg. Prag.

Galeota Reg. Carrillo Reg. Capibl. Reg. Ortiz Cort. Reg. Valero Reg.

Prouisum per S. E. Neap. die 16. Mensis Iunij 1670.

Mastellonus.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Præcipuorum Titulorum qui in Primo Tractatu continentur.

QVæstio vnica Principalis: Vtrum sub eadem specie sint, aut possint esse plures Angeli numero distincti. fol. 1.

§. Primus: Reponuntur tria fundamenta ad intelligendam Sancti Thomæ rationem. 3.

Notatio 1. Quomodo materia possit dupliciter comparari, vel in ordine ad formam, vel in ordine ad compositum. 7.

Notatio 2. Qualiter Formæ cum sint limitatæ virtutis non possint explere totam potentialitatem materiæ. 8.

Notatio 3. Quomodo materia, in qua, & per quam formiæ multiplicantur, aliter assignetur formis substantialibus, aliter formis accidentalibus. 9.

Notatio 4. Demonstratur quod licet materia sit principium radicale numericæ multiplicationis formarum, tamen formæ etiam sũt aliquo modo principium numericæ multiplicationis materiæ. 15.

Proponuntur Argumẽta ex doctrina, & principijs D. T. & Aristotelis contra nostram 4. notat. ibid.

Rationibus probatur prædicta 4. notatio. 17.

Proponitur nodus difficultatis, & explicatur, quid nomine materiæ signatæ quantitate intelligat S. Thomas? ibid.

Præcluduntur solutiones, quas aliqui adhibent rationibus à nobis allatis pro 4. notat. Cõfirmanda. 31.

Notatio 5. Proportionatur materia, & forma: nempè materia est principium numericæ multiplicationis formæ, forma verò est principium numericæ vnitatis materiæ. 33.

Explicatur quid senserit D. T. de indiuiduatione formarum 47.

§. Secundus. Quæ requirantur ad perfectam constitutionem indiuidui completi in genere substantiæ. 54.

Difficultas 1. Explicatur prima conditio, seù proprietas indiuidui substantialis completi, nempè quod sit vnum, & à quo principio intrinseco talis vnitas illi proueniat. ib.

Difficultas 2. Explicatur secunda conditio indiuidui substantialis completi, quadruplex nimirum ipsius incommunicabilitas. 56.

Difficultas 3. A quo principio intrinseco proueniat talis incommunicabilitas? & resoluitur primò per rationem S. T. prouenire à materia. 58.

Proponuntur, & soluuntur argumenta contra rationem D. T. 59.

Probatur secundò alia ratione ex Capreolo nostra sententia. 68.

Proponuntur, & soluuntur quatuor obiectiones contra hanc secundam rationem, ac de Angelorum gradibus essentialibus, subijcibilibus, & prædicabilibus disseritur. 70.

Primum Corollarium desumptum ex solutione argumentorum, in quo disceptatur, an differentia numerica sit vltima post specificam. 73.

Secundum Corollarium, in quo explicatur quomodo indiuiduum Angelorum sit incommunicabile, cum non habeat materiam. 75.

Tertium Corollarium, in quo explicatur aliud importari per vnitatem indiuidualem, & aliud per vnitatem numericam. 78.

Difficultas 4. Explanatur tertia conditio, seù proprietas indiuidui substantialis completi, nempè vt sit designabile, & quæ sint principia huius designationis. 85.

Difficultas 5. An accidentia, quæ sunt principia designationis indiuidui prædicti, seù primæ substantiæ, ita sint principia, vt his saltem diuinitus sublatis ab eis remaneant duo indiuidua, seù duæ primæ substantiæ eiusdem speciei indistinctæ, vel saltem ad inuicem discerni non possint. 86.

Nostra Sententia duplici conclusione explicatur, & resoluitur dubium de animabus separatis quo ad distinctionem sexus. 89.

§. Tertius. Probatur directè, quod principiũ numericæ multiplicationis indiuiduorum sub eadem specie sit materia ex qua, vel in qua. 97.

Difficultas Vnica. Probatur sententia S. Thomæ ratione, & testimonijs Aristotelis, & explicatur quid per materiã intelligat D. Th. vbi multa de Angelis, de Anima rationali, & accidentibus spiritualibus perpenduntur. ibid.

§. Quartus. Ex confutatione aliorum modorũ, quibus ab Aduersarijs explicatur principiũ numericæ multitudinis, confirmatur sententia Aristot. & D. Th. quod materia est radicale principium illius. 104.

Difficultas 1. An collectio accidentium, seù proprietatum sit principium indiuiduationis. ibid.

Difficultas 2. An existentia, vel subsistentia principium indiuiduationis. 105.

Difficultas 3. Vtrum forma sit principium vnitatis, & multiplicationis numericæ. 110.

Difficultas 4. Vtrũ principiũ vnitatis, & multiplicationis numericæ sit Hæcceitas. 113.

Digitized by Google

Difficultas 5. Vtrum principium vnitatis, & multiplicationis numericæ sit ipsa differentia numerica desumpta ab entitate singulari secundùm se, nullo habito ad extrinsecũ respectu. 128.

§. Quintus. De Principio vnitatis, & multiplicationis numericæ Accidentium, in quo discriminatè nonnulla de Angelis differuntur. 140.

Difficultas 1. Vtrum Accidentia indiuiduentur à subiectis, in qua, & de Angelis aliqua pertractantur. ibid.

Difficultas 2. An tanta sit dependentia accidentis à subiecto in sua indiuiduatione, vt vi naturæ in eodem indiuiduo subiecto duo accidentia solo nùmero distincta nequeant inhærere. 144.

Difficultas 3. Vtrum duo accidentia eiusdem generis, specie inter se differentia possint simul esse in eodem subiecto. 163.

Difficultas 4. Vtrum plura accidentia solo numero distincta possint esse in eodem subiecto successiuè. 165.

Difficultas V. Vtrum tanta sit essentialis dependeutia accidentis in sua indiuiduatione ab vnitate subiecti, vt implicet contradictionem idem subiectum posse simul recipere duo, aut plura accidentia solo numero distincta: aut idem numero accidens posse successiuè recipi in eodem subiecto. 181.

Difficultas 6. Num cuilibet indiuiduo agenti respondeat sua series indiuiduorum effectuum; ità vt hic numero effectus, ità petat fieri ab hoc numero agente, vt non possit produci ab alio? 204.

Difficultas 7. An cuilibet subiecto, vt est principium indiuiduationis accidentium eiusdẽ speciei, respondeat propria series indiuiduorum accidentium, ità vt non possint indiuiduari ab alio subiecto? 206.

§. Sextus. De Vnitate numerica substantiarũ abstractarum, vt sunt Angeli. 209.

Difficultas 1. An in substantijs abstractis, quæ non habent, nec materiam *ex qua*, neque materiam *in qua* natura specifica sit numero multiplicabilis in plura indiuidua? ibid.

Difficultas 2. Vtrum substantiæ omninò immateriales, vt sunt Angeli, spectata illorum natura sint plures numero multiplicabiles sub eadem infima specie? 225.

Difficultas 3. An immaterialitas substantiæ Angelicæ, ità excludat multiplicationem numericam, vt implicet contradictionem, & sit impossibile adhuc per diuinam potentiam creari duos, aut plures Angelos solo numero distinctos sub eadem infima specie? 260.



Digitized by Google

INDEX

Titulorum, qui in ſecundo tractatu continentur.

Numerus paginam, A. primam, B. ſecundam columnam deſignant.

Lectio Proœmialis. Quodnam ſit Obiectum huius partis? ſit nè practica, vel ſpeculatiua? Quo ordine ſe habeat, &c.

Quæſtio Prima D. Thomæ.

De vltimo fine in communi in octo Articulos diuiſa.

Articulus 1. Vtrum homini conueniat agere propter finem. 4. a.
Lect. 1. Quinam dicatur actus humanus. 5. a.
Lect. 2. An ſolæ, & omnes actiones humanæ ſint propter finem. 8. a.
Lect. 3. An finis ſit obiectum voluntatis. 11. a.
Lect. 4. An actus imperatus, vel elicitus poſſit habere rationem vltimi finis. 13. b.
Lect. 5. Quid ſit finis, & quotuplex. 15. b.
Lect. 6. Quiſnam finis habeat rationem cauſæ finalis. 16. b.
Lect. 7. Per quid cauſa finalis conſtituatur in actu primo ad cauſandum. 18. a.
Lect. 8. An quælibet bonitas habeat rationem cauſæ finalis. 19. a.
Lect. 9. An cauſa finalis reperiatur non ſolum in entibus poſitiuis, ſed etiam negatiuis. pag. 21. a.
Lect. 10. Vtrum res indifferens ad bonum, & malum poſſit eſſe finis. 21. b.
Lect. 11. An apprehenſio bonitatis ſit ratio formalis finalizandi. 22. a.
Lect. 12. In quo cõſiſtat cauſalitas finis. 25. b.
Articulus 2. Vtrum agere propter finem ſit proprium rationalis creaturæ. 28. a.
Lect. 1. Vtrũ Deus operetur propter finẽ. 29. a.
Lect. 2. An proprium ſit Angeli, & hominis agere propter finem. 33. a.
Lect. 3. An bruta agant propter finem. 34. b.
Lect. 4. An creaturæ carẽtes cognitione agãt propter finem. 35. a.
Lect. 5. An cauſa finalis exerceat cauſalitatẽ ſuam circà intentionem, &c. 36. a.
Art. 3. An actus humani recipiant ſpeciem ex fine. 39. a.
Lect. vnica. An actiones ſumant ſpeciem ſuã ex principio, quo agens agit. 40. a.
Artic. 4. Vtrum ſit aliquis finis vltimus humanæ vitæ. 44. a.
Lect. 1. An finis intermedius, ſiuè nõ vltimus habeat rationem finis. 45. a.
Lect. 2. An detur vnus vltimus finis humanæ vitæ fol. 47. a.
Lect. 3. An in medijs per ſe ſubordinatis deueniendum eſt ad vnum, ad quod terminetur conſilium, &c. 49. a.
Artic. 5. Vtrum vnius hominis poſſint eſſe plures vltimi fines. 50. a.
Lect. 1. An homo poſsit ſibi conſtituere plures vltimos fines. 50. b.
Lect. 2. An homo dum peccat mortaliter, cõſtituat ſuum vltimum finem in creatura. 55. a.
Lect. 3. An homo dum peccat venialiter, cõſtituat vltimum finem in creatura. 56. b.
Lect. 4. An Deus poſsit conſtituere homini plures vltimos fines. 62. b.
Art. 6. Vtrum homo, omnia, quæ vult, velit propter vltimum finem. 63. b.
Lect. 1. An quidquid vult homo, velit propter vltimum finem in communi. 64. a.
Lect. 2. Vtrum quidquid vult homo velit propter vltimum finem in particulari, qui eſt Deus. 68. b.
Art. 7. Vtrum ſit vnus vltimus finis omniũ bonorum. 71. b.
Art. 8. Vtrum in illo vltimo fine aliæ creaturæ conueniant. 72. a.

Quæſtio 2. D. Thomæ.

De his in quibus hominis beatitudo conſiſtit in octo articulos diuiſa 73.

Art. 1. Vtrum beatitudo hominis conſiſtat in diuitijs 73. a.
Art. 2. Vtrum beatitudo hominis conſiſtat in honoribus. ibid.
Art. 3. Vtrum hominis beatitudo conſiſtat in fama, ſiuè in gloria. 73. b.
Art. 4. Vtrum beatitudo hominis conſiſtat in poteſtate. ibid.
Art. 5. Vtrum beatitudo hominis conſiſtat in aliquo corporis bono. 74. a.
Art. 6. Vtrum beatitudo hominis conſiſtat in voluptate. 74. b.
Art. 7. Vtrum beatitudo hominis conſiſtat in aliquo bono animæ. 75. a.
Art. 8. Vtrum beatitudo hominis conſiſtat in aliquo bono creato. 75. b.

Digitized by Google

Quæstio 3. D. Thomæ.

Quid sit beatitudo in octo articulos diuisa. 76.

Art. 1. Vtrum beatitudo sit aliquid increatum. 76. a.

Lect. vnica. Vtrum beatitudo nostra formalis de facto sit creata. 76. a.

Art. 2. Vtrum beatitudo sit operatio. 78. b.

Lect. 1. Vtrum beatitudo nostra formalis cõsistat in illapsu Dei in essentia animæ. 78. b.

Lect. 2. Vtrum beatitudo nostra formalis cõsistat per se primo in aliqua potentia, vel habitu, &c. 80. b.

Lect. 3. Vtrum beatitudo nostra formalis sit operatio à nobis procedens. 81. b.

Lect. 4. Vtrum per Diuinam potentiam visio beata possit à Deo produci in beato merè passiuè se habente. 83. a.

Art. 3. Vtrum beatitudo sit operatio sensitiuæ partis, aut intellectiuæ tantum 84. b.

Art. 4. Vtrum beatitudo sit operatio intellectus, an voluntatis 85. a.

Lect. 1. Vtrum beatitudo nostra formalis cõsistat ex æquo in actu intellectus, & voluntatis. 86. a.

Lect. 2. Vtrum beatitudo nostra formalis cõsistat in operatione voluntatis; an verò intellectus. 88. 6.

Lect. 3. An beatitudo nostra essentialis consistat in actu intellectus cum ordine ad actum voluntatis. 92. b.

Art. 5. Vtrum beatitudo sit operatio intellectus speculatiui, an practici. 94. a.

Lect. 1. An beatitudo nostra formalis sit cognitio iudicatiua, & quomodo. 94. b.

Lect. 2. Vtrum beatitudo nostra consistat in iudicio speculatiuo, vel practico. 95. b.

Art. 6. Vtrum beatitudo consistat in consideratione scientiarum speculatiuarum. 98. a.

Lect iuncula super hunc art. An ratio D. Tho. adducta ad concludendum intentum sit efficax. 99. a.

Art. 7. Vtrum beatitudo consistat in cognitione substantiarum separatarũ 99. b.

Art. 8. Vtrum beatitudo hominis sit in Visione Diuinæ Essentiæ. ibid.

Lect. 1. Vtrum per Diuinam potentiam possit videri Diuina Essentia non visis attributis, & personis, vel vna persona non visa alia, &c. 100. a,

Lect. 2. Vtrum beatitudo supernaturalis huius vitæ consistat in actu intellectus, vel voluntatis. 102. b.

Lect. 3. In quo consistat beatitudo naturalis huius vitæ. 104. a.

Quæstio 4. D. Thomæ.

De his, quæ ad beatitudinem exiguntur in octo articulos diuisa. 107.

Art. 1. Vtrũ delectatio requiratur ad beatitudinem. 107. a.

Lect. 1. Vtrum fruitio sit actus elicitus volũtatis. ibid.

Lect. 2. Vtrum delectatio, vel fruitio distinguatur ab amore. 109. a.

Lect. 3. Vtrum obiectum fruitionis beatificæ sit Deus, an visio Dei, an vtrumque simul. 110. a.

Lect. 4. Quodnam sit principium elicitum fruitionis Beatæ. 113 a.

Lect. 5. An Beatus possit cessare ab amore, & fruitione beata. 115. a.

Art. 2. Vtrum in beatitudine sit principalior visio, quam delectatio. 116. b.

Lect. vnica. An delectationes sint appetibiles propter se, an propter operationem, ad quam sequuntur 117. a.

Art. 3. Vtrum ad beatitudinem requiratur comprehensio. 119. a.

Lect. vnica. An tres sint dotes animæ, & quænam illæ sint. 119. b.

Art. 4. Vtrum ad beatitudinem requiratur rectitudo voluntatis. 123. a.

Lect. 1. An Beati sint impeccabiles. 123. b.

Lect. 3. Vtrum Beati sint impeccabiles ab intrinseco, an ab extrinseco. 124. a.

Lect. 3. Vtrum si Deus per suam Diuinam potentiam remoueret à Beato actum charitatis, beatus tunc esset impeccabilis ex vi solius visionis beatæ. 125. b.

Lect. 4. Vtrum possit cum peccato habituali iàm commisso componi visio Dei. 128. a.

Art. 5. Vtrum ad beatitudinem hominis requiratur Corpus. 129. b.

Art. 6. Vtrum ad beatitudinem hominis requiratur aliqua perfectio corporis. 131. a.

Lect. 1. Vtrum corpora resurgent in propria perfectione naturali. 131. b.

Lect. 2. An Corpora beatorum habitura sint aliquam supernaturalem perfectionem. 133. a.

Lect. 3. Vtrum quatuor sint corporis dotes, & in quibus consistãt. 134. a.

Lect. 4. Vtrum corpus glorioſum ex vi solius dotis subtilitatis possit penetrare aliud corpus. 136. b.

Lect. 5. Vtrum Corpora beatorum futura sint clara ex lumine intrinseco. 137. b.

Art. 7. Vtrum ad beatitudinem requirantur aliqua exteriora bona. 138. b.

Art. 8. Vtrum ad beatitudinem requiratur Societas amicorum. 139. a.

Quæ-

Digitized by Google

Quæstio 5. D. Thomæ.

De Adeptione beatitudinis in octo articulos diuisa. 140.

Art. 1. Vtrum homo possit consequi beatitudinem. 140. a.
Lect. vnica. Vtrum ratione naturali possit demonstrari possibilitas nostræ beatitudinis. ibid.
Art. 2. Vtrum vnus homo possit esse beatior altero. 142. b.
Art. 3. Vtrum aliquis in hac vita possit esse beatus. ibid.
Art. 4. Vtrũ beatitudo habita possit amitti. 143. a.
Lect. 1. Vtrum beatitudo sit natura sua incorruptibilis, & perpetua. 143. b.
Lect. 2. Vtrum de ratione beatitudinis sit, quod de facto perpetuò duret. 146. a.
Art. 5. Vtrum homo per sua naturalia possit acquirere beatitudinem. 149. a.
Art. 6. Vtrum homo consequatur beatitudinem per actionem alicuius superioris Creaturæ. ibid.
Art. 7. Vtrum requirãtur aliqua bona opera ad hoc, quod homo beatitudinem consequatur à Deo. 149. b.
Art. 8. Vtrum omnis homo appetat beatitudinem. 150. a.
Lect. 1. Vtrum in homine sit appetitus naturalis ad beatitudinem naturalem. 150. b.
Lect. 2. Vtrum in homine sit appetitus innatus erga beatitudinem supernaturalem, quæ consistit in clara visione Dei. 152. a.
Lect. 3. Vtrum detur in homine appetitus elicitus naturalis ad visionem Dei. 155. a.

Quæstio 6. D. Thomæ.

De Voluntario, & Inuoluntario in octo articulos diuisa. 158.

Art. 1. Vtrum in humanis actibus inueniatur voluntarium. 158. a.
Lect. 1. Vndè dicatur voluntarium; quot modis sumatur, & quid sit. ibid.
Lect. 2. Vtrum perfectum voluntarium conuertatur cum libero. 160. a.
Art. 2. Vtrum voluntarium reperiatur in animalibus brutis. 162. b.
Lect. Vnica. Vtrum perfectior sit actus volũtarius necessarius, quam liber. 163. a.
Art. 3. Vtrum voluntarium possit esse absque omni actu. 164. b.
Lect. 1. Quotuplex sit voluntarium. 165. b.
Lect. 2. Vtrum voluntarium directum possit esse sine actu, tùm intellectus, tùm voluntatis, &c. 166. b.
Lect. 3. Vtrum vt omissio censeatur voluntaria, requiratur obligatio, vel præceptum non omittendi actum. 168. b.
Lect. 4. Vtrum effectus positiuus sequutus ad omissionem sit voluntarius ei, qui non tenetur illum impedire. 171. a.
Lect. 5. Vtrum effectus positiuus, vel negatiuus sequutus ad actum positiuum sit alicui voluntarius, si non adsit præceptum illum vitandi. 173. b.
Art. 4. Vtrum possit inferri violentia volũtati. 175. b.
Lect. 1. quid sit inuoluntarium. 176. a.
Lect. 2. Vtrum voluntas possit pati violentiã quoad actus elicitos. 178. a.
Lect. 3. Vtrum voluntas possit pati violentiã quoad actus imperatos. 180. a.
Lect. 4. Vtrum voluntas possit pati violentiã in cessatione ab actu. 183. a.
Lect. 5. Vtrum in receptione, vel spoliatione habituum voluntas possit pati violentiã à Deo. 185. b.
Lect. 6. Vtrum reliquæ potentiæ distinctæ à voluntate possint vim pati in actibus suis. 186. a.
Lect. 7. Vtrum Deus possit inferre violentiã creaturis. 189. a.
Art. 5. Vtrum violentia causet inuoluntarium. 191. a.
Art. 6. Vtrum metus causet inuoluntarium simpliciter. 191. b.
Lect. 1. Vtrum ea, quæ fiunt ex metu, sint mixta ex voluntario, & inuoluntario. 192. a.
Lect. 2. Vtrum ea, quæ fiunt ex metu, sint magis voluntaria, quam inuolũtaria. 193. b.
Lect. 3. Quid sit metus: quotuplex sit: Et quæ conditiones requiruntur ad metum cadentem in constantem virum. 195. b.
Lect. 4. Vtrum ad metum cadentem in constantem virum requiratur, vt eligatur minùs malum ad euitandũ maius. 197. b.
Lect. 5. Vtrum metus cadens in constantem virum debeat dici talis secundùm se cõsideratus: An per ordinem ad patientem metum, &c. 198. b.
Lect. 6. Quænam sint mala grauia sufficientia ad metum cadentem in constantem virum. 199. b.
Lect. 7. Vtrum timor reuerentialis censeatur cadens in constantem virum ad effectũ irritandi contractus expresso consensu celebratos. 201. a.
Lect. 8. An solus metus reuerentialis sit sufficiens ad irritandos contractus solo cõsensu tacito, ac præsumpto celebratos. 203. a.
Lect. 9. Vtrum extorta per metum leuem in foro conscientiæ sint restituenda. 204. a.
Lect. 10. Vtrum metus mortis, vel alterius grauis mali excuset à transgressione legis humanæ. 206. a.

Lect. 11.

Digitized by Google

Lect. 11. An metus mortis excuſet à trãsgreſſione legis Diuinæ poſitiuæ. 208. a.
Lect. 12. An Metus mortis excuſet à transgreſſione legis Diuinæ poſitiuæ naturalis. 209. a.
Art. 7. Vtrum concupiſcentia cauſet inuoluntarium. 211. a.
Lect. 1. Vtrum ea, quæ fiunt ex concupiſcentia ſint aliquo modo inuolũtaria. 211. b.
Lect. 2. An concupiſcentia augeat voluntarium. 213. b.
Art. 8. Vtrum ignorantia cauſet inuolunrarium. 216. b.
Lect. 1. Quid ſit ignorantia, & quotuplex ſit. 217. a.
Lect. 2. Vtrum ignorantia cauſet inuoluntarium. 219. a.

Quæſtio 7. D. Thomæ.

De Circumſtantijs humanorum actuum in quatuor art. diuiſa. 221.

Art. 1. Vtrum circumſtantia ſit accidens actus humani. 221. a.
Art. 2. Vtrum circumſtantiæ humanorum actuum ſint conſiderandæ à Theologo. ibid.
Art. 3. Vtrum conuenienter enumerentur circumſtantiæ. 221. b.
Art. 4. Vtrum ſint principales circumſtantiæ propter quid, & ea, in quibus eſt operatio. 222. a.
Lect. 1. Quid ſit circumſtantia, & quot ſint, & in quotuplici differentia. 222. b.
Lect. 2. Vtrum circumſtantiæ dicantur accidentia actus humani in eſſe phyſico, an morali. 224. a.

Quæſtio 8. D. Thomæ.

De Voluntate, quorum ſit vt volitorum in tres artic. diuiſa. 226.

Art. 1. Vtrũ volũtas ſit tantũ boni. 126. a.
Lect. Vnica. Vtrum voluntas verſetur tantum circà bonum. 226. b.
Art. 2. Vtrum voluntas ſit tantum finis, an etiam eorum, quæ ſunt ad finem. 228. a.
Lect. 1. Vtrum obiectum adæquatum voluntatis ſit tantum finis. 228. b.
Lect. 2. Vtrum in voluntate ſit aliquis actus neuter, qui neque ſit circà finem, neque circà media. 231. b.
Art. 3. Vtrum volũtas eodẽ actu moueatur in finẽ, & in id, quod eſt ad finem. 232. b.
Lect. 1. Vtrum volũtas ſemper diſtincto actu feratur in finem, & in media. 233. a.
Lect. 2. Vtrum voluntas eodem actu attingat formaliter finem, & media. 234. b.

Quæſtio 9. D. Thomæ.

De Motiuo Voluntatis in ſex art. diuiſa. 237.

Art. 1. Vtrum voluntas moueatur ab intellectu. 237. a.
Lect. 1. Vtrum voluntas poſſit ferri in incognitum. 237. b.
Lect. 2. Qualis debeat eſſe cognitio, quæ prærequiritur ad actum voluntatis. 239. b.
Lect. 3. Vtrum intellectus moueat voluntatẽ in genere cauſæ efficientis; An verò in genere cauſæ formalis, & obiectiuæ. 241. b.
Lect. 4. Vtrum voluntas moueat intellectum, & reliquas potentias inferiores ad exercitium, & quomodo. 243. b.
Art. 2. Vtrum voluntas moueatur ab appetitu ſenſitiuo. 247. a.
Art. 3. Vtrũ voluntas moueat ſeipsã. 247. b.
Art. 4. Vtrum voluntas moueatur ab aliquo exteriori principio. ibid.
Art. 5. Vtrum voluntas moueatur à corpore cœleſti. 248. a.
Art. 6. Vtrum voluntas moueatur à Deo ſolo, ſicut ab exteriori principio. 249. a.
Lect. Vnica. Vtrum voluntas ſe moueat in ſuo primo actu circà finem: An ſolum à Deo. 249. b.

Quæſtio 10. D. Thomæ.

De Modo, quo voluntas mouetur in quatuor articulos diuiſa. 252.

Art. 1. Vtrum Voluntas ad aliquid naturaliter moueatur. 252. a.
Art. 2. Vtrum voluntas moueatur de neceſſitate à ſuo obiecto. 253. a.
Lect. 1. Vtrum aliquod obiectum in via neceſſitet voluntatem quantum ad exercitium actus. ibid.
Lect. 2. Vtrum primus actus voluntatis circà finem ſit neceſſarius quoad exercitium. 255. b.
Lect. 3. De dubio incidenti, quod duas complectitur difficultates, 256. b.
Art. 3. Vtrum voluntas moueatur de neceſſitate ab inferiori appetitu. 257. a.
Art. 4. Vtrum voluntas moueatur de neceſſitate ab exteriori motiuo, quod eſt Deus. 257. b.

Quæſtio 11. D. Thomæ.

De fruitione, quæ eſt actus voluntatis in quatuor articulos diuiſa. 258.

Art. 1. Vtrum frui ſit actus appetitiuæ virtutis. 258. a.

Art. 2.

Digitized by Google

Art. 2. Vtrum frui conueniat tantum rationali creaturæ. 258. b.
Art. 3. Vtrum fruitio sit tantum vltimi finis. 259. a.
Art. 4. Vtrum fruitio sit solum finis habiti. 259. b.

Quæstio 12. D. Thomæ.

De intẽtione in quinque art. diuisa. 260.

Art. 1. Vtrum intentio sit actus intellectus, vel voluntatis. 260. a.
Art. 2. Vtrum intentio sit tantum vltimi finis. ibid.
Art. 3. Vtrum aliquis possit simul duo intendere. 260. b.
Art. 4. Vtrum intentio finis sit idem actus cum voluntate eius, quod est ad finem. 261. a.
Art. 5. Vtrum intentio conueniat animalibus brutis. 261. b.

Quæstio 13. D. Thomæ.

De Electione, quæ est actus voluntatis respectu eorum, quæ sunt ad finem in sex art. diuisa. 262.

Art. 1. Vtrum electio sit actus voluntatis. 262. a.
Art. 2. Vtrum electio cõueniat brutis. ibid.
Art. 3. Vtrum electio sit solum eorum, quæ sunt ad finem. 262. b.
Lectio vnica. An electio sit finis intermedij. 263. a.
Art. 4. Vtrum electio sit tãtum eorum, quæ per nos aguntur. 263. b.
Art. 5. Vtrũ electio sit solum possibiliũ. ibid.
Lect. 1. Vtrum voluntas possit appetere aliquod impossibile 264. a,
Lect. 2. Vtrum actus, quo voluntas appetit impossibile sit absolutus, vel conditionatus. 267. a.
Art. 6. Vtrum homo ex necessitate eligat. 270. a.
Lect. 1. Vtrum supposita intentione efficaci finis, si non sit, nisi vnũ medium, voluntas maneat libera in electione illius. 270. b.
Lect. 2. Vtrum ex duobus medijs æqualibus possit voluntas eligere quod sibi libet: & an ex duobus inæqualibus possit eligere minus vtile. 271. b.

Quæstio 14. D. Thomæ.

De Consilio, quod electionem præcedit in sex articulos diuisa. 275.

Art. 1. Vtrum Consiliũ sit inquisitio. 275. a.
Art. 2. Vtrum consilium sit de fine, vel solum de his, quæ sunt ad finem. ibid.
Art. 3. Vtrum consilium sit solum de his, quæ à nobis aguntur. 275. b.
Art. 4. Vtrum consilium sit de omnibus, quæ à nobis aguntur. 276. a.
Art. 5. Vtrum consilium procedat ordine resolutorio. ibid.
Art. 6. Vtrum Consilium procedat in infinitũ. 276. b.

Quæstio 15. D. Thomæ.

De Consensu, qui est actus voluntatis in comparatione eorum. quæ sunt ad finem in quatuor articulos diuisa. 278.

Art. 1. Vtrum consensus sit actus appetitiuæ virtutis. 278. a.
Art. 2. Vtrũ cõsensus cõueniat brutis. ibid.
Art. 3. Vtrum consensus sit de fine, vel de his, quæ sunt ad finem. 278. b.
Art. 4. Vtrum cõsensus in actum pertineat solum ad superiorẽ animæ partẽ. 279. b.

Quæstio 16. D. Thomæ.

De vsu, qui est actus voluntatis in comparatione ad ea, quæ sunt ad finem. 280.

Art. 1. Vtrum vti sit actus voluntatis. 280. a.
Lect. vnica. Vtrum vsus sit actus elicitus à voluntate. ibid.
Art. 2. Vtrum vti conueniat brutis. 282. a.
Art. 3. Vtrũ vsus possit esse vltimi finis. ib.
Art. 4. Vtrũ vsus præcedat electionẽ. 283. a.

Quæstio 17. D. Thomæ.

De actibus imperatis à Voluntate in nouem artic. diuisa. 285.

Art. 1. Vtrum imperare sit actus rationis. 285. a.
Lect. 1. Vtrum imperium sit actus elicitus voluntatis, an intellectus. 285. b.
Lect. 2. Vtrum actus imperij sit distinctus ab actu iudicij practici. 287. a.
Lect. 3. Vtrum imperium sit necessarium in homine ad proprios actus. 288. a.
Art. 2. Vtrum imperare pertineat ad animalia bruta. 290. a.
Art. 3. Vtrum vsus præcedat imperiũ. ibid.
Lect. 1. Vtrum detur aliquod imperium præcedens electionem: an verò subsequatur semper ad electionem. 291. a.
Lect. 2. Vtrum imperium sequatur necessariò ad electionem. 292. a.
Lect. 3. Vtrum vsus actiuus necessariò sequatur ad imperium. 293. b.

Lect. 4.

Digitized by Google

Lect.4.De ſerie,& ordine actuũ humanorũ ad inuicẽ, ſcil. intellectus,& volũtatis.294.b.
Art.4.Vtrum imperium, & actus imperatus ſint vnus actus,vel diuerſi. 296. b.
Art.5.Vtrum actus voluntatis imperetur. 297. a.
Art. 6. Vtrum actus rationis imperetur. 297.b.
Art.7.Vtrum actus appetitus ſenſitiui imperetur.298.a.
Art.8.Vtrum actus animæ vegetabilis imperetur. 298. b.
Art.9.Vtrum actus membrorum exteriorũ imperentur. 299. a.

Quæſtio 18.D. Thomæ.

De Bonitate, & malitia humanorum actuum in generali in vndecim art. diuiſa. 300.

Art.1.Vtrum omnis humana actio ſit bona, vel aliqua mala.300. a.
Lect.1.Vndè dicatur hoc nomen, morale, & quid ſignificet.300.b.
Lect.2.An detur eſſe morale, & quidnam ſit. 301.b.
Lect.3.Vtrum hoc eſſe morale reperiatur in actibus humanis,eorum obiectis, circũſtantijs,legibus,ac habitibus. 303.a.
Lect.4.Vtrum ſit idem formaliter actus moralis, & actus liber. 304, a.
Lect.5.Vtrum hæc moralitas actus liberi ſit realis,an rationis.306.a.
Lect.6.Vtrum moralitas actus ſit modus realis abſolutus, & an relatiuus, & quiſnã ſit terminus eius. 308. b.
Lect. 7.In quonam conſiſtat bonitas actus moralis in communi.310. b.
Lect. 8. Vtrum bonitas actus moralis eliciti ſit realis: An rationis. 312. b.
Lect.9.Vtrum bonitas realis ſit modus abſolutus,an relatiuus. 314.b.
Lect.10.In quo conſiſtat malitia moralis: An ſit quid reale, & an abſolutum.315. a.
Art.2.Vtrum actio hominis habeat bonitatem,vel malitiam ex obiecto.315.b.
Art. 3. Vtrum actio hominis ſit bona, vel mala ex circumſtantia. 316. b.
Art.4.Vtrum actio humana ſit bona, vel mala ex fine.317.a.
Lect.vnica Continens duo dubia.Primum eſt: Vtrum vt actus humanus ſit bonus, præter finem operis, debeat habere finem operantis,ſcil.Deum,Secundum: An idẽ actus moralis poſsit eſſe ſimul bonus, & malus ex diuerſis principijs. 318. a.
Art.5.Vtrum aliqua actio humana ſit bona, vel mala in ſua ſpecie. 319. b.
Art.6.Vtrum actus habeat ſpeciem boni, vel mali ex fine. 320.a.
Art.7. Vtrum ſpecies, quæ eſt ex fine contineatur ſub ſpecie, quæ eſt ex obiecto, ſicut genere,vel è conuerſo. 321.a.
Lect.1.Vtrum idem actus, ſiuè interior, ſiuè exterior poſsit habere plures malitias. 322.a.
Lect.2.Vtrum idem actus poſsit habere ſimul duas bonitates.323.a.
Lect. 3.Vtrum quando obiectum vnius virtutis eſt volitum propter obiectum alterius in eodẽ actu ſint duę bonitates.324.a.
Lect.4.quænam bonitas,vel malitia ſit prima, & eſſentialis reſpectu actus habentis plures bonitateſ,vel malitias. 325.b.
Lect.5.Vtrum actus reflexus habeat bonitatẽ ex actu volito directè. 326. b.
Art. 8. Vtrum aliquis actus ſit indifferens, ſecundum ſuam ſpeciem. 328.b.
Art. 9. Vtrum aliquis actus ſit indifferens ſecundùm indiuiduum. 329. a.
Lect. 1. Vtrum reuera poſsit dari actus aliquis deliberatus indifferens in indiuiduo. 329. b.
Art. 10. Vtrum aliqua circumſtantia conſtituat actum moralem in ſpecie boni, vel mali. 333. a.
Lect. 1. Vtrum circumſtantia tribuens ſpeciẽ actui maneat in ratione circumſtantiæ, an verò tranſeat in obiectum.333.b.
Lect.2.An circumſtantia, quæ dat actui ſecũdam ſpeciem, ſit differentia ſpecifica reſpectu prioris. 335.a.
Art. 11. Vtrum omnis circumſtantia augens bonitatem,vel malitiam conſtituat actum moralem in ſpecie boni, vel mali. 336. a.
Lect. 1. Quænam ſit regula ad cognoſcendũ, quando circumſtantia mutet ſpeciem, quando verò non.ibid.
Lect. 2. Quomodo debeant eſſe volitæ circũſtantiæ, vt dent ſpeciem, vel vt augeant, aut minuant ſpeciem actus. 337. a.

Quæſtio 19. D. Thomæ.

De Bonitate, & Malitia actus interioris voluntatis in decem art. diuiſa. 338.

Art. 1. Vtrum bonitas voluntatis dependeat ex obiecto. 338. a.
Lect. 1. Vtrum bonum, & malum ſint differentiæ per ſe actus interioris voluntatis in eſſe moris: an verò in eſſe naturæ. 338. b.
Lect. 2. An idem actus voluntatis, ſecundùm ſubſtantiam poſsit eſſe ſucceſsiuè bonus, aut malus. 340. b.
Art. 2. Vtrum bonitas voluntatis dependeat ex ſolo obiecto. 343. a.
Lect. 1. Vtrum bonitas, vel malitia actus interio-

Digitized by Google

terioris pendeat ex solo obiecto, vel fine: an etiam ex circumstantijs. 344. a.
Lect. 2. An circumstantiæ non mutantes speciem transeant in obiectum volitum respectu actus interioris. 345. b.
Art. 3. Vtrùm bonitas voluntatis dependeat ex ratione. 346. a.
Art. 4. Vtrum bonitas voluntatis dependeat ex lege æterna. 346. b.
Art. 5. Vtrum voluntas discordans à ratione errante sit mala. ibid.
Art. 6. Vtrum voluntas concordans rationi erranti sit bona. 347. a.
Lect. 1. Quid sit conscientia, & quotuplex sit. ibid.
Lect. 2. De Conscientia recta. Vtrũ Conscientia vera, & certa obliget; & an sit peccatũ speciale operari cõtra ipsam. 350. a.
Lect. 3. An sit peccatum mortale operari cõtra conscientiam, quando in confuso aliquid illicitum iudicatur, non determinando, an sit mortale, vel veniale. 351. a.
Lect. 4. Vtrum actu debeat perseuerare iudicium conscientiæ, contra quod peccatur: an sufficiat, vt perseueret virtute. 352. a.
Lect. 5. Vtrum Deus possit dispensare, vt sine peccato quis operetur contra propriam conscientiam. 352. b.

De Conscientia Erronea.

Lect. 1. Vtrum sit peccatum operari contra conscientiam erroneam. 353. a.
Lect. 2. Quomodo deponenda sit conscientia erronea, vt opus factum contra eam excusetur à culpa, 355. a.
Lect. 3. Vtrum operari secundùm conscientiam erroneam sit peccatum. 356. b
Lect. 4. Quodnam peccatum maius sit agere contra conscientiam erroneam culpabilem: an ipsam sequi, vel ei se conformare. 358. a.
Lect. 5. An conscientia erronea propriè dicatur obligare. 358. b.
Lect. 6. An magis obliget præceptum Prælati, quam conscientia erronea. 360. b.

De Conscientia Dubia.

Lect. 1. Vtrum operari cum conscientia dubia sit peccatum. 361. b.
Lect. 2. Vtrum in dubijs tutior pars sit eligẽda. 362. b.
Lect. 3. Vtrum teneamur dubia in meliorem partem explicare. 363. a.
Lect. 4. Vtrum in dubijs pertinentibus ad materiam iustitiæ melior sit conditio possidentis. 364. b.
Lect. 5. An in materia aliarum virtutum melior sit conditio possidentis, quando est dubium de aliqua re. 365. b.

De Conscientia Probabili, siuè opinatiua.

Lect. 1. Continens aliqua dubia præambula ad difficultatem illam principalem: An licitum sit sequi opinionem probabilem relicta probabiliori, & alia pertinentia ad hanc materiam. 368. a.
Dubium 1. Quid sit opinio, vt sic, & in cõmuni, & quotuplex sit. ibid.
Dubium 2. Quid sit opinio probabilis, vel quænam sit. 368. b.
Dubium 3. Vtrum opinio eo ipso, quod est probabilior, dicatur tutior. 369. a.
Dubium 4. An authoritas vnius Doctoris probi, & docti sit sufficiens ad faciendã opinionem probabilem. 369. b.
Dubium 5. Quænam dicatur opinio communis. 370. a.
Dubium 6. An licitum sit recedere à communi opinione. ibid.
Dubium vltimum. An scholaris sequẽs opinionem sui Magistri dicatur sequi opinionem probabilem. 370. b.
Lect. 2. Vtrum licitum sit operari secundùm opinionem probabilem relicta probabiliori. 371. a.
Lect. 3. An ex opinione speculatiuè probabili licitum sit semper inferre iudicium, vel opinionem probabilem practicam, & secundum illam licitè operari. 373. b.
Lect. 4. Vtrum liceat in administratione Sacramentorum relicta opinione tutiori, & probabiliori sequi opinionem minus tutam, & probabilem. 375. b.
Lect. 5. An Iudex possit iudicare secundùm opinionem probabilem relicta probaliori. 379. b.
Lect. 6. An licitum sit aduocato tueri causam secundùm opinionem minus probabilem relicta probabiliori. 381. b.
Lect. 7. An possit Medicus in curationibus sequi opinionem probabilem relicta probabiliori. 382. b.
Lect. 8. An Medicus sequendo opinionem probabilem licitè possit dare prægnanti pharmacum, siuè potionem cum periculo abortus. 384. a.
Lect. Appendix. An ex iuxta causa liceat vxoratis sterilitatem aliquo modo procurare. 385. a.
Lect. 8. An Rex vnus possit ex opinione probabili relicta probabiliori licitè mouere bellum aduersus alium Regem. 385. b.
Lect. 9. Vtrũ licitum sit subdito non obedire Prælato, si dubitet, vel opinetur rem præceptam non esse licitam, vel excedere suam potestatem, vel non esse legitimũ superiorem. 386. a.

Digitized by Google

De Conſcientia ſcrupuloſa.

Lect. Vnica. Ex quibus cauſis oriantur ſcrupuli: an licitum ſit operari cum conſciẽtia ſcrupuloſa, & quæ ſint remedia ſcrupulorum. 398. b.

Art. 7. Vtrum voluntatis bonitas, in his, quæ ſunt ad finem pendeat ex intentione finis 400. b.

Lect. 1. Vtrum intentio boni finis reddatur mala ex mala electione. 391. a.

Lect. 2. Vtrum electionis malitia minuatur ex intentione boni finis. 392. a.

Lect. 3. Vtrum eadem electio poſsit ſimul eſſe bona, & mala per ordinem ad duos fines, vnum bonum, & alterum malum. 393. a.

Art. 8. Vtrum quantitas bonitatis, vel malitiæ in voluntate ſequatur quantitatem boni, vel mali in intentione. ibid.

Art. 9. Vtrum bonitas voluntatis pendeat ex conformitate ad vbluntatem Diuinã. 394. a.

Art. 10. Vtrum neceſſarium ſit voluntatem humanam conformari voluntati Diuinæ in volito, ad hoc, vt ſit bona. ibid.

Lect. Vnica. An teneamur conformare voluntatem noſtram voluntati Diuinæ. 394. b.

Quæſtio 20. D. Thomæ.

De Bonitate, & Malitia exteriorum actuum humanorum in ſex artic. diuiſa. 396.

Art. 1. Vtrum bonitas, vel malitia per prius ſit in actu voluntatis, vel in actu exteriori. 396. a.

Art. 2. Vtrum tota bonitas, & malitia exterioris actus dependeat ex bonitate volũtatis. 397. a.

Art. 3. Vtrum bonitas, & malitia ſit eadem exterioris, & interioris actus. 397. b.

Lect. 1. Vtrum bonitas formalis intrinſecè ſit in actu exteriori, & independẽter ab actu interiori; an verò intrinſecè ſit in actu interiori, & ab eo deriuetur in actum exteriorem. 398. b.

Lect. 2. Vtrum malitia actualis prius ſit in actu exteriori, quam interiori. 401. a.

Lect. 3. Vtrũ actus exterior, vt obiectum actus interioris habeat eandem numero bonitatem, vel malitiam cum actu exteriori. 402. b.

Art. 4. Vtrum actus exterior aliquid addat de bonitate, & malitia ſupra actum interiorem. 404. a

Lect. Vnica. Vtrum actus exterior addat bonitatem, vel malitiam ſupra actum interiorem efficacem. 405. a.

Art. 5. Vtrum euentus ſequens aliquid addat de bonitate, vel malitia ad actum exteriorem. 406. a.

Art. 6. Vtrum idem actus exterior poſsit eſſe bonus, & malus. 406. b.

Quæſtio 21. D. Thomæ.

De ijs, quæ conſequuntur actus humanos ratione bonitatis, & malitiæ in quatuor art. diuiſa. 407.

Art. 1. Vtrum actus humanus, in quantum eſt bonus, vel malus, habeat rationem rectitudinis, vel peccati. 407. a.

Art. 2. Vtrum actus humanus, in quantum eſt bonus, vel malus habeat rationem laudabilis, vel culpabilis. ibid.

Art. 3. Vtrum actus humanus in quantum eſt bonus, vel malus habeat rationem meriti, vel demeriti. 408. a.

Art. 4. Vtrum actus humanus, in quantum eſt bonus, vel malus habeat rationem meriti, vel demeriti, apud Deũ. ibid.



QVÆ.

Digitized by Google

QVAESTIO L.

DE SVBSTANTIA ANGELORVM

In quinque Articulos diuiſa.

POſt hæc conſiderandum eſt de diſtinctione corporalis, & ſpiritualis creaturæ. Et primo de creatura purè ſpirituali, quæ in Scriptura Sacra Angelus nominatur. Secũdò de creatura purè corporali. Tertiò cõpoſita de creaturaex corporali, & ſpirituali, quæ eſt homo.

Circa verò Angelos conſiderãdum eſt primo de his, quæ pertinent ad eorum ſubſtantiã Secũdò de his, quæ pertinẽt ad eorũ intellectũ Tertiò de his, quæ pertinent ad eorũ voluntatẽ Quartò de his, quæ pertinẽt ad eorũ creationẽ. De ſubſtantia autem eorum conſiderandum eſt, & abſolutè, & per comparationem ad corporalia. Circa ſubſtantiã, verò eorum abſolutè quinque quæruntur.

ARTICVLVS I.

Vtrum Angelus ſit omninò incorporeus.

AD primum ſic proceditur. Videtur, quod Angelus non ſit omninò incorporeus. Illud enim quod eſt incorporeum ſolum quo ad nos, & non quoad Deum, non eſt incorporeum ſimpliciter. Sed Dam. dicit in lib. 2. quod Angelus incorporeus, & immaterialis dicitur quantum ad nos: Sed comparatus ad Deum corporeus, & materialis inuenitur. Nõ ergo eſt incorporeus ſimpliciter.

2. Præterea nihil mouetur niſi corpus, vt probatur in 6. phyſ. ſed Dam. dicit ibidem, quod Angelus eſt ſubſtantia intellectualis sẽper mobilis. Angelus ergo eſt ſubſtantia corporea.

3. Præterea Ambr. dicit in lib. de Spiritu ſancto omnis creatura certis ſuæ naturæ circũſcripta eſt limitibus. Circumſcribi autem proprium eſt corporum: ergo omnis creatura eſt corporea. Angeli autem ſunt Dei creaturæ, vt patet in Pſalm. 148. Laudate Dominum omnes Angeli eius: ipſe mandauit, & creata ſunt ergo Angeli ſunt corporei.

Reſpondeo dicendum, quod neceſsè eſt ponere aliquas creaturas incorporeas. Id enim, quod præcipuè in rebus creatis Deus intendit, eſt bonum, quod conſiſtit in aſsimilatione ad Deum. Perfecta autem aſsimilatio effectus ad cauſam attenditur, quando effectus imitatur cauſam, ſimilem illud, per quod cauſa producit effectum, ſicut calidum facit calidum. Deus autem creaturam producit per intellectum, & voluntatem, vt ſupra oſtenſum eſt. Vndè ad perfectionem vniuerſi requiritur, quod ſint aliquæ creaturæ intellectuales. Intelligere autem non poteſt eſſe actus corporis, nec alicuius virtutis corporeæ, quia omne corpus determinatur ad hic, & nunc. Vndè neceſsè eſt ponere, ad hoc quod vniuerſum ſit perfectum, quod ſit aliqua incorporea creatura. Antiqui autem ignorantes vim intelligendi, & non diſtinguentes inter ſenſum, & intellectum, nihil eſſe exiſtimauerunt in mũdo, niſi quod ſenſu, & imaginatione apprehendi poteſt. Et quia ſub imaginatione non cadit niſi corpus, exiſtimauerunt, quod nullũ ens eſſet niſi corpus, vt Philoſophus dicit in 4. phyſic: Et ex his proceſsit Sadduceorum error, dicentium non eſſe ſpiritũ. Sed hoc ipſum, quod intellectus eſt altior ſenſu, rationabiliter oſtendit eſſe aliquas res incorporeas à ſolo intellectu comprehenſibiles.

Ad primum ergo dicendum, quod ſubſtãtiæ incorporeæ medium ſunt inter Deum, & creaturas corporeas. Medium autem comparatum ad vnum extremum. Videtur alterũ extremum, ſicut tepidum comparatum calido, videtur frigidum. Et hac ratione, dicitur quod Angeli Deo comparati ſunt materiales, & corporei, non quod eis ſit aliquid de natura corporea.

Ad ſecundum dicendum, quod motus ibi accipitur pro vt intelligere, & velle motus quidam dicuntur. Dicitur ergo Angelus ſubſtantia ſemper mobilis, quia ſemper eſt actu intelligens, non quandoque actu, quandoq; potentia, ſicut nos. Vndè patet, quod ratio procedit ex æquiuoco,

Ad tertium dicendum, quod circumſcribi terminis localibus eſt proprium corporum; ſed circumſcribi terminis eſſentialibus eſt cõmune cuilibet creaturæ tàm corporali, quàm ſpirituali. Vndè dicit Ambroſ. in lib. de Spiritu ſancto, quod licet quædam locis corporalibus non contineantur, circumſcriptione tamen ſubſtantiæ non carent.

ARTICVLVS II.

Vtrum Angelus ſit compoſitus ex materia, & forma.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quod Angelus ſit compoſitus ex materia, & forma. Omne enim quod continetur ſub aliquo genere, eſt compoſitum ex genere, & differentia, quæ adueniens generi conſtituit ſpeciem. Sed genus ſumitur ex materia, differentia verò ex forma, vt patet in 8. Met. Ergo omne, quod eſt in genere, eſt compoſitum ex materia, & forma, ſed Angelus eſt in

Digitized by Google

genere ſubſtantiæ. Ergo eſt cõpoſitus, ex materia, & forma.

2. Præterea. In quocunque inueniuntur proprietates materiæ, ibi inuenitur materiæ. Proprietates autem materiæ ſunt recipere, & ſubſtare. Vndè dicit Boet. in lib. de Trin. quod forma ſimplex ſubiectum eſſe non poteſt. Hoc autem inuenitur in Angelo. Ergo Angelus eſt compoſitus ex materia, & forma.

3. Præterea forma eſt actus. Quod ergo eſt forma tantum, eſt actus purus. Sed Angelus non eſt actus purus. Hoc enim ſolius Dei eſt. Ergo non eſt forma tantum, ſed habet formã in materia.

4. Præterea. Forma propriè limitatur, & finitur per materiam. Forma ergo, quæ non eſt materia, eſt forma infinita. Sed forma Angeli non eſt infinita, quia creatura finita eſt. Ergo forma Angeli eſt in materia.

Sed contra eſt, quod Dion. dicit 4. cap. de Diuin. nom. quod primæ creaturæ ſicut incorporales, ità & imateriales intelliguntur.

Reſpondeo dicendum, quod quidam ponunt Angelos eſſe compoſitos ex materia, & forma. Et hanc opinionem aſtruere nititur Auicerbron: in lib. fontis vitæ. Supponit enim, quod quæcumque diſtinguntur ſecũdum intellectum, ſint etiam in rebus diſtincta. In ſubſtantia autem incorporea intellectus apprehendit aliquid, per quod diſtinguitur à ſubſtantia corporea: Et aliquid, per quod cum ea conuenit. Vndè ex hoc vult concludere, quod illud, per quod differt ſubſtantia incorporea à corporea ſit ei quaſi forma. Et illud, quod ſubicitur huic formæ diſtinguenti quaſi commune ſit materia eius. Et propter hoc ponit, quod eadem eſt materia vniuerſalis Spiritualium, & corporalium, vt intelligatur, quod forma incorporea ſubſtantiæ ſic ſit impreſſa in materia Spiritualium, ſicut forma quantitatis eſt impreſſa in materia corporalium. Sed primo aſpectu apparet eſſe impoſsibile, vnam eſſe materiam Spiritualium, & corporalium. Non enim eſt poſſibile, quod forma Spiritualis, & corporalis recipiatur in vna parte materiæ: quia ſic vna, & eadem res numero eſſet corporalis, & Spiritualis. Vndè relinquitur, quod alia pars materiæ ſit, quæ recipit formam corporalem; & alia, quæ recipit formam Spiritualem. Materia autem diuidi in partes non cõuenit, niſi ſecũdũ quod intelligitur ſub quantitate: Qua remota remanet ſubſtantia indiuiſibilis, vt dicitur in 1. lib. phyſic: Sic igitur relinquitur, quod materia Spiritualium ſit ſubſtantia ſubiecta quantitati, quod eſt impoſsibile. Impoſsibile eſt ergo, quod vna ſit materia corporalium, & Spiritualium. Sed adhuc vlteriùs impoſsibile eſt, quod ſubſtãtia intellectualis habeat qualemcumque materiam. Operatio enim cuiuslibet rei eſt ſecũdũ modum ſubſtantiæ eius. Intelligere autem eſt operatio penitus immaterialis. Quod ex eius obiecto apparet, à quo actus quilibet recipit ſpeciem, & rationẽ. Sic enim vnumquodque intelligitur in quantum à materia aſtrahitur, quia formæ in materia ſunt indiuiduales formæ, quas intellectus non apprehendit ſecundũ quod huiuſmodi. Vndè relinquitur, quod ſubſtantia intellectus eſt omninò immaterialis. Non eſt autem neceſſarium, quod ea, quæ diſtinguntur ſecundũ intellectũ, ſint diſtincta in rebus: quia intellectus non apprehendit res, ſecundũ modum rerum, ſed ſecundù modum ſuum. Vndè res mareriales, quæ ſunt infra intellectum noſtrum, ſimpliciori modo ſunt in intellectu noſtro, quam ſint in ſeipſis. Subſtantiæ autem Angelicæ ſunt ſupra intellectum noſtrum. Vndè intellectus noſter non poteſt attingere ad apprehendendum eas, ſecundum quod ſunt in ſeipſis, ſed per modum ſuum, ſecundùm quod apprehendit res compoſitas. Et ſic etiam apprehẽdit Denm, vt ſupra dictum eſt.

Ad primum ergo dicendum, quod differentia eſt, quæ conſtituit ſpeciem. Vnumquodq; autem conſtituitur in ſpecie, ſecundùm quod determinatur ad ſpecialẽ gradum in entibus. Quia ſpecies rerum ſunt ſicut numeri, qui differunt per additionem, & ſubtractionem vnitatis, vt dicitur in 8. Met. In rebus autem materialibus aliud eſt, quod determinat ad ſpecialem gradum, ſcil. forma; & aliud, quod determinatur, ſcil. materia. Vnum ab alio ſumitur genus, & ab alio differentia. Sed in rebus immaterialibus non eſt aliud determinans, & determinatum, ſed vnaquæque earum ſecundùm ſeipſam tenet determinatum gradũ in entibus. Et ideò genus, & differentia in eis non accipitur ſecundùm aliud, & aliud, ſed ſecundùm vnum, & idem, quæ tamen differũt ſecundùm conſiderationem noſtram: in quãtum enim intellectus noſter conſiderat illam rem, vt indeterminatè, accipitur in eis ratio generis: in quantum verò conſiderat, vt determinatè, accipitur ratio differentiæ.

Ad ſecundum dicendum, quod ratio illa ponitur in libro Fontis vitæ. Et eſſet neceſſaria, ſi idem eſſet modus, quo recipit intellectus, & quo recipit materia. Sed hoc patet eſſe falſum. Materia enim recipit formam, vt ſecundum ipſam conſtituatur in eſſe alicuius ſpeciei, vel aeris, vel ignis, vel cuiuſcunque alterius. Sic autem intellectus non recipit formam, alioquin verificaretur opinio Empedoclis, qui poſuit, quod terram terra cognoſcimus, & ignem igne. Sed forma intelligibilis eſt in intellectu, ſecundùm ipſam rationem formæ; ſic enim cognoſcitur ab intellectù. Vndè talis receptio non eſt receptio materiæ, ſed receptio ſubſtantiæ materialis.

Ad

Digitized by Google

Ad tertium dicendum, quod licet in Angelo non sit compositio formæ, & materiæ, est tamen in eo actus, & potentia, quod quidem manifestum potest esse ex consideratione rerum materialium, in quibus inuenitur duplex compositio. Prima quidem formæ, & materiæ, ex quibus constituitur natura aliqua. Natura autem sic composita nō est suum esse, sed esse est actus eius. Vndè ipsa natura comparatur ad suum esse, sicut potentia ad actum; Subtracta ergo materia, & posito quod ipsa forma subsistat non in materia; adhuc remanet comparatio formæ ad ipsum esse, vt potentiæ ad actum. Et talis compositio intelligenda est in Angelis, & hoc est, quod à quibusdam dicitur, quod Angelus est compositus, ex quo est, & quod est, vel ex esse, & quod est, vt Boet. dicit, nam quod est, est ipsa forma subsistens. Ipsum autem esse est quo substantia est, sicut cursus est quo currens currit. Sed in Deo non est aliud esse, & quo est, vt supra ostensum est. Vndè solus Deus est actus purus.

Ad 4. dicendum, quod omnis creatura est finita simpliciter, in quantum esse eius non est absolutè subsistnes, sed limitatur ad naturam aliquam, cui aduenit. Sed nihil prohibet aliquam creaturam esse secundùm quid infinitā. Creaturæ autem materiales habent infinitatē ex parte materiæ, sed finitatem ex parte formæ, quæ limitatur per materiam, in qua recipitur. Substantiæ autem immateriales creatæ, sunt finitæ secundùm suum esse, sed infinitæ secundùm quod eorum formæ non sunt receptæ in alio, sicut si diceremus, albedinem separatam existentem esse infinitam quantum ad rationem albedinis, quia non contrahitur ad aliquod subiectum, esse tamen eius esset finitum, quia determinatur ad aliquam naturā specialem, & propter hoc dicitur in lib. de Caus. quod intelligentia est finitè superius, in quantum scil. recipit esse à suo superiori, sed infinitè inferius, in quantum non recipitur in aliqua materia.

ARTICVLVS III.

Vtrum Angeli sint in aliquo magno numero.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Angeli non sint in aliquo magno numero, numerus enim species quantitatis est, & sequitur diuisionem continui. Hoc autem non potest esse in Angelis, cum sint incorporei, vt supra ostensum est. Ergo Angeli non possunt esse in aliquo magno numero.

2. Præterea. Quanto aliquid est magis propinquum vni, tanto minus est multiplicatum, vt in numeris apparet. Natura autem Angelica inter alias naturas creatas est Deo propinquior. Cum ergo Deus sit maximè vnus, videtur, quod in natura Angelica inueniatur minimum de multitudine.

3. Præterea. Proprius effectus substantiarū separatarum videtur esse motus corporum cœlestium. Sed motus corporum cœlestium sunt secundùm determinatum numerum paucum, qui à nobis apprehendi potest. Ergo Angeli non sunt in maiori multitudine, quam motus corporum cœlestium.

4. Præterea. Dion. dicit 4. c. de Diu. nom. quod propter radios Diuinæ bonitatis subsistunt intelligibiles, & intellectuales omnes substantiæ. Sed radius non multiplicatur, nisi secundùm diuersitatem recipientium. Non autem potest dici, quod materia sit receptiua intelligibilis radij, cum substantiæ intellectuales sint immateriales, vt supra ostensum est. Ergo videtur, quod multiplicatio substantiarum intellectualium non possit esse, nisi secundùm exigentiam primorum corporum, scil. cœlestum, vt ad ea quodammodo processus prædictorum radiorum terminetur. Et sic idē quod prius.

Sed contra, est, quod dicitur Dan. 7. millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.

Respondeo dicendum, quod circa numerum substantiarum separatarum diuersi diuersis vijs processerunt. Plato enim posuit substantias separatas esse species rerum sensibilium: vtpotè si poneremus ipsam naturam humanam esse separatam: Et secundùm hoc oportebat dicere, quod substantiæ separatæ sint secundùm numerum specierum sensibiliū. sed hanc positionem improbat Arist. ex eo quod materia est de ratione specierū sēsibiliū. Vndè substantiæ separatæ non possunt esse species exemplares horum sensibilium, sed habent quasdam naturas altiores naturis rerum sensibilium. Posuit tamen Aristotiles, quod illæ naturæ perfectiores habent ordinem ad sensibilia ista, secundum rationem mouentis, & finis. Et ideò secundùm numerum primorū motuum conatus est adinuenire numerū substantiarum separatarum.

Sed quia hoc videtur repugnare documentis Sacræ Scripturæ, Rabbi Moyses Indæus volens vtrumque concordare, posuit, quod Angeli, secundum quod dicuntur substantiæ immateriales, multiplicantur, secundùm numerum motuum, vel corporum cœlestium, secundùm Aristotilem. Sed posuit quod Angeli in Scriptura dicuntur etiam homines diuina annunciantes. Et iterum virtutes rerum naturalium, quæ Dei omnipotentiam manifestant. Sed hoc est alienum à consuetudine Scripturæ, quod virtutes rerum irrationabilium Angeli nominentur. Vndè dicendum est, quod etiam Angeli, secundùm quod sunt immateriales substantiæ in quadam multitudine maxima

sunt,

Digitized by Google

sunt, omnem materialem multitudinem excedentes. Et hoc est, quod dicit Dyonisius 14. cap. cælestis Hierarchiæ. Multi sũt beati exercitus supernarum mentium, infirmam, & constrictam excedentes nostrorum materialium numerorum commensurationem. Et huius ratio est, quia cum perfectio vniuersi sit illud, quod præcipuè Deus intendit in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta, tãto in maiori excessu sunt creata à Deo. Sicut autem in corporibus attenditur excessus secũdum magnitudinem, ità in rebus incorporeis potest attendi excessus secundùm multitudinem. Videmus autem, quod corpora incorruptibilia, quæ sunt perfectiora inter corpora excedunt quasi incomparabiliter secundùm magnitudinem corpora corruptibilia, nã tota sfera actiuorum, & passiuorum est aliquid modicum respectu corporum cælestium: Vndè rationabile est, quod substantiæ immateriales excedant, secundùm multitudinem substantias materiales, quasi incomparabiliter.

Ad primum ergo dicendum, quod in Angelis est numerus, qui est quantitas discreta, causatus ex diuisione continui, sed causatus ex distinctione formatum, prout multitudo est de trascendentibus, vt supradictum est.

Ad secundum dicendũ, quod ex hoc, quod natura Angelica est Deo propinqua, oportet, quod habeat minimum de multitudine in sui compositione, non autem ita quod in paucis saluetur.

Ad tertium dicendum, quod ratio est Arist. 11. Met; & ex necessitate concluderet, si substantiæ separatæ essent propter substãtias corporales, sic enim frustrà essent immateriales substantiæ, nisi eis aliquis motus in rebus corporalibus appareret. Non est autem hoc verum, quod substantiæ materiales sint propter corporales: quia finis nobilior est his, quæ sunt ad finem. Verum etiam Arist. dicit ibidẽ quod hæc ratio non est necessaria, sed probabilis. Coactus autem fuit hac ratione vti, quia ad cognoscendum intelligibilia non possumus peruenire nisi per sensibilia.

Ad quartum dicẽdum, quod ratio illa procedit secundùm opinionem eorum, qui causã distinctionis rerum ponebant esse materiam. Hoc autem improbatum est. Vndè multiplicatio Angelorum, neque secundùm materiam, neque secundum corpora est accipienda, sed secundùm Diuinam sapientiam diuersos ordines immaterialium substantiarum excogitantem.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Angeli differant specie.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod Angeli non differant specie. Cum enim differentia sit nobilior genere, quæcumque conueniunt, secundùm id, quod est nobilissimum in eis conueniunt in vltima differentia constitutiua, & ità sunt eadem secundum speciem. Sed omnes Angeli conueniunt in eo, quod est nobilissimum in eis scilicet in intellectualitate. Ergo omnes Angeli sunt vnius speciei.

2. Præterea magis, & minus nõ diuersificant speciem. Sed Angeli non videntur differre ab inuicem, nisi secundùm magis, & minus, prout scilicet vnus alio est simplicior, & perspicacioris intellectus. Ergo Angeli non differunt specie.

3. Præterea Anima, & Angelus ex opposito diuiduntur: Sed omnes animæ sunt vnius speciei: Ergo & Angeli.

4. Præterea quanto aliquid est perfectiùs in natura, tanto magis debet multiplicari. Hoc autem non esset, si in vna specie esset vnũ tantum indiuiduũ. Ergo multi Angeli sunt vnius speciei.

Sed contra est, quod in his, quæ sunt vnius speciei non est inuenire prius, & posterius, vt dicitur in 3. Metaph. Sed in Angelis etiam vnius ordinis sunt primi, & medij, & vltimi, vt dicit Dion. 10. cap. Angelic. hierar. Ergo Angeli non sunt eiusdem speciei.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt omnes substantias spirituales esse vnius speciei, etiam animas.

Alij verò, quod omnes Angeli sunt vnius speciei, sed non Animæ. Quidam verò, quod omnes Angeli vnius hierarchiæ, aut etiam vnius Ordinis. Sed hoc est impossibile: Ea enim quæ conueniunt specie, & differunt numero, conueniunt in forma, sed distinguuntur materialiter. Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia, & forma, vt dictum est supra. Sequitur, quod impossibile sit esse duos Angelos vnius speciei: Sicut etiam impossibile esset dicere, quod essent plures albedines separatæ, aut plures humanitates: cum albedines non sint plures, nisi secundùm quod sunt in pluribus substantijs. Si tamen Angeli haberent materiam, nec sic possent esse plures Angeli vnius speciei. Sic enim oporteret, quod principium distinctionis vnius ab alio esset materia: Non quidem secundùm diuisionem quantitatis cũ sint incorporei, sed secundùm diuersitatem potentiarum. Quæ quidem diuersitas materiæ causat diuersitatem non solum speciei, sed generis.

Ad

Digitized by Google

Ad primum ergo dicendum, quod differẽtia est nobilior genere: sicut determinatum indeterminato, & proprium communi, non autẽ sicut alia, & alia natura. Alioquin oporteret, quod omnia animalia irrationalia essent vnius speciei, vel quod esset in eis aliqua alia perfectior forma, quam anima sensibilis. Differũt ergo specie animalia irrationalia, secundùm diuersos gradus determinatos naturæ sensitiuæ. Et similiter omnes Angeli differũt specie, secũdũ diuersos gradus naturæ intellectiuæ.

Ad secundum dicendum, quod magis, & minus secundùm quod causantur ex intentione, & remissione vnius formæ non diuersificãt speciem. Sed secũdùm quod causantur ex formis diuersorum graduũ, sic diuersificant speciem. Sed secundùm quod causantur ex formis diuersorum graduum, sic diuersificant speciem: sicut si dicamus, quod ignis est perfectior aere. Et hoc modo Angeli diuersificantur secundùm magis, & minus.

Ad tertium, quod bonum speciei præponderat bonũ indiuidui. Vndè multo melius est, quod multiplicentur species in Angelis, quã quod multiplicentur indiuidua in vna specie.

Ad quartum dicendum, quod multiplicatio secundùm numerum cum in infinitum protendi possit, non intenditur ab agente, sed sola multiplicatio secundùm speciem, vt supra dictum est. Vndè perfectio naturæ Angelicæ requirit multiplicationẽ specierum, non autẽ multiplicationem indiùiduorũ in vna specie.

ARTICVLVS V.

Vtrum Angeli sint incorruptibiles.

1. AD quintum sic Proceditur. Videtur quod Angeli non sint incorruptibiles dicit enim Dam. de Angelo, quod est substantia intellectualis gratia, & non natura, immortalitatem suscipiens.

2. Præterea Plato dicit in Timæo. O Dij Deorum, quorum opifex idem paterq; ego. Opera siquidem vos mea dissolubilia natura. Hos autem Deos, non aliud, quam Angelos intelligere potest: ergo Angeli natura sua sũt corruptibiles.

3. Præterea secundùm Greg. omnia in nihilum tenderent, nisi ea manus omnipotentis conseruaret, sed quod in nihilum redigi potest, est corruptibile: ergo cum Angeli sint à Deo facti, videtur, quod sint corruptibiles secundùm suam naturam.

Sed contra est, quod Dion: dicit 4. c. diu. nom. quod intellectuales substantiæ vitam habent indeficinntem ab vniuersa corruptione morte, & materia, & generatione, mundæ existentes.

Respondeo dicendum, quod necessè est dicere Angelos, secundùm suam naturam esse incorruptibiles. Cuius ratio est; quia nihil corrumpitur, nisi per hoc, quod forma eius à materia separatur. Vndè cum Angelus sit ipsa forma subsistens, vt ex dictis patet: impossibile est, quod eius substãtia sit corruptibilis. Quod enim conuenit alicui secundùm se, nunquam ab eo separari potest. Ab eo autem cui conuenit per aliud potest separari separato eo secundùm quod ei conueniebat. Rotunditas enim à circulo separari non potest: quia conuenit ei secundùm se ipsum. Sed Æneus Circulus potest ammittere rotunditatem, per hoc quod circularis figura separatur ab Ære. Esse autem secundùm se competit formæ. Vnumquodque enim est ens actu, secundùm quod habet formam. Materia verò est ens actu per formam. Compositum igitur ex materia, & forma desinit esse actu per hoc quod forma separatur à materia. Sed si ipsa forma subsistat in suo esse, sicut est in Angelis, vt dictum est, non potest ammittere esse. Ipsa igitur immaterialitas Angeli est ratio quare Angelus est incorruptibilis, secundùm suam naturam. Et huius incorruptibilitatis signum accipi potest ex eius intellectuali operatione. Quia enim vnumquodque operatur, secundùm quod est actu, operatio rei indicat modum esse ipsius. Species autem, & ratio operationis. Ex obiecto comprehenditur: Obiectum autem intelligibile cum sit supra tempus, est sempiternum. Vndè omnis substantia intellectualis est incorruptibilis secundùm suam naturam.

Ad primum dicendum, quod Damascenus accipit immortalitatem perfectam, quæ includit omnimodam immutabilitatẽ. Quia omnis mutatio est quædam mors, vt Augst. dicit. Perfectam autem immutabilitatem, Angeli nonnisi per gratiam assequuntur, vt infra patebit.

Ad secundum dicendum, quod Plato per Deos, intelligit corpora cœlestia, quæ existimabat esse ex elementis composita, & ideò secundùm suam naturam erant dissolubilia, secundùm voluntatem Diuinam semper conseruabantur in esse.

Ad tertium dicẽdum, quod sicut supra dictum est quoddam necessarium est, quod habet causam suæ necessitatis, vndè non repugnat necessariò nec incorruptibili, quod esse eius dependeat, ab alio, sicut à causa. Per hoc ergo quod dicitur, quod omnia deciderent in nihilum, nisi continerẽtur à Deo, & etiam Angeli, nõ datur intelligi, quod in Angelis sit aliquod corruptionis principium, sed quod esse Angeli dependeat à Deo, sicut à causa. Nõ autem dicitur aliquid esse corruptibile per hoc, quod Deus possit illud in non esse redigere, subtrahendo suam cõseruationem, sed per hoc, quod in se ipso aliquod principiũ corruptionis habet, vel contrarietatem, vel saltem potentiam materiæ.

Quam-

Digitized by Google

QVamuis Diuus Thomas plurima doceat in hac quæst. vt videri poteſt in ſupradictis Articulis; doctrina, tamen ab ipſo tradita Art. 4, nempè: Quod ſit impoſſibile eſſe duos Angelos vnius ſpeciei, eo quod non ſunt compoſiti ex materia, & forma; plurimis difficilis viſa eſt, ac penè imperceptibilis, licet reuera ſit ſolida veritate referta, & vtillima pro multis quæſtionibus, nè dum Theologicis, verumetiam Philoſophicis, idcircò placuit integrum Tractatum ſuper eam inſtituere, in quo non ſolùm agetur iuxtà principia, & fundamenta Angelici Præceptoris de Principio Indiuiduationis Angelorum, ſed etiam de Principio indiuiduationis cuiuſcumque ſubſtantiæ creatæ totalis, & partialis, & quorumcumque Accidentium naturalium, & ſupernaturalium.



QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO VNICA PRINCIPALIS

IN SEX PARAGRAPHOS DIGESTA.

Vtrum sub eadem specie sint, aut possint esse plures Angeli solo numero distincti.

1 QVæstio hæc valdè difficilis est: oriturque eius difficultas ex conclusione, qua illam determinat D. Thomas 1. p. quæst. 50. a. 4. Quia hoc ipsum inquirens, talem sui discursus conclusionem statuit: *Impossibile est esse duos Angelos vnius speciei.* Vnde sequitur, quod omnium Angelorum vnus ab altero specie differt. Quod quidē incredibile videtur. Et quamuis multi extra Scholam Sancti Thomæ id esse de facto admittant; sicut etiam in Cœlo omnes Planetæ specie differunt, & vnius speciei non datur, nisi vnicum indiuiduum, vt vnus Sol, vna Luna, vnus Mercurius, vna Venus, vnus Saturnus, vnus Iuppiter, vnus Mars: qui singuli, & numero, & specie intra se differunt, ita philosophantur de illa immensa Angelorum multitudine, ac proinde nō est ita mirum de facto admittere S. Doctoris sententiam, nihilominus videtur impossibile, quod Deus sua Omnipotenti Virtute non possit creare duos Angelos eiusdem infimæ speciei solo numero inter se distinctos. Et auget difficultatem ipsa ratio Sancti Thomæ, qui ex immaterialitate subsātiæ Angelicæ colligit suam conclusionem, dicens: *Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia, & forma, sequitur, quod impossibile sit esse duos Angelos vnius speciei.* S. D. amplius addit: etiam si Angeli essent compositi ex materia, & forma, nihilominus si illa materia esset spiritualis, & indiuisibilis diuisione quantitatiua, adhuc differrent non solum specie, sed etiam genere.

D. Thom.

2 Nec valet quorundam interpretatio dicentium, quod ratio Sancti Doctoris non probat de impossibili simpliciter, hoc est, non probat implicare contradictionem esse possibiles duos Angelos solo numero distinctos sub eadem infima specie, sed solum probat de impossibili naturaliter, hoc est, quod spectata Angelica natura ex eo, quod est immaterialis, non requirit multiplicationem numericam, quia intantū natura aliqua specifica postulat numeralē multiplicationē indiuiduorum, in quantum indiuidua illius speciei sunt corruptioni suppositā: vnde vt semper species sit in rerum natura, necesse est, vt multa habeat indiuidua in continuo fluxu, vt dum alia corrūpuntur, alia procreentur. Et ideo etiam species astrorum non habet, nisi vnicum indiuiduum, & in vno indiuiduo conseruatur, & perpetuatur, quia talia indiuidua sunt immortalia, & incorruptibilia. Si ergo in substantijs materialibus, quæ habent materiam solum in potentia ad vbi, non ad esse, & proinde sunt incorruptibiles, indiuidua nō multiplicantur numero, nec Natura talem exigit indiuiduorum multiplicationem sub eadem infima specie; quid mirum si huiusmodi multiplicationem non exigit Angelica natura, quæ est penitus immaterialis, nullam habens materiam, nec corruptioni, nec quantitati suppositam? Et ideo benè dixit S. Doctor talem multiplicationem impossibile esse in Angelis reperiri, quia naturaliter illi repugnat: nam ex hoc, quod est natura Angelica immaterialis, est penitùs incorruptibi-

PRIMA QVAESTIVNCVLA.

ptibilis, ac proinde non indigens, imo respuēs hoc multitudinis genus; cum sola corruptibilitas sit radix huiusmodi numericę multiplicationis. Cæterum non hinc infertur esse simpliciter impossibile dari plures Angelos solo numero distinctos sub eadem infima specie, taliterque implicare contradictionem, vt non possit omnipotentia Diuina duos Angelos solo numero distinctos sub eadem infima specie procreare. Sicut licèt naturaliter sit impossibile plures esse Soles solo numero distinctos, attamen nemo inficiabitur, posse plures Soles solo numero distinctos diuinitùs procreari.

Resolutio quæstiunculæ Primæ.

3 Non valet, inquam, hæc rationis Sancti Doctoris interpretatio, sed ratio Sancti Doctoris si quid probat, concludit nec de facto, nec de possibili, nec naturaliter, nec supernaturaliter posse dari duos Angelos solo numero distinctos sub eadem infima specie.

Prima ratio D. Th.

4 Primum, quia ita art. 4. ex immaterialitate Angelorum infert impossibile esse Angelos multiplicari numero, sicut art. 5. ex eadem immaterialitate infert necessarium esse Angelos esse incorruptibiles: sed ly *necesse* excludit omni modo corruptibilitatem ab Angelica substantia tam naturaliter, quam supernaturaliter, ergo etiam ly *impossibile* excludit omni modo ab Angelica substantia aptitudinem ad solam numericam multiplicationem, vnde de mente S. Thomæ eo quod Angeli sunt materiæ expertes, sunt penitùs solo numero immultiplicabiles, tam vi naturæ, quàm Virtute Diuina.

Secunda ratio Sancti Th.

5 Secundo, quia apertè S. Th. infert ex immaterialitate Angelicæ substantiæ impossibilitatem solius numericæ multiplicationis, quatenus materia est diuisibilis quātitatiua diuisione, non quatenus est principium corruptionis. Nam impertinens est vnum ad aliud: materia enim quantitati suppositā indifferēs est, vt sit principiū corruptionis, & incorruptionis. Nam eodem modo materia elementaris, & cælestis est suppositā quantitati, & tamen materia elementaris est corruptionis principiū, cælestis verò, maximè iuxta mētem S. Thomæ est principiū incorruptionis. Non enim à quātitate, sed à potentialitate materiæ nascitur, quod vna sit corruptionis, altera incorruptionis principium. Nā quod materia elementaris sit principium corruptionis est ex eo, quia est in potentia ad esse, & ideo semper cum habet vnam formam, habet appetitum alterius, & alterius Formæ, & ideo semper habet aliarum formarum priuationem adiunctam. At materia cælestis non est in potentia ad esse: quia satiatur sua forma, nec appetit aliam, nec habet priuationē alicuius alterius formæ, sed solum est in potētia ad aliud, & aliud vbi. Vnde apparet, quod cū S. Doctor ex negatione materiæ quantitati subiecta infert in substantijs Angelicis non posse dari numericam tantum multiplicationem, non infert ex eo, quia Angeli ex immaterialitate sunt incorruptibiles, sed ex eo, quia materialiter indiuisibiles, supponens principium huiusmodi numericæ multiplicationis, quæ solum materialis est, esse materiam secundum quod est quantitatiua diuisione partibilis.

Vnde corruptionis, & incorruptionis principiū.

D. Th.

Cōfirmat.

6 Confirmatur, quia secunda conclusio, quam ex suppositione addidit in illo articulo; nempe quod etiam si Angeli haberent materiā, nec possent sic multiplicari solo numero, ex eo, quia illa materia esset spiritualis, & incorporea, nulla esset, si inde, negatio materiæ inferret negationē huius multiplicationis, quia ablata materia substantia Angeli esset incorruptibilis. Nam etiam si materia Angeli esset spiritualis, adhuc eius substantia posset esse corruptibilis: Quia sicut aliqua materia corporea est in potentia ad esse, ita etiam aliqua materia incorporea posset esse in potentia ad esse. Nec spiritualitas materiæ aufert istam potentialitatem. Nam sicut de facto accidentia spiritualia etiā si sint

Digitized by Google

Accidens spirituale quomodo corrupt.

si sint in substantia spirituali possunt corrumpi eo genere corruptionis, quo aliqua forma ex eo, quia expellitur à subiecto; nō potest compositū ex illa materia, & forma existere, & transit in non esse, remanente subiecto. Vt apparet in gratia, & alijs supernaturalibus donis, quæ Dæmones in principio conditionis suæ acceperūt, & postea peccādo perdiderunt. Ita etiā illa materia spiritualis, ex qua esset composita substantia Angelica cum spirituali forma posset esse in potentia ad esse substantiale, amittendo vnam, & acquirēdo aliam formam. Vnde manifestè patet, quod S. Thomas non ex eo infert negationem solius indiuidualis multiplicationis in natura Angelica, quia propter immaterialitatem est incorruptibilis, sed quia propter immaterialitatem est materialiter indiuisibilis, hoc est diuisione quantitatiua, propter quam fit, vt aliqua natura specifica sit multiplicabilis multiplicatione numerica.

S.Th.

S.Th.

7 Tertio denique, quod S. Thomas tam de facto, quam de possibili deneget multiplicationem numericā Angelorum sub eadem infima specie patet ex alijs locis, vbi talem materiam per tract. Quæst. Vnica de spiritualibus Creat. art. 8. contr. Gent. lib. 2. c. 93. in 2. dist. 3. q. 1. a. 4. Quibus in locis semper docet talem multiplicationem esse simpliciter impossibilem, & ideo de spiritualibus Creaturis loc. cit. dicit, quod si Angeli sunt simplices formæ subsistentes, vti re vera sunt, non solum plures Angeli solo numero distincti sub eadē infima specie non possunt esse, sed neque fingi. *Si Angelus*, inquit, *est forma simplex abstracta à materia, impossibile est etiam fingere plures Angelos vnius speciei.* Quod si non possunt mente confingi cum fundamento in re, multo minus per vllam potentiam esse possunt.

D.Th.

Capreol.

Quæ sententia Sancti Doctoris, tota fundatur in hoc principio, vt benè aduertit Capreolus in 2. dist. 3. q. 1. a. 1. concluſ. 5. Quia omnis natura specifica plurificabilis ex se per multa indiuidua, est materialis, seu habens materiam *ex qua*, vel *in qua*, dimensionibus subiectam. Sed natura Angelica est penitus expers materię ex qua, vel in qua, saltem materiæ dimensionibus subiectæ, ergo natura Angelica est omninò immultiplicabilis numerica solum multitudine.

Obiectio.

8 Quòd si dixeris, quia de spiritualibus Creaturis, & contra Gentes àdhibet quasdam rationes, quæ solum de facto probant non esse plures Angelos sub eadem infima specie solo numero distinctos.

Enodatio.

9 Dico, quod hoc nihil obest. Nam & vtrumque probat. Quod neque de facto, neq; de possibili possunt Angeli solo numero multiplicari. Itaque hæc sine dubio est mens S. Doctoris, & quisquis cum sinceritate eius dicta perpenderet absque recursu ad violentas expositiones illius doctrinæ, hoc ipsum oppidò confitebitur. Atq; ita semper sententia, seu opinio illius intellecta est.

10 Redeundo igitur ad id, vnde digressi sumus, cum mens Sancti Doctoris sit esse simpliciter impossibile sub vna specie dari Angelos solo numero distinctos, arduū omninò videtur hoc deglutiri posse, Deū videlicet omnipotentia sua facere non posse, vt sub vna infima specie sint duo Angeli solo numero distincti. Sed fauēte Numine speramus fore, vt sententia Sancti Doctoris in re tàm ardua, & obscura, atq; à nostra cognitione recondita, appareat magis plana, & rationi consentanea, tùm exponendo vim rationis illius, tùm refellendo elumbes aduersariorum rationes, quas in immensum multiplicant.

§. PRIMVS.

Reponuntur tria fundamenta ad intelligendam S. Thomæ rationem.

VT autem efficacia rationis Sancti Thomæ clarius elu-

Digitized by Google

ceſcat, iacienda ſunt tria fundamenta, quibus illa nititur.

Primum fundam. 1 Primum fundamentum eſt diſcrimen inter multitudinem numericam, & ſpecificam, quod quidem quamuis ab omnibus, vt perſpicuum ſupponatur, nihilominus ni fallor, ab aduerſarijs non ſatis perſpectum habetur. Eſt autem inter haſce multitudines hoc diſcrimen, quod ea, quæ differunt numero ſunt homogenea, hoc eſt eiuſdem perfectionis, ea vero, quæ differũt ſpecie ſunt etherogenea, hoc eſt diuerſæ perfectionis. Quod ſignificauit Ariſtoteles 3. met. c. 11. (Vide Radam ex Scoto declarantẽ ad rem mentẽ Ariſt. tom. 2. contr. 3. a. 1. §. Tertia ratio) cum dixit, quod inter ea, quæ differunt ſolo numero, vnum non eſt prius altero, hoc eſt, vnum nõ eſt altero perfectius: ſignificans eorum, quæ differunt ſpecie, vnũ eſſe altero prius, hoc eſt perfectius. Et ideò impoſsibile eſt dari multitudinẽ plurium indiuiduorum ſpecie differentiũ, quin inter illa indiuidua intercedat inæqualitas naturarum: Sicut multitudo aſtrorum in Cęlo, vel multitudo animalium in Arca Noë. At multitudo plurium indiuiduorum ſub vna ſpecie infima non importat aliquam inæqualitatem in naturis illorũ indiuiduorum; ſed omnia indiuidua ſunt paria, & æqualia in natura ſpecifica, & numerica ad differentiam multitudinis ſpecificæ: quia licèt in natura generica inferiora ſint paria, attamen propter proprias differentias ſpecificas ſunt diuerſa, & inæqualia inter ſe. Et ideo multitudo indiuiduorum ſpecie differentium, non ſolum eſt multitudo indiuidualis, ſed & eſſentialis. At multitudo indiuiduorum eiuſdem ſpeciei eſt multitudo eſſentiarum, non eſſentialis. Quo ſignificatur, quod diſtinctio indiuiduorũ ſpecie differentium, eſt formalis. Diſtinctio vero indiuiduorum eiuſdem ſpeciei, eſt ſolum materialis.

Ariſt. Rad.

Quæ nam ſit multitudo eſſẽtiarũ, non eſſentialis.

Obiectio. 2 Quòd ſi obijcias, & dicas: Inter rationales animas, etiã ſi ſolo numero inter ſe diſtinguãtur, vna eſt altera ſubſtantialiter perfectior, vt fuit opinio Caietani, quam nos etiam aliquãdo ſequuti ſumus. Igitur etiã inter ea, quæ differunt ſolo numero benè poteſt dari inæqualitas perfectionis.

Animæ rationales vtrũ inęq. ſubſt.

3 Dico, quòd hæc obiectio nihil vrget: primùm, quia illa Caietani opinio non eſt ab omnibus recepta, imo multi cõtra illam inuehuntur. Ex hoc diſcrimine, quod quę differunt ſpecie ſunt ſubſtãtialiter inæqualia, quæ vero differũt ſolo numero ſunt ſubſtantialiter æqualia, & quòd illa inæqualitas, quę inter indiuidua eiuſdem ſpeciei apparet, ſit ſolum accidentaria, nempè ratione accidentium concurrentium ad generationem. Idque cõfirmant multorum Patrum authoritates, qui aſſerunt naturam humanam in omnibus hominibus eſse penitùs æqualem, omneſque homines eſſe naturaliter pares.

Enodatio prima.

4 Dico ſecundo: Admiſſa Caietani opinione, quæ Nobis etiam probabilior videtur, non deſtruitur noſtra præſuppoſitio. Quia eſto inter animas rationales ſit illa ſubſtantialis inæqualitas, attamen illa inæqualitas perfectionis non eſt ratio, vnde animæ numero multiplicentur, ſicut inæqualitas perfectionis ſub genere eſt ratio multiplicationis ſpecificæ. Quia illa inæqualitas per accidens ſe habet ad numericam multiplicationem animarum. Alioquin ſequeretur, quod omnes animæ eſsẽt ſubſtãtialiter inæquales, & non poſſent dari etiam Virtute Diuina duæ animæ æquales, nec duo æqualia indiuidua, & ſic incideretur in aliud extremum. Quòd ſicut in opinione Sancti Thomæ non poſſunt dari duo Angeli etiam de potentia Dei æqualis perfectionis in natura ſpecifica: ita neque poſsent dari duo indiuidua in natura numerica. Quod ſi hoc ſecundũ non eſt inconueniens, neque abſurdum erit, & primum. Et ideo, vt dixi, illa inæqualitas ſubſtantialis animarum rationalium non eſt principium numericæ multiplicationis earum. Sed aliud debet eſse principium talis multiplicationis, quòd

Secunda Enodatio.

S. Th.

vnifor-

Digitized by Google

vniformiter animas,& indiuidua eiusdem speciei multiplicet: licèt aliunde animabus, & eiusdem speciei indiuiduis suppositio principio vniformiter distinctiuo possit aduenire aliqua perfectio vel accidentalis, vel substantialis intra latitudinem specificæ perfectionis. Vnde diximus, quod illa inæqualitas perfectionis indiuidualis, etiã substantialis conuenit animabus ex meliori corporis dispositione, vt forma informans sit, dispositionibus proportionata. Et sic quodammodo conuenit animę, vt forma est, nõ quatenus materialiter ab alia anima numero distinguitur. Igitur discrimen à nobis positum inter has multitudines specificam, & numericam, verissimum est, quod scilicet multitudo indiuiduorũ specie differentiũ essentialiter est inæqualis, & etherogenea: multitudo vero indiuiduorum solo numero distinctorum est essentialiter æqualis, vniformis, & homogenea, quantum est ex vi principij distinctiui causantis huiusmodi multitudinem.

Multitudo inæqualis, & etherogenea.

Multitudo homogenea.

Secundum fundamentum ad intelligendam S. Thomæ rationem.

5 SEcundum fundamentum est, quòd huius duplicis multiplicationis assignandum est aliquod primum,& radicale principium, vnde talis multiplicationis diuersitas enascatur maximè in ijs, inter quæ experimur hanc specificam, & numericam distinctionẽ. Nã impossibile est, quod ista distinctio multitudinis non reducatur ad aliquod vnum principium nõ solũ extrinsecum sicut est efficiens, vel finale; sed etiam ad aliquod principium intrinsecum, vel formale, vel materiale, quod optimè probat Scotus contra Henricum dicentem res indiuiduari se ipsis, vel sua propria hęcceitate, nec esse quærendum aliquod aliud principium, vnde res numero multiplicentur, nisi hæcceitates propriæ, quam sententiam sequuntur passim recentiores, vt Suarez, Bubalus, & alij, sicut infra patebit.

Scotus.

Henricus.

Suarez.

Bubalus.

6 Benè, inquam, contra hos arguit Scotus. Quia quando duo ita inter se realiter distinguũtur, vt implicet cõtradictionem posse inter se identificari, necesse est, vt in entitatibus vtriusq; sit aliquod principiũ, vnde oritur repugnantia ad identitatem, & ideo hoc debet esse principium intrinsecum distinctionis, & diuisionis vnius ab alio, ac proinde multiplicationis. Sed duo indiuidua eiusdem speciei implicat contradictionem posse inter se identificari, implicat enim duas animas rationales identificari inter se, ergo in vtroque debet dari intrinsecum principium, vnde oritur hæc repugnantia.

Argum. Scot.

7 Dices quod hæc repugnãtia oritur à differentijs numericis, quia vnũquodq; indiuiduum habet suam propriam differentiam indiuidualem, per quam est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio indiuiduo. Hæc autem differentia cum sit inseparabilis ab entitate indiuidui, vel propter identitatem realem cum ipsa indiuidui entitate, vt fuit opinio Thomistarum: vel propter essentialem quandam cõnexionem inter naturam specificam, & indiuidualem, vt fuit opinio Scotistarum, qui etsi hæcceitatem distinguant ex natura rei ab essentia specifica, nihilominus propter essentialem cõnexionẽ huius hęcceitatis cum specifica essentia, dicũt esse omninò inter se inseparabiles: Igitur cũ differentiæ numericæ non possint separari à natura specifica indiuiduorum, sequitur indiuidua identificari non posse: Quia impossibile est, duo esse simpliciter, & naturaliter vnum, & idem manẽtibus differentijs realiter distinctiuis illorum: Quia sic à parte rei essent vnum, propter identitatem, & non essẽt vnũ propter distinctionem. Et ideo non oportet ponere aliud principium indiuiduationis, aut distinctionis numericæ, præter ipsas differentias indiuiduales, quas hæcceitates vocant.

Enodatio Henr.

Diff. specifica, & numerica quomodo dist.

Thomist. opinio.

Scotist. opinio.

8 Sed hæc responsio non euacuat, quin potiùs cõfirmat vim argumenti. Quia quamuis ista repugnantia ad identi-

Enodationis inuasio.

Digitized by Google

identitatem proximè naſcatur à differentijs numericis, quas etiam dico eſſe identificatas cum ipſa entitate indiuidua, attamen aſsignãdum eſt aliquod principium radicale, vnde illa differentia ſumatur, & in quo illa differentia fundatur.

Nominales impugn.

9 Quod probo ſupponendo cõtra Nominales, quod nulla res eſt eſsentialiter ſingularis, ſed eſsentia ſpecifica illius poteſt præſcindi, & intelligi abſque ſingularitate, quia ſingularitas eſt extra eſsentiam, alioquin omnia ſingularia etiam ſub eadem ſpecie eſsentialiter, ac proinde ſpecie diſtinguerẽtur. Quod principium admittũt etiam aduerſarij. Imò ex hoc principio Scotus, & alij arguunt contra opinionem Sancti Thomæ, poſſe naturam Angelicam ſpecificam numero multiplicari in pluribus indiuiduis: Quia nimirum nulla natura ſpecifica eſt eſsentialiter ſingularis, ac proinde nulla natura ſpecifica habet ad hanc multiplicationem eſsentialẽ repugnantiam, ac proinde, vt ipſi inferunt, multiplicari poteſt.

Scotus, & alij.

Entitas ſing. duplex.

10 Suppono ſecundo, quod omnis entitas ſingularis, aut eſt ſimplex, aut compoſita: & ſi eſt compoſita, aut eſt compoſita compoſitione phyſica, vt ſubſtantia materialis, quæ componitur ex materia, & forma, tanquam ex partibus ſimplicibus: aut eſt compoſita compoſitione metaphyſica ex genere, & differentia, ſicut ſunt ſubſtantiæ materiales, & ſpirituales, nec non & accidentia tàm materialia, quàm ſpiritualia. Rurſus genus aut eſt adhuc compoſitum ex alio genere, & differẽtia, aut genus nullam in ſuo conceptu differentiam dicit, ſed eſt ſimplex conceptus genericus, ſicut eſt genus ſummum. Ex quo habetur, quod metaphyſicè loquendo ſummum genus, & differentiæ determinantes genera ſunt ſimplices conceptus. Vnde eum diſtinguuntur inter ſe diſtinguũtur, vt primò diuerſa.

Compoſit. diuerſæ.

Argum.

11 His ſuppoſitis procedit argumẽtum, quod in entitate tàm ſimplici, quàm compoſita, tàm phyſicè, quàm metaphyſicè aſsignãdum eſt aliquod radicale principium, vnde ſumantur differentiæ numericæ, quæ inter ſe numero multiplicantur. Et certè, quia multiplicatio numerica cõpoſitorum conſurgit ex multiplicatione numerica partium componentium, ideo hoc radicale principium primum multiplicare debet entitates ſimplices componẽtes, & per illas multiplicare cõpoſita. Vnde videndum eſt, an entitates ſimplices poſsint eſse ſeipſæ indiuiduæ: & an debeat aſsignari aliquod radicale principium extra entitatem illarum, vnde numerica illorum multitudo deſumatur.

12 Et ne ex vniuerſali locutione oriatur confuſio, loquamur ſpeciatim de multitudine numerica rationaliũ animorum. Videamus ergo cum animi rationales ſeparatim à corpore ſubſiſtentes diſtinguantur numero inter ſe, an ab eorum ſimplici entitate ſumatur id, quo eſsentialiter diſtinguuntur à cæteris animabus, & quo indiuidualiter diſtinguuntur inter ſe. Et quidem, quòd ab earum ſimplici entitate ſumatur fundamentum diſtinctionis eſsentialis, facilè intelligitur. Quia ſunt vi ſuæ entitatis in determinato gradu perfectionis. Sed quod hic determinatus gradus perfectionis ſit multiplicabilis numero, non poteſt prouenire primario, & tanquam ex prima radice ab illarum entitate: Quia in tantum poſſet ab illarum entitate hæc materialis, & vniformis multiplicatio prouenire, in quantum hęcceitates illos diuidẽtes, & multiplicãtes, eſſent primò diuerſæ inter ſe: quia differentiæ, quæ in rerum entitatibus fundantur diuidunt genus in plures ſpecies, in quantum differentiæ ſunt primò diuerſæ inter ſe. Ergo ſi differentiæ numericæ fundarentur in ipſis entitatibus animorum, & non aliunde originem traherent, quod ſit principium primum vniformis multiplicationis, ſequeretur quod differentiæ numericæ diuiderẽt, & multiplicarent animas rationales, in quantum eſsent primò diuerſæ inter

ſe

se: nam si non est aliud prius diuidens, essent ergo ipsæ primæ, vnde talis distinctio, & multiplicatio sumeretur. Et quia conceptus simplices nō possunt aliter distingui inter se, & causare diuisionem in alijs, nisi quia ratio vnius est omninò diuersa à ratione alterius, imò includēs oppositionē cum altero: Sequitur ergo, quod differentiæ numericæ diuiderent speciem, vt primò diuersæ. Sed multitudo vnitatum, quæ distinguuntur per differentias primo diuersas, non potest esse vniformis, & homogenea: Quia in tantum differentiæ diuidentes constituunt multitudinem, in quantum vna differentia diuersificat hanc vnitatem ab alia: ergo multitudo consurgens ex his differentijs non potest esse homogenea, & vniformis, sed etherogenea, & difformis: ac proinde non potest esse multitudo numerica, sed specifica, vel generica. Oportet ergo, vt differentia numerica sumatur ab aliquo alio principio tanquam à prima radice, quod ita sit principium diuisionis, & multiplicationis, vt tamen non sit principium diuersitatis inter vnitates, ex quibus illa multitudo coalescit.

Obiectio. 13 Et ne fiat vis in eo, quod animalibus rationalibus assignamus essētiam specificam, & differentiam numericā, quæ cum sint substantiæ partiales, nō habent propriè essentiam specificam, & numericam differentiam, quia istę conueniunt substantijs completis: Scito, quod nos loquimur de essentia, & differentia indiuiduali eo modo, quo etiam formis, & præsertim animabus attribuimus genus, & species, atq; indiuidua, & si ob hanc rationem non placet loqui de formis substātialibus, sit sermo de formis accidentalibus, quæ sunt Entia completa in suis generibus, & factum argumentum etiam de illis recurrit.

Enodatio.

Confirmatio. 14 Cōfirmatur amplius argumētum prædictum. Quia vt dictum est differentię numericę sunt extra essentiam, quā materialiter, & vniformiter multiplicant. Sed quod spectat ad entitatē rei secundum se, tantum pertinet ad illius quidditatem, & essentiam, nam quantū habet de essentia, tantū habet de entitate, & perfectione, quod enim est extra essentiam alicuius entitatis, non potest competere entitati, nisi ratione alicuius extrinseci, quod vltra suam essentiam aliunde illi aduenit; & ideò ratione illius potest entitas numero multiplicari. Ergo illud extrinsecum erit radicale principium huiusmodi vniformis distinctionis, & ita assignandum est aliquod primum, & radicale principium talis distinctionis. Quod scilicet ita distinguat, vt nō diuersificet vnitates prædictam multitudinem componentes.

Quantum hab. de essentia, tātum de perfect.

Tertium fundamentum ad intelligendam S. Thomæ rationem.

15 TErtium fundamentum sit: Quod huius numericæ multiplicationis non potest assignari aliud radicale principium, nisi materia ex qua, vel materia in qua, & ideo generatim dicitur, quod principiū indiuiduationis, siue potiùs multiplicationis numericæ est materia. Declaratur hoc fundamentum, & postea probatur, & pro illius declaratione aliqua subiungemus.

Pro maiori declaratione huius III. fundamenti ponūtur quinq; subsequentes Notationes.

NOTATIO I.

Quomodo materia possit dupliciter comparari, vel in ordine ad formam, vel in ordine ad compositum.

16 NOtādum est primùm, quòd materia dupliciter comparari potest, vel in ordine ad ipsam formam, quàm in se recipit, & sic dicitur materia in qua: & alio modo in ordine ad compositum, quod cum forma componit, & sic dicitur materia ex qua,

Digitized by Google

Duplex materia, In qua, Ex qua.

qua,& hæc distinctio cadit, tàm supra materiam primam,quę recipit formas substantiales, quàm supra materiam secundam, quæ recipit formas accidentales. Nam etiam subiectum accidentis dicitur materia ex qua, & in qua: materia in qua, quatenus in eo recipitur accidens: materia ex qua, quatenus subiectum vna cum forma accidentali proportionaliter componit vnum, sicut ex materia prima, & forma substantiali. Sicut enim ex anima, & corpore componitur viuens: ita ex luto, & figura componitur vas. Dixi autem proportionaliter, quia nõ omnimodè eodem componũt modo: nam ex materia prima, & forma substantiali componitur vnum per se, ex subiecto, & accidente vnum per accidens. Dico igitur, quod formæ siue substantiales, siue accidentales multiplicantur numero à materia in qua,tanquam à radicali principio numericæ multitudinis, composita vero siue substantialia, siue accidentalia multiplicantur numero à materia ex qua.

NOTATIO II.

Qualiter formæ cum sint limitatæ virtutis, non possunt explere totam potentialitatem materiæ.

17 NOtandum est secũdo,quòd formæ, de quibus est præcipua difficultas (nam ex his pendet deinde multitudo numerica compositorum) multiplicantur numero à materia in qua: Quòd cum forma sit limitatæ perfectionis,& virtutis secũdũ suam Essentiã actuando materiã, non potest explere totam illius potẽtialitatem: Quia cum acquirat determinatam materiæ portionem, remanet adhuc alia portio materiæ, quæ potest consimilem formam recipere. Et quia diuisio materiæ à materia est vniformis,ideo formæ receptibiles in materia sunt numero multiplicabiles.

18 Dixi receptibiles, quia non ex actuali contactu materiæ formæ sunt multiplicabiles numero, sed ex eo, quod sunt receptibiles, & sic apparet quomodo materia dicitur principiũ huius multiplicationis radicale. Quia non indiuiduat formas per hoc, quod actu recipiuntur in diuersis portionibus illius,sed per hoc quod sunt receptibiles in illis: Vnde si non essent receptibiles, non essent numero multiplicabiles. Vnde dixit S. Th. quod si daretur albedo separata, vel humanitas;ideſt si non esset albedo vel humanitas recepta vel receptibilis,esset vna, quia nõ haberet,vnde multiplicaretur numero, sicut si non esset radix, arbor non produceret flores,aut fructus:non cõtinuò tamẽ posita radice immediatè ex ea oriũtur flores, & fructus; & ideo substantia animæ rationalis est multiplicabilis numero, quia est receptibilis suo modo in materia,nec opus est, vt actu numero multiplicetur, quod actu sit in materia, vel fuerit aliquando: Quia poterat Deus creare totam collectionem animarum, quæ nunc extat, separatam à corporibus, antequam vllum corpus attigisset,sed ex eo distinguerentur, & distinguuntur numero,quia talis substantia est receptibilis in distinctis materijs,sicut vna aqua est multiplicabilis numero, quia est receptibilis in distinctis vasis, & ex hoc,quod est receptibilis in distinctis materijs, fit, vt distinctio numerica prædictarum formarum sit homogenea,& eiusdem rationis, sicut & distinctio ipsarum materiarum, in quibus recipiuntur, homogeneè distinguuntur. Igitur materia respectu formarum non est ita principium intrinsecum distinctiuum illarum, vt aut debeat esse de substantia formarum, aut quod per intrinsecum cõtactum illas indiuiduet, taliter,quod ab ea separatæ, non sint indiuiduæ; sed indiuiduantur per ordinem ad distinctas materias, quatenus in distinctis materijs receptibiles sunt.

Albedo separata cur vna.

Aquæ vnde multip.num.

19 Hinc apparet,quare singularitas indiuiduãs formas sit extra essentiam illarum, & vniformiter illas distinguat. Est quidem extra essentiam: Quia de ratione formæ est actuare ma-

Digitized by Google

materiam, eamque perficere iuxta mensuram suæ perfectionis. Quod autem materia, quæ perficitur per vnam formam sit diuisibilis, & possit dari alia portio materiæ perfectibilis per formam consimilem, per accidens est ad rationem formæ: ideo hæc diuisibilitas formarum proueniens ex diuisibilitate materiæ est extra essentiam formæ, & est homogenea, sicut est diuisio ipsius materiæ.

Quę diuisibilitas formarũ sit extra ess. formę.

NOTATIO III.

Quomodo materia in qua, & per quam formæ multiplicantur aliter assignetur formis substantialibus, aliter formis accidentalibus.

Capreol.

20 NOta tertio cum Capreol. in 1. dist. 7. q. 2. a. 2. ad 1. Aureol. contra secundam conclusionem, quod materia *in qua*, & *per quam* formæ multiplicantur numero, aliter assignatur formis substantialibus, aliter formis accidentalibus: quod formis substantialibus materia *in qua*, debet esse materia prima, quæ est corporea, sed formis accidentalibus materia *in qua* abstrahit à corporea, & incorporea. Patet hoc, quia materia *in qua* proportionata formis substãtialibus, est ipsa materia prima: in materia prima duplex multiplicatio reperitur; vt docet S. Th. de spiritual. Creat. a. 8. Vna secundum rationem potentiæ, in qua consistit illius essentia, & ex hac distinctione materiæ non sumitur distinctio numerica formarũ, sed potius distinctio specifica; quin imo generica, sicuti enim differunt essentialiter ipsæ materiæ (vt materia elementaris, & materia cœlestis differunt essentialiter iuxta opinionem S. Thomæ) ita ex hac distinctione materiæ, vt dictum est, formæ substantiales distinguuntur non solum numero, sed specie, imo & genere, prout dixit Philosophus, quod corruptibile, & incorruptibile differunt genere: Quia cum forma sit actus potentię: benè quidem respectu eiusdem potentiæ possunt plures formæ specificæ ordinari: Vt in ordine ad eandem potentialitatem materiæ elementaris ordinantur plures formæ substantiales, specie diuersæ. Sed in ordine ad potentias inter se essentialiter diuersas debent ordinari formæ pluſquam specie, ac proinde genere diuersæ: & in hoc eadem ratio est de potẽtia elicitiua, & receptiua sui actus. Vnde intellectus cum sit vna potentia in specie, tamen elicit plures actus specie diuersos, qui tamen omnes cõtinentur sub genere cognitionis: At verò si conferantur actus intellectus cum actu voluntatis, differunt pluſquam specie: Quia vt dictum est, actus intellectus sunt sub genere cognitionis, & actus voluntatis sub genere volitionis. Ita proportionaaliter dicendum est de formis ordinatis ad diuersas materias actuandas secundum quod distinguuntur in ratione potentiæ. Vnde ex hac distinctione materiæ non potest sumi præcisa distinctio numerica formarum substantialium.

In ordine ad potentias essẽt. diuersas dãtur formæ genere diuersę.

21 Alia distinctio, seu multiplicatio conuenit materię secundum quod est corporea. Nam corpus dicitur illud, quod in quantum tale est diuisibile in plures partes eiusdem rationis, quæ est diuisio quantitatiua, seu diuisio continui. Cum ipsa materia prima sit prima radix quantitatis, & corporeitatis, consequenter est prima radix huiusmodi multiplicationis, & secundum istam rationem est principium multiplicationis formarum substantialium. Et ideo S. Thomas dicebat supra, quod etiã si in Angelis esset materia, non propterea essent multiplicabiles numero, quia illa materia esset materia spiritualis, & incorporea, & ideo materię Angelorum; casu quo constarent ipsi Angeli ex materia, & forma; solum distinguerentur secundum rationem potentiæ, secundum quam rationem, vt dictum est, distinctio materiæ causat potiùs distinctionem specificam, atq; genericam. Itaq; materia est radicale principium numericæ distinctionis formarum in quantum est corporea, seu in quantum

Corpus, quid sit.

Diuisio Continui, seu Quãtitatiua.

Si Angeli haberent materiam nõ distinguerẽtur numericè.

S. Th.

Enodatio. Materia Cælestis, & Elemẽtaris diff. essent.

Digitized by Google

tum est prima radix diuisionis quantitatiuæ: quia hæc diuisio est homogenea, & vnitates componentes hanc multitudinem sunt eiusdem, & paris rationis.

Subiectũ, seu materia in qua & per quã indiuiduantur accidentia abstrahit à corporea, & incorporea.

22 At vero, quia respectu accidentalium formarum potest dari materia *in qua*, quæ sit principium multiplicationis vniformis, etiam si nõ sit corporea, nec sit diuisibilis diuisione quantitatiua, sed diuisione spirituali, & incorporea, ideo materia *in qua*, & *per quã* indiuiduantur accidentia abstrahit à materia corporea, & incorporea. Vnde non solum multiplicantur numero accidentia, quæ dicunt ordinem ad subiecta corporea, & quanta, sed etiam accidentia, quæ dicunt ordinem ad subiecta incorporea, & purè spiritualia. Sicut appareret de gratia, & lumine gloriæ, quæ multiplicantur numero iuxta multitudinem hominum, & Angelorum, qui talia dona receperunt, atque recipiunt.

QVAESTIVNCVLA 2.

23 Sed nunc videndum est, quo modo materia spiritualis, quæ non est multiplicabilis per diuisionem quantitatiuam, possit esse principium vniformis multiplicationis: & quare in ordine ad subiecta spiritualia possint multiplicari numero sub eadem specie formæ accidentales, & non possent multiplicari numero formæ substantiales purè spirituales, si darentur, in ordine ad materia spiritualem.

Resolutio Quæst. 2.

24 Ad primum respondetur: Quod quamuis distinctio subiectorum spiritualium non fiat, nisi per differentias essentiales, attamen prout ista subiecta habent potentiam obedientialem ad recipienda hæc accidentia spiritualia, habent illã vniformem, & ideo multiplicatio huius potentiæ, est multiplicatio materialis, etiam si oriatur à principijs essentialiter distinctiuis, v.gr. etiam si homo, & Angelus essentialiter distinguantur, attamen ex hac essentiali distinctione nascitur quædam distinctio materialis, & numerica quo ad potentiam obedientialem receptiuam gratiæ. Non enim potentia passiua obedientialis hominis est essentialiter diuersa à potentia passiua obediẽtiali Angelica ad recipiẽda hæc dona, sicut & ipsæ naturæ, in quibus fundatur hæc obedientialis potentia, sunt essentialiter diuersæ: Sed vt Ioannes in Apocalypsi ait: eadem est mensura hominis, & Angeli: & ideo multiplicatio potentiæ obedientialis in homine, & in Angelo est sõlum numerica, & homogenea, quãuis ortum habeat à multiplicatione specifica, vel generica. Sicut natura generica cum multiplicatur in diuersis speciebus per differentias specificas, multiplicatur vniformiter, ac proinde materialiter, quãuis principia distinguẽdi, & differẽtię sint specificę constituentes naturas specie diuersas.

Potentia obedientialis ad accidẽtia supernat. in Angelo, & homine est eiusdem speciei.

Obiectio

25 Dices, potest genus materialiter diuidi, etiam si differentiæ diuidentes sint diuersæ: ergo etiam potest natura specifica materialiter diuidi, etiam si differentiæ numericæ sint diuersæ.

Enodatio.

26 Hæc tamen instantia non valet. Quia cum genus diuiditur in species, diuisio materialis solum se tenet ex parte diuisi, non autem ex parte eorũ, in quæ diuiditur. Quia solum genus est vniformiter multiplicatum, non tamen multitudo specierum, in quas diuiditur, est vniformis. At diuisio speciei in plura indiuidua non solum debet esse materialis, & vniformis ex parte naturæ diuisæ, sed etiam ex parte indiuiduorum, in quę diuiditur; & ideo principium talis multiplicationis debet esse materiale, non solum vt respicit diuisum, sed etiam, vt constituit vnitates diuidentes, quod non possunt facere differentiæ numericæ, nisi desumantur per ordinem ad aliquod quod sit principium talis multiplicationis materialis, & vniformis. Quod dictum est autẽ de multiplicatione accidentium spiritualium supernaturalium, eadem ratione dicendum est de multiplicatione numerica accidentium spiritualium ordinis naturalis, si fortè in Angelis detur aliquod accidens commune, quod in illis numero multiplicetur, etiam si

Genus materialiter, & numericè diuiditur in suas species.

Multiplicatio accident. spirit. supernat. & naturaliũ est eiusdem rationis.

vel

Digitized by Google

vel omnes, vel aliqui inter ipsos differant specie. Sicut etiam apud nos lumen distinguitur numero non solum cum recipitur in subiectis numero distinctis, sed etiam cum recipitur in subiectis distinctis specie. Et ratio est eadem supra allata: Quia potentia receptiua luminis non conuenit corporibus secũdum quod specie distinguuntur, sed secundum quandam communem, & vniuocam rationem: Vnde siue distinctio subiectorum proueniat à distinctiuo numerico, siue à distinctiuo specifico, nihilominus cũ potentia receptiua luminis æqualiter omnibus conueniat, per ordinem ad talia subiecta quomodocumq; distincta sumitur distinctio numerica luminis. Ita & de accidenti spirituali ordinis naturalis, si datur Angelis commune, & hæc quoad primum dubium.

Lumen multipl. numero in subiectis specie diuersis.

QVAESTIVNCVLA 3.

27 Ad secundum dubium: Nimirum cur formę accidentales spirituales possunt multiplicari numero per ordinem ad subiecta spiritualia: & formæ substantiales spirituales non possunt multiplicari numero in ordine ad materiam primam spiritualem, sed in ordine ad materiam corpoream.

Resolutio 3. Quæst.

28 Respondetur faciliter: Quia vt dictũ est: Subiecta spiritualia etiam si inter se distinguantur specie, & genere, tamen potentia receptiua formæ accidentalis multiplicatur materialiter, & solo numero, vt declaratũ est. At vero si daretur materia spiritualis, illa materia non posset multiplicari numero, sed solum specie: Quia vt dictum est materia dupliciter potest multiplicari, vel ratione potẽtiæ, vel ratione quantitatis; cum ergo si esset spiritualis, non possit multiplicari secundum diuisionem quantitatiuam, deberet multiplicari in ratione potentiæ, ac proinde non solum diuersificaret formas specie, sed etiam genere. Nec potest dari aliqua forma substantialis, quæ respiciat potentialitatem materiæ secundũ quandã cõmunem rationẽ ad hãc, vel illam potentialitatem materiæ, sicut de forma accidentali dictum est, quia potentialitas materiæ cum debeat facere vnũ per se cum forma substantiali, oportet, vt respiciat formã substantialẽ secundũ speciẽ determinatã, & ideo diuersificata essentialiter potentialitate materiæ, oportet, vt diuersificetur essentialiter forma, quod formis accidentalibus necessarium non est: Quia subiectum non constituitur in tali specie per ordinem ad formam talis speciei.

Si daretur materia spiritualis nõ posset multiplicari.

29 Vnus casus potest esse, quod per ordinem ad materiam spiritualẽ posset multiplicari numero forma spiritualis. Si Deus amoueret ab illa materia spirituali primam formam, & aliam de nouo introduceret. Sed hoc non est contra mentem S. Th. supra commemoratam. Quia secundum istum modum solum successiuè possẽt multiplicari formæ substantiales solo numero distinctæ, non autem simul: S. Thomas verò loquitur de multitudine numericá simul existente, quia loquitur de multitudine Angelorum simul existentium, qui non possunt esse plures numero distincti.

Quomodo forma spirit multiplicatur. potest in vna materia spirit.

S.Th.

Prima Obiectio.

30 dices primo: ponamus, quòd Deus successiuè in eadem materia creet plures formas: illæ sine dubio essent per se subsistentes, vel saltem data hypothesi, tales possent à Deo creari, sicut sunt animæ rationales, tunc saltem possent dari plures formæ simul separatæ à materia: ergo per ordinem ad materiam spiritualem possunt plures formæ numero multiplicari.

Enodatio.

31 Sed hoc ad rem non facit; Quia illa vna materia posset indiuiduare, & multiplicare numero illas formas; nam quamuis essent vna, tamen esset pluries receptiua formarũ, ac perinde ex hac parte æquialeret pluribus materijs materialiter inter se distinctis. Attamen, data illa hypothesi, certum est, quod non posset dari, nisi vnum indiuiduum compositum ex materia, & forma, quia illa materia non posset habere, nisi vnam

Vna materia potest æquialere pluribus materijs inter se materialiter distinctis.

Digitized by Google

ſolam formam ex illis.

Obiectio ſecunda.

32 Dices ſecundo, ſi Deus, data hypotheſi, quod detur materia ſpiritualis, poſſet ſucceſſiuè creare plures formas ſolo numero diſtinctas, & eas ſimul conſeruare, quare nō poſſet, ſaltem ſucceſſiuè creare plures materias ſpirituales ſolo numero diſtinctas, & eas paritèr conſeruare ſimul.

Enodatio.

33 Dico rationē diſparitatis eſſe, quia formæ benè poſſunt materialiter inter ſe diſtingui per hoc, quod eſsēt ſucceſſiuè receptibiles in eadem materia, quatenus eſt apta pluries recipere conſimiles formas. Attamen ſi darentur illæ materiæ ſimul, deberent materialiter inter ſe diſtingui, nihil autē inueniri poteſt, quod eas materialiter diſtinguat. Nam ablata diuiſibilitate quantitatiua, diſtinguuntur per propria, quia eſſent diuerſæ in potentialitate, quæ diuerſitas conſtituit diſtinctionem ſpecificam inter ipſas materias, & genericam inter formas, vt aſſertum eſt.

Non poſſunt conſeruari, nec creari plures materiæ ſpirituales num. diſtinctæ, bene tamen plures formæ num. diuerſæ.

Corollarium. Capreol, S. Th.

34 Ex his colligitur cum Capreolo in 1. diſt. 9. quæſt. 1. a. 7. ad 5. Aureol. con. 2. quod cum S. Thomas dicit, quod formæ indiuiduātur per materiam, nomine materiæ intelligit Sanctus Doctor omne id, quod poteſt eſſe principium materialis, & vniformis multiplicationis formarum, ſiue ſit propriè materia, ſiue quodcumque illud ſit. Quod ſi aliquando dicat materiam ſubiectam quantitati eſſe principiū numericæ multiplicationis formarum, loquitur de principio numericæ multiplicationis formarum ſubſtantialium: quia cum nulla materia poſsit eſſe tale principium, niſi materia prima, & nō aliter, niſi vt eſt prima radix diuiſionis quantitatiuæ, vt dictum eſt, ſequitur, quod materia vt eſt diuiſibilis diuiſione quantitatiua ſit radicale principium diuiſionis numericæ ſubſtantialium formarum.

Numerica diſtinctio formarū ſubſtantialiū eſt à materia, vt diuiſibili diuiſione quantitatiua.

Obiectio.

35 Contra obijcies, quia diuiſio quātitatiua, vel quę ad hanc reducitur, eſt diuiſio totius in partes integrales, non autem in partes ſubiectiuas, nam totum diuiſum non poteſt prædicari de qualibet parte: Nō enim poteſt dici quod caput, aut pes ſit homo, diuiſio autem naturæ ſpecificæ in plura indiuidua non eſt in partes integrales, ſed in partes ſubiectiuas, quia totum diuiſum prædicatur de qualibet parte diuidente: eſt enim verum dicere Petrus eſt homo, Paulus eſt homo, ergo ex diuiſibilitate materiæ, quæ eſt ſecundum modum quantitatis, non poteſt ſumi multiplicatio numerica indiuiduorum, & multo minus formarum, cum iſtæ ſint indiuiduæ, etiam exiſtentes à materia ſeparatæ, vt ſunt animæ rationales.

Enodatio.

36 Sed hæc obiectio non ſolum non vrget, ſed potiùs noſtram ſentētiam confirmat, & explicat. Quia cum diuiditur aliquod continuum, non ſolum illud diuiditur in partes integrales, ſed etiam in partes ſubiectiuas. Nam ſi diuidatur aqua in pluribus vaſis, non ſolum quælibet aqua eſt pars integralis totius illius aquæ, ſed quælibet aqua exiſtens in quolibet vaſe, eſt indiuiduum ſub ſpecie aquæ: & ſimiliter ſi diuidatur ignis in plures ignes, de qualibet portione ignis eſt verum dicere, quod eſt ignis. Vnde ſi quando de aliquibus partibus integralibus non poſſit totum eſſentiale prædicari, vel ideo eſt, quia forma nō eſt immerſa materiæ, vt ſit diuiſibilis ſicut eſt anima rationalis; Vel quia cū ſit organica potiùs præſefert rationē partis, quàm totius abſolutè. Ex hac igitur diuiſibilitate quantitatiua materiæ benè poteſt ſumi multiplicatio indiuiduorum, quamuis non eodem gradu: quia prout naturæ, & earum formæ conſtituentes ſunt magis, minuſue materiales, ex iſta materiali diuiſione materiæ naſcitur maior, vel minor multiplicatio indiuiduorum. Naturę enim, quę ſunt valdè materiales, habentque formas magis materię propinquas, faciliùs multiplicātur numero, vt de aqua, igne, & ſimilibus dictum eſt, quia per quamcumque conſimilem portionem multiplicātur earum indiuidua. At naturæ magis eleuatæ ſupra materiam, quia requirunt

Naturæ magis materiales, habentes formas valde propinquas materiæ, facilius multiplicantur n.

cer-

Digitized by Google

Naturæ magis eleuatæ supra materiam non possunt multiplicari num. per quãcumq; diuisionem.

certam, & determinatam portionem materiæ, & in aliqua notabili quantitate, non per quamcumque diuisionẽ possunt numero multiplicari, quia si ad aliquam diuisionem deueniatur, non potest in partibus diuisis natura conseruari, quamuis si ad aliquã maiorem diuisionem pertingatur, in vtraque parte diuisa conseruari potest vsque dum perueniatur ad illas formas, quæ cum sint supra materiã eleuatę, sunt hoc genere diuisionis indiuisibiles, vt sunt animæ rationales, & secundum mentem S. Thomæ animæ perfectorum animalium, & tamen etiam istarum multiplicatio numerica ad diuisionem materiæ, quæ est similis diuisioni alicuius continui, imò prima radix illius, reuocatur. Nam cum istæ formæ licèt in se sint indiuisibiles hoc genere diuisionis, nihilominus sunt limitatæ virtutis ex vi suæ speciei, & ideo earum vis informatiua, quam habent ex vi suæ speciei nõ requirit totam massam materiæ, sed aliquam certam portionem illius.

D.Th.

37 Vnde, cum adhuc superfit materia, quæ possit ab agente perfici eadem perfectione substantiali, sic illa forma, etsi in se indiuisibilis, tamen multiplicari potest secundum aliam, & aliam portionem materiæ, & ideo etiam diuisio istarum formarum reducitur ad quãtitatiuã diuisionẽ materię, & sic patet, quomodo diuisio materiæ in partes integrales, est nihilominus radix diuisionis formarum, & specierum in partes subiectiuas. Ac proinde multiplicatio indiuiduorum est materialis, & nascitur ex hac materiali diuisione. Et ratio à priori hæc est, quia multiplicato receptiuo, debet multiplicari receptibile: Vnde Vidua Elisæi tandiu infudit oleum, quãdiu habuit vasa, cum autem vasa defecerunt, stetit oleum. Sed data forma vnius speciei in materia, adhuc supereſt materia receptiua eiusdem formæ, quæ multiplicatio materiæ prouenit ex diuisibilitate illius. Ergo multiplicatis materijs, tanquam receptiuis, debent multiplicari formæ

Multiplicata materia, seu receptiuo debet multiplicari forma, seu receptibile.

S.Elisęus.

receptibiles. Vnde apparet quàm rectè dixerit S. Thomas, quod si albedo esset abstracta, & non esset receptibilis, esset vna, quia non haberet, vnde multiplicaretur.

S.Th.

38 Sed dices receptiuum est propter receptibile; vnde dixit Philosophus, quod materia, quæ est receptiua, est propter formam, quæ est recepta, ergo potius multiplicatio receptiuorum est propter multiplicationẽ receptibilium, quàm è contra. Et sic potiùs materia multiplicatur ad multiplicationem formarum, quàm multiplicatio formarum ad multiplicationem materiarum.

QVAESTIVNCVLA 4.

39 Ad hanc instantiam respondetur; quod licèt receptiuum sit de primaria intentione propter receptibile, nempè materia propter formam: attamen multiplicatio receptiui non est intenta propter numericam multiplicationem receptibilium formarũ saltem de primaria intentione Naturæ, sed propter multiplicationem specificam. Nam indiuidua non sunt per se primò intenta à natura, ac proinde nec multiplicatio numerica formarũ, sed tàm indiuiduorum, quàm formarum multiplicatio numerica est instituta in supplementum: Natura enim per se primo intendit species, sed quia aliquæ species non possunt conseruari in vnico indiuiduo: ideo ne species pereant, instituta est indiuiduorum multiplicatio. Vnde multiplicatio materię primario est instituta propter specificam multiplicationem formarum, & ad hoc primo tendit diuisibilitas materiæ, sed quia etiam diuersæ portiones materiæ, quamuis primo sint ordinatæ ad recipiendas formas specie diuersas, nihilominus, quia sũt receptiuæ eiusdem perfectionis specificæ, hinc est, quod ex diuisibilitate materiæ oritur distinctio numerica formarum. Et ideo potius multiplicatio numerica formarũ est ex multiplicatione materiæ, quàm è contra.

Prima Resolutio quæstiunculæ 4.

Multiplicatio receptiui nõ est per se primo propter multiplicationem numericã receptibilium.

40 Respondetur secundo, dato, quòd primò sit intẽta multiplicatio formæ, & propter formarum multitudi-

Secunda Resolutio quæstiunculæ 4.

tudinem sit intenta multiplicatio materiæ: attamen ex hoc non sequitur quin materia non sit principium numericæ multiplicationis formarum; quin imò hinc probatur materiã esse tale principium. Quia licèt multiplicatio formarum sit principium multiplicationis in genere causæ finalis, & extrinsecæ: attamẽ multiplicatio materiæ est principium multiplicationis formarum in genere causæ materialis, & in genere causæ intrinsecæ; nos autem in præsenti non tractamus de principio multiplicationis numericæ ex parte causæ extrinsecæ, qualis est efficiens, & finalis, sed loquimur de principio intrinseco, vel quasi intrinseco talis multiplicationis. Quòd autem ex hoc, quod multiplicatio formarum sit, vt finis, intenta sequatur esse verè principium numericæ multiplicationis illarũ patet: quia multiplicatio materiæ ordinatur ad multiplicationem formarum tamquã medium ad finem, ac proinde tamquam aliqua causa multiplicationis formarum, sicut medicina ordinatur tãquã medium ad sanitatem, quia est causa sanitatis, ergo ablata multiplicatione materię aufertur multiplicatio formę, sicut ablata medicina aufertur sanitas. Vnde si formæ non essent receptibiles in materia, nõ haberent, vnde numero multiplicarẽtur. Et sic verum est, quod multiplicato receptiuo, necesse est multiplicari receptibile.

Forma est causa extrinſ., materia verò intrinſ. multipl. numericę.

Formę nisi essẽt receptibiles in materia non multiplicarẽtur num.

41 Sed adhuc vrgebis: quia si verum esset quod ad multiplicationem materiæ multiplicarentur formæ, sequeretur, quòd non solum materia esset principium multiplicationis formarum secundum numerum, sed etiã secundum speciem, quia non potest dari multiplicatio specifica formarũ, nisi multiplicetur etiam materia: Hoc autem est falsum, quia multiplicationem specificã non habent formę à materia, sed à seipsis. Quin ipsæ tribuunt multiplicationem materiæ, ergo neutra multiplicatio formarum est à materia tamquam à principio multiplicationis illarum: Sed potiùs forma est principium multiplicationis materiæ.

Resolut. inuasio.

42 Hæc tamen replica non vrget, quin potiùs aperit fundamentalem rationem Sancti Thomæ. Respondetur ergo negãdo sequelam, & ad probationem negatur assumptum, cum dicitur non potest dari multiplicatio formarum nisi detur multiplicatio materiæ. Quia multiplicatio specifica formarum, est ab ipsis formis secundũ quod sũt participationes alicuius determinati gradus perfectionis, & ideo multiplicatio specifica dicitur formalis, & etherogenea. At vero quod formæ multiplicentur numero non possũt habere à se, quatenus formæ sunt, nam, vt dictum est, huiusmodi multiplicatio non est formalis, sed est materialis, & ideo dixit Philosophus, 3.met.t.c.11. quod omnis diuisio aut est à forma, aut à quantitate, ideſt aut est formalis, aut materialis: si formalis sumitur à forma: homo enim, & equus non differunt specie ratione materiæ, sed ratione formæ: si est materialis est à quantitate, vel ab eo, quod est diuisibile ad modum quantitatis. Vnde hinc sumit argumentum S. Thomas, ad probandum, quod materia sit principium multiplicationis numericæ. Quia omnis diuisio, aut sumitur à forma, aut sumitur à materia, si sumitur à forma est specifica, si à materia est numerica: ergo sicut principium multiplicationis specificæ est forma, ita principium multiplicationis numericæ est materia, vt docet ipse 2. cont. Gent. c. 93. ref. 2. *Differentia*, inquit, *quæ ex forma procedit, inducit diuersitatem speciei, quæ est ex materia inducit diuersitatem secundum numerum.*

Inuasionis respõsio.

A materia formæ multiplicantur n.

Arist.

S.Th.

NO-

Digitized by Google

NOTATIO IV.

Demonstratur, quod licet materia sit principium radicale numericæ multiplicationis formarum, tamen formæ etiam sunt aliquo modo principium numericæ multiplicationis materiæ.

43 NOtatur quarto. Quòd licèt materia sit primum, & radicale principiũ numericę multiplicationis formarum, tamen formæ sunt etiam aliquo modo principium numericæ multiplicationis materiæ. Ratio est, quia vt actu multiplicetur materia, & distribuatur in plures numero materias, necesse est, vt actu diuidatur, & determinetur. Sed hæc diuisio, & determinatio non potest haberi ab ipsa materia, quia licèt de se sit diuisibilis, tamen non est de se diuisa, sed oportet, vt ab aliquo diuidatur, & diuisibilitas, quam de se habet, reducatur ad actum. Hæc autem diuisio non potest fieri, nisi per formam substantialẽ, quatenus agẽs imprimẽdo hanc numero formam materię, determinat portionem illius. Cum forma substantialis pro sua prima introductione requirat portionem materiæ: Quia vt dicit Philosophus, res naturales habent certos terminos magnitudinis, & paruitatis. Quæ exigentia certę magnitudinis, & paruitatis non potest prouenire à materia, quia de se est indifferens, vt informetur tanta, vel minus tanta: Sed hæc exigentia prouenit à forma, ergo agẽs imprimendo formam materiæ, per ipsam formam determinat materiam, & reddit illam indiuisam in se, & diuisam ab alia. Igitur forma diuidit, ac proinde multiplicat materiam. Ita tenet Bañez lib. 1. de Generat. q. 3. a. 5.

Materia de se non est diuisa, sed diuisibilis.

Materia vt actu sit diuisa, agens per formã facit.

Arist.

Forma multiplicat numericè materiam.

Bañez.

Proponuntur vrgentissima argumenta ex Doctrina D. Th. & ex principijs eiusdem, & Aristotelis contra istam quartam Notationem.

44 SED contra istam notationẽ sunt grauissimæ difficultates ex doctrina, & principijs S. Thomæ, & Arist. Et quidem doctrina Sancti Thomæ est manifestè contraria. Qui vbicumque tractat de principio indiuiduationis, dicit formas indiuiduari per hoc, quod recipiantur in hac materia, & materia indiuiduatur per quantitatem, & nullibi dicit indiuiduari, seu diuidi ab alia materia per formam, sic enim habet 3. p. q. 77. a. 2. *Materia est principium indiuiduationis omnibus formis inhærentibus: quia cum huiusmodi formæ, quantũ est de se natæ sint esse in aliquo tanquam in subiecto: ex quo aliqua earum recipitur in materia, quæ non est in alio, nec ipsa forma, vt sit existens, potest esse in alio.* Et sic explicat quomodo formæ indiuiduantur per materiam, quia nimirum diuersæ formæ numero sunt in diuersis partibus materiæ, quarum vna non est alia, ideſt diuisa ab alia.

Argumẽta vrgentissima.

Prima Argumẽta ex doctrina S. Tho.

45 Deinde explicat per quid indiuiduetur materia, seu per quid vna materia ab altera diuidatur, & hæc subdit: *Indiuiduationis principium est quantitas dimensiua: ex hoc enim aliquod natum est esse in vno solo, quia illud est in se indiuisum, & diuisum ab omnibus alijs. Diuisio autem accidit substantiæ ratione quantitatis, vt dicitur 1. physicorum t. c. 15. Et ideo ipsa quantitas dimensiua est quoddam indiuiduationis principium formis, in quantum scilicet diuersæ formæ numero sunt in diuersis partibus materiæ.* Simil. in 4. dist. 12. q. 1. a. 1. quæst. 3. ad 3. *De ratione*, inquit, *indiuidui duo sunt scilicet quod sit ens actu in se, vel in alio: & quod sit diuisum ab alijs, quæ sunt, vel possunt esse in eadem specie: & ideo primum indiuiduationis principium est materia, qua acquiritur esse actu cuilibet tali formæ*

Digitized by Google

ma ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali: & ſecundarium indiuiduationis principiũ eſt dimenſio, quia ex ipſa habet materia, quod indiuiduetur. Vnde in carentibus dimenſionibus impoſſibile eſt eſſe aliam diuiſionem, niſi per formam, quæ facit diuerſitatem ſpeciei.

46 Vides quomodo formę indiuiduantur per materiam, & materia per quantitatem, & non per ipſas formas. Et ideo de ente, & eſsentia cum ponit materiam eſſe principium indiuiduationis, non dicit eſſe præcisã materiam, ſed materiã quantitate ſignatã. *Sciendum*, inquit, *quòd materia non quomodolibet accepta eſt principium indiuiduationis, ſed ſola materia ſignata, & dico materiam ſignatam, quæ ſub certis dimenſionibus conſideratur.* Et innumera alia loca ad hoc propoſitum recitat Capreolus in 2. diſt. 3. q. 1. a. 1. concluſ. 2. & ſequentibus, & art. 3. ad argumenta contra prædictas concluſiones.

Capreol.

2. Argum. ex principijs S.Th. & Ariſt.

Primum Argum.

47 Deinde id, quod aſſerimus in præſenti notatione, eſt contra principia S.Th. quæ inſinuat in auctoritatibus adductis. Primum enim ſequeretur, quod materia eſſet diuiſibilis ante quantitatem, aut quod quantitas præcederet in materia prima ante formam: Quorum vtrumque repugnat principijs S.Thomæ. Nam principium in via S.Thomę eſt, quod ſubſtantia accipit diuiſibilitatẽ à quantitate, vt dicit etiam Ariſt. 1. phyſ. t. c. 15. Vnde ſi à ſubſtantia abſtraheretur quantitas, remaneret indiuiſibilis; vt agens ergo imprimendo formam materiæ, per formam illam actu diuideret ab alia materia, vel dicendum eſſet, quod materia haberet quantitatem in ſe ante formam (& hoc eſt contra S. Doctorem, qui vult, quod in materia prima nullum accidens ſaltem abſolutum præcedat formam ſubſtãtialem, quæ eſt primus actus illius, & quod omne huiuſmodi accidẽs ſubiectetur in toto, qua propter in corruptione ſubſtantiali fit reſolutio vſq; ad materiam primam.) Vel dicendum eſſet, quod materia prima eſſet diuiſibilis ante quantitatem, quod, vt dixi, principijs Thomiſticis etiam repugnat.

D.Thom.

Ariſt.

48 Secundo ex notatione propoſita deſtruitur illud principium S.Th. quod nuper inſinuauit: Quia omnis diſtinctio, quæ ſumitur à forma, ſeu quæ ab illa procedit, eſt diſtinctio eſſentialis, & ſpecifica, cum ſit diſtinctio formalis. Sic enim dicebat in authoritate allegata ex 4. ſententiarum: *Vnde in carentibus dimenſione impoſſibile eſt eſſe aliam diuiſionem, niſi per formam, quæ facit diuerſitatem ſpeciei.* Quod principium eſt totum fundamentum, quo nititur eius ſententia, quod Angeli ſub eadem ſpecie non poſſunt multiplicari numero; qua propter loco cit. ſtatim ad verba allegata ſubdit: *Et propter hoc in Angelis ſunt tot ſpecies, quot indiuidua, quia cum ſint formæ, ſiue quidditates ſubſiſtentes, ex ſe ipſis habent eſſe in actu, & diſtinctiuum, & ideo non indigent ad indiuiduationem materia, neque dimenſione.* Vides ergo, quomodo ex notatione noſtra hoc aliud S. Doctoris principium deſtruitur.

Secundũ Argum.

49 Tertio arguitur ex eodẽ S. Th. loc. cit. Quia eodẽ modo forma ſubſtantialis indiuiduatur per materiam, ſicut forma accidentalis per ſubiectũ; Sed forma accidentalis ita indiuiduatur per ſubiectum, vt nullo modo cõcurrat ad indiuiduationẽ ſubiecti, ſic ſupponit illud indiuiduatum, ergo neque forma ſubſtantialis poteſt cõcurrere ad indiuiduationem materiæ, ſed aliunde ſupponit illam indiuiduam, vel ex ſe, vel à quantitate.

Tertium Argum.

50 Quarto, quia ſequeretur quod materia ſimul eſſet indiuiduans, & indiuiduata reſpectu eiuſdem; eſſet enim indiuiduans formam, & viciſſim indiuiduaretur à forma. Hoc autem præterquamquod præſefert incõueniens: aufert à materia rationem primi principij indiuiduationis, quia ſimpliciter non eſſet primum principium, ergo, &c.

Quartum Argum.

Eſſi-

Digitized by Google

Efficaciſsimis rationibus ſtipatur prædicta quarta notatio.

1. Ratio. 51 NIhilominus ratio allata pro notatione noſtra eſt efficaciſſima, & totum robur accipit ex eiſdem principijs S. Doctoris. Quia forma ſubſtantialis actuat materiã ante quantitatem, & conſtituit compoſitũ, datque illi eſſe, & exiſtere antequam ſit aliquod accidens in toto compoſito; ſed in illo priori non informat materiam indeterminatam, & vagè ſumptam, ſed hanc materiam determinatam, & diuiſam ab omni alia portione materiæ, ita vt forma informando materiam nõ ſolum expellit formam præexiſtentem in illa materia, quam informat, ſed ſeparat materiam ab omni alia materia informata quacumque alia forma, ergo, &c.

Forma actuat materiã, ſubſtantialiter, Hanc.

Obiectio. 52 Nec valet ſi dicas, quod materia, quæ de nouo informatur, eſt quidem diuiſa ab alijs materijs, non per ipſam formam, quæ de nouo in illa introducitur, ſed per quantitatem exiſtentem in compoſitis circumſtantibus, & conſtitutis per alias ſubſtantiales formas.

Enodatio. 53 Non valet, inquam, hęc euaſio, quia dato caſu per poſſibile, vel impoſſibile, quod tota maſſa materiæ nullam haberet formam, ſed exiſteret ſine omni forma, eo ipſo quod ab agẽte imprimeretur forma hæc determinata materiæ, diuideret materiam informatam ab omni alia materia non informata. Quia cum hac ſola componeret vnum per ſe ſubſtantiale, & ad vnitatem compoſiti ſubſtantialis requiritur, vt ſit indiuiſum in ſe, & diuiſum ab omni alio tàm ſecundum materiam, quàm ſecundum formam, aliàs non eſſet vnum per ſe: ergo ab ipſa forma materia actu diuiditur ab alia materia.

Quid ſit compoſitum ſubſtantiale.

2. Ratio. 54 Deinde pro noſtra notatione ſunt omnia argumenta, quæ coaceruant contrarij ad impugnandam materiam ſignatam quantitate eſſe principium indiuiduationis, & præſentia, quæ vt fatetur Capreolus a. 3. in principio, fortes obiectiones ſunt, & ſubtiles. Quia ſi materia ſignata quãtitate eſſet principium indiuiduationis, ſequeretur quod indiuiduũ ſubſtantiale indiuiduaretur per aliquod accidens, quod eſt contra rationem ſubſtantialis indiuidui; quod cum ſit prima ſubſtantia, præſupponitur indiuiduum ante omne accidens, nam cũ Ariſt. ait, quod ſubſtantia re, & ratione eſt prior omni accidente, maxime loquitur de prima ſubſtantia, quæ eſt ipſum ſubſtantiale indiuiduum.

Capreol.

Accidens non indiuiduat ſubſtãtiã.

Ariſt.

55 Quod argumentum non poteſt aliter ſolui, niſi præſupponantur forma, & materia diuiſæ ante quantitatem, & quamuis poſſint intelligi formæ actu inter ſe diuiſæ numero, vna ſcilicet ab alia per ſubſtantialem ordinem intrinſecum, quem vna habet ad tantam præciſam materiam, & altera ad alteram, vt patet in animabus rationalibus, quæ etiam ſeparatæ numero inter ſe diſtinguuntur; Attamen hoc non poteſt dici de actuali diuiſione materiarum, quia iſtæ, niſi ab extrinſeco diuidantur, ſunt omninò indiuiſæ inter ſe.

56 Confirmatur, quia Deus ſicut poteſt ſeparare quantitatem à ſubſtãtia, & ſic ſeparatam conſeruare, ita poſſet ſeparare ſubſtantiam à quantitate, & illam in eſſe conſeruare: ponamus ergo, quod à duobus indiuiduis Petro, & Paulo ſepararet quantitatem, vel crearet illos ſine quantitate: verè eſſent duo indiuidua humana, ergo, &c.

Poſſunt dari octo indiuidua ſine quãtitate.

Vt certa reddatur noſtra Quarta Notatio. Ponitur Nodus gordianus totius difficultatis, nempè, quid nomine materiæ ſignatæ quantitate intelligat S. Thomas? Tria ſupponuntur. Triplex ſenſus apparet. Tertius ſenſus eſt genuinus D. Th. Obiecta Enodantur. Nodus diſſoluitur.

57 A Deo difficilis eſt hic nodus in principijs D. Th., vt in eo diſſoluẽdo deſudet totus Thomiſtarum labor. Quia hac difficultate ſu-

S. Tho.

perata, plana efficitur ſententia Diui Thomæ de principio indiuiduationis, ſeu multiplicationis numericæ: & quã puto veriſſimam, eius veritas eluceſcet. Sciendum eſt ergo, quod tota difficultas reuocatur ad hoc, nempe, quid nomine materiæ ſignatæ quantitate intellexerit S. Doctor. Nam aduerſarij nimium litteraliter ſumentes modum loquendi S. Thomæ, & non altè penetrantes ſenſum illius, acriter contra illius ſententiam inuehuntur: & ex eius diſcipulis nonnulli eodem ſenſu intelligentes prędictam ſententiam, implicuerũt ſe difficultatibus innumeris, vt illam defenderent, & in rei veritate aduerſariorum argumentis non ſatisfaciunt.

QVAESTIVNCVLA 5.

56 Nos dimiſſis, quę ab alijs dicũtur, vt ſenſum Diui Thomæ aperiamus ſupponendum eſt primo, quod duplex eſt principiũ indiuiduationis apud S. Th. alterum ſubſtantiale, alterum accidentale; principium indiuiduationis ſubſtantiale, eſt illud, per quod cõſtituitur ſingulare in ratione primæ ſubſtantiæ. Principium indiuiduationis accidentale eſt illud, per quod conſtituitur ſingulare in eſſe ſenſibile. Quia vt dicit Philoſophus ſicut intellectus eſt vniuerſalium, ita ſenſus eſt ſingularium. Dico ergo, quod materia antecedenter ad quãtitatem eſt principium indiuiduationis ſubſtantiale, in quantum conſtituit indiuiduum ſingulare in genere ſubſtantiæ. Sed principium indiuiduationis accidẽtale, quo conſtituitur ſingulare in eſſe ſenſibili; eſt quãtitas. Nam obiectum non eſt ſenſibile, niſi ſit extenſum, & quantum; ſumo hoc ſuppoſitum ex S. Th. opuſc. de natura materiæ. c. 3. *Cum forma recipitur in materia, circũſcriptis per intellectũ dimenſionibus omnibus, fit aliquid exiſtens in genere ſubſtantiæ, & vltimum habens completam rationem indiuidui in ſubſtantia; ſed non fit hic, & nunc, demonſtrabile ſine dimenſionibus terminatis, & certis, quas habere neceſſe eſt eo, quod forma recipitur in materia, cũ impoſſibile ſit eam in materia recipi, quin conſtituatur corpus ſubſtantiæ, cuius propria ſigna ſunt dimenſiones ipſæ, & ideo videtur, quod materia ſub certis dimenſionibus eſt cauſa indiuiduationis, non quod dimenſiones eſſent indiuiduum, cum accidens non cauſet ſuum ſubiectũ, ſed quia per dimenſiones certas mõſtratur indiuiduum eſſe hic, & nunc ſicut per ſignum proprium indiuidui, & inſeparabile.* Et opuſc. 29. de Principio indiuiduationis, vbi *Materia ſola*, inquit, *eſt primũ principiũ indiuiduationis, quo ad illud, in quo ſaluatur ratio primi in genere ſubſtantiæ, quod tamen impoſſibile eſt ſine corpore, & quantitate reperire. Quantitas autem terminata dicitur principium indiuiduationis, non quod aliquo modo cauſet ſubiectum ſuũ, quod eſt prima ſubſtantia, ſed eam inſeparabiliter concomitatur, & determinat eam ad hic, & nunc. Illud ergo, quod cadit ſub ratione particulari, eſt hoc aliquid per naturã materiæ. Quod autẽ cadit ſub ſenſu exteriori, eſt per quantitatem.*

1. Suppoſitio.

Duo principia indiuiduationis; ſubſtantiale, & accidẽtale.

Ariſt.

S. Tho.

Materia indiuiduat ſubſtantiam entitatiuè.

57 Vides ergo, quod materia eſt primum principium, quo indiuiduum conſtituitur ſingulare in genere ſubſtantiæ, ſecundum quam præciſam rationem non eſt ſenſibile, vt in eodem opuſc. dixerat ante S. Doctor. Per quantitatem vero fit ſenſibile, & demonſtrabile, ſecundum quod ſubeſt accidentibus, & determinatur ad tẽpus, & locum. Vnde concludit opuſculum dicens: *Et aduertẽdum eſt, quod accidentia non indiuiduantur per materiã primam, ſed per ſubiectum propriũ, quod eſt ens actu indiuiduantur, ſicut & formæ ſubſtantiales per materiam primam, quæ eſt earum ſubiectum.*

S. Tho.

Quantitas indiuiduat ſubſtantiã in eſſe ſẽſibili.

58 Hoc ipſum aduertit Capreolus in 2. diſt. 3. q. 1. a. 3. ad arg. contr. ſecundam concluſionem: Nam ad 2. Aureoli primo loco contr. 2. inter quatuor quæ requirit ad conſtitutionem indiuidui. *Quartum eſt, vt indiuiduum ſit aliquid demonſtrabile, ſenſibile, & determinatum ad hic, & nunc,* & ita ad 2. Scoti contr. eãdem ſecundam concluſionem, dicit: *Loquendo de indiuiduis in genere ſubſtantiæ, prima radix indiuiduationis eſt materia quãtum*

Capreol.

Digitized by Google

tum ad hoc, quod de ratione indiuidui est incommunicabilitas. Sed prima radix indiuiduationis, quantum ad hoc, quod de ratione indiuidui est distinctio ab alijs eiusdem speciei, & esse quid signatum sensibile, determinatum ad hic, & nunc, est quãtitas, vt patet ex prædictis. Et infra in eadem responsione explicat, quo sensu dixerit S. Tho. quodlibet 7.a.10. quod potest quidem Deus separare albedinem à quantitate, sed tamen quod separata non esset hæc, & indiuidua, & sic subtiliter scribit, (quo certè nihil clarius scribere valuit.) *Et sciendũ, quod cum dicit, quod albedo existens sine quãtitate, nõ esset indiuidua, non est intelligendũ, quod nullo modo esset indiuidua, sed quod non esset indiuidua illo modo, quo hæc albedo sensibilis demonstrata, & determinata ad hic, & nunc*: & sæpe hoc ipsum repetit in illis argumentorum solutionibus, ex quibus apparet, quod de mẽte S. Tho., & Capreoli quantitas est radicale principium indiuiduationis, non quo ad indiuiduationem substantialem, sed quo ad indiuiduationem accidentalem, & sensibilem.

Albedo sine quãtitate est indiuidua non in esse sensibili, sed entitatiuo.

59 Supponendũ est secundo, quod S. Th. aliquando fuit in ea sententia commentatoris ponentis dimẽsiones interminatas in ipsa materia, illique coeuas, atque inseparabiles, easq; præcedere formas substantiales. Ita apertè docet opusc. 70. super Boet. de Trinit. q. 4. a. 2. Vbi in corpore satis apertè hanc sentẽtiam docet, & in solut. ad 3. *Et ideo*, inquit, *rectè materia conuenit indiuiduare omnes alias formas ex hoc, quòd subditur illi formæ, quæ ex se ipsa habet indiuiduationis rationem, ita, quod etiam ipsæ dimensiones terminatæ: quæ fundantur in subiecto iã completo indiuiduantur quodammodo ex materia indiuiduata per dimensiones interminatas, præintellectas in materia*. Quo autem differant dimensiones terminatæ, & interminatæ, explicat in corp. art. Nõ quod differant in ratione dimensionũ, sed per hoc quòd secundum se sint indeterminatæ, sed determinantur quatenus accipiuntur secundum determinatam mensuram, & figuram.

2. Suppositio. S. Th.

Boetius.

60 Vult ergo S. Thomas, quod quia substantia, ac proinde nec materia est diuisibilis sine quantitate, quod dimẽsiones præcedant in materia ante formam, vt patet ex corpore art. & ideo ad 5. *Ratio*, inquit, *illa procedit de accidentibus completis, quæ sequuntur esse forma in materia, non autem de dimensionibus interminatis, quæ præintelliguntur ante ipsam formam in materia.* Conferantur solutiones cum suis argumẽtis, & hoc, quod dicimus, perspicaciùs apparebit. D. Th.

61 Et hoc ipsum animaduertens Capreolus, antequam respondeat ad argumenta Scoti contra secundam conclusionem, & recitata longa satis parte artic. allegati, atque argumentorum solutione, sic tandem scribit: *Considerandum est, quòd in hoc tractatu super Boet. & 4. sent. & in multis alijs locis S. Th. secutus est opinionem commẽtatoris in materia de dimẽsionibus interminatis, ponens quasdam dimensiones interminatas distinctas essentialiter à dimensionibus terminatis, sicut potentia distinguitur ab actu; & quòd dimensiones interminatæ nunquã separantur à materia; & quod præcedunt formã in materia, & sunt, vt medium inter materiam, & formam, & stant successiuè cum diuersis formis substãtialibus, & sunt ingenerabiles, & incorruptibiles, & sunt principiũ indiuiduationis, & signationis materiæ. Sed in summa, & vltimis determinationibus, & operibus suis posuit oppositum, scilicet quod nulla quantitas præcedit formam substantialem in materia, &c.* Capreol. S. Th.

Quæ sint dimensiones interminatæ in materia.

62 Supponendum est tertio, quod materia prima corporea est prima radix quantitatis, & prẽcontinens illam, vnde quãtitas est veluti propria passio illius. Qua propter S. Th. dixit 1. p. q. 50. a. 4. & in scripto ad Anibaldũ in 2. dist. 3. q. 1. a. 2. quod etiam si Angeli essent compositi ex materia, & forma, nihilominus non possent multiplicari numero, quia illa materia esset spiritualis, & incorporea incapax quantitatis. 3. Suppositio.

Quantitas præcontinetur, vt passio eius in materia corporea.

63 Et aduerte, quod ista conditio,

tio, quam habet materia corporea, vt sit diuisibilis diuisione quantitatiua non consistit in sola potentialitate, & capacitate ad habendam quãtitatem, sed consistit in præcontinentia quantitatis; quæ præcontinentia dicit aliquid amplius, quàm capacitas, & potentialitas ad participandum effectum formalem quantitatis, quia dicit esse primam radicem, & primam causam quantitatiuæ vnitatis, & multiplicationis, quæ nascitur ex diuisione continui. Vnde istud genus vnitatis, & multiplicationis primo inest materiæ, & à materia diffunditur ad quantitatem, tanquam proprietatem illam inseparabiliter consequentem.

S. Th. 64 Et quod hoc sit de mente S. Th. patet ex discrimine, quod 1. p. q. 29. a. 1. ponit S. Th. inter modum, quo indiuiduatur prima substantia, & quo indiuiduantur accidentia, dicens: *Substantia indiuiduatur per se ipsam, sed accidens indiuiduatur per subiectum*, & quæst. 9. de potentia a. 1. ad 8. Vbi: *Accidentia*, inquit, *non indiuiduantur nisi ex suis subiectis: sola autem substantia per se ipsam indiuiduatur, & per propria principia*. Quo discrimine manifestè docet, quòd prima substantia (de qua loquitur ibi Sanctus Thomas) indiuiduatur solum ex suis intrinsecis principijs substantialibus, ex quibus componitur, si sit composita, vel ex se ipsa, si sit simplex, vt est substantia Angelica, Ibi enim vt benè aduertit Caietanus est sermo de prima substantia, vt complectitur compositam, & simplicem, quia agit de definitione personæ, & ratio personæ complectitur naturam indiuiduam tam simplicem, vt Angelicam, quàm compositam, vt humanam.

Caiet.

Quæuis substantia ex se ipsa, at accidẽs per ordinem ad subiectũ indiuiduatur.

65 Dicit ergo, quod prima substãtia indiuiduatur per se ipsam excluso omni accidente, tàm inhærente, quàm connotato. Alioquin nullum esset discrimen inter indiuiduationem accidentis, & indiuiduationem primæ substantiæ, quod ibi formaliter intendit collocare S. Thomas: Quia si ad indiuiduationem substantię esset intrinsecè requisitum aliquod accidens, sequeretur, quod sicut accidens indiuiduatur, vel per actualem inhærentiam ad primam substantiam, vel per ordinem ad illam: ita etiam prima substantia indiuiduaretur per accidens, vel inhærens, vel connotatum, & per ordinem ad illud, quòd oppidò alienum est à mente Sancti Doctoris in hac vltima sua determinatione.

Thomistæ, qui discedunt à mente S. Th.

66 Ex quo apparet quàm elongantur ab vltima Sancti Doctoris mente illi Thomistæ, qui dicunt ad constituẽdum primum, & radicale principium indiuiduationis, non sufficere solam materiam, sed necessariam esse quantitatem, vel inhærentem, vel in obliquo connotatam, seu per ordinem ad quãtitatem. Quia S. Th. vult primam substantiam indiuiduari ex se ipsa, vt absolutam ab omni accidente, etiam quantitate tàm inhærente, quam connotata.

S. Th.

67 Vnde quando loco supra cit. de Angelis dicit, quòd etiam si Angeli haberent materiam, neq; possent multiplicari numero, quia illa materia nõ esset principium distinctionis secundũ diuisionem quantitatis; non est intelligendus, quòd materia, quæ est principium multiplicationis numericæ, sit principium per hoc, quod recipiet distinctionem, & diuisibilitatem à quantitate, quia huiusmodi genus diuisionis potiùs quantitas participat à materia, quàm quod tribuat materiæ: sed ponitur ibi diuisio quantitatis, quia talis diuisionis modus materialis innotescit nobis per diuisionem quantitatis, per hanc enim quantitatiuam diuisionem agnoscimus discrimen inter diuisionem materialem, & formalem: quod illa est homogenea, qualis est diuisio continui; hæc etherogenea, qualis est diuisio corporis organici.

Distinctio num. in substantia nõ fit, sed innotescit per diuis. quãtitatis.

68 Hoc autem quod dicimus adeo verum est, & ad mentem S. Doctoris, vt propter allatum discrimen corrigat Caietanus in Commentario prædicti art. 1. quæst. 29. §. *De Substantia autem*, id quod dixerat in c. de ente, et essẽtia: Quod materia est principium indiuidua-

Caietan.

Digitized by Google

duationis, vt in potentia ad quantitatem, sic enim habet. *Per materiam autem sub certis dimensionibus non intelligo (vt olim exposui in commentarijs de ente, & essentia) materiam cum potentia ad quantitatem, &c. Sed intelligo materiam distinctam numero, non vt subiectū quantitatis, sed vt priùs natura ipsius fundamentum, radix, & causa. Ita quod ipsa materia in se est priùs sic distincta, quàm quanta: vt sic effectus proportionetur causæ: distinctio enim numeralis, qua Socrates distinguitur à Platone, in quantum sunt isti homines, non est distinctio quantitatiua, sed fundamentum quantitatiuæ distinctionis, &c.* Ecce quomodo Caietanus manifestè docet, quod materia antecedenter ad quantitatem est diuisibilis hoc genere diuisionis, in partes scilicet similares, &c.

Ex tribus præsuppositis oritur D.Th. Triplex sensus.

1. Sensus.

69 Ex his tribus suppositis colligo triplicem sensum, quo S. Thomas dixit materiā signatam esse principium indiuiduationis: Primus sensus est, quòd loquitur de Principio Indiuiduationis totali, & completo, hoc est tam in esse substantiali, quàm in esse sensibili, vt apparet ex prima suppositione, & sic intelligo authoritatem desumptam ex 3.p.q.77.a.2.c. pro cuius euidētia sciēdum est, quod illam doctrinam tradit S.Th. in 3. ratione ad probādum, quod quantitas est subiectum aliorum accidentium in Sacramento altaris, & hac occasione ostendit quomodo quantitas concurrit ad indiuiduationem formarum; & quamuis ibi generatim dicat, quod omnis forma tam substantialis, quàm accidentalis indiuiduatur per materiā, in qua recipitur, vt sępè est dictū. Attamen nomine materiæ ibi non accipit præcisè pro materia prima, quia certū est de mēte S.Th. quod accidentia nō subiectantur in prima materia, sed accipit generatim pro omni receptiuo formarum cum proportione, quatenus formę substantiales recipiuntur in materia prima; formæ accidentales in tota substantia: & indistinctè ibi accipit nomen materiæ, & nomen subiecti. Quia generatim omnes formæ indiuiduātur per hoc, quod recipiuntur in aliquo, siue hoc sit materia, siue subiectum.

Quæuis forma per hoc quod recipitur in aliquo, indiuiduatur.

70 Et ideo cum de ratione indiuidui sint duo: primum quod non possit esse in alio, secundum, quod sit indiuisum in se, & diuisum ab omni alio. Primum dicit habere formas à materia; Vbi cum generatim loquatur de formis tam substantialibus, quàm accidētalibus, vt ex contextu apparet: Liquido constat, quod nomen materiæ sumit vt complectitur materiam primam, & materiam secundam, nempe totalem substantiam, quę est subiectum accidētium. Quod dicit deinde, quòd secundum habent formæ à quantitate, nomē quantitatis accipit proportionaliter, vel pro quantitate virtuali, quam ex se habet materia prima, vt diximus in tertia suppositione de mente eiusdem S. Thomæ, & Caietani, vel pro quantitate accidentali, quæ aduenit substantiæ iam completæ. S.Tho. Caiet.

Obiectio.

71 Dices S. Th. expressè loquitur de quantitate dimensiua, quæ sine dubio est quantitas de genere accidentium.

Enodatio.

72 Respondetur, quòd quamuis in illo discursu S.Th. aliquid immiscet de formis substantialibus, vt ex omnibus, quantum fieri potest, inferat speciale, quod intendit; principaliter tamen loquitur de indiuiduatione formarum accidentalium, & ideo sermo illius deflectit ad indiuiduationem accidentiū, vt ostendat, quod quantitas dimensiua est subiectum accidentium, quia ipsa est principium indiuiduationis substantiæ: Quod quidem non potest intelligi de indiuiduatione substantiali, quia iam 1.p.q.29.a.1. statuit, quod substantia indiuiduatur per se ipsam, vt in tertia suppositione aduertimus: sed intelligit de indiuiduatione in esse sensibili. Vt hinc ostendat, quod accidentia Eucharistica sunt in quantitate tanquam in subiecto; Quia remanent sensibilia non minus coniuncta, quàm separata à substantia panis. Quod si nō essent in quantitate, non remanerent sensibilia: quia sensus non percipiunt propria sensibilia, nisi sint extensa, & quan-

Quantitas indiuiduat substantiā nō in esse entitatiuo, sed sensibili.

Digitized by Google

quanta: vt ſæpè eſt dictum.

Capreol. 73 Vnde benè dicebat Capreolus ſup. interpretãdo S.Th. cum quodlibet 7.a.10.dixerat quod ſi daretur albedo ſeparata,à ſuo ſubiecto,non eſſet indiuidua: non quòd non eſſet indiuidua entitatiuè, ſed non eſſet indiuidua ſenſibilis. Quia in rei veritate talis albedo ſic ſeparata exiſtens, cum non eſſet extenſa, non poſſet cadere ſub ſenſu.

Quæ quãtitas; & quam materiam, & in quo eſſe indiuiduat? 74 Itaq; quando loco cit.3.p.S.Th. dicit, quod quãtitas dimẽſiua eſt principium indiuiduationis materiæ, nomine materiæ principaliter intelligit ſubſtantiam completam quatenus eſt ſubiectum accidentium, & quantitas dimenſiua dicitur principium indiuiduationis illius, non quidem in eſſe ſubſtantiali, quia ſatis expreſsè S.Doctor docuit ſubſtantiam ex ſe ipſa indiuiduari,ſed in eſſe ſenſibili.Et hoc modo intellecto illius diſcurſu, efficaciſſime probat ſuum inſtitutum, quod cætera Euchariſtica accidentia ſubiectãtur in quantitate, & hæc eſt pro illorũ ſubiecto. Eodem modo interpretari poteſt,quod adducebatur ex 4.ſententiarum: quia de eadem materia loquebatur.

2. Senſus. S.Tho. 75 Secundus ſenſus, quo S. Th. dixit materiam quantitate ſignatam eſſe indiuiduationis principium,eſt;ſupponendo,quod antecedenter ad formam, dantur in materia dimenſiones interminatæ,prout obſeruauimus in ſecunda ſuppoſitione,& hoc modo intelligitur,quando opuſc. 70. ſuper Boet. q.4. a.2. dicit S. Doctor: Quod materia ſignata eſt principium indiuiduationis. Sic enim habet. *Et ex his dimenſionibus interminatis efficitur hæc materia ſignata: & ſic indiuiduat formam, & ſic ex materia cauſatur diuerſitas ſecundũ numerũ in eadem ſpecie. Vnde patet, quod materia ſecundum ſe conſiderata non eſt principium diuerſitatis ſecundũ ſpeciem, nec ſecũdum numerum, ſed ſicut eſt principium diuerſitatis ſecundum genus prout ſubeſt communi formæ, ita eſt principium diuerſitatis ſecũdum numerũ prout ſubeſt dimẽſionibus interminatis. Et ideo cum hæ dimenſiones ſint de genere accidentium, quandoque diuerſitas ſecundum numerum, reducitur ad diuerſitatem materiæ, quandoque in diuerſitatem accidentium, & hæc ratione dimenſionum prædictarum. Alia autem acccidentia non ſunt principiũ indiuiduationis, ſed ſunt principia cognoſcendi diſtinctionem indiuiduorum.*

76 Et placuit referre longiùs textũ S. Doctoris, quã quod fuerit neceſſarium, vt excluderemus quorundam expoſitionem S. Thomæ de dimenſionibus interminatis, ne S. Doctor contradictionis argueretur, dicẽtes nomine dimenſionũ interminatarũ intellexiſſe S. Th. illas dimenſiones prout virtualiter præcontinentur in entitate materiæ, ſicut dicebamus ex Caiet. in 3.ſuppoſitione. Iſtæ enim dimenſiones virtuales, præcedunt formam in materia. Caiet.

77 Et poteſt hæc expoſitio confirmari ex ſolutionibus argumentorum dupliciter: primo quia S.Thomas non dicit has dimenſiones, præcedere formam, ſed *præintelligi*, quod ſignificat non eſſe ſecundũ rem diſtinctas ab ipſa materia,ſed ſecundum rationẽ, quatenus poteſt materia concipi ſub conceptu potentiæ, in quo conueniret cum materia ſpirituali, ſi daretur, & poteſt concipi vt corporea,ſecundum quam rationem præcontinet quantitatem, & iſtam præcontinentiam potuit S. Tho. appellare dimenſiones interminatas. S.Tho.

78 Secundò ex ſolutione ad quintum: Vbi S.Thomas dicit, quod iſtæ dimenſiones interminatæ nec re, nec ratione poſſunt ſeparari à ſubiecto: Vnde ſine his dimenſionibus non poteſt intelligi indiuiduum,ſicut non poteſt intelligi ſine forma. At ſi iſtæ dimenſiones eſſent quid diſtinctum à materia,poſſent & re,& ratione ſeparari à materia, quia iſtæ dimenſiones eſſent accidentia abſoluta;Diuina autem potentia poteſt omne accidens abſolutũ ſeparare à ſuo ſubiecto, ergo per iſtas dimenſiones interminatas videtur intellexiſſe S.Doctor, dimenſiones prout virtualiter præcontinentur in entita-

te

te materiæ. Sed laudo affectum erga S. Doctorem, attamen expositio nō est ad mentem illius, & ideo sincerè
Capreol. fatendum est cum Capreolo S. Thomam aliquando fuisse secutum commentatoris sententiam de dimensionibus interminatis.

79 Et patet hoc primo, quia ex
S. Tho. eodem fundamento mouetur S. Th. ad ponendas has dimensiones interminatas materiæ coeuas, quo illas ponebat commentator lib. de substātia orbis. Quia nimirum oportet intelligere materiam esse diuisibilē ante formam substantialem: quia forma non introducitur in materia, sed in hac materia, quæ debet esse indiuisa in se, & diuisa ab alia; sed materia nō est diuisibilis, nisi per quantitatē: quia
Arist. dicit Philosophus 1. phys. Quod submota quantitate remanet substantia indiuisibilis; ergo in materia ante formam oportet, vt præcedat quantitas, sic enim arguit: *Forma non indiuiduatur per hoc, quod recipitur in materia, nisi quatenus recipitur in hac materia, vel illa distincta, & determinata ad hic, & nunc. Materia autem non est diuisibilis, nisi per quantitatem. Vnde Philosophus dicit* 1. *Ethic. Quod submota quantitate remanet substantia indiuisibilis: & ideo materia efficitur hæc, & signata secundum quod est sub dimēsionibus.* Qui discursus manifestè procedit de quantitate prædicamentali, per quam substantia fit formaliter divisibilis. Igitur inhærendo sententiæ
Commē- tator. S. Tho. commentatoris S. Th. ponit dimensiones accidentales in materia prima.

80 Secundo, quia expressè S. Doctor in testimonio supra citato dicit, quod istæ dimensiones sunt accidentia, & hinc resoluit quęstionem, eo articulo propositam: Vtrum varietas accidentium faciat diuersitatem secundum numerum, & dicit, quod propter istas dimensiones interminatas varietas accidentium facit diuersitatem secundum numerum, sed propter alia accidentia non fit varietas, sed cognoscitur illa varietas, & distinctio numeralis, quia sunt illius indicia, eamq; supponunt. Sic enim quæstionem resoluens concludit art. *Et ideo cum hæ dimensiones sint de genere accidentium, quandoque diuersitas secundum numerum reducitur in diuersitatem materiæ, quandoque in diuersitatem accidentium, & hac ratione dimensionum prædictarum. Alia vero accidentia non sunt principia indiuiduationis, sed sunt principium cognoscendi distinctionem indiuiduorum: & per hunc modum etiam alijs accidentibus indiuiduatio attribuitur.* Et hoc modo dicit intelligendum esse Porphyrium cum Porphyr. cap. de specie, dicit, quod indiuiduū facit collectio accidentium, quæ in alio reperiri non possunt, & ad hunc sensum dicit esse cætera argumenta, *sed contra* concedenda, quæ sine dubio procedunt de veris accidentibus. Igitur negare non possumus, quin S. Thomas eo loco commentatoris opinionem sequatur de dimensionibus interminatis materiæ inhærentibus.

81 Neque ea, quæ pro confirmā- Prima Obiectio, & Enodatio.
da interpretatione mentis S. Th. afferuntur, quidquā proficiūt. Ad primū enim, quod afferebatur, quia nimirū S. Doctor non dixit simpliciter prædictas dimensiones præcedere, sed *præintelligi*; respondetur, quod ideo ita videtur locutus, quia cum materia nunquam præexistat, aut præexitierit sine forma; Nunquam istæ dimensiones præcesserunt formam, taliter quod materia aliquando extiterit cum his dimensionibus à nulla forma actuata. Sed solum istæ dimensiones præcesserunt; aut præcedunt formam in quodam priori naturæ, quam prioritatem intellectus cognoscit, & ideo *præintelligi* dixit.

82 Nec valet secundum fundamē- Secunda Obiectio, & Enodatio.
tum: quia S. Thomas non dixit istas dimensiones simpliciter non posse separari à subiecto aut re, aut ratione, sed non posse separari, intelligendo indiuiduum. Quia cum pertineant ad constitutionem indiuidui, non potest intelligi indiuiduum sine his dimensioni-

sionibus, quòd patet, quia eodē modo dicit, quod indiuiduum non potest intelligi sine forma, & tamē simpliciter forma separari potest à materia, vt experientia docet.

83 Itaque verè aliquando S. Th. fuit in ea sententia de dimensionibus interminatis, qua suppositā, consequenter docuit materiam quantitate signatam esse indiuiduationis principium. In qua tamen sententia cum non permanserit S.Th., ideo nonnulla loca, quæ hanc sententiam supponunt, & ad hunc sensum loquuntur de materia signata quantitate, non vrgent; & iuxta hunc sensum intelligendum esse locum ex 4. sententiarum vt aduertit Capreolus loco supra citato, &c.

Capreol.

Explicatur tertius sensus, qui est genuinus D. Th. & Nodus difficultatis dissoluitur; ac respondetur ad omnia argumenta supra proposita num. 44. vsque ad num. 50. contra nostram quartam Notationem; ex doctrina, & principijs S.Th. & Arist. & ex ratione decerpta.

3. Sensus genuinus D.Thom.

84 TErtius sensus est, quod nomine materiæ quantitate signatæ, non intelligit S.Thomas materiā propriè quantitate affectam, sed materiam vt præhabentem in se id, quod substantia completa habet à quantitate: nempe diuisibilitatem in partes integrales, & etiam vt exigentem tantam extensionem quantitatis; & in hoc sensu verissima est sententia S. Thomæ, & ita à nobis suscipitur, secundū quem sensum doctrina Sancti Thomæ non aduersatur notationi nostræ, vt prima difficultas proponebat, desumpta à doctrina, & auctoritatibus Diui Thomæ, quin potiùs notatio nostra est ad aures illius.

Resolutio Quæst. 5.

Respond. Argum. ex doctr. S. Tho.

85 Nec etiam illa, quæ afferuntur ad probandum, quod notatio nostra destruit principia S.Thomæ, quicquā valent; ad primum enim de diuisibilitate substantiæ, quod illam habet à quantitate de mente Philosophi, & S.Doctoris, dicimus, quod sermo est de substantia completa, qualis est prima substantia, non autem de substantia incompleta, qualis est materia. Etenim, quòd materiæ antecedenter ad formam, ne dum ad quantitatem sit concedenda aliqua diuisibilitas in partes integrales, ratio Sancti Thomæ nuper allata ex opusc. 70. q. 4. a. 2. & commentatoris quo ad hoc punctum est efficax. Vnde cum S. Th. reliquit opinionem commentatoris, non propterea denegauit materiæ hanc diuisibilitatem, sed solum denegauit in materia dimensiones, seu quantitatem præcedere formam substantialem, quia ante formam substantialem nullum accidens saltem absolutum S. Doctor in vltimis determinationibus suis agnoscit in materia prima, nec geminam illam distinctionem dimensionum interminatarum, & determinatarum amplius admittit.

S.Th. Commētatet.

Respond. ad primū Argum. ex principijs S.Th. & Arist.

86 Vnde fit, vt relinquat materiā esse de se diuisibilem in partes integrales, & similares. Alioquin nō posset saluari id, quod dixit 1. p. q. 29. a. 1. substantiam ex se ipsa indiuiduari. Quia cum ad indiuiduationem substantiæ, completæ, & quæ dicitur prima substantia, de qua loquitur S.Th. requiratur, vt sit indiuisa in se, & diuisa ab alia, profectò debet esse ab alia diuisa, & secundum formam, & secundum materiam. Si ergo ex se substantia prima indiuiduatur ante omne accidens, sine quantitate materia à materia diuiditur, nō quidem secundum rationem potentiæ, sicut materia cælestis, & sublunaris, sed secundum diuisionem, qua aliquod totum diuiditur in partes integrales.

87 Et ideò tota massa materiæ præintelligitur in se diuisibilis ante quantitatem. Confirmatur quia prima substantia antecedenter ad omne accidens, est prima substantia, quia ipsa est quæ subest accidentibus: sed eatenus est, & dicitur prima substātia, quatenus est indiuidua: hoc est indiuisa in se, & diuisa ab omni alia

consi-

Digitized by Google

consimili subſtantia proindèque debet habere materiam propriam indiuisam in se, & diuisam à materia alterius primę subſtantię, ergo materia est diuisibilis antecedẽter ad omne accidens etiam ad quantitatem;

Caietan. Quod præclarè docuit Caietanus in commentario illius articuli, vt supra notauimus; vbi benè dicit, quod cum natura quantitatis sit esse diuisibilis in partes integrales, talis natura priùs conuenit materiæ, quàm quantitati, quatenus est præhabens in se materia naturam quantitatis proùt est radix, & causa illius, quasi diceret, quod quantitas participat illam naturam à materia. Quod etiam dixit Auctor tractatus de natura materiæ, & dimẽsionibus interminatis inter opuscula D. Th. opusc. 32. c. 4. & sequentibus. Qui auctor præterquamquod est doctus, videtur in doctrina S. Tho. non parum versatus, & hoc mihi videtur efficacissime probari ratione Caiet., quia generatio subſtantialis terminatur immediatè ad indiuiduum subſtantiale ante resultantiam accidentium: sed in illo priori materia præintelligitur diuisa ab alia materia, ergo, &c.

Cõfirmatur. 88 Confirmatur efficaciùs: Quia potest Deus creare non solum duos homines, sed hominem, & bouem sine quantitate, & alijs accidentibus. Nam si potest separare accidentia à subſtantia, quare non poterit separare subſtantiam ab accidentibus?

89 Dixi autem non solum duos homines, sed hominem, & bouem, ne inuoluerem illam quæstionem: an si Deus separaret quantitatem à duobus indiuiduis subſtantialibus, verè remanerent duo indiuidua. Quidam enim dicunt, quod potest quidẽ Deus separare, sed non manerent indiuidua duo distincta: de qua quæstione paulò post dicemus ad confirmationem ex contrarijs.

90 Sed nunc pono casum, quod Deus à duobus indiuiduis specie differentibus auferret quantitatem, & alia accidentia, ita vt remanerent puræ subſtantiæ, certè illa remanerent distincta, si nõ numero, saltim specie, & essent duæ essentiæ subſtantiales specie distinctæ, sed non possent esse duo specie distincta, nisi essent distincta, & in formis, & in materijs, ergo materia vnius esset distincta, & diuisa à materia alterius: sed illa diuisio duarum materiarum, non esset essentialis, sed integralis, quia secundùm potentialitatem eadem esset vtriusq; materia, ergo esset diuisio materiæ in partes integrales, ergo materia est diuisibilis in partes integrales independenter à quantitate. Oportet igitur vt concedatur materiæ huiusmodi diuisibilitas in partes integrales independenter à quantitate.

Homo, & Bos, amissa quantitate, differũt num. in materijs.

90 Nèc potest dici, quòd supra dicebamus de mente S. Tho. quòd non potest subſtantia completa indiuidua nec re, nec ratione separari à dimensionibus interminatis: quia nũc stamus in vltima determinatione Sãcti Thomæ, in qua non agnoscit huiusmodi dimẽsiones, sed solum agnoscit illam quantitatem, quæ aduenit toti subſtantiæ, & quæ in Sacramento separatur à subſtantia panis, & vini. Sicut ergo potuit quantitatẽ separare à subſtantia illorum, potest quoq; separare subſtantiam ab illorum quantitate. Itaque sine dubio admittenda est huiusmodi diuisibilitas materiæ antecedenter, & independenter à quantitate.

91 Nunc supereſt satisfaciendum principio Peripatetico, & Thomistico, quod subſtantia non est diuisibilis, nisi per quantitatem, ita vt ablata quantitate subſtantia indiuisibilis remaneat, & ad hanc difficultatem respondent nostri Salmanticenses tract. de Princip. Indiuid. disp. 1. n. 98. distinguentes duplicem diuisionem materiæ, alteram in partes subiectiuas, alteram in partes integrales, & entitatiuas. Non immoramur in explicatione prædictarum partium, quia satis sunt notæ etiam dialecticis. Dicunt ergo, quòd materia antecedenter ad quantitatem est diuisibilis in partes

Satis fit principijs Arist. & S. Tho.

N. Salmãticens.

Digitized by Google

ctiuas: Quatenus materia, quæ est sub ista forma, & quæ est sub alia forma, sunt duæ indiuiduales materiæ, de quibus ratio specifica materiæ tanquam quid superius de suis inferioribus prædicatur. At vero materia antecedenter ad quantitatem est indiuisibilis in partes entitatiuas, & integrales.

Diuisio materiæ secũdum partes subiectiuas, & integrales est eadem secũdum rem.

92 Hæc tamen solutio, quamuis præclarè satis explicetur à N. Salmãtic. mihi tamen non satisfacit. Quia multiplicatio materię in partes subiectiuas, & in partes integrales, aut secũdum rem est eadem, differens solum per diuersa connotata, aut est inseparabiliter vna consequenter ad aliam. Quia non potest intelligi materia diuisa in partes subiectiuas, nisi intelligatur diuisa in duas partes consimiles eiusdem totius materiæ, & ita è contra non potest intelligi diuisa in duas partes integrales consimiles, nisi intelligatur diuisa in partes subiectiuas.

93 Et hoc adeò verum est, vt experientia videamus aliquas species plantarum propagari in plura indiuidua per diuisionẽ in partes integrales. Videmus enim vites propagari per palmitum abscissionem, & ideò

S. Aug. Aug. 5. de Gen. ad lit. c. 25. Commendans Diuinam Prouidentiam notat arbores propagari aut semine, aut arathro.

Obiectio. 94 Dices duæ animæ rationales sunt duæ partes subiectiuæ, & non sũt duæ partes integrales, quia animæ rationales sunt incapaces huius diuisionis, nempè alicuius totius in partes integrales, ergo etiam si materia sit diuisibilis in partes subiectiuas, non sequitur vt sit diuisibilis in partes integrales.

Enodatio. 95 Sed hæc instantia non valet, quia duæ animæ rationales non sunt indifferteẽs, vt ex duabus fiat vna anima, & ex vna fiant duæ, sed duæ materiæ possunt facere vnam totalem materiam, vt si ignis simul comburet lignum, & illi inhærentem picẽ, generaretque ex vtraq; materia vnum ignem: & è contra ex vna materia possunt fieri duæ: vt si eiusdem ligni pars igneſceret, pars lapidaſceret.

96 Confirmatur primò nostrum assumptũ ex Doctrina S. Th. 4. contra Gentes c. 65. Quo loco ait: *Vbicumque intelligitur diuersitas partium eiusdem speciei, necesse est intelligi indiuiduationem, nam quæ sunt eiusdem speciei, non multiplicantur, nisi secundum indiuidua, & sola quantitas dimensiua ex sui ratione habet, vnde multiplicatio indiuiduorum in eadem specie potuit accidere.* Qui locus S. Th. eatenùs hic adducitur, quatenus de mente illius apparet, quod eadem est diuisio alicuius totius in partes subiectiuas, & in partes integrales. Nã diuisio quantitatis est in partes integrales, & diuisio speciei in indiuidua est in partes subiectiuas. Vnde cum dicit, quod sola quantitas dimensiua est id, vnde multiplicatio indiuiduorum in eadem specie possit accidere, manifestè docet quod diuisio in partes integrales est eadem cum diuisione in partes subiectiuas, vel sũt omninò inseparabiles. Quomodo autẽ quãtitas sit prima radix istius multiplicationis partim dictum est, partim infra dicetur. S. Tho.

97 Cõfirmatur secũdò, quia Commentat. in *de substantia orbis* ideò posuit dimensiones interminatas in materia ante formam substantialem, vt redderetur materia diuisibilis in partes integrales, quia intelligebat non esse aliã diuisionẽ materię, nisi in partes prædictas in illo priori, & ex eodem fundamento motus fuit S. Th. ad sequendam illius opinionem, & mouentur quotquot ponũt dimensiones, seu quantitatem in materia prima: ergo de mente istorum Philosophorum non potest materia diuidi in partes subiectiuas, quin diuidatur in partes integrales.

98 Concludẽdum est igitur, quod si materia antecedenter ad quantitatem est diuisibilis in partes subiectiuas, vt nostri Salmanticenses concedunt, quod etiam est diuisibilis in partes integrales.

99 So-

Digitized by Google

99 Solum ergo superest respondendum ad propositam difficultatem, sicut dixi à principio, quod principium illud Aristotelis, & S.Th. intelligendum est de totali substãtia, seu de prima substantia, cui accidit immediatè quantitas,& alia accidentia:de hac enim substantia verum est, quod submota quantitate remanet indiuisibilis.

S.Tho. 100 Vnde S.Th. opusc. de Princ. Indiuid. *Ideò materia sub quantitate determinata: dicitur principiũ indiuiduationis,materia enim solaest primum principiũ indiuiduationis quo ad illud, in quo saluatur ratio primi in genere substantiæ,quod tamẽ impossibile est sine corpore, & quantitate reperire. Quantitas autem terminata dicitur principiũ indiuiduationis, non quod aliquo modo causet subiectum suum, quod est prima substantia, sed eam inseparabiliter concomitatur, & determinat eam ad hic,& nunc. Illud ergo, quod cadit sub ratione particulari, est hoc aliquid per naturam materiæ. Quod autem cadit sub sensu exteriori, est per quantitatem.* Vides ergo, quod quantitas non ingreditur Indiuiduationem primæ substantiæ, quatenus est in genere substantiæ.

Prima Obiectio. 101 Quòd si obijcias primò: quia si materia, quæ est pars totius substãtiæ est diuisibilis:ergo non est verum, quod tota substantia est indiuisibilis.

Enodatio. 102 Hæc obiectio non vrget:quia sicut non sequitur ex indiuisibilitate formæ, v.g.animæ rationalis, quod totus homo sit indiuisibilis: ita non sequitur ex diuisibilitate materiæ, quod totum sit diuisibile: sicut ergo bene potest stare, quod totus homo sit diuisibilis, licèt altera illius pars sit indiuisibilis: ita benè stare potest, quod ablata quantitate totum sit indiuisibile, etiã si altera illius pars secundum se sit diuisibilis. Non enim oportet, vt quicquid conuenit partibus, quà partes sunt,refundãt in ipsũ totũ,quod ex ipsis partibus coalescit.

Secunda Obiectio. 103 Nec vrgebis, si objicias secundò, quia propinquior est forma substantialis materiæ, quam quantitas, cum forma substantialis sit primarius actus illius, eique insit immediatè, ac proinde magis participat naturam materiæ, quàm quantitas;si ergo materia habet vi suæ naturæ diuisibilitatem, magis illam communicare debet formæ substantiali, quàm accidentali, ergo ante quantitatem erit non solum diuisibilis materia,sed etiam forma, ac proinde tota substantia ante quantitatem erit diuisibilis in partes integrales, siue entitatiuas, ac proindè adhuc sublata quantitate substantia diuisibilis erit contra Philosophum, & S.Thomam.

Enodatio. 104 Non inquam hæc obiectio vrget: Quia & si forma immediatiùs inest materiæ, quàm quantitas, non propterea forma magis debet participare naturam materiæ, alioquin sequeretur, quòd anima rationalis potiùs deberet participare diuisibilitatem, quàm quantitas. Imò forma substantialis, quatenus forma est, magis repugnat diuisibilitati, tùm quia diuisibilitas est dispositio ad illius corruptionem: tùm etiam quia cum forma sit actus,potiùs suaptè natura tendit ad indiuisionem, seu vnitatem,quàm ad diuisionem, & multiplicationem, & ideò actus separat, hoc est diuidit suum subiectum, & se ipsam ab alijs, quàm quod queat, & appetat diuisionem in se; & ideò forma, vt forma, est ex se indiuisibilis; cuius signum est, quod anima rationalis, quia est in culmine formarum informantium materiam, est penitùs indiuisibilis,etiam,vt est in toto.

Diuisibilitas est dispositio ad corruptionem.

Forma, vt forma, ex se est indiuisibilis.

105 Quòd si aliquæ formæ substantiales propter propinquitatem ad materiam suscipiunt diuisionem, hãc non possunt substinere,nisi ab aliquo accidente disponantur, vt sint diuisibiles;prima autem dispositio est quãtitas,per quam substantia extenditur, & deinde sunt aliq qualitates ad diuisionem disponentes, vt mollitudo, & durities; videmus enim mollia facilè diuidi; dura non sine magna difficultate, sicut Adamas, qui difficilè fran-

Digitized by Google

gitur, & cælum nulla virtute naturali diuidi poteſt.

106 Et hæc eſt ratio à priori, quare ſubmota quantitate ſubſtantia remanet indiuiſibilis, quia ex parte formæ, quæ complet, & perficit ſubſtantiam, diuiſibilitas excluditur quantum fieri poteſt; Sed quia in ſuo eſſe, & operari indiget quantitate eam extendente, & ad extenſionem ſequitur diuiſibilitas in partes integrales, ideò ex neceſſitate ſubſtantia per quantitatem fit diuiſibilis, ſed ex ſe indiuiſibilis eſt, ſicuti ſubſtantia ex ſe renuit qualitates contrarias, ſed propter potentialitatem materiæ eſt receptiua illarum, & ideò contrahit hanc conditionem, vt corruptibilis ſit, ſic, & per quantitatem, quæ eſt proprietas materiæ, ſubſtantia extenditur, ſed hinc fit, vt ſit diuiſibilis, quamuis de ſe ad indiuiſibilitatem tenderet.

Tertia Obiectio. 107 Obijcitur tertiò. Quia id, quod alicui conuenit primò, & per ſe, nulli alteri conuenit, niſi per ipſum, vt patet ex Philoſopho 1. Poſterior. c. 14. Vbi: *Primum dico, cui non per alterum, ſed per ipſum alteri*, ſed diuiſibilitas conuenit quantitati primò, & per ſe, vt omnes Metaphiſici aſſerunt 5. Met. & in Logic. circa prædicamẽtum quantitatis, ergo antecedenter ad quantitatem non poteſt materia eſſe diuiſibilis. Enodatio. Caiet. Bañez. Reſpondetur cum Caiet. 1. p. q. 29. a. 1. & cum Bañez lib. 1. de Gen. c. 4. q. 7. a. 2. ad 2. & 3. quod intelligitur de diuiſibilitate accidentali, quæ eſt de prędicamento quantitatis, non de diuiſibilitate ſubſtantiali, quæ conuenit materiæ ex quo eſt radix quantitatis.

Corollar. 108 Et ex his intelligitur, quid ſit quantitas præhabita in materia, quãdo dicimus cum Caietano, quòd materia, vt præhabet quantitatem eſt principium numericæ multiplicationis; quòd non intelligimus ipſam quantitatem dimenſiuam, quæ eſt accidens de prædicamento quantitatis; ſed intelligimus hanc diuiſibilitatem materiæ, quam habet antecedenter ad quantitatem prædictam; & quam poſſumus appellare quantitatem ſubſtantialem, & quia quantitas dimenſiua conſequitur materiam vt habet hanc diuiſibilitatem, ideò dicitur, quod materia, vt radix quantitatis eſt principium huius multiplicationis, ad ſignificandum, quod hæc diuiſibilitas in partes integrales nõ conuenit materiæ, vt materia eſt, hoc eſt, quatenus eſt potentia pura ad recipiendum actum ſubſtantialem, cum quo componit ſubſtantiam completam. Quia ſi daretur materia ſpiritualis, haberet huiuſmodi potentialitatem, & tamen non haberet hanc diuiſibilitatẽ, quia eſſet omninò indiuiſibilis hoc genere diuiſionis. Vnde hoc genus diuiſibilitatis conuenit materiæ primæ, non quà prima materia eſt, ſed quà corporea eſt, & ad quam ſequitur quantitas dimenſiua, tanquam ad radicem illius.

Quæ ſit quantitas præhabita in materia? Caiet. Quid ſit quantitas ſubſtantialis?

109 Et ideo dicitur, quod materia eſt principium huius multiplicationis numeralis, vt præhabet quantitatem, vel vt radix illius, non quia hoc habeat per ordinem ad quantitatem, tanquam ad aliquid priùs, à quo materia participat hanc diuiſibilitatem, (ſicut dicimus, quod formæ tam ſubſubſtantiales, quàm accidẽtales multiplicantur numero per ordinem ad ſubiectum, tanquam ad aliquid prius, à quo dependet illarum multiplicatio numerica, quia ſi ſubiectum non eſſet multiplicabile numero, neq; ipſæ formæ eſſent numero multiplicabiles): non enim ſic intelligendum eſt, cum dicimus materiam eſſe principium multiplicationis numeralis, vt præhabet, vel vt radix quantitatis; Quia ſic potiùs quantitas eſſet radix, & cauſa diuiſibilitatis materiæ, ſed ordo ad quantitatem intelligitur tãquam ad quid poſterius; in quantum ex diuiſibilitate materiæ quantitas habet eſſe principium diuiſibilitatis accidentariæ, quam participat à materia, in quantum ab ea, tanquam à propria radice, & vt propria paſſio illius proficiſcitur, quam paſſionem, & proprietatem non haberet, ſi materia

Materia, qua corporea eſt, diuiſibilis eſt, & nu. multiplicat.

Digitized by Google

teria esset spiritualis.

Obiectio. 110 Sed dices, si materia est ex se diuisibilis, & istam diuisibilitatem cõmunicat quantitati, vt formam substantialem, & accidentia reddat diuisibilia, potuit ipsa materia immediatè tribuere per se ipsam hanc diuisibilitatem, & formæ substantiali, & cæteris accidentibus independenter à quantitate, ac proinde superflua erit quantitas.

Enodatio. 111 Ad hanc instantiam respondetur, quòd materia non communicat hanc diuisibilitatem quantitati taliter, vt conferre hanc diuisibilitatem sit prima ratio quantitatis; sed prima ratio, primusque effectus illius est extendere substantiam, cui inest, & quia non potest extendere substãtiam, quin disponat illam ad diuisionem, ideò confert simul extensionem, & diuisibilitatem; qui modus diuisibilitatis longè differt à modo diuisibilitatis ipsius materiæ: Quia materia est diuisibilis respectu agentis introducentis formam substantialem, à cuius informatione hæc diuisibilitas reducitur ad actum; Sed diuisibilitas, quam confert quantitas substantiæ non est respectu agentis introducentis per suam actionem formã substantialem, sed per actionem merè accidentalem, & propterea dixi, quòd illa diuisibilitas quam habet materia antecedenter ad quantitatem, potest dici diuisibilitas substantialis; sed illa, quam habet substantia, & materia ratione quantitatis dici debet accidentalis.

1. Ratio quantitatis est actu extendere substantiam.

Materia sine quãtitate est diuisibilis substantialiter.

112 Notandum tamen, quod licèt materia antecedenter ad quãtitatem sit diuisibilis, & ratione istius diuisibilitatis quantitas dimensiua connotatur, vt quid posteriùs diuisibilitate materiæ: attamen quatenus portiones materiæ petunt extendi per tantam quantitatem, sic quantitas connotatur, vt quid priùs: materia enim de se non est extensa formaliter, quia hoc habet à quantitate inhærente toti substantiæ; sed est extensa virtualiter, in quantum hæc portio materiæ petit tanta quantitate extendi. Quod non sic est de illa substantiali diuisibilitate, quia illam habet in se formaliter, & reducitur in actum actualis diuisionis per informationem substantialis formæ independenter à quantitate, vt dictum est, &c.

QVAESTIVNCVLA 6. Eiusque resolutio.

Materia vt diuisibilis, & vt extensa, diuersè connotat quantitatem.

113 Ad secũdum principale, quo ostendebatur per nostram adnotationem supra constitutam destrui illud aliud S. Th. quin, & Aristotelis principium, quod omnis diuisio, quæ sumitur à forma est essentialis, & specifica. Respondemus, quod verum est de diuisione, quæ sumitur primario à forma, non autem de diuisione, quæ sumitur à forma secundariò; insinuat hanc distinct. Ferrar. 2. contra Gent. c. 93. exponendo secundam rationem S. Th. §. *Aduertendum etiam.*

Respõsio ad 2. arg.

QVAESTIVNCVLA 4. Eiusque resolutio.

Ferrar.

114 Pro cuius euidẽtia sciendum est, quod formæ substantiali informãti conuenit duplex diuisio, seu est principium duplicis diuisionis, nempe primariæ, & secundariæ.

115 Diuisio primaria est illa, quæ conuenit formæ, vt forma est, & hanc diuisionem exercet forma circa totã substantiam, quatenus distinguit essentiam ab essentia, & sine dubio, omnis diuisio, quæ sumitur à forma hoc modo, est essentialis.

Omnis diuisio competẽs formæ, vt forma, circa totã substãtiã, est essentialis, & primaria.

116 Altera diuisio est, quam exercet forma circa materiam diuidendo vnam portionẽ materiæ ab alia materia, & hæc non constituit differentiam essentialem, sed solum distinguit, & diuidit indiuiduum ab indiuiduo; Et quod hæc secundaria diuisio attribuenda fit formæ, patet ex eo, quia quælibet forma ex vi suæ naturæ specificæ requirit certam portionem materiæ, vt cum illa possit aliquod totum constituere; Et hoc est fundamentum, quo dicitur à Philosopho, quòd omnes res naturales requirunt certos terminos magnitudinis, & paruitatis. Cum ergo forma substantialis non possit actuare totam massam materiæ, & ex alio capite pro sua informatione requirat certam portionem materiæ. Hinc sequũtur tria.

Diuisio competẽs formæ circa materiam, eã diuidẽdo, nõ est essentialis.

117 Se-

Digitized by Google

117 Sequitur primum, quòd forma informando illam portionem materiæ, quam ex vi sua exigit, diuidat illam portionem ab alia materia. Et hinc dixit Philosophus, quod potiùs forma cõtinet materiam, quàm quod materia contineat formam; quia forma continet sub se tantam materiã, quanta est illi necessaria secundum suam quantitatem informatiuam, & separat illam ab alia materia. Sicut si aliquis hauriat aquam aliquo vase à multa aqua, à lacu, vel à mare, tantã aquam continet vas, quanta est capacitas illius, & illam continendo intra se separat à cęteris aquis lacus, vel maris. Et quidem, quòd proportionali modo forma contineat materiã, sicut aquam continet vas, apparet in morte animalium, siue hominis. Nam existens anima in corpore continet totum illud vnitum, sed separata anima, statim corpus dissoluitur, & resoluitur in partes secundum alias formas, & dispositiones ad illas, sicut confracto vase aqua diffunditur.

Ex diuisione, qua forma diuidit materiam in plures materias, oritur multiplicatio eiusdẽ formę.

118 Sequitur secundò, quod ex ista diuisione, qua forma diuidit vnã portionem materiæ ab alia, nascitur numerica multiplicatio eiusdem formæ, & consequenter etiam substantiæ totalis; nam cum forma introducta in vna portione materiæ separat illam ab alia materia, & cum virtus agentis naturalis non sit exhausta per introductionem præcedentis formæ, sed habeat vim imprimendi consimilem formam in alia materia, sequitur ex ista diuisione multiplicatio numerica materiarum, & formarum, & compositorum ex ipsis consurgentium.

119 Sequitur tertiò, quòd si daretur aliqua forma substantialis, quæ pro sua virtute informatiua requireret totam materiam, quòd non possit multiplicari numero nec ipsa forma, nec compositum ex illa. Patet hoc, quia si virtus informatiua alicuius formæ requireret totam materiam, totam illam actuaret: Vnde non remaneret alia materia, quam agens naturale posset actuare, imprimendo illi formam consimilem, & sic remaneret vnum solum indiuiduum illius perfectionis specificæ, quam forma tribuit toti composito.

120 Et hac ratione philosophatur S. Tho. 2. contra Gent. c. 94. a. 5. S. Tho. *Vnumquodque eorum cælestium indiuiduorum, constat ex tota materia sua speciei.* quare naturaliter non sint possibiles plures Soles; quia nimirum tota materia, quæ est apta recipere formam Solis (supponit enim materiam Solis esse specie diuersam ab alijs materijs etiam cælestibus) est actuata, & completa ab hac vna forma Solis, & ideò Sol cum non habeat materiam, cui possit imprimere suam consimilem formam, fit, vt non sint naturaliter multiplicabiles plures Soles.

Materia Solis specie differt ab alijs materijs cælestib.

121 Et quia Deus potest creare aliam materiam aptam ad recipiendam formam Solis, sic si crearet, posset illi imprimere Sol suam consimilem formam, & tunc essent plures Soles, & tunc diuisio huius materiæ Solis ab altera materia fieret virtute formarum, quia quælibet informaret tãtam materiam, quam ex propria virtute requirit. Quia vt dicit S. Thomas S. Th. Sol de facto vi suæ naturæ, & naturalis exigentiæ nõ potest esse maior, aut minor, quia ab intrinseco requirit tantã magnitudinem, & omnis maior, aut minor magnitudo repugnaret suę naturali perfectioni. Et cũ hæc exigẽtia non possit prouenire à materia, quia de se est indeterminata, necessariò debet prouenire à forma, & sic etiam si apponeretur noua materia, forma Solis non se extenderet ad informationem illius, & sic materiam sibi subiectam separaret ab illa extranea materia; & idipsum dicendũ esset de illa forma informante aliam materiam. Quod si implicaret de potentia Dei posse dari aliam materiam Solis, tunc Sol esset simpliciter numerò immultiplicabilis, & sic patet, quod forma diuidit materiã, & quodammodò confert ad multiplicationem

Sol vi suę naturæ nec minor, nec maior esse potest.

Digitized by Google

nem numericam ſubſtantialem, &c.

Multæ obiectiones ex N. Salmanticenſibus.

122 Multa contra hanc diſtinctionem obijci poſſunt ex noſtris Salmãticenſibus tract. de Princip. Indiuid. diſp.1.dub.1.à n.12. Vbi contendunt probare,quod omnis diſtinctio,& diuiſio, quæ ſumitur à forma ſit eſſentialis, & ſpecifica, & diſtinctionem noſtram impugnare contendunt. Sed quatenus ipſi intendunt oſtendere, quod forma non eſt primum, & radicale principium vnitatis, & multiplicationis numericæ, optimè probant; Sed ſi intendunt excludere,quod aliquo modo forma, non ſit principium huiuſmodi vnitatis, & multiplicationis, prædictæ obiectiones non vrgẽt, nec illis reſpondendis immorandum eſt. Quia ſatis oſtenſum eſt, quod formæ ex hoc, quod ex vi ſua requirunt certas portiones materiæ, verè ſunt aliquo modo principia vnitatis, & multiplicationis numericæ,quamuis non eodem modo vnitatis,& multiplicationis; ſed forma videtur radicale principium vnitatis, materia multiplicationis, vt infra declarabitur.

Reſpond. ad 3.

123 Ad tertium reſpõdetur. Quòd paritas S.Th.inter formã ſubſtantialẽ, & accidentalem eatenùs tenet, quatenùs vtraq; forma indiuiduatur per ordinem ad ſubiectum, cæterum magnum diſcrimen eſt inter formam accidentalem, & ſubſtantialem; quod forma accidentalis ſupponit ſubiectũ perfectè indiuiduatum, quia aduenit primæ ſubſtantiæ, quod eſt indiuiduũ completum in genere ſubſtantiæ; vnde à ſubiecto tanquam à prima radice accipit & vnitatem, & multiplicationem, etenim ex eo, quòd ſubiectũ eſt in ſe indiuiſum,& diuiſum ab omni alio,ſit, vt forma accidentalis, quæ eſt receptibilis in ſubiecto ex hoc, quod eſt receptibilis in hoc,vel in vno illorum ſit indiuiſa in ſe, & diuiſa ab omni alia forma accidentali numero diſtincta, ſi qua dari poteſt, & quia ſubiectum eſt multiplicabile ſecundũ potentiam receptiuam eiuſdem perfectionis ſpecificæ, quam ſecũ affert forma accidentalis,ideò etiam ſubiectum eſt prima radix multiplicationis numericæ.

Forma accidentalis ſupponit ſubiectũ indiuiduatum ſubſtãtialiter.

124 At forma ſubſtantialis non aduenit ſubiecto perfectè indiuiduato. Quia ad perfectam indiuiduationem materiæ requiritur, vt ſit actu indiuiſa in ſe, & actu diuiſa ab omni alia, & materia de ſe nõ habet principium huius actualis diuiſionis, ſed exhibet ſe ſolum diuiſibilem, vnde dicitur,quod eſt vna, & multiplex negatiuè, ideſt, de ſe eſt indifferens, vt ſit diuiſa,vel indiuiſa; ideò, vt ſit poſitiuè & completè vna, vel multiplex requirit formas, à quibus prout eſt ſub illis ſit poſitiuè indiuiſa, & diuiſa. Quatenus quælibet forma continet ſuam materiam ſub ſe indiuiſam, & diuiſam ab omni alia, &c.

Materia de ſe eſt vna, & multiplex negatiuè; poſitiuè eſt à forma.

125 Ad quartum reſpondetur, quòd ſicut non eſt inconueniens formam, & materiam eſſe ſibi inuicem cauſas, ita neque eſt inconueniens, vt ſint ſibi inuicẽ indiuiduationis principia: materia quidem quantum ad multiplicationem, forma vero quantum ad vnitatem,prout mox declarabitur.

Reſpond. ad 4.

Præcluduntur quorundam ſolutiones, quibus eneruare conantur efficaciſſimas rationes à nobis allatas pro quarta noſtra notatione confirmanda

126 ADuertendum, quòd rationes, quas pro adnotatione noſtra confirmanda adduximus,quia nimirum ſi materia non eſſet ex ſe diuiſibilis, ſed à quantitate ſequeretur, quòd aliquid accidentale ingrederetur eſſentialiter indiuiduationem primæ ſubſtantiæ, & quòd nõ poſſet Deus ſeparare quantitatem à duobus indiuiduis, manentibus duobus indiuidualiter diſtinctis, quia ſi hanc diuiſibilitatem haberet materia à quantitate, vtique tanquam à forma intrinſeca,& inhærente,eſſet enim intrinſecus effectus formalis illius. Iſtæ, inquam, rationes, quamuis re ipſa

Capreol. ipsa vim habeant, attamen Capreolus recitat aliquas illarum solutiones, quæ expendendæ sunt, vt illarum vis apparat efficacior.

127 Ad primam ergo rationem respondent aliqui, quòd etsi indiuiduum substantiæ non constituitur intrinsecè, & formaliter per accidens, qualis est quantitas, tamẽ non est inconueniens, quod aliquod accidens sit necessarium ad indiuiduationem, tanquam conditio, & dispositio sine qua principia substantia indiuiduantia, non possent constituere indiuiduum, sicut materia, & forma non possunt constituere compositum substantiale, nisi præcedant dispositiones; & tamen accidentia disponentia non pertinent ad compositum substantiale. Ita in proposito: materia, vt diuisibilis, & forma vt diuidẽs, concurrunt ad constitutionem indiuidui substantialis, licèt materia reddatur diuisibilis à quantitate. Vnde quantitas solum in obliquo, per modum dispositionis disponentis materiam ad diuisionem pertinet ad indiuiduationem.

Contra 1. nostrã rationẽ inuasio.

QVAESTIVNCVLA 8.

128 Hoc autem non est inconueniens, quòd indiuiduatio substantialis connotet in obliquo aliquod accidens, & per modum dispositionis, ergo non est absurdum asserere, quod materia habeat diuisibilitatem à quãtitate, & nihilominus, vt diuisibilis sit principium indiuiduationis. Hæc solutio tribuitur Capreolo in 2. dist. 3. q. 1. a. 3. a. ad 4. Scoti contr. 2. concluſ. Vbi etiam affert loca S. Tho. ex 3.par.

129 Nihilominus hæc solutio nõ valet. Primùm quidem ex discrimine sæpiùs repetito de mente S. Thomæ, quia in hoc differt substantia ab accidente, quod substantia indiuiduatur absolutè ex proprijs, & intrinsecis principijs, accidens vero respectiuè per ordinem ad substantiam, ergo principia indiuiduantia substantiam nullum ordinem, siue connotationem dicunt ad aliquod accidens; aliàs sicut accidens indiuiduaretur per ordinem ad substantiam, ita substantia per ordinem ad accidens.

1. Præclusio inuasionis.

130 Secundò, quia prima substãtia cum sit primum subiectum omniũ accidentium, re, & ratione debet præcedere in suo esse indiuiduali omne accidens, ergo neq; vt in obliquo, & cõnotatũ potest accidens aliquem cõcursum præbere ad indiuiduationem primæ substantiæ, & sit patet, quòd responsio non eneruat vim rationis.

2. Præclusio inuasionis.

Resolutio quæst. 8.

131 Neque Capreolus si benè legatur illam solutionem prosequitur, quia solum dicit, quod quantitas est secundarium principium indiuiduationis quantum ad diuisionem, & determinationem sensibilem, quomodo materia physica dicitur, quia non cõsideratur sine aliquo sensibili accidente, vt patet ex responsionibus ad alia Scoti argumenta, sed illam solutionem ibi adhibuit, quia enim multipliciter poterat illud argumentum solui, multas ibi solutiones profert.

Capreol. 3. Præclusio.

Capreol. S. Tho. Bañez.

132 Nec locum adductũ ex S. Th. ideò Capreolus retulit, quia crederet inde efficaciter probari, sed solum quia poterat solum probabiliter inde confirmari. Quid autem illo loco 3. p. q. 2. a. 3. ad 3. intenderit S. Th. benè declarat Bañez lib. 1. de Gen. a. 4. de augument. q. 3. Notat. 6. ante art. 1. quod S. Th. cum dixit, quod in rebus creatis res aliqua singularis non ponitur in genere, vel in specie ratione eius, quod pertinet ad indiuiduationem, sed ratione naturæ, quæ secundum formam determinatur, cum indiuiduatio magis sit secundum materiam in rebus compositis. Quorum verborum sensus est, quòd in rebus creatis aliud est poni in genere, vel in specie, aliud poni sub specie, & primum quidem conuenit ratione naturæ, & formæ, secundum ratione materiæ, quod totum quidem verissimũ est, sed hinc non sequitur, quod sit aliquod accidens, sed ipsam solam materiam, &c.

In rebus creatis aliud est poni in genere, aut in specie; aliud poni sub specie.

133 Ad secundam rationem dicit Capreolus ad 2. Scoti, quod vtrum Deus possit facere hominem sine quan-

Contra 2. nostrã rationẽ inuasio. Capreol.

quantitate, multi dubitant, & rursus posito quod substantia Sortis esset separata ab omni quantitate, vtrum esset idem numero, qui priùs, adhuc nonnulli dubitant.

134 Sed certè istæ dubitationes ex Eucharistico Mysterio facilè resoluuntur. Primum quidem patet, quia sicut de facto separatur quãtitas à substantia panis, & vini, manente quantitate, & desinente panis, vinique substantia: ita è contra potest remanere substantia desinente quantitate: nisi forte dicas cum Nominalibus, quod quantitas non est speciale accidens, re ipsa distinctum à substantia, & ab accidentibus quãtis, sed quælibet res materialis siue sit substantialis, siue accidentalis se ipsa est quanta. At hæc sententia communiter reijcitur à Philosophis, & Theologis.

Impugnãtur Nominales.

135 Quod spectat ad secundum, facilè respondetur, quòd substantialiter vtique remaneret idem numero, quamuis non accidentaliter, & ita tenet Capreolus ibidem, Henric. quodlib. 2. q. 8. & cæteri recentiores: Vnde patet, quòd ratio illa est benè fundata, & probat efficaciter nostram notationem.

Capreol. Henricus.

NOTATIO V.

Proportionatur materia, & forma. Nempè materia est primum principium numericæ multiplicationis formæ: forma verò est principium numericæ vnitatis materiæ.

Notatio 5.

136 NOta quinto: Proportionando materiam, & formam, dico, quòd materia est principium primum numericæ multiplicationis formæ: forma vero est principium numericæ vnitatis materiæ. Hęc notatio sequitur ex dictis, & quidem, quod forma sit principium vnitatis materiæ inde patet. Quia illud est principium vnitatis, quod est principium, quare res sit indiuisa in se, & diuisa à qualibet alia, vt per se patet; Sed forma est principium, quare hęc numero materia sit indiuisa in se, & sit diuisa ab alia: vt supra declaratum est: quandoquidem forma, cum ex vi suæ formalis perfectionis sit commẽsurata cum tanta materia, informando illam, vnit sub se tantam materiam, & ab alia secernit, ergo forma est principium vnitatis materiæ.

137 Confirmatur, quia illud est principium vnitatis alicuius rei, quod est principium existentiæ rei. Quia, vt inquit S. Th. quæst. vnic. de anima, a. 1. ad 2. *Vnumquodq; secundum idem habet esse, & indiuiduationem.* Et 1. p. q. 76. a. 2. ad 2. *Vnumquodque*, inquit, *hoc modo habet vnitatem, quo habet esse*, vnde à quo res habet esse, ab eo habet esse vnum, quia ens, & vnum conuertuntur. Sed principium essendi materiæ est forma, quia forma est, quæ dat esse rei, ergo forma est principium vnitatis materiæ.

Cõfirmat.

Forma dat esse, & vnitatẽ materiæ.

138 Quòd deinde materia sit principium multiplicationis formæ probatur: quia vt dictum est supra in tantum formæ multiplicantur numero, in quantum potentialitas materię per hoc, quod recipit hanc formam in specie, non expletur, sed adhuc potest ab agente potentialitas materiæ perfici per consimilem formam, ergo multiplicatio numerica formarum oritur ex materia.

139 Confirmatur primò, quia ideò species cælestes de facto non multiplicantur numero secundum Philosophum, & S. Thomam (quod etiam admittit Henric. Gand. quod lib. 2. q. 8.) Quia tota materia commẽsurata formæ Vnius actu, nempè Solis, aut Lunæ est completa per vnam formam in ea receptam, & ideò, quia non datur alia materia receptiua, nõ datur alia forma receptibilis, & consequenter nec aliud indiuiduum consimile eiusdem speciei, ergo materia est principium multiplicationis formarum.

1. Confir.

Arist. S. Tho. Henric.

140 Confirmatur secundò, quia ita se habet materia ad formam, secũdum considerationem physicam, si-

2. Confir.

Digitized by Google

cut genus ad differentiam ſecundum conſiderationem Logicam, vel Metaphyſicam; ſed differentia eſt principium materialis vnitatis naturæ genericæ prout eſt in iſta ſpecie: quia per differentiam ſpecificam natura generica, quaſi materia, eſt indiuiſa in ſe, & diuiſa à ſe ipſa quatenus eſt in alia ſpecie. Natura enim ſenſitiua hominis à natura ſenſitiua equi eſt materialiter diuiſa per differentiam ſpecificam hominis, & equi; vnde vnitas materialis naturæ genericę eſt à differentia. Rurſus multiplicationis differentiarum ſub eadem natura generica principiũ eſt ipſamet generica natura, quia cum vna differentia non poſſit adæquare totam potentialitatem, & perfectibilitatem ipſius genericæ naturæ: (natura enim ſenſitiua, v. gr. poteſt diuersimodè modificari & perfici per diuerſas differentias,) hinc fit, vt multæ differentiæ ordinentur ad perficiendum eandem genericam naturam, ergo similiter forma eſt principium vnitatis materiæ, & viciſſim materia eſt principium multiplicationis formarum.

Differentiæ ſpecificæ dant vnitatem, & multiplicationẽ num. naturæ gener.

141 Confirmatur tertiò ex differentia inter actum, & potentiam; quia actus de ſe tendit ad vnitatem, & ideò dicit Philoſophus, quòd actus eſt, qui determinat, & diſtinguit vnũ ab alio: potentia vero cum ſit indeterminata tendit ad multiplicationẽ, & ideò dicit S. Th. quæſt. 8. de verit. a. 10. *Potentia, quæ ad multa ſe habet, determinatur ad vnum per actum: vnde forma, & actus inuenitur eſſe principiũ vnionis: ſed potentia inuenitur eſſe principium multiplicationis, & diuiſionis.* Sed materia eſt in potentia ad multas formas, ergo multiplicatio formarum eſt à materia: vnitas materiæ eſt à forma.

3. Confir.

Ariſt.

Actus determinat, & diſtinguit: potẽtia multiplicat. S. Tho.

Proponitur primum argumentum cum duabus ſuis confirmationibus contra quintam noſtram Notationem, & pro eorum facili ſolutione reponuntur duo vrgentiſſima prænotanda.

142 CONtra iſtam notationem ſunt multa, quæ obijci poſſunt, & primum arguitur cõtra id, quod dicitur, materiã eſſe principium multiplicationis formarũ. Quia multiplicatio naſcitur ex diuiſione; eſt enim multitudo collectio pluriũ vnitatũ diſtinctarũ inter ſe, & ideò in rebus quãtis multitudo conſurgit ex diuiſione cõtinui, & cõſtituit quantitatem diſcretam, ſed idem eſt principiũ indiuiſionis in ſe, & diuiſionis ab alio, (& ideò dicitur, quod idem eſt principium conſtitutiuum, & diuiſiuum,) ergo idem eſt principium vnitatis, & multitudinis, ac proindè ſi forma eſt principium vnitatis, eſt etiam principium multitudinis, & è contra ſi materia eſt principium mukitudinis, eſt etiam principium vnitatis, ergo non poteſt dici, quod forma ſit principium numericæ vnitatis materiæ, & quod materia ſit principium numericæ multiplicationis formarum.

Soluũtur arg. cõtra iſtã 5. notationem.

1. Argum.

143 Confirmatur primò, quia vt dictum eſt, ita ſe habet natura cõmunis ad differentiam, ſicut materia ad formam: ſed natura communis de ſe eſt vna, & per differentias multiplicatur in plures ſpecies, ergo etiam materia de ſe eſt vna, & per formas multiplicatur in plura indiuidua.

1. Confir.

144 Confirmatur ſecundò, quia hæc adnotatio contradicit præcedenti, vbi dictum eſt, quòd forma eſt principium multiplicationis materiæ, hic autem dicitur, quod materia eſt principium multiplicationis formarum, ergo contradictio eſt.

2. Confir.

145 Ad hoc argumentum reſpondetur conceſſa maiori, diſtinguendo minorẽ in qua dicitur, quod idem eſt principium indiuiſionis in ſe, & diuiſionis ab alio, ſi loquamur de diuiſione,

Reſp. ad 1. argum.

Digitized by Google

ne, quæ pertinet ad complementum vnitatis: Nam primum, quod pertinet ad vnitatem, est indiuisio in se, quod pertinet ad complementum vnitatis est diuisio ab alio, & sic concedo minorem; si loquamur de diuisione, quæ formaliter constituit multitudinem, & sic nego minorem: Non enim est idem principium vnitatis, & multitudinis. Et quia in hac distinctione benè intellecta consistit tota ista materia de principio vnitatis, & multitudinis numericæ, quam quia aliqui non aduertunt, confundentes vnum principium cum alio, ideò graues difficultates patiuntur sectantes opinionem Aristotelis, & S. Th. de principio indiuiduationis, qua propter diligenter dicta distinctio explicanda est.

Arist. S.Th.

1. Prænotatum. Duo sunt principia cuiusuis multiplicationis scilicet remotum, & proximum.

146 Sciendum est igitur primò, quod principium multiplicationis siue in partes subiectiuas, vt est diuisio naturæ communis in plures species, siue in partes integrales, vt diuisio continui, ad quam reducitur diuisio speciei in indiuidua (vt postea explicabimus) duplex est, aliud radicale, & remotum, aliud proximum, & actuale.

147 Principium radicale, & remotum est ipsum diuisum, quod multiplicatur quatenùs est capax diuisionis, seu quatenus est diuisibile; nisi enim ipsum diuisum esset diuisibile, non posset multiplicari in suas partes, & ideò punctum non est multiplicabile in partes, quia est indiuisibile, & natura communis multiplicatur in plures partes subiectiuas, quia est diuisibilis: si enim natura communis non esset diuisibilis, nõ esset multiplicabilis, sicut Natura Diuina etiã si sit communis tribus personis, tamẽ non est multiplicabilis ad multiplicationem suppositorum, quia de se indiuisibilis est, unde non quia sunt tria supposita sunt tres Dij. Igitur multiplicatio tanquam à prima radice nascitur à diuisibilitate illius rei, quæ multiplicatur, eo genere diuisibilitatis, quo est multiplicabilis in partes,

Quale sit principiũ remotum numer. multipli. cationis.

vel subiectiuas, vel integrales; & ideò illud, quod sic diuisibile est habere debet pro principio radicali ipsius multiplicationis.

Quod sit principiũ proximũ multiplicationis numer.

148 Proximum autem principium est illud, quo formaliter hæc diuisibilitas reducitur ad actum; res enim de se actu indiuisa, sed aptitudine diuisibilis, debet multiplicari per ea, quæ reddunt rem in se indiuisam, actu diuisam, & ita natura communis cum sit de se indiuisa, & vna vnitate formali, fit actu materialiter multiplex per differentias contrahẽtes, & determinãtes illam ad diuersas species, seu partes subiectiuas, & sic proxima principia multiplicationis sunt differentiæ diuidentes, sed radicale, & remotum est ipsa natura, quæ multiplicatur, & dicitur principium radicale, siue initiatiuũ, quia ab illa diuisibilitate rei, incipit multiplicatio, seu potiùs inde incipit possibilitas multiplicationis. Dicitur principiũ remotum, quia sicut causa remota dicitur illa, sine qua effectus non fit: non tamen qua posita continuò effectus fit. Ita si res non esset diuisibilis, sine dubio nõ multiplicaretur, nec esset multiplicabilis, quia idem est in præsenti rem esse diuisibilem, & esse multiplicabilem, non tamen posita diuisibilitate, & multiplicabilitate rei, statim ponitur actualis diuisio, & actualis multiplicatio, & ideò oportet ponere aliud principium, seu alia principia, quibus actu diuiditur, actuque multiplicatur.

A sola causa remota non fit res; at sine illa res nõ fit.

149 Sciendum est secundò, quod non hoc ipso, quod ponitur principiũ vnitatis quo aliquid est actu indiuisum in se, & diuisum ab alio, statim ponitur multiplicatio; aliàs sequeretur quod posita vna vnitate deberet poni altera sibi condiuisa, quia si hoc ipso, quòd vnum est diuisum ab alio, debet poni aliud, illud aliud debet esse condiuisum ab hoc vno in eo, in quo opponuntur, & sic inferret alterum condiuisum. Sicut quia rationale diuidit hominem à bruto, debet brutum esse condiuisum ab homine

2. Prænotatum.

Vnitas facit rẽ indiuisã in se, & diuisam ab alia, sed non ponit aliam rem condiuisam, seu non multiplicat.

Digitized by Google

ſecundum oppoſitionem, quàm habent ad inuicem. Non enim rationale diuidit hominem à bruto ſecũdum quod animal, ſecundum quam rationem oppoſitionem non habent, ſed ſecundũ quod brutum, & irrationale eſt. Sequela autem eſt falſa; Quia Sol non eſſet vnus, ſed deberet poni alius Sol. Nam Sol, qui de facto eſt vnus ſingularis eſt indiuiſus in ſe, & diuiſus ab omni alio Sole.

Obiectio. 150 Dices non diuidit ab alio Sole, qui actu eſt, ſed ab alio Sole, qui eſſet.

Enodatio. 151 Sed hæc reſponſio non valet: quia Sol hic ſingularis de facto eſt vnus indiuiduus Sol, quia eſt actu indiuiſus à ſe, & actu eſt diuiſus ab alio Sole, ergo ad hanc actualem diuiſionem ab alio Sole deberet actu poni alius Sol, à quo actu diuideretur. Prętera Deus eſt vnus, ſi ergo ad vnitatem ſequitur multitudo, ſeu alia vnitas cõdiuiſa actualis, vel poſſibilis, ſequeretur quòd aut de facto, aut ſaltem eſſet poſſibilis alius Deus, quod impium, & hæreticum eſt, nõ ergo ad vnitatem ſequitur multitudo, ſeu multiplicatio etiam ſi principium vnitatis conſtituat vnum indiuiſum in ſe, & diuisũ ab alio, & propterea S. Th. etiã ſi concedat indiuiduum Angelicum nõ propterea ſub eadem ſpecie concedit aliud indiuiduum condiuiſum ab illo in ratione indiuiduali nec de facto, nec de poſſibili, & ideò illam propoſitionem, qua dicitur vnum eſt, quod in ſe eſt indiuiſum, & diuiſum ab alio Capreolus limitat dicens, diuiſum ab alio ſi quod eſt, aut poſſibile eſt eſſe, ſignificans quod vnum quod ex ſe eſt, eſſet diuisũ ab alio ſibi cõdiuiſo ex hypotheſi ſi daretur, aut poſſet dari; non autem quod ex ſe poſtulet aliud condiuiſum aut de facto, aut de poſſibili. Itaque principium vnitatis nec directè, nec indirectè eſt principium multiplicationis.

Ad vnitatem non ſequitur multiplicatio ſub eadẽ ſpecie.

S. Tho.

Quis ſit sẽſus: vnũ eſſe indiuiſum in ſe, & diuiſum ab alio.

Capreol.

Principiũ vnitatis vllo modo eſt prĩcipium multiplicationis.

152 Ex his apparet quam ſit fundata ratio noſtræ diſtinctionis adhibitæ ad minorem, quod principium vnitatis eſt principium illius diuiſionis, quæ pertinet ad complementum vnitatis, non autem eſt, vt ſit principium diuiſionis, quæ conſtituit multitudinem, & ſic licèt forma ſit principium vnitatis materiæ, nõ propterea eſt principium multiplicationis materiæ; quia ſi vna forma expleret totam materiam, ſicut ſupra de mente Philoſophi, & S. Thomæ dicebamus de forma Solis, vtique illa materia, vt continetur à forma Solis, eſt indiuiſa in ſe, & diuiſa ab omni alia conſimili materia, & tamen actu non datur alia materia, quæ per formam Solis multiplicetur, & ſi alia materia eſſet impoſſibilis, ſicut Philoſophi exiſtimarunt, qui nihil aliud à Deo fieri poſſe exiſtimabant, præter id, quod factum eſt, præſertim circa corporea cæleſtia, nihilominùs eſſet vna materia ſub forma Solis, ſicut de facto eſt. Igitur non hoc ipſo, quòd forma dat vnitatem materiæ, & ex vi ſuę informationis facit illam indiuiſam in ſe, & diuiſam ab alia, hoc ipſo multiplicat materiã; & ſimiliter differentia non hoc ipſo, quod intelligitur afficere naturam communẽ, illam multiplicat, etiam ſi illa natura, quam intelligitur afficere, ſit in ſe indiuiſa, & diuiſa ab alia.

Ariſt. D.Th.

153 Et ideò oportet aſſignare aliud principium multiplicationis à principio vnitatis, & hoc principium eſt indeterminatio materiæ, & determinatio formę, ſeu vt generatim loquamur cum S. Thoma ſupra allegata q. 8. de verit. a. 10. eſt indeterminatio potentiæ, & determinatio actus. Nam cum forma vt actus ſecundum ſuam determinatam naturam nõ adæquet totam potentialitatem materiæ, reſtat vt materia ſit determinabilis per alium actũ aut ſpecie, aut numero diſtinctum. Quia agẽs, quòd impreſſit primã formam, & primum actum materiæ poteſt adhuc alteri materiæ imprimere formam actumque cõſimilem, & hinc naſcitur multiplicatio materiæ, ac proinde etiam formarum, & actuum. Vnde ipſa materia quatenus eſt diuiſibilis, & multiplicabilis eſt radicale,

Indeterminatio materiæ, & determinatio formæ eſt principiũ multiplicationis.

S. Th.

& fun-

Digitized by Google

& fundamentale principium multiplicationis numericæ; Nam ipsa materia multiplicatur vniformiter, & ex hac multiplicabilitate materiæ sequitur, vt formæ etiam vniformiter multiplicari possint, prout idem agens potest secundum eandem formam agere in duas portiones materiæ inter se distinctas, & diuisas; & eadem ratio est de natura communi prout multiplicatur per differentias. Quia non ipsę differentiæ sunt prima radix, & primum principium huius multiplicationis, sed est ipsa potentialitas naturæ communis, quæ per vnam determinatam differentiam non potest adæquatè expleri, & ideò capax est vt per aliam differentiam perficiatur, quæ indeterminatio potentialis aut materiæ, aut naturæ communis si nō esset, nec materia, nec natura cōmunis esset multiplicabilis; & ita apparet quod ex potentialitate indeterminata materiæ, aut naturæ communis, & ex limitatione, & determinatione actus, nempe aut formæ, vel differentiæ nascitur multiplicatio materię, vel naturæ, & consequenter etiam compositorum, quæ ex illis coalescunt.

Prima radix multiplicandi naturam communem, est sua potētialitas, & non differentiæ.

154 Et per hæc patet ad argumētum, quod non sequitur, si forma est principium vnitatis materiæ, sit etiam principium multiplicationis eius: neq; si materia est principium multiplicationis, sit etiam principiū vnitatis, &c.

Respōsio ad 1. arg.

155 Et per hæc satis fit etiam ad primam confirmationem.

Resp. ad 1. Confir.

156 Ad secundam confirmationē respondetur, quod hæc nostra adnotatio quinta non contradicit præcedenti. Quia hic agimus de principio primo, & radicali vnitatis, & multiplicationis, nō autem de quocumq; principio, & sic dicimus, quod radicale principium vnitatis materię est forma, quia materia de se nec est diuisa, nec indiuisa, sed præcisè est materia, & à forma accipit vt sit indiuisa in se, & diuisa ab alia materia. Sic è contra dicimus, quod principium radicale multiplicationis formarum est materia, quia ex hoc, quod materia est diuisibilis, & multiplicabilis nascitur, quod sint multiplicabiles formę in ea receptibiles. Nam si non esset diuisibilis, nec multiplicabilis neque essent multiplicabiles formæ. Cum hoc tamen stat, quod materia sit quodāmodo multiplicabilis per formam, nam nisi essent formæ actu diuidentes materiam, non posset materia multiplicari, & cum hoc tamen stat, quod materia quodammodo det vnitatem formæ: quia ex hoc vna forma est distincta numero ab alia, quia est commensurata cum hac materia, & illa cum alia prout infra luculentius explicabitur.

Materia de se nec est indiuisa in se, nec est diuisa ab alia materia.

Reponitur secundum argumentum cum triplici confirmatione contra eandem quintam nostram Notationem, & eorumdem Enodatio.

157 SEcundò principaliter arguitur contra id, quod dicitur formā esse principium vnitatis materiæ. Quia materia, vt præsupponitur ad receptionem formæ præsupponitur cum sua vnitate numerica; est enim vna, & singularis: tum quia omne ens à parte rei existens, est singulare: tum etiam quia agens imprimendo formam materiæ non agit circa materiā in communi, sed circa materiam singularem. Nam vt dicit Philosophus 1. Met. c. 2. Actiones in singularibus, & circa singularia sunt. Ergo materia non constituitur vna vnitate numerica, & singulari per ipsā formam informantem.

2. Argum.

Arist.

158 Confirmatur primò, quia aut materia indiuiduatur solum per ordinem ad formam, aut indiuiduatur per actualem formæ informationem. Nō primum, quia si indiuiduaretur per ordinem ad formam, deberet indiuiduari per ordinem ad hanc formam determinatam, nam principium indiuiduationis debet esse determinatum, & indiuiduum; sed hæc numero materia quantumuis determinata, & signata, respicit plures formas, & specie, & numero distinctas; quia à quocumque

1. Confir.

Digitized by Google

cumque agente potest reduci ad actũ inductione alicuius formæ, ergo non potest materia indiuiduari per ordinem ad formam; neque per actualem informationem, quia sequeretur, quod vnitas materiæ esset variabilis; nam cum materia possit transire de forma ad formam, mutaret suam vnitatem pro diuersa formarum informatione. At vnitas rei est inuariabilis, quia vnitas consequitur entitatem rei, ergo neq; materia potest indiuiduari à forma actu informante.

2. Confir. 159 Confirmatur secundò, vt est à nobis supra assumptum. Ita se habet natura communis ad differentias, sicut se habet materia ad formas, sed natura communis præsupponitur ad differentias cum sua vnitate formali, & solum per differentias multiplicatur, ergo etiam materia præsupponitur ad formas cum sua unitate numerica, & solum per formas multiplicatur.

3. Confir. 160 Confirmatur tertiò, quia materia eadem numero est geniti, & corrupti, & tamen non est eadem forma geniti, & corrupti, ergo materia habet suam vnitatem numericam independẽter ab omni forma.

Respond. ad 2. Arg. 161 Ad secundum argumentum respondetur, quòd quamuis omne ens sit vnum, non tamen eodem modo. Alius est enim modus vnitatis entis increati, alius est modus vnitatis entis creati: rursus alius est modus vnitatis entium immaterialium, alius est modus vnitatis entium materialium. Cum ergo materia prima sit ens imperfectissimum, habet imperfectissimum modum vnitatis: est autem modus vnitatis, & multiplicationis illius ad modum vnitatis, & multiplicationis continui; imò ipsa est prima radix talis modi vnitatis, & multiplicationis. Sicut ergo vnitas continui est variabilis, nam quod est vnum numero continuum, diuisione fit duo, & vnione ex duobus fit vnum, ita etiã materia. Vnde in materia oportet distinguere duplicem vnitatem numericam; alteram negatiuam, quatenus de se non est diuisa; alteram positiuam, quatenus est indiuisa habens in se principium intrinsecum suæ indiuisionis. Non enim sufficit ad vnitatem positiuam, vt res non sit diuisa, sed vt sit indiuisa, ideſt, vt habeat principium intrinsecum suæ indiuisionis.

Quæ sit duplex vnitas negatiua, & positiua in materia.

162 Ad argumentum igitur respondetur, quod materia quatenus præsupponitur ad formam, præsupponitur cũ sua vnitate negatiua, sed per formam completur illius vnitas, & fit vna num. positiuè. Quia vt dictum est supra ex S. Th. forma tendit ad vnionem, & refugit diuisionem, & ideò forma continet sub se vnitam tãtam materiam, & quantùm ex se est respuit diuisionem, cum diuisio tendat ad illius corruptionem. S. Tho.

Obiectio. 163 Sed dices, accipiamus duas materias sub duabus formis inter se tamen indistantes, & separemus ab illis suas formas, vel ille duæ materiæ identificantur inter se, vel remanent duæ num. distinctæ; primum dici non potest, quia sequeretur, quòd duę entitates reales antea inter se numero distinctæ possent identificari, quod est falsum, quia semper vnaquæque entitas retinet suam vnitatem. Si dicatur secundum, habetur intentum, quia iam remanerent distinctæ inter se independenter à formis. Igitur independenter à forma materia habet suam vnitatem numericam.

Enodatio. 164 Ad hanc instantiam respondetur. Quòd illę duæ materiæ identificarentur inter se, & fieret vna numero materia, vnitate tamen negatiua. Neque hoc est mirandum, quia hoc genus vnitatis, & multiplicationis materialis habet hanc proprietatem, ut vnũ possit fieri multa, & multa possint fieri vnum. Nec est de hac vnitate eodem modo philosophandum, sicut de alijs vnitatibus transcẽdentalibus formalibus.

Submotis formis à multis materijs, hæ identificarẽtur, & essent vna vnitate negatiua.

165 Et hoc perspicuum fiet, si attendamus, quare duę entitates formaliter distinctæ non possunt identificari inter se; & ratio est, quia principia

pia diuidentia, nempè differentiæ nõ possunt separari ab entitatibus, quas diuidunt; v.g. Natura sensitiua diuisa in homine, & equo, ideò non potest identificari, quia principia diuidentia, quæ sunt differentiæ constituentes naturã hominis, & equi, sunt ita coniuncta cũ ipsa natura, quam diuidũt, ut nullatenùs possit natura diuisa separari à sua differentia diuidente, vel quia differentiæ secundum rem identificantur cum natura, quam diuidunt, vt asserunt Thomistæ, vel esto sint ante intellectum distinctæ, tales tamen sunt, vt ne Diuina Potentia possint separari, vt asserunt Scotistæ.

Differentiæ secundum rem identificãtur cum natura, quam diuidunt.

166 At si sicut abstractione intellectus separamus naturam diuisam à suis differentijs diuidentibus, ita possit separari à parte rei, posseruque dari illa natura sine differẽtijs diuidẽtibus; profectò ex illis duabus naturis fieret vna natura, sicut fit operatione intellectus: nõ quidẽ vnitate positiua, quia non haberet repugnantiã ad diuisionem, de se enim esset diuisibilis, sed vnitate negatiua, quia non esset diuisa, & ideò in illa natura esset consideranda duplex vnitas; alia positiua, & formalis, alia negatiua, & materialis. Positiua, & formalis esset illa, quam haberet illa natura, quatenus esset constituta per suam propriam differentiam, v.g. natura sensitiua per esse sensitiuum esset positiuè; & formaliter vna condiuisa à natura insensitiua, & sic esset positiuè indiuisa in se, in quantum sensitiua, & diuisa ab insẽsitiua. Sed quatenus esset in potentia ad diuisionem in plures species per differentias superadditas, esset vna negatiuè, quia vt sic non diceret positiuam indiuisionem, nam vt sic repugnaret diuisioni, sed præcisam negationem diuisionis.

167 Quod autem dicimus de natura communi ex hypothesi, hoc dicimus absolutè de vnitate materiæ primæ, quia quod faciunt de facto differentiæ circa illam naturam communem, & eueniret, si differentiæ diuidẽtes essent separabiles secundum rem ab illa communi natura, hoc de facto faciunt formæ circa vnitatem, & diuisionem materiæ primæ, quia principium vnitatis, quare materia prima sit positiuè indiuisa in se, & diuisa ab alia materia est forma, vt declaratum est.

168 Vnde in casu proposito, quo seclusis formis, ex duabus materijs fieret vna: dico, quod illa materia haberet duas vnitates, vnam formalem, alteram materialem, vnam positiuã, alteram negatiuam: haberet vnitatem formalem, & positiuã in ratione materiæ, quia esset essentialiter diuersa ab alia materia, vt secundum mẽtem Philosophi, & S. Thomæ differt materia elementaris, à materia cælesti, haberet vnitatem materialem, & negatiuam, quia non esset diuisa in plures materias eiusdem speciei non tamen esset indiuisa, quia in se non haberet indiuisionis positiuum principiũ, sed solum negationem diuisionis, &c. Et sic patet, quod aliter philosophandum est de vnitate, & distinctione formali, aliter de vnitate, & distinctione materiali, quia quæ sunt præcisè materialiter diuisa, & indiuisa, habent de se vnitatem, & distinctionẽ negatiuam, & indifferentia sunt, vt diuidantur, & identificentur: quę autem sunt formaliter diuisa, & indiuisa, semel diuisa non possunt identificari, & semel indiuisa, vt sic non possunt distingui, & per hæc sufficienter patet ad instantiam allatam.

Materia, remota forma, habet vnitatẽ formalem positiuã, materialem negatiu. S. Tho. Arist.

169 Ad primam confirmationem respondetur, quòd materia fit numero hæc non per ordinem ad formam, sed per actualem informationẽ: tùm quia materia non potest existere sine forma: tùm etiam quia principiũ, quo aliquid constituitur indiuisum in se, & diuisum ab alio positiuè, debet esse intrinsecum ipsi rei, quæ ab illo principio accipit unitatem. Et ad probationem qua dicitur, quod unitas materiæ esset uariabilis, primùm dicimus, quod hoc non est inconueniens. Nam sicut unitas numerica alicuius uiuentis non est ita immobilis unitas,

1. Resp. ad 1. Confir.

Materia fit positiuè hæc, non per ordinem, sed per actualem informat. formæ.

ut

ut non admittat in se variationem: nã cum per continuam nutritionem deperdat semper, & acquirat nouam substantiam, fieri potest, vt tota primæua substantia fuerit deperdita, & tota de nouo acquisita, & tamen est idem numero indiuiduum, & hoc ideò est, quia vnitas numerica est valdè materialis.

170 Vnde secundùm quod natura indiuiduorum est minus, magisq; eleuata supra conditionem materiæ, tãto magis habet immobilem vnitatem. Vnde aliqua viuentia deperdũt, & acquirunt substantiam tàm ex parte materiæ, quàm ex parte formæ: vt sunt indiuidua, quæ habent formas propter materialitatem diuisibiles. Quædam vero viuentia, quæ sunt magis eleuata supra materiã, variãtur secũdùm materiam, & non secũdùm formã, vt sunt illa, quę habent formas indiuisibiles: vt sunt homines secundum omnium sententiam, & perfecta animalia secundum probabiliorem sententiam S. Thomæ. Si ergo indiuidua completa in genere substantiæ propter materialitatem, habent suam vnitatem numericam adeò variabilem, quid mirum si vnitas numerica materiæ sit variabilis?

S. Th.

171 Secundò respondetur, quod licèt formæ variantur in materia successiuè, non tamen variatur successiuè vnitas numerica materiæ, quandiù remanet indiuisa in se, & diuisa ab alia materia à quacumq; forma proueniret talis diuisio, vel indiuisio. Sicut enim materia semper est existens quandiù habet aliquam formam, siue hanc, siue aliam, ita semper est vna quandiù est indiuisa in se, & diuisa ab alia, à quacumq; forma habeat talem indiuisionem, & diuisionem; & ideò diximus, quòd vnitas materiæ est à forma, non autem ab hac determinata forma.

2. Respõsio.

Vnitas numer. materiæ non variatur, licet variãtur successiuè formæ in ipsa.

172 Ad secundam confirmationem respondetur, quòd in natura communi est distinguenda duplex vnitas, altera formalis, altera materialis.

Resp. ad 2. Confir.

172 Vnitas formalis prouenit à sua differentia constituente illã secũdùm eam rationem, qua est communis, quatenus per suam propriam differentiam est indiuisa in se; & condiuisa ab alia sibi oppositа natura. Vt natura sensitiua est formaliter vna à sua propria differentia, qua constituitur sensitiua: vt sic enim est indiuisa in se, & diuisa à natura insensitiua, & hoc modo natura sensitiua hominis, & equi est formaliter vna.

Duplex vnitas, formalis, & materialis, in natura communi, quæ sit, à quo proueniat.

173 Alia vnitas naturæ communis est, qua est diuisa natura sensitiua hominis, à natura sensitiua equi: non enim entitatiuè eadem natura sensitiua hominis est natura sensitiua equi, sicut eadem natura diuina est Patris, & Filij: sed est duplex natura, vna est hominis, & altera est equi, & sic natura communis diuisa in homine, & in equo, sunt duæ numero naturæ: & hęc dualitas naturarum causatur à differentijs oppositis dicentibus ipsam naturam communem ad quam diuisionem natura communis se habet vt materia, & differentiæ, vt formæ diuidentes, vnde natura sensitiua ut contrahitur per differentiam hominis, cõstituitur una condiuisa à se ipsa, ut contrahitur per differentiam equi, & sic patet, quod sicut natura communis acquirit hanc unitatem materialem, quam habet in specie humana, qua materialiter est diuisa à se ipsa contracta per aliam differentiam; per quam acquirit aliam unitatem materialem in specie equina: ita materia per diuersas, & distinctas formas acquirit distinctas unitates.

174 Vnde ex illa confirmatione bene intellecta potiùs confirmatur nostra adnotatio, quàm confirmatur oppositũ. Sicut ergo natura communis præintellecta ante aduentum differentiarum præsupponitur cum sua unitate formali, non autem cum sua unitate materiali, ita materia, ante aduentum formæ præsupponitur cum sua unitate formali, quam habet ex ui suæ essentiæ, per quam materia elementaris distinguitur à materia

Natura comunis vi essẽtiæ habet vnitatem formalem positiuam antè differentias.

Digitized by Google

ria cæleſti, non autem cum ſua unitate materiali, qua materia diuiditur ab altera materia eiuſdem ſpeciei, niſi ſolum negatiuè, ſed per ipſam formam fit una poſitiuè.

Reſp. ad 3. Confir.

175 Ad tertiam confirmationem concedo, quod eadem numero materia eſt geniti, & corrupti. Sed ſicut eadem materia geniti, & corrupti eſt exiſtens, non tamen per eandem formam, ita nec per eandem formam eſt una, ſed ſicut per formam corrupti erat una, quia indiuiſa in ſe, & diuiſa ab alia materia, ita per formam geniti immediatè ſubſequentis conſeruatur in ſua unitate, &c.

Proponitur demum tertium Argumentum cum vnica ſua confirmatione contrà quintam noſtram Notationem, & eius reſponſio.

3 Argum. ex Henrico.

176 TErtiò principaliter arguitur ex diametro cõtra totam noſtram aſſertionem. Aſſeruimus in quinta notatione, quod materia eſt principiũ numericæ multiplicationis formarum, & quod forma eſt principium numericæ unitatis materiæ; probatur oppoſitum, nempè, quod forma eſt principium multiplicationis materiæ, & materia eſt principium vnitatis formæ, & arguitur argumento Henrici quodlib. 2. q. 8. Quia omnis forma de ſe eſt communicabilis pluribus, & ex parte ſubiecti recipientis reſtringitur, taliter, quod ex defectu ſubiecti efficitur ut pluribus non communicetur, ergo potiùs forma eſt principium multiplicationis materiæ, quam materia ſit principium multiplicationis formarum, conſequentia patet.

Antecedens arg. probatur primò.

177 Et antecedens probatur multipliciter, primùm quia cùm forma ſit actus dicit perfectionem, ſed ratione perfectionis eſt, vt ſit communicabilis, niſi coarctetur ab eo, in quo recipitur. Quia bonum eſt diffuſiuum ſui, ergo forma ſecũdum ſe eſt communicabilis, & ratione recipientis eius cõmunicabilitas coarctatur, ac proinde de ſe multiplicabilis eſt.

Probatur ſecundò.

178 Secundò ideò termini communes ſe tenent ex parte prædicati, & termini minus communes ex parte ſubiecti in propoſitionibus, quia termini communes ſe habent ut formales, termini minus communes ſe habent, ut materiales, & ideò termini minus communes exercent rationem ſubiecti in ordine ad prædicatum, & prædicatum ſe habet vt forma ſubiecti. Sed termini communes, quia de ſe ſunt communicabiles, ideò ſunt multiplicabiles; & eorum communicabilitas reſtringitur, & particularizatur ex parte ſubiecti, ergo formæ de ſe ſunt multiplicabiles, & ex parte materiæ reſtringitur illorum multiplicabilitas ad vnitatem, & ſic potiùs materia eſt principium unitatis formarum, & formæ multiplicationis materiæ, quàm è conuerſo, ut nos aſſeruimus.

Probatur tertiò.

179 Tertiò, quia tota ratio, quare diximus, materiã eſſe principiũ multiplicationis formarum, illa fuit, quia una forma non poteſt adæquare totã potentialitatem materiæ, & ideò cum remaneat potẽtialitas materiæ adhuc receptiua conſimilis formæ, inde naſcitur multiplicatio formarum, ſed hæc ratio totaliter militat contra nos, quia potiùs ideò multiplicatur materia, quia potentialitas unius materiæ non poteſt adæquare totam actualitatem, & communicabilitatem formę, ergo potiùs forma eſt cauſa multiplicationis materiæ, quàm è contra.

Probatur quartò.

180 Quartò, quia ita comparatur materia ad formam, ſicut uas ad aquã: ſed uas eſt cauſa unitatis, & reſtrictionis aquæ, aqua autem eſt cauſa multiplicationis uaſorum; ex hoc enim quod unum uas non poteſt continere, aut exhaurire totam aquam, inde fit ut multiplicentur uaſa ad adæquãdam communicabilitatem aquæ, uel ſaltem oportet, ut idem uas pluries repetat exhauritionem aquæ, ergo potiùs communicabilitas formæ eſt cauſa multiplicationis materię, quàm

receptibilitas materiæ sit causa multiplicationis formarum, & ideò potiùs multiplicatio materiæ est à forma, & unitas formæ est à materia, quàm è contra, &c.

Ratio à priori ꝓm niũ quatuor probationum antecedẽtis.

181 Et ratio à priori omnium istorum est, quia quando duo proportionantur ut receptiuum, & receptibile, si sunt adæquata inter se, vnum non est causa multiplicationis alterius: quia tanta est capacitas recipientis, quanta est communicabilitas rei receptæ, ut per se patet, (& ideò non multiplicatur Sol, neque ex parte materiæ, neque ex parte formæ, quia potentialitas materiæ, & actualitas formæ adæquant se ad inuicem;) at quãdo inter recipiens, & receptum non est proportio adæquata, sed unum excedit aliud, aut nimirum, quia capacitas recipientis excedit communicabilitatem recepti, sicut si magno uasi infundatur paruus liquor, oportet ad explendam capacitatem recipientis, vt multiplicetur liquor, & amplius liquoris infundatur; aut si è contra communicabilitas recepti excedit capacitatem recipientis, sicut paruum uas respectu multi liquoris, tunc oportet ut multiplicetur recipiens ad adæquandam communicabilitatem recepti: Sed maior est communicabilitas formæ, quàm sit capacitas receptiua materiæ. Quia cum materia sit ens minus perfectum, quam forma, minus est receptiua, quam sit communicabilis forma. Nam capacitas entis imperfecti facili expletur, at communicabilitas entis perfectioris non ita facilè expletur, & limitatur, quia de ratione perfectionis est, vt se communicet, & diffundat perficiẽdo: de ratione entis imperfecti est, vt perficiatur, & compleatur, ergo potiùs multiplicatio materiæ est à forma, & vnitas formæ est propter materiam: (quia per vnitatem forma restringitur, per multiplicationem dilatatur,) quàm è contra, &c.

Confir. S. Th.

182 Confirmatur totũ argumentum de mente S. Thomæ, qui dicit, quod quia forma de se est communicabilis pluribus, necesse est, vt per materiã, vel subiectũ indiuiduetur, opus. enim 71.q.4.a.2.c. *Intellectus quamlibet formam, quam possibile est recipi in aliquo sicut in materia, vel sicut in subiecto natus est attribuere pluribus, quod est contra rationem eius, quod est hoc aliquid, vnde forma fit hæc per hoc, quod recipitur in materia.* D. Th.

183 Vbi aduerte, quòd cum dicit S. Doctor, quod intellectus natus est attribuere pluribus formam, loquitur de intellectu attribuente cum fundamento in re, in quantum quod singularitas non est de ratione formæ, quia si singularitas esset de ratione formæ, non esset cõmunicabilis pluribus, nec intellectus posset cum fundamento pluribus attribuere. Igitur in tantum potest, in quantum forma non est de se singularis, ac perinde pluribus cõmunicabilis.

184 Et ideò paulò ante dixerat, *Nulla forma in quantum huiusmodi est hæc se ipsa. Dico autem in quãtum huiusmodi, propter animam rationalem, quæ quodammodo ex se ipsa est hoc aliquid, sed non in quantum forma.* Igitur vult S. Th. quod quia forma de se est communicabilis pluribus, in quãtum forma, non est hæc, nempè singularis, sed fit hæc, idest indiuidua, & singularis per materiam.

185 Id ipsum repetit alijs locis cit. & q.9.de pot.a. 2.ad 1. *In substantia*, inquit, *particulari est tria considerare, quarum vnum est natura generis, & speciei in singularibus existens: secundum est modus existendi talis naturæ, quia in singulari substantia existunt natura generis, & speciei, vt propria huic indiuiduo, & non vt multis communis. Tertium est principium, ex quo causatur talis modus existendi.* S. Tho.

186 Et explicans deinde quodnã sit principium talis modi existendi, subdit: *Sed principium talis modi existendi, quod est principium indiuiduationis non est commune, sed aliud est in isto, & aliud in illo: Hoc enim singulare indiuiduatur per hanc materiam, & illud per illam.*

187 Vndè

Digitized by Google

187 Vndè vides, quod ex eodem fundamẽto S. Thomas toties inculcat formas indiuiduari à materia, vel à subiecto, ac proinde assertio nostra directè militat contra opinionem Diui Thomæ.

188 Ad hoc argumentum, quòd est præcipuum aduersariorum fundamentum, quo nituntur probare naturas Angelicas esse multiplicabiles numero in pluribus indiuiduis, seu suppositis: (habet enim se natura ad suppositum, sicut forma ad subiectum.) Ad hoc, inquam, argumentũ respondetur, quòd quidem sicut de ratione materiæ est receptio, ita de ratione formæ est communicatio. Sed forma potest dupliciter communicari, efficienter, & formaliter. Et quicquid sit de communicatione effectiua, an per se illi conueniat communicari se pluribus secundũ numerũ, quia fortè neque huiusmodi communicatio cõuenit formæ per se: alioquin sequeretur, quòd forma Solis esset in statu violento, aut præter naturam, quia de se exigeret communicare se pluribus, & ideò non communicat, quia deest illi materia, cui possit suam Solis similitudinem imprimere, & producere alium Solem: cum enim forma Solis non prodierit in esse per creationẽ, sicut est anima rationalis, sed fuerit educta de potentialitate suæ materiæ, non apparet ratio, quare si daretur materia apta recipere formam, non possit Sol, qui est adeò efficax in operando, non producere, & educere aliam formam Solis ex materia apta ad receptionem illius.

Resp. 3. arg.

Forma cõmunicatur efficienter, & formaliter.

189 Nec valet dicere, quòd forma Solis petit concreari, non educi; nam etiam formæ elementares fuerũt concreatæ, & tamen vnum elementum agendo in aliud, imprimit alteri suam formam, seu educit ex materia alterius elementi similem formam substantialem quàm in se habet, & dato, quod forma Solis peteret creari sicut anima rationalis, nihilominus si datur materia apta recipere prædictã formam, neque potest apparere ratio idonea, quare non possit Sol producere alium Solem, saltem ipse disponendo prædictam materiam, & Deus creando, & infundendo formam, sicut accidit in humana generatione. Vnde illa videtur ratio conueniens, quare non possit forma Solis multiplicari numero, nempè quia non datur altera materia apta ad recipiendam formam Solis: vnde si forma Solis per se dicit inclinationem, vt cõmunicet se pluribus numero distinctis, communicatione effectiua, non esset completa illius inclinatio, ac proinde esset in statu violento, aut præternaturali, quod non est asserendum.

190 Hoc argumentum vim habet contra Henric. quodlib. 2. citat. q. 8. §. *Vnde, & Philosophus.* Vbi impugnãdo opinionem Arist. quòd substantiæ abstractæ non multiplicentur numero, nec multiplicari possint, quia nec habent, nec habere possunt materiam, reijcit quandam responsionem, quàm aduersarius posset adhibere suo argumento, quo arguebat: si forma cum sit de se communicabilis, ideò non communicatur pluribus, quia deest materia, cui communicatur, sequeretur, quòd aliquid esset otiosum in fundamento naturæ, & creaturæ, quia communicabilitas non posset reduci ad actum. Ad hanc propositionem, inquit, posset dicere aduersarius, quòd non est otiosa hæc communicabilitas, quia non est possibilis completa possibilitate: quamuis enim forma de se sit pluribus numero communicabilis, deest tamen materia, quam possibilitas requirit, vt reducatur ad actum. Improbat, inquam, hanc responsionem dicendo, quòd in fundamento naturæ, & creaturę, ideſt, in rebus naturalibus creatis nulla possibilitas est admittenda siue completa, siue incompleta, quæ non possit reduci ad actum, nam esset otiosa, & nihil est otiosum in natura.

Henric.

191 Quæ ratio Henrici vrget pro argumento facto: quia si forma Solis de se, & per se esset communicabilis

Digitized by Google

pluribus numero distinctis, & ideò non multiplicatur de facto, quia deest materia receptiua alterius formæ numero distinctæ à præexistente forma Solis, vt ipse concedit sequeretur, quod illa cõmunicabilitas esset otiosa in natura.

192 Dices fortè, cum ipso Henrico, quod non est otiosa, quia per diuinam potentiam posset creari alia materia, & sic forma Solis posset imprimi nouæ materiæ, & alterum Solem producere. Obiectio.

193 Sed contra, quod est secundum exigentiam naturæ est otiosum in natura, si vi naturali non potest reduci ad actum. Non enim propensiones naturales sunt commensuratæ in ordine ad id, quod potest Deus facere per suam omnipotentiam, & supra ordinem, cursumque naturæ. Igitur si illa propẽsio formæ est naturalis, & vi naturæ non potest reduci ad actum, sine dubio est naturaliter otiosa; at vt philosophus ait: nec Deus, nec natura facit aliquid frustra, vel otiosum, igitur dicendum est, quod forma de se, & per se non petit pluribus se communicare, vnde pluralitas formarum per se primo non est à forma, sed à materia receptiua, ad cuius multiplicabilitatem multiplicantur formæ. Enodatio.

194 Hoc argumentum multò magis vrget in sententia eorum, qui dicunt materiam cęlestem, & elementarem esse eiusdem speciei. Quia tunc non posset dici, quod forma Solis, & si sit propensa ad cõmunicandũ se pluribus numero distinctis, ideò non cõmunicatur, quia deest materia: quia cum detur consimilis materia in natura, & forma Solis sit de se propensa ad sui communicationem effectiuam, non potest, nisi violẽter eius propensio impediri: Nam non potest assignari alia ratio, nisi quia non potest materia disponi ad receptionem Solaris formæ. Sed hoc non potest dici, quia Sol est maximè actiuus, nec eius forma nobiliores dispositiones requirit in materia, quàm anima rationalis, quæ est longè præstãtior forma Solis, & naturalis propensio agentium prouenies in ipsis à sua substantiali forma ad communicandam similẽ formã materiæ impellit etiam ad dispositionem materiæ, ergo si forma Solis haberet hanc effectiuam propensionem ad se communicandum, profectò nihil ei obstaret, quo minus de facto se communicaret alicui materiæ, ergo indiciũ est formam de se non habere propensionem, vt se cõmunicet multis, seu saltem non est prima radix multiplicationis numericæ in genere causæ efficientis, sed primam radicem communicandi se pluribus numero distinctis esse materiam, quæ quia multiplicabilis est, forma agẽtis multiplicat suam similitudinem in multis materijs.

195 Sed quicquid sit, vt dixi de communicatione effectiua, loquendo de communicatione formali, de qua procedit argumentum; nego antecedẽs, scilicet formam de suo genere esse communicabilem pluribus numero distinctis etiam loquendo de illis formis, quæ de facto numero multiplicantur, sed earum multiplicatio oritur à multiplicabilitate materię tãquam à prima radice, & ideò formæ, quæ nec sunt receptæ, nec receptibiles in materia non possunt numero multiplicari. Ratio potissima est, quã attulit S. Th. Quia forma, & actus tendunt ad vnionem, vel vnitatem quantum fieri potest. Quòd si actus diuidit, & separat, hoc ideò est, quia se ipsũm, & quod sub ipso est vult continere in sua vnitate. Ratio. S. Tho. Forma, & actus tẽdunt ad vnitatem, quod si separat, est, vt quod sub ipso est contineat in sua vnitate.

196 Et ad probationes illius antecedentis facilè respondetur, & ad primam dicendum, quòd forma eo, quia perfectio est, petit communicare se suo receptiuo, suoque perfectibili. Quòd autem se communicet pluribus numero distinctis de materiali se habet ad communicationem formę, non enim ex se hoc petit, sed ex suppositione, quod eius receptiuum est multiplicabile; & propterea diximus, quod forma Solis est vna numero, quia Respõsio ad 1. probationem anteced. ad 3. arg.

Digitized by Google

quia eius receptiuum non est multiplicabile: vel propter defectum potẽtię essentialis, quia nimirum nõ datur alia materia, quæ habeat potentiam essentialem proportionatã cum forma Solis, vel propter defectum potẽtiæ accidentalis: quia & si detur potentia essentialis proportionata, non tamen potest materia huiusmodi disponi accidentibus proportionatis ad illius receptionem, & sic patet, quòd non pertinet ad perfectionem formæ, quòd sit cõmunicabilis pluribus numero distinctis.

Confir. Duplex ratio multiplicationis numericæ sub eadẽ specie.

197 Cõfirmatur quia multiplicatio numerica nõ arguit perfectionem formæ, sed potiùs imperfectionẽ; quia multiplicatio numerica est instituta à natura propter duo; primò, & principaliter pro conseruatione; secundò, pro perfectione speciei, & formæ.

198 Est quidem instituta pro cõseruatione, quia cum species in rebus corruptibilibus non possit conseruari in vno indiuiduo, eo, quod forma sit corruptibilis, vel separabilis, vt anima rationalis, instituta est multiplicatio indiuiduorum, & sic est propter defectum formæ.

199 Secundò est instituta pro perficienda specie ex suppositа imperfectione, quia & si forma conferat totã perfectionem quidditatiuam indiuiduo constituto, tamen non potest cõferre habilitatem ad omnem operationem, cuius ipsa forma est principium propter diuersas dispositiones materiæ, quæ requiruntur ad operandum, v.g. anima rationalis non potest tribuere vni indiuiduo habilitatẽ ad omnem operationem intellectus speculatiui, & practici, ita vt vnus singularis homo sit habilis ad omnes scientias, & ad omnes artes; quia experiẽtia constat, quod qui est aptus ad artes, ineptus est ad scientias, maximè speculatiuas, & è cõtra, & ideò natura instituisse, videtur multiplicationem indiuiduorum sub eadem specie in supplementum huius defectus, nimirum, vt operationes animæ rationalis in diuersis indiuiduis eluceſcerẽt, ergo multiplicatio indiuiduorum, & cõmunicatio formæ pluribus indiuiduis non prouenit ex perfectione, sed ex imperfectione formarum.

200 Nam si posset vna forma semper conseruari in vna materia, sicut forma Solis conseruatur semper in sua materia, vel si posset dari vnum indiuiduum, cui posset forma communicare habilitatem ad omnẽ operationem, cuius ipsa est principium, non multiplicarentur indiuidua sub specie, ac proinde nec ipsæ formæ, ergo ex eo, quòd forma est actus, & perfectio, potiùs renuit communicari pluribus numero, quàm quòd talem multiplicationem exquirat, & ideò si multiplicantur numero formæ, hoc tanquam à prima radice non prouenit à forma, sed à materia.

201 Ad secundam probationem dicendum, quòd res, quas significant termini communes, sunt permixtæ ex actualitate, & potentialitate, quia aliquid determinatè significatur illis terminis communibus, & tamen adhuc significatur vt determinabile, v.g. hic terminus *animal* significat naturam animalis, vt subsistentẽ in supposito, & sic significat aliquid determinatum, sed quia vt sic se habet cum indifferentia, & potentialitate ad hoc, vt amplius determinetur per *rationale*, vel *irrationale*, prædicatur, vt quid potentiale, & vt tendens ad vlteriorem determinationẽ, quã habet in subiecto, & ideò subiectum se habet vt totum actuale, & prædicatum vt totum potentiale. Vnde quo ad hoc ratio formæ, & actus magis conuenit subiecto particulari, quàm prædicato communi: In quantum subiectum dicit naturam vltimò determinatam, prædicatum dicit naturam determinabilem. Vnde ad probationem cum dicitur, quod termini communes, ideò se tenent ex parte prædicati, quia se habent, vt formales, distinguendũ est, ita se habent vt formales, quatenus significant aliquid actuale, & illud attribunt subiecto, & concedo. At secundum istam consi-

dera-

Digitized by Google

consideratione non est multiplicabile illud, quod prædicatur, quia potiùs est vnum vnitate formali, nam est indiuisum in se, & diuisum ab alio; animal enim vt significat aliquid actuale, significat vnam naturam, nempe *sensitiuã* indiuisam in se, & diuisam à natura *insensitiua*. Se habent vt formales, quatenus id, quod prædicatur est aliquid potentiale, & nego. Quia potiùs secundum istam rationem se habent, vt quid materiale, & determinabile per superuenientes differentias, quo pacto formæ adueniunt materiæ, & accidentia subiecto.

202 Vnde emanauit dictum, quod genus sumitur à materia, differentia à forma, quod axioma inter alias expositiones, quas tradidimus in Logica, exponitur secundũ quandam proportionem, quod sicut in essentia Physicè consideratа se habet materia, & forma, illa vt potentia, ista vt actus: illa vt determinabilis, hæc vt determinans: ita in quidditate Metaphysicè spectata genus, vt quod potentiale proportionatur materiæ, differentia proportionatur formæ, & ex ista parte ea, quæ significant termini communes, sunt multiplicabilia propter potentialitatem, quam quia vna differentia non potest adæquare, ideò per plures differentias multiplicari potest. Et sic patet, quomodò illa probatio potiùs confirmet nostram assertionem, quàm oppugnet.

Quis sit sensus, quod genus sumitur à materia, & differẽtia à forma.

203 Ad tertiã probationẽ, cõcessa maiore (illa enim est ratio nostra, & satis efficax,) respondetur negando minorem: nam potentialitas materiæ non solum se extendit ad recipiendũ plures formas numero, sed & specie, & genere distinctas. Quia quælibet forma ex vi suę speciei non requirit totam materiã, sed certam, & determinatam portionem illius, nam quælibet species habet, vt videmus, certos terminos magnitudinis, & paruitatis. Non enim forma muscæ ex vi suæ speciei potest crescere in elephantem, nec elephas esse ita paruus, vt musca, sed crescũt indiuidua vnius speciei plus, minusuè intra certã magnitudinem. Cum ergo ex vi suæ speciei forma actuet tantam materiam, non adæquat potentialitatem illius: & ideò vt illã adæquet, si adæquare potest, oportet, vt multiplicetur numero, ergo potentialitas materiæ est causa multiplicationis formarũ, & nõ multiplicatio formarum est causa multiplicationis materiæ: quia si tota materia adæquaretur ab vna forma, non fieret illius formæ multiplicatio, vt sæpè dictum est de forma Solis, &c.

Ad tertiã probationem antecedentis respõsio.

204 Sed dices: materia est propter formam, ergo multiplicatio materiæ est propter multiplicationem formarum: sed ad hanc instantiam iam satis supra latè dictum est, quòd quamuis materia sit propter formam, ideſt ordinata ad formam tanquam ad finem ratione suæ potentialitatis, in qua cõsistit illius essentia, non tamen multiplicatio numerica materiæ est propter multiplicationem formarum, sed potiùs è contra multiplicatio formarum est propter multiplicationem materiæ: quia ista multiplicatio numerica cum sit materialis, non formalis, potiùs nascitur ex necessitate materiæ, quàm ex necessitate formæ, & ideò ad instantiam concesso antecedente, negatur consequentia, & dato quod multiplicatio materiæ ordinaretur ad multiplicationem formarum, tãquam ad finem, (nempè quòd ideò multiplicatur materia, ut multiplicentur formæ,) sequeretur solum quod multiplicatio formarum esset principium extrinsecum multiplicationis materiæ, sed tamen materia esset principium, quasi intrinsecum, sine quo formæ in executione multiplicari non possent, sicut sine cibo nõ potest animal viuere. Nos autem in præsenti non quærimus de principijs omninò extrinsecis nimirum efficiente, & finali multiplicationis, sed de principijs intrinsecis, vel quasi intrinsecis, ex quibus nascitur multiplicatio numerica.

Obiectio, & eius Enodatio.

Multiplicatio numerica cũ sit materialis, nascitur à materia, & non à forma.

205 Ad quartam probationem dicendum, quòd illa procedit ex quadam

dam falsa imaginatione: Nam licèt inter vas, & materiam ex vna parte, & inter aquam, aut liquorem, & formam sit ex alia parte aliqua proportio: in quantum scilicet vas recipit liquorẽ, vt materia recipit formam, & liquor recipiatur in vase, sicut forma in materia: attamen quantum ad continentiam è contra se habet proportio. Quod forma continet materiam, sicut vas continet liquorem, nè defluat, vt etiam supra declaratum fuit de mente Philosophi dicentis, quod non materia continet formam, sed continetur ab illa.

Ad quartam antecedentis probationem respondeo.

Arist.

206 Neque hoc debet videri mirum: quia experientia docet, quod phiala vitrea, si fuerit vacua, facilè à vento deijcitur, & quolibet minimo ictu frangitur, at si fuetit aqua, aut alio liquore plena, continetur à superinfuso liquore, vt non facilè decidat, nec tam facilè frangatur, & ita hoc beneficium multò magis præstat forma materiæ, cui & dat suum propriũ esse, & ideò ex vniuersa massa materiæ, tantam portionem continet quælibet forma sub se, quantum sua virtus se extendit, sicut ex vastissimo mare tantum aquæ, quis exhaurit, quanta fuerit vasis capacitatis, quo exhaurit.

207 Ad rationem adductam, dico, quòd quidem illa est ratio à priori, sed malè explicata ad præsentem materiam. Dico ergo, quod inadæquatio est causa multiplicationis, & quòd ex parte illius oritur primariò multiplicatio, quod superexcedit adæquationem. Sed falsum est, quòd communicatio formæ superexcedat capacitatem materiæ, nam vt ostensum est capacitas materiæ superexcedit communicationem formæ, quę illi formaliter conuenit, quatenus forma est. Ex propensa enim quidditate formæ pẽsanda est eius cõmunicabilitas, quod autem hæc forma secundum suam quidditatem multiplicetur numero de materiali se habet, vt supra ostensum fuit, & ideò ex potentialitate, & receptiuitate materiæ, (vt sic dicam) quatenus excedit communicabilitatem cuiuscumq; formæ procedit multiplicatio numerica formarum, &c.

208 Nec refert, quòd materia sit ens minus perfectum, quàm forma: quia esse receptiuum in quantum huiusmodi non fundatur in perfectione, sed potiùs in imperfectione illius: Nam receptiuum in quantum receptiuum non dicit esse perfectiuum, sed perfectibile, & ideò non mirum si materia cum sit minimum ens, sit maximè receptiua.

Esse receptiuũ fundatur in imperfectione rei, vt est materia 1.

Pro appendice, & perfectione primi huius paragraphi explicatur, quid senserit D. Thomas pro indiuiduatione formarum, & hac occasione tria vtilia resoluuntur dubia: Demum distinctè perpendetur quadam ratio S. Th. ad hoc intentum, & præsens hic absoluetur paragraphus.

209 TAndem videndum est, quid senserit S. Thomas de indiuiduatione formarum, & quidem, quòd multiplicatio numerica illarum sit à materia tanquam à prima radice satis constat ex multis locis præsertim 1.p.q.50.a.4. Vbi dicit, quòd si daretur albedo separata, hoc est, quæ nec esset recepta, nec receptibilis in aliquo subiecto, illa albedo esset penitùs vna, nec posset multiplicari, & idem dicit de humanitate abstracta, & de quauis alia forma. Itaque de hoc puncto non est difficultas apud S. Thomam; difficultas est de vnitate indiuiduali formarum; & quidem distinguendum est in via S. Thomæ: quia aut sermo est de formis, quæ non possunt multiplicari numero, vt sunt quidditates specificæ Angelorum, & in his non est quærendum aliud principiũ suæ vnitatis indiuidualis, quã sua propria specifica natura, aut est sermo de illis formis, quæ sunt multiplicabiles numero, & de his procedit difficultas vnde habeant vnitatem.

S. Tho.

210 Pro cuius euidentia supponẽdum est, quod in his non est idem prin-

Digitized by Google

principium vnitatis ſpecificæ, & numericæ, quia vnitas numerica aduenit vnitati ſpecificæ, & in his oportet videre, quid ſit illud, vnde quælibet iſtarum ſit indiuiſa in ſe, & diuiſa à qualibet alia.

QVAESTIVNCVLA 9.

211 Et difficultas eſt de principio *Metaphiſico*, quod eſt idem cũ ipſa entitate formę, & vt perſpicua ſit difficultatis ratio, loquamur de animabus rationalibus, quæ adhuc ſeparatæ inter ſe numero diſtinguũtur: per quid enim entitates illorum intrinſecè in ſuis entitatibus ſunt diſtinctæ. Quia vt benè dicit Henric. quodlib. 2. q. 8. iam cit. Impoſſibile eſt intelligere duo eſſe diſtincta ſub aliqua communi natura, & non intelligere principia intrinſeca, per quæ diſtinguantur. Itaq; oportet videre, duæ animæ rationales quo diſtinguantur numero in ſuis entitatibus, & deinde videndum eſt, vnde talia diſtinctiua ſumantur tanquam à prima radice, & communiter dicitur, quòd hęc diſtinctiua ſunt hęcceitates, vel differentię numericæ. Sed videndum eſt, quid addant iſtæ differentiæ numericæ ad ipſas ſubſtantias animarum, vt faciant illas numero differre.

Quod eſt principiũ metaphiſicũ, quo forma eſt indiuiſa in ſe, & diuiſa ab alia?

Quid ſint, & addant entitati rei generic æ, aut ſpecificæ, differẽtię ſpecificæ, aut numericæ.

212 Et ratio difficultatis eſt, quia ſi iſtæ ſunt veræ differentiæ, debent conſtituere animas inæquales, ſicut differentiæ ſpecificæ diuidendo genus cõſtituunt inæquales ſpecies. Hoc autem eſt contra multitudinem ſpecificam, & indiuidualem, nam in hoc differt multitudo ſpecifica à numerali, quod multitudo ſpecifica conſtat ex vnitatibus inæqualibus, multitudo numerica ex vnitatibus omninò inæqualibus.

213 Dico omninò æqualibus, quia quando natura generis diuiditur in ſuas ſpecies, quantum eſt ex parte naturæ diuiſæ, diuiſio eſt æqualis, & ideò vniuocè prædicatur de ſpeciebus: at quantum eſt ex parte differentiarum diuidentium, diuiſio eſt inæqualis, & ideò ſpecies multiplicatæ ſub natura generica inæquales ſunt. At vero quando ſpecies diuiditur in plura indiuidua, non ſolum eſt æqualis diuiſio ex parte naturæ diuiſæ, ſed etiam ex parte diuidentium, aliàs non eſſet diſcrimen inter pluralitatem ſpecierum ſub genere, & indiuiduorum ſub ſpecie. Ergo non poſſunt hæc diuidentia eſſe aliquæ differentiæ, quæ per oppoſitionem diuidant ſpeciem in plura indiuidua.

Quæſt. 9. reſolutio.

Diuiſio generis in ſpecies eſt ſolũ inæqualis ex parte differentiarũ diuidẽtiũ.

214 Deinde iſta principia diſtinguentia debent eſſe identificata ſecũdum rem, cum ipſis formis, ſeu cum ipſis animabus, alioquin ſi eſſent ſecũdum rẽ diſtincta, eſſent ſeparabilia ab ipſis animabus, & ita ſecluſis ſaltem diuinitus iſtis principijs poſſet ex duabus animabus fieri vna, quod non eſt dicendum.

215 Et quidem quòd hoc ſequeretur patet, quia non magis eſſent intima iſta principia diſtinguentia naturis diſtinctis, quàm ſubſiſtentia ſubſiſtenti naturæ, & inhærentia accidẽtibus, ſed Deus poteſt ſeparare ſubſiſtentiam à natura ſubſiſtenti, & inhærentiam actualem ab accidentibus, ergo etiam poteſt ſeparare ab animabus diſtinctis ipſa principia eas numero diſtinguentia. Itaq; dicendum eſt iſta principia diſtinguentia eſſe identificata cum ipſis animabus.

216 In hoc arduo ſanè puncto diſtinguendum eſt, quia vel loquimnr de iſtis principijs diſtinguẽtibus quatenus præcisè ſunt principia diſtinctionis numericæ, vel quatenus aliquid addunt præter diſtinctionem; ſi loquamur quoad primum, dico, quòd non ſunt aliud, quam quidam termini ſubſtantiales identificati cum ipſis animabus. Declaro rẽ obſcuriſſimã, cuius non poſſumus ad manus habere aliquod adæquatum exemplum, ſed accipio duas magnitudines diuiſas inter ſe: certè illæ magnitudines haberent ſua indiuiſibilia terminatiua, & quandiu magnitudinibus ineſſent prædicta indiuiſibilia, ſine dubio illæ magnitudines, non poſſent inter ſe continuari, nec habere inter ſe communicationem.

Differentię numericæ ſunt termini ſubſtãtiales identificari cum rebus numero diuiſis.

217 Supponamus ex hypotheſi, quod

Digitized by Google

quod illa indiuisibilia terminatiua essent identificata realiter cum entitatibus magnitudinũ ex hac hypothesi sequitur esse impossibile illas duas magnitudines posse habere inter se communicationẽ, & continuationẽ; & tamẽ illi termini nõ adducũt aliquã perfectionem ipsis magnitudinibus, ratione cuius vna esset perfectior altera; quia conueniunt illis magnitudinibus in quantum habent conditionem materialem. Non enim essent propriæ differentiæ, inter se primò diuersæ addentes perfectionem eis, quæ faciunt differre. Sed solum conferrẽt repugnantiã ad continuationẽ per modum terminorum præcisè.

218 Ita dicimus de illis distinctiuis principijs animarum, quod nõ addunt aliquid supra naturam specificã, nisi rationem terminorum faciẽtium, vt substantia vnius animæ sit incommunicabilis alteri, nec possit vna cum altera identificari, sine eo, quod ex hoc ipsis animabus addatur aliqua perfectio, ratione cuius vna anima habeat aliquam perfectionem, quam non habet altera: Et ratio huius est, quia ista principia sunt distinctiua materialiter, sicut indiuisibilia terminatiua non addunt rebus terminatis aliquam perfectionem diuersam vnam ab alia. Vnde præcisè considerata non se habent vt differentiæ oppositæ, & inter se primo diuersæ, sed se habent præcisè vt termini intrinseci, ratione quorũ, vna anima est diuisa ab alia, & hoc debent dicere illi, qui tenent omnes animas esse æquales in perfectione substantiali.

Differentię numericæ nihil perfectionis addũt rebus, cũ non sint primò diuersæ inter se ipsæ differẽtię.

219 At nos etiam si conuenimus aliquando cum S. Thoma animas esse inæquales in perfectione substantiali, ista perfectio non peruenit ab istis distinctiuis, vt distinguentia sunt, sed aliunde, nempè ex dispositionibus materiæ; vt aliàs ex S. Thoma ostendimus. Vnde fieri potest, vt duæ animæ distinguantur, & tamẽ sint in hac substantiali perfectione æquales. Vnde displicet, quod aliàs diximus, omnes animas esse inæquales, nec posse duas animas esse æquales, etiam de potentia Dei, hoc enim nobis non placet: Quia S. Thomas totam inæqualitatem substantialem dicit prouenire ab inæqualibus dispositionibus, sed quid prohibet duas dispositiones materiæ esse æquales? Sed de hoc satis.

S. Th.

Inæqualitas substãtialis animab. nostris ex inæqualibus dispositionibus materiæ prouenit.

220 At inquies quomodo fieri potest, vt hæc principia æqualiter distinguant omnes animas, cũ vt dictum est, aut semper, aut aliquando addant aliquam substantialem perfectionem.

Obiectio.

221 Respondetur, quòd sicut omnia terminatiua magnitudinis, terminant in quantum sunt indiuisibilia: sicut punctũ, quod terminat lineã, & linea, quæ terminat superficiem, & superficies, quæ terminat corpus: & tamen non omnia terminatiua sunt indiuisibilia, sed aliquod est purum indiuisibile, sicut punctum: Aliquod vero est simul indiuisibile in quãtum terminat, sed aliunde est diuisibile, sicut linea, & superficies ex qua parte participant quantitatem, & perfectionem, quæ pertinet ad diuersas species illius. Vnde sicut in quantum termini præcisè, sunt indiuisibilia, & æqualiter vnum terminat, ac aliud: sed aliunde addunt diuisibilitatem, & perfectionẽ, (si quã habent,) vt sunt in specie quãtitatis, aut præcisæ longitudinis, aut præcisę latitudinis. Ita illa principia distinguentia distinguunt, vt præcisè sunt termini substantiales formarum, secundum quam rationem nullã perfectionis inæqualitatem afferunt. Vnde si quam afferunt, est aliunde: licet enim, vt dictum est, termini magnitudinis terminant, ut indiuisibilia; quod autem aliqua sint penitus indiuisibilia, vt punctum: aliqua cum indiuisibilitate terminatiua habent aliunde diuisibilitatem; hoc est per accidens vt terminatiua sunt. Ita illi termini substantiales vt terminant, & distinguunt animas, sunt æqualis perfectionis; quod deinde aliunde secum afferunt aliquam substantialem perfectionem, ratione cuius sit aliqua inęqualitas inter ipsas animas, est per accidens. Quia bene possunt dari animæ æqualis perfectio-

Præclusio.

Termini, vt termini, sunt indiuisibiles, etsi aliunde sint diuisibiles, vt linea.

Differentiæ numericæ rerũ, vt termini substãtiales earũ, ęqualis perfectionis sunt.

Digitized by Google

fectionis, ſicut & inæqualis. Vt dictum eſt.

1. Dubiũ eiuſque enodatio.

222 Sed interrogabis primò, an iſti termini ſubſtantiales ęquè ſint cõcedendi formis diuiſibilibus, & indiuiſibilibus? Reſpondeo eſſe quidem cõcedendos omnibus formis, ſed nõ eodẽ modo: Et quidem quod ſint concedendi omnibus formis indiuiduis, patet, quia & ſi aliquæ formæ exiſtant naturaliter ſeparatæ, vt animæ rationales: Aliquæ ſic ſeparatæ exiſtere nequeant, vt aliæ formæ materiales: Attamen omnes poſſunt ſeparatę exiſtere virtute diuina, & in ſtatu ſeparationis eſſent inter ſe diſtinctæ numero, ſicut de facto accidentia panis, & vini in diuerſis Altaribus: ergo oportet, vt habeant ſua principia diſtinctiua diſtinctione numerica, & cũ hæc diſtinctiua non ſint alia, quàm iſti termini ſubſtantiales, oportet vt omnibus formis indiuiduis inſint hi termini ſubſtantiales.

Omnes formæ habent diſſerẽtias numericas cum ſint termini ſubſtãtiales earum.

223 Dico autẽ *nõ eodem modo*, quia formæ materiales diuiſibiles habent ſuam vnitatem, & multiplicationem numericam variabilem, poſſunt enim diſtingui, & identificari. Sicut ex vna aqua poſſunt fieri duæ, & ex duabus vna, non ſolum quatenus aqua eſt diuiſibilis in partes integrales, ſed quatenus diſtinguuntur numero ſub ſpecie aquæ, quia vt dictum eſt ſupra in his rebus propter ipſarum materialitatem diuiſio in partes integrales ſimul eſt cum diuiſione in partes ſubiectiuas. Cum enim aqua diuiditur in plures aquas, non ſolum quælibet eſt pars reſpectu totalis aquæ, ſed quælibet in ſe eſt quoddam totum, & eſt indiuiduum ſub ſpecifica natura aquæ. Et ideò iſti termini ſubſtantiales ſunt ſeperabiles ab ipſis formis indiuiduaIiter diſtinctis.

Formæ indiuiſibiles nec poſſũt diuidi, nec idẽtificari ſi ſint diſtinctæ.

224 At vero formæ indiuiſibiles habent ſuam vnitatem, & multiplicationem inuariabilem, & ideò ſemel diſtinctæ non poſſunt identificari, & ſemel identificatæ non poſſunt diſtingui. Vnde ſicut propter eleuationem ſupra materiam ſunt indiuiſibiles in partes integrales, ac proindè in partes ſubiectiuas: ita diſtinctiua illarum ſunt inſeparabilia, & identificata cum ipſis formarum ſubſtantijs, per elongationem à conditionibus materialibus.

2. Dubiũ eiuſque præcluſio.

224 Interrogabis ſecundò, an iſti termini ſubſtantiales ſint concedendi etiam materiæ primæ pro vnitate illius? Hæc interrogatio non eſt magni momenti; poſſunt enim cõcedi, vt quidam concedunt, ſed mihi videntur minimè neceſſarij, ſed ſufficit vnitas formæ, vt contineat materiam indiuiſam in ſe, & ab alia diuiſam: Ex hoc enim, quod hæc forma determinat hanc materiam, per ſuam informationem, facit illam indiuiſam in ſe, & diuiſam ab alia materia. Nam diuiſio poſitiua materiæ ab alia materia eſt per actualem informationem formę, non ea per præciſum ordinem ad materiã. Vnde non eſt ſimilis ratio de diſtinctiuis materiæ, & formæ. Quia forma, vt ſupra dictum eſt, indiuiduatur per ordinem ad materiam, & ideò eſt poſitiuè vna etiã ſeparata, ſed materia indiuiduatur poſitiuè per actualẽ informationẽ formæ. Et ſic patet, quid ſit illud, quod intrinſecè indiuiduat formas.

3. Dubiũ, & eius reſponſio.

225 Nunc videndum eſt, an hæc indiuiſibilia terminatiua conueniant formis ex ſe, an ex parte materiæ? Et dico quod iſta indiuiſibilia conueniũt formis ex parte materiæ, non quidem ex actuali contactu materiæ, ſed ex eo, quia materiales ſunt, & habent ex ſua natura commẽſurationẽ, & commercium cum materia. Et quidem de formis materialibus, quæ habent ſuum eſſe depẽdens à materia, & pręſertim quæ ſunt diuiſibiles ad diuiſionẽ materiæ; res non habet difficultatem; Sola difficultas remanet de anima rationali, quæ habet eſſe independens à materia, & eſt in ſua entitate indiuiſibilis diuiſione materiali, atq; eſt ſubſtantia ſpiritualis: Quomodo iſta indiuiſibilia terminatiua, ex quibus animę diſtinguuntur numero inter ſe, poſſint habere originem à materia.

226 Sed ad hoc facilè reſpõdetur, quod ſicut anima rationalis non eſt ita ſpiri-

ſpiritualis, ſicut ſubſtantia Angelica, quia anima rationalis, & ſi habeat eſſe independens à materia, eſt tamen actus materiæ, imò actus corporis phyſici: ſubſtantia verò Angelica nec habet materiam, nec eſt actus materiæ: & ideò ſubſtantia animæ rationalis comparatione Angelicæ ſubſtantiæ quodammodo materialis eſt: Ita etiã quodammodo ſapit materiæ cõditiones; & vna eſt, quod eſt diuiſibilis diuiſione vniformi, ſicut eſt diuiſibilis materiæ: ſed tamen iſtam diuiſibilitatem participat modo minus materiali, quo participari poteſt. Et ſi enim formæ omninò materiales poſſint multiplicari numero ad materiæ diuiſionem, ſicut ſi diuidatur aqua in pluribus continentibus vaſis, ex vna fiunt plures, & ex pluribus vna: Per hunc modum non diuiduntur animæ rationales, ſed altiori modo intra latitudinẽ diuiſionis materialis, quod ſcilicet iſtæ rationales formæ diuiduntur ſe ipſis, ſed per ordinẽ ad multiplicationem materiæ: Quæ formæ ſi multiplicari non poſſent per diuiſionem materialem ad eum modum, quo diuiditur continuum, neque animæ eſſent multiplicabiles, nec diſtinctæ, vel diuiſæ numero inter ſe.

Diuiſio animarũ rationaliũ reducitur quaſi ad diuiſionẽ continui.

227 Vnde diuiſio numerica animarum reducitur quodammodo ad diuiſionem continui, vt ſi imaginaremur perfectionem ſpecificam animæ rationalis, quaſi extẽſam in multa materia, quæ poteſt à pluribus animabus informari: ſicut de facto perfectio ſpecifica albedinis eſt extenſa in ſuperficie: & quod multiplicatio numerica animarum fieret per diuiſionem illius continuæ materiæ, ita vt quælibet materia ſecum haberet animã ſibi commenſuratam, ſicut diuiſa ſuperficie, quælibet portio ſuperficiei habet ſuam albedinem, & totum, quod pertinet ad ſpecificam perfectionem albedinis; cum hoc diſcrimine, quod illa multiplicatio albedinum per continuationem ſubiectorum poſſet tolli, & ad vnitatem reduci, quod non poſſet fieri de multiplicatione animarum per continuationem materiæ, & hoc propter excellentiam animarum rationalium, quam habent intra latitudinem formarum materiæ.

A principio diuidente habetur, vt vna vnitas inferat, vel nõ, aliam cõdiuiſam vnitatem.

228 Et ſic patet quomodo multiplicatio animarũ rationaliũ, & conſequẽter illarum vnitas radicaliter prouenit à materia: In quantum vnitas non ſolum dicit indiuiſionem in ſe, ſed in quantum dicit poſitiuum principium diuiſionis ab alio, inferens cõdiuiſum à ſe. Nam vt dictum eſt ſupra, non omnis vnitas infert aliam vnitatem ſibi condiuiſã. Sed hoc quãdo id, quod diuidit ab alia vnitate eſt, principium multitudinis: Quia ex vi iſtius principij id, quod eſt diuiſuum, infert aliud condiuiſum, & per hũc modum materia eſt radicale principium vnitatis, & indiuiduationis formarum: nõ quod ſit principium vnitatis, & indiuiduationis abſolutè, quia hanc habet forma ex ſe, ſed quatenus infert vnitatem condiuiſam, quia ex iſto principio intelligitur multiplicabilis, & ſic materia potius eſt principium multiplicationis, quam vnitatis.

229 Sed tamẽ & ſi materia ſit quodãmodo principiũ vnitatis modo explicato, attamen forma eſt formaliter principium vnitatis materiæ: quia (vt dictum eſt) ſuppoſito, quod forma nõ habeat ſuam vnitatem ex actuali contactu materiæ, ſed per ordinẽ ad materiam, hinc cum actu informat materiam, determinat illam ſecundũ cõmenſurationem, quam ad illam habet. Et ideò bene dictum eſt à nobis, quod materia eſt principium multiplicationis formarum, & forma eſt principium vnitatis materiæ. Et hæc noſtra aſſertio non ſolum non diſſonat, ſed conſonat ſententiæ Sancti Thomæ. Qui ex eo vult materiam eſſe principium indiuiduationis formarũ, quod ſi non eſſet materia diuiſibilis diuiſione vniformi, non eſſent numero multiplicabiles formæ. Vnde non abſolutè vult formam indiuiduari per materiam, ſed indiuiduari taliter, vt habeat aliam vnitatem ſibi condiuiſam. Quod vt dixi, potiùs eſt eſſe prin-

cipium multiplicationis, quàm vnitatis; quia vnitas præcisè sumpta non infert aliam vnitatem sibi conduisam, vt supra dictum est.

Explicatur illud Assertum S. Thomæ: Quod ideò subiectum est principium indiuiduationis formarum, quia cum forma sit de se indifferens ad multa, per subiectum efficitur, vt distinguatur ab alia forma, &c. & sic absoluitur hic præsens Paragraphus Primus nostræ Principalis Quæstionis.

230 Dein q; superest explicandum illud, quod S. Thomas dixit: Quòd ideò subiectum indiuiduat formas, & est principium indiuiduationis illarum: quia cum forma sit de se indifferēs ad multa, per subiectum efficitur, vt sit ita in hoc, quòd nō in alio, & distinguatur numero ab alia forma, quæ est in alio subiecto, & quāuis possit hoc explicari, quòd distinctio actualis, vel aptitudinalis subiectorum sit radix multiplicationis formarum, vt iam anteà declaratum est; nihilominus in rei veritate aliquid amplius significare voluit S. Doctor.

Quæst. vltima huius 1. Paragraphi.

231 Pro cuius intelligentia obseruandum est, quod sicut indiuiduum in genere substantiæ, quod dicitur prima substantia, non solum dicitur Natura completa singularis, sed præcipuè dicitur suppositum subsistens in singulari natura; Et ideò etiam si in supposito Christi Domini sint duæ naturę cōpletæ, & singulares, Diuina scilicet, & humana, non propterea Christus dicitur duo indiuidua, sed vnum indiuiduum subsistens in vtraque natura.

232 Vnde ad vnitatem indiuidui substantialis non solum requiritur vnitas indiuidua naturæ, sed vnitas indiuidua suppositi. Ita vt & ad numericam multiplicationem naturæ multiplicentur suppositа, & ad numericam multiplicationem suppositorū multiplicetur natura.

Ad vnitatem indiuidui substantialis requiritur, & vnitas naturæ, & suppositi.

233 Vnde, quia in diuinis, & si multiplicentur suppositа, quia tamen ad illorum multiplicationem, non multiplicatur natura Diuina, non sequitur, quod sicut sunt tres personæ, ita debeant esse tres Dij, vel tria indiuidua Deitatis, & sic è contra: quia in Christo etiam si sint duæ singulares naturæ, quia tamen sunt in vno supposito, non propterea Christus est duo, sed vnum indiuiduum.

234 Suppositum autem addit supra naturam singularem formam hypostaticam, per quam natura fit incōmunicabilis alteri supposito, & ideò natura humana in Christo Domino, quia non habuit propriam formā hypostaticam, potuit communicari Verbo Diuino: Vnde dicitur, quod *Christus assumpsit naturam, consumpsit personam*, ideſt assumpsit naturam sine personalitate.

235 Et ideò etiam si aliqua natura sit singularis, & vna numero, adhuc, vt talis, est cōmunicabilis pluribus suppositis: sed per hoc, quod cōmunicatur vni supposito, eo ipso fit alteri incommunicabilis, & sic habet rationem indiuidui completi, quando, scilicet, ex natura, & forma hypostatica fit vna substantia vltimo terminata, & vltimo incommunicabilis, & hoc dicitur prima substantia.

236 Et quia quod facit hæc forma hypostatica naturæ substantiali singulari, hoc facit actualis inhærentia formæ singulari: Nā forma etiā singularis separata existens, est de se indifferens ad plura subiecta, sed ex actuali inhærentia ad hoc numero subiectum ita coarctatur, & determinetur, vt non possit esse in alio subiecto, quia, vt dicitur, forma non saltat de subiecto in subiectum: Ideò ad indiuiduationem formæ requirit S. Thomas actualem illius inhærentiam ad subiectum: Et voco inhærentiam quamcumq; inhęsionem formæ siue substantialis, siue accidentalis, quia sine dubio quò ad hoc parificantur.

237 Cum autem dico *ad indiuiduationem requiri inhærentiam actualem*, intellige ad indiuiduationem cōpletam, sicut forma hypostatica est necessaria ad completam indiuiduatio-

Resolutio quæst.

Digitized by Google

tionem naturæ ſubſtantialis. Et hoc eſt, quod dixit S. Thomas, quod forma indiuiduatur, & determinatur per ſubiectum: Quamuis enim earum multiplicatio oriatur radicaliter ex multiplicatione ſubiectorum, attamen, nihilominus ante actualem informationem quælibet illarum eſt indifferens, vt ſe huic, aut illi ſubiecto communicet: ſed per hoc, quod vi agentis ponitur in hoc determinato ſubiecto, efficitur, vt indifferentia illius determinetur, vt ita communicetur huic, vt ſit incommunicabilis alteri ſubiecto. Vnde 3. p. q. 77. art. 2. *Materia*, inquit, *eſt indiuiduationis principium omnibus formis inhærentibus, quia cum huiuſmodi formæ quantum eſt de ſe natæ ſint in aliquo eſſe, ſicut in ſubiecto, ex quo aliqua earum recipitur in materia, quæ non eſt in alio, ideò nec ipſa forma ſic exiſtens poteſt eſſe in alio.*

238 Igitur materia, ſiue ſubiectum determinat formam, vt non tranſeat de ſubiecto in ſubiectum, & hactenus de reciproca indiuiduatione, & multiplicatione materiæ, & formæ.



PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Quæ requirantur ad perfectam constitutionem indiuidui completi in genere substantiæ ?

DIctum est hactenus quomodo materia *in qua* est principium multiplicationis formarum. Nunc videndum est, quomodo multiplicentur numero ipsa composita à materia *ex qua*, & quia vt dixi tam composita substantialia, quàm accidentalia habent materiam *ex qua*, nunc principaliter videndum est de composito substantiali, quia hinc facilè intelligetur de composito accidentali. Et quamuis ex dictis de radice multiplicationis numericæ partium faciliter constare possit, quid dicendum sit de toto composito; nihilominus vt res magis explicetur, & quia plura requiruntur ad constituendum indiuiduum completum, vt est indiuiduum, quod rectè ponitur in genere substantię, & dicitur prima substantia, quàm ad constituendum indiuiduum incompletum, quales sunt partes substantiales componentes, ideò de his indiuiduis specialiter tractandum est.

DIFFICVLTAS I.

Explicatur prima conditio, seu proprietas indiuidui substãtialis completi, nempè vt sit vnum, & à quo principio intrinseco talis vnitas illi proueniat.

Quæst. 1. & eius resolutio.

1 SCiendum est igitur, quod, ut aliquod sit indiuiduum completum in genere substãtiæ, duo præcipuè requiruntur. Primum, vt sit *vnum*: Secundum, vt sit *incommunicabile*: & si libet addamus tertium, vt sit *designabile*, & habeat *characteristicam* quadã proprietatem, vt cum Damasceno loquamur, qua discernatur vnum indiuiduum ab alio indiuiduo.

Vt sit vnũ, incõmunicabile, & designabile, sunt proprietates indiuidui substant.

2 Quantum pertinet ad vnitatem, principia intrinsecè indiuiduantia sũt hæc materia, & hæc forma. Hoc expressè dicit S. Thomas opusc. 70. super Boet. de Trin. q. 4. a. 2. Vbi, *Secundum Philosophum*, inquit, 7. *Met. t.* 39. *sicut partes generis, & speciei sunt materia, & forma, ita partes indiuidui sunt hæc materia, & hæc forma. Vnde sicut diuersitatem in genere, vel specie facit diuersitas materiæ, vel formæ, ita diuersitatem in numero facit hæc forma, & hæc materia.* Et propterea dixit 1. p. q. 39. a. 1. Quod substantia indiuiduatur per se ipsam, sed accidens per subiectum. Et q. 9. de Potentia a. 1. ad 8. *Accidentia*, inquit, *non indiuiduantur, nisi ex suis subiectis, sola autem substantia per se ipsam indiuiduatur, & per propria principia.*

3 Vbi aduerte duo: Primũ, quod prima substantia nõ indiuiduatur per aliquod extra prædicamentum substantiæ. Secundum, quod indiuiduatur per propria principia, quæ nõ sunt alia, nisi hæc materia, & hæc forma.

Ad-

Digitized by Google

Aduerte vlteriùs, quod vt ſubſtantia prima indiuiduetur per hæc principia, oportet vt illa intra ſe includat, & ſint ſibi intrinſeca, vnde non poteſt indiuiduari per præciſum ordinem ad ſuũ principium indiuiduans, ſicut dicebamus de formis. Nam ſicut, ſi hæc principia intrinſeca ſeparentur, non manet ſubſtãtia completa: Nec poteſt ſaluari ſubſtantia completa in eſſe per hoc, quod remaneant partes ſeparatæ, quamuis cum reciproco reſpectu ad inuicem, ſed vt ſaluetur in eſſe ſubſtãtia completa, debent iſtæ partes eſſe inter ſe vnitæ: & ipſa ſubſtantia completa debet illas intrinſecè continere: ita etiam non poteſt vnitas indiuidualis ſubſtantiæ completæ coaleſcere, niſi hæc principia ſint intrinſeca ipſi indiuiduo.

4 Vnde apparet diſcrimen inter indiuiduationem partium, & indiuiduationem totius. Quod principium indiuiduans partem, poteſt eſſe ſeparatum, & ſufficit ſolus ordo rei indiuiduatæ ad ſuum principium indiuiduans, ſicut patet in anima rationali de facto: & de poſſibili in omni forma ſubſtantiali, & accidentali, ſi conſeruaretur ſeparata à ſubiecto. Quia tunc eſſet indiuidua per ſolum ordinem ad materiam, vel ſubiectum. At indiuiduatio totalis ſubſtantiæ requirit principium, aut principia indiuiduationis ſuæ ſibi intrinſeca, nec poteſt per ſolum ordinem ad ſuum principium indiuiduari.

Principiũ indiuiduãs partem poteſt eſſe ſeparatum, & ordo ad ipſum ſufficit.

5 Qualiter autem hæc materia, & hæc forma ſint principia, & cõcurrant ad indiuiduationem indiuidui ſubſtantialis, iam ſatis declaratum eſt, cum oſtenſum eſt ſupra qualiter forma, & materia indiuiduant ſe ad inuicem. Quod vt breuiter reſumamus, notandum eſt, quod vnitas indiuidui poteſt cõſiderari dupliciter. Vno modo, vt præcisè dicit vnitatẽ: Alio modo vt infert aliam vnitatem ſibi condiuiſam: Et quod iſta duo ſint diſtincta, patet. Quia poteſt dari vnitas, quæ non ſolum non inferat vnitatem ſibi condiuiſam, ſed excludat omnino: Sicut vnitas indiuidui Deitatis: Quia nõ ſolum hoc indiuiduum Deitatis eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum ab omni alio indiuiduo Deitatis, ſed ipſa illius vnitas confert intrinſecam repugnantiam, vt ſit, aut poſſit eſſe alius Deus ſibi condiuiſus, & hæc eſt perfectiſſima vnitas.

Vnitas indiuidui dupliciter conſideratur.

6 Ex hoc modo ponit S. Th. quod quodlibet indiuiduũ Angelicum ex vi ſuæ vnitatis habet intrinſecam repũgnantiam, vt habeat aliud indiuiduum ſibi condiuiſum ſub eadem ſpecie. Igitur non eſt de ratione vnitatis *in vniuerſum*, vt habeat aliam vnitatem ſibi condiuiſam, ſed abſtrahit ab vnitate habente, & non habente. Cum ergo vnitas indiuidualis numerica multiplicabilis ſub eadem ſpecie non habeat iſtam repugnantiam, oportet videre, vnde prouenit vt talem repugnantiam non habeat: Quia ab eo principio, vnde non habet talem repugnantiam, imo habet aptitudinem, vt poſſit habere aliam vnitatem ſibi cõdiuiſam, erit principium, vnde talis vnitas ſit numero multiplicabilis: Et ſic diximus, quod ſi attendamus principium conferens præciſam vnitatem, hoc eſt forma: Tum quia (vt diximus ſupra) forma, & actus ad vnitatem tẽdunt, & ideò, quia Deus eſt actus purus, eſt maximè vnus.

S. Th. Nõ eſt de ratione vnitatis, vt habeat aliam vnitatem ſibi cõdiuiſã, ſed abſtrahit ab hoc.

Deus cum ſit actus purus, eſt maximè vnus.

7 Tum etiam, quia diximus, quod forma informans materiam conſtituit illam indiuiſam in ſe, & diuiſam ab alia. Si autem attendamus principiũ conferens ita vnitatem compoſito, ut tamen compoſitum habeat, uel habere poſſit aliud indiuiduum compoſitum ſibi condiuiſum, tũc dicimus materiam eſſe principium illius modi unitatis, nempè quod ſit multiplicabilis: Et hac ratione dicitur, quod materia eſt radicale principium indiuiduationis: Sed potiùs dicendum eſſet multiplicationis. Neque in hoc puncto eſt amplius immorandum, quia ſatis dictum eſt.

DIFFI-

Digitized by Google

DIFFICVLTAS II.

Explanatur ſecunda Conditio, ſeu proprietas indiuidui ſubſtantialis completi, vt ſcilicet ſit incommunicabile, quatruplici incommunicabilitate.

8 SEquitur, ut dicamus de incõmunicabilitate indiuidui ſubſtãtialis: Et ſciendum, quia ſicut eſt quatruplex communicabilitas, ita & quatruplex incõmunicabilitas conſideranda eſt in præſenti: Quot enim modis dicitur vnum oppoſitorum, totidem, & aliud: Prima communicabilitas eſt illa, qua aliqua natura communis eſt communicabilis pluribus inferioribus: Secunda, qua forma communicatur ſubiecto: Tertia, qua aliqua natura ſingularis communicatur ſuppoſito: Quarta, qua partes alicuius continui communicant inter ſe ad faciendum unum totum.

Quatruplex eſt incõmunicabilitas indiuidui, & quæ ſit?

9 Dico ergo, quod indiuiduum ſubſtantiale, quod ponitur directè in linea ſubſtantiæ omnibus iſtis modis debet eſſe incommunicabile. Et quidem quod debet eſſe incommunicabile pluribus ſe inferioribus, perſpicuum eſt; quia aliàs non eſſet indiuiduum: Dicitur enim indiuiduum, quia non poteſt diuidi: Non quia non poſſit diuidi in partes integrales, ſed quia nõ poteſt diuidi in partes ſubiectiuas; quia eſt vltimum, de quo omnia prædicantur, ipſum uero de nullo prædicatur, uel ſaltem de uno ſolo: Et ideò indiuiduum excludit omnem cõmunitatẽ, & dicitur indiuiduũ ultima diuiſione: Quia ubi deſcẽdendo à sũmo genere ad ipſum per vnũ genus, ſic determinatur natura, ut amplius in plures partes ſubiectiuas, nec amplius in ſua inferiora ſit diuiſibilis, & in hoc puncto non eſt difficultas.

QVAESTIVNCVLA 2.

10 Solum objici poteſt, quia dictum eſt, & experientia conſtat, diuiſo uno continuo in plures partes, ex vno indiuiduo fiunt plura indiuidua tàm ſubſtantialia, quàm accidentalia; ergo indiuiduum eſt diuiſibile in plura indiuidua. Obiectio.

11 Ad hoc reſpondetur, quod indiuiduum, debet eſſe quoddam completum, & ideò debet eſſe quoddam totum in ſe terminatũ, & in ſe indiuiſum, & diuiſum ab omni alio. Vnde cũ diuiditur in plura, illa plura eo ipſo, quòd ſunt diuiſa, quodlibet illorum eſt in ſe terminatum, & eſt quoddam totum; & ſecundum iſtam rationem, quodlibet illorum eſt indiuiduum habens in ſe totum, quod pertinet ad naturam ſpecificam, ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem, quæ in continuo inueniebatur extenſa. Enodatio.

12 Et hoc adeò verum eſt, vt multæ ſpecies plantarum, atque arborum per ſolam diuiſionem continui propagantur. Videmus enim vites, & populos per hoc, quod palmites, & rami præcidantur, & defigantur in terram, multiplicari indiuidua iſtarum ſpecierum. Vnde Aug. lib. 5. de Gen. ad litt. c. 23. poſtquam eleganti deſcriptione oſtendit modum, quo ex ſemine arbores generentur: laudans cum ingenti admiratione ſeminis virtutem, ponit hunc alium modum, quo ſurculo arbor ex arbore propagatur, dicens: *Aliquando autem arbor ex arbore, cum ſurculus demitur, atque plantatur. Ergo & ſemen ex arbore, & arbor ex ſemine, & arbor ex arbore.* Supple, *deprompta eſt.* At illa diuiſa, ſi referantur ad totum, in quo erant ante diuiſionem, non ſe habent vt tota, ſed vt partes integrales illius, & vt ſic non ſunt illud ipſum indiuiduum, quod erat ante diuiſionem. Non enim quodlibet illorum diuiſorum continet in ſe totum illud, quod erat illud continuum ante diuiſionem, ſed pars integralis illius. Vt ſi, v. g. album bipalmare diuidatur S. Aug.

in

in quatuor partes: quælibet istarum partium continet vnum indiuiduum albedinis: Attamen non quælibet istarum partium est istud ipsum album bipalmare, sed est pars integralis illius: Quatenus ergo quælibet illarum partium consideratur, vt talis, est indiuiduum: Quatenus vero refertur ad illud totum, quod diuisum est, est pars integralis ipsius, & sic illud cõtinuum diuiditur quidem in plura indiuidua, vt in partes integrales, non vero in partes subiectiuas.

Diuisio in partes subiectiuas, facit vt diuisum sit totum in vna, & totũ in alia parte.

13 Quando enim aliquod diuiditur in partes subiectiuas, debet totum diuisum reperiri in vno, & totum in alio. Sicut natura generis cum diuiditur in plures species, tota natura generis est in vna specie, & tota in alia specie. Sic similiter species cum diuiditur in plura indiuidua.

Resolutio quæst. 2.

14 At vero cum continuum diuiditur in plures partes, non inuenitur totum in vna parte, & totum in alia, sed partialiter in vna, partialiter in alia: quamuis natura extensa, vel substantialis, vel accidentalis, quoad prædicata quidditatiua tota sit in toto illo continuo diuiso, & tota in qualibet parte illius, licèt diuisibili modo: Et ideò ad diuisionem continui multiplicantur indiuidua, sed non multiplicatur illud totum continuum, quod diuisum est: Et ideò indiuiduum dicitur indiuisum in se, & diuisum ab alio vltima diuisione, non vltima diuisione quantitatiua, sed vltima diuisione subiectiua: quia non potest illud unũ totum multiplicari remanendo in singulis partibus cum sua totalitate, quod est de ratione eius, quod diuiditur in partes subiectiuas, &c.

Diuiso continuo diuisum nõ est totum in qualibet parte, sed partialiter.

Corollarium.

15 Hinc apparet, quòd illi, qui hoc argumento contendunt probare distinctionem partium entitatiuarũ substantiæ in continuo independenter à quantitate, coguntur dicere vnam substantiam continuam constare ex tot indiuiduis substantialibus, quot sunt partes etiam proportionales: Vnde cum istæ partes sint infinitæ, continua substantia constaret ex indiuiduis infinitis: Nam quælibet pars cõstaret ex materia, & forma substãtiali, & haberet realem indistinctionem in se, & realem distinctionem ab alia comparte, & non esset multiplicabilis in plures partes subiectiuas. Vnde vna substantia continua constaret ex infinitis indiuiduis in substantiali entitate cõpletis: & sic rediret positio Anaxagoræ, & Democriti, quòd res componũtur ex atomis: & substantia non esset, nisi vnum per accidens.

Obiectio.

16 Sed respondebis fortè, quòd illæ partes, quamuis sint inter se distinctæ, sunt tamen cõmunicantes inter se, vt simul conueniant ad faciendum vnum continuum, & sic continentur sub vna vnitate continui: Sicut materia, & forma licèt sint substantiæ inter se distinctæ, tamen, vt sunt communicantes inter se, conueniunt ad faciendum vnum totale compositum, quamuis alio modo faciant vnum materia, & forma: aliter illius partes cum integrant vnum continuum.

Reijcitur prædicta respõsio.

17 Sed hæc responsio facilè reijcitur. Quia quòd materia, & forma faciant per se vnum, ideo est, quia sunt essentialiter partes, & entia incompleta: Sed non sic illæ partes substantiales: Quia quælibet illarum partium constat ex materia, & forma, & cum vna sit realiter distincta ab alia, debet habere suum distinctiuum reale, per quod vna ab alia realiter distinguatur: quod distinctiuum non potest esse differentia specifica, quia supponimus esse eiusdem speciei: ergo debet esse sua hæcceitas, seu differentia numerica: Igitur quælibet illarum partium est indiuidua substantia habens suam cõpletam essentiam, & indiuiduationem.

Materia, & forma sunt essẽtialiter partes, & entia incompleta, ideò faciunt vnũ per se.

18 Prẽterea, ratio partis non est illi essentialis, aut substãtialis, sed merè accidẽtalis: Quia ex hoc, quod habet suam hæcceitatem, per quam realiter distinguitur ab alia comparte, quæ non sit actu diuisa, vel indiuisa ab alia parte, est merè per accidens: Quia quo ad suam entitatem substantialem indiuidualem indifferens est, vt sit pars, aut totum. Nam si diuidatur,

Digitized by Google

de parte fit totum: ergo iam illa ſubſtantia totalis eſſet quoddam conflatum ex pluribus indiuiduis ſubſtantijs, ſicut domus ex lapidibus; rediretque poſitio Democriti de Atomorum concurſu, Et non video, quomodo non detur infinitum in actu.

19 Quod enim aliqui dicunt, non eſſe inconueniens dari infinitum in actu in entibus incõpletis, quales ſunt illæ partes ſubſtantiæ, non video quid entis incompleti habeant illæ partes, cum habeant ſuam materiam, ſuam formam, ſuam hæcceitatem, & omnia, quæ ad ens completum requiruntur. Vnde iſta ſententia non placet, nec reſponſio ad hoc argumentum fundata in iſta poſitione.

Impugnãtur dantes infinitum in actu entibus incõpletis.

20 Sed meliùs reſpondetur, ſicut ſupra reſpõſum eſt à nobis. Nimirum, quod ante diuiſionem illa non erant indiuidua plura vnita inter ſe, ſed erãt vnum ſimplex indiuiduum: poſt diuiſionem efficiuntur plura diſtincta indiuidua. Nec debet videri mirũ, quod eædem entitates poſt diuiſionem vna non eſt altera, & tamen ante diuiſionem identificabantur, quia hoc genus vnitatis materialis eſt conditionis lõgè diuerſæ à conditione vnitatis tranſcendentalis, vt dictum eſt, &c.

DIFFICVLTAS III.

A quo principio intrinſeco proueniat eſſe incommunicabile ipſi indiuiduo, & reſoluitur primò ex ratione D. Th. materiam eſſe radicem, & primum principium talis incommunicabilitatis.

21 Itaque de ratione indiuidui primum eſt, vt ſit incommunicabile plurib. inferioribus. Sed nunc videndum eſt, vnde indiuiduum completum habeat iſtam incommunicabilitatem tanquam à prima radice, & à primario principio, nùm à materia, an à forma?

22 Dicendum eſt cum Capreolo in 2. diſt. 3. q. 1. a. 1. concl. 1, & art. 3. ad 2. Scoti contra 1. partem 2. concluſionis, & ad 3. etiam Scoti contra ſecundam partem eiuſdem concluſionis, & ad argumentum Durandi contra prædictam ſecundam partem concluſionis 3. Quod materia prima eſt prima radix, cur indiuiduum ſubſtantiæ nec ſit in ſubiecto, nec dici poſſit de ſubiecto: Hoc eſt, quod nec eſt cõmunicabile tanquam forma ſubiecto, nec tanquam natura communis prædicabilis ſuo ſubiecto ſubijcibili. Nam vt dicit Ariſtoteles cap. de ſubſtantia, cum indiuiduum ſubſtantiæ ſit primum ſubiectum, tàm *inheſionis*, quia ipſi inhærent omnia accidentia; quam *prædicationis*, quia omnia prædicata ſuperiora tandem de ipſo prædicantur, neceſſe eſt, vt ipſum non ſit in alio ſubiecto: Quia ſic non eſſet primum ſubiectũ, ſed ſupponeret aliud, cui ineſſet, & ſic daretur proceſſus in infinitũ: Vnde ſtandum eſt in aliquo primo ſubiecto, cui alia inſint, ipſum verò nulli: Et inſuper neceſſe eſt, vt non poſſit de alijs pluribus prædicari, quia ſi de alijs pluribus prædicaretur, etiam ſequeretur idem inconueniens, quia nimirum daretur proceſſus in infinitum.

Capreol.

Ariſt.

23 Nã accipio vnũ ex illis pluribus, de quibus indiuiduum prædicatur, & quæro, an illud etiam ſit prædicabile de pluribus? Et ſi affirmatiuè reſpondeatur, patet proceſſus infinitus. Si reſpondeas negatiuè, hoc ego appello indiuiduum, & primam ſubſtantiam. Ex quo fit, vt in linea prædicamentali, ſicut genus, quod retinet primum locum, eſt ſolum prædicabile, nõ ſubijcibile: Ita indiuiduum, quod tenet vltimum locum, eſt ſubijcibile, non prædicabile: Media autem, & ſubijcibilia ſunt, & prædicabilia.

24 Itaque indiuiduo ſubſtantiali, quod dicitur prima ſubſtantia, repugnat, vt ſit tanquam forma in ſubiecto, & quod vt natura communis prædice-

Digitized by Google

Indiuiduum est essentialiter singulare, & ei repugnat plurificari.

dicetur de subiecto. Vnde illi repugnat plurificari in plura indiuidua, ac proinde est essentiale illi esse singulare: Et cum hoc maximè pertineat ad illius vnitatem numericam, & indiuidualem; dicimus, quod hæc conditio, quod non possit de pluribus prædicari, radicaliter habet à materia, tãquam à primo subiecto, & quantum ad hoc materia est radicale principium indiuiduationis illius. Quod docuit S. Th. multis in locis, præsertim opusc. 29. quod est de Principio indiuiduationis, vbi hæc habet: *Ex quo enim recipitur forma substantialis in materia, efficitur indiuiduum, quod est incommunicabile, & primum fundamentum in genere substantiæ, vt completum aliorum de se prædicabilium subiectum, in via autem generationis semper incompletum est prius completo, licèt in via perfectionis sit totum à contrario. Illud ergo, quod est primum subiectum omnium in via generationis, & incompletum, quod de nullo illius generis prædicatur, materia scilicet necessario erit primum principium esse incommunicabilis, quod est proprium indiuidui.* Idem dicit 3.p.q.77.a.2. vbi postquã dixit. *De ratione indiuidui est, quod non possit in pluribus esse. Quod cõtingit dupliciter.* Et primò, & principaliter dicit hoc, quod non possit esse in pluribus, prout in materia. Quãuis hic locus exponi possit, quod nõ possit esse in pluribus tanquam in subiecto inhęsionis ratione materiæ. Vide alia testimonia, quæ aduertit Capreolus locis citatis.

S. Th.

Capreol.

Ratio nostræ assertionis est deprõpta à S. Th.

25 Ratio autem fundamentalis huius nostræ assertionis est supra allata: Quia ideò prima substantia, seù indiuiduum nec est in subiecto, nec potest dici de subiecto, quia est primum subiectum completum in genere substãtiæ: & ideò non habet vnde ipsum indiuiduũ multiplicetur: quia nec potest multiplicari, vt multiplicantur formæ ex parte subiecti: Neque vt natura cõmunis in suis inferioribus: Sed esse primum subiectum habet indiuiduum radicaliter à materia: Quia cum indiuiduum sit primum subiectum completum, & materia sit primum subiectum incompletum, ideò via generationis, qua ab incompleto tenditur ad completum, prior est ratio primi subiecti respectu materiæ, quam respectu totius indiuidui: Et ideò indiuiduũ habet rationem primi subiecti, in quãtum includit materiam requisitam, vt ipsum indiuiduum sit completum subiectum: Igitur materia est radicale principium vtriusq; prædictæ incommunicabilitatis: Et per modum formę ad subiectum: Et per modum prędicabilis ad suum subijcibile, &c.

Proponuntur in hac tertia difficultate quatuor argumenta cum vnica confirmatione Aduersariorum (inferiùs deinde soluenda) contra primam prædictam nostram, & S. Th. rationem, in qua æquiuocationis neum, & ineficaciam esse contendunt.

26 COntra hanc rationem ex D. Thoma depromptam insurgũt aduersarij, & præsertim Hurtadus post Durandum, Suarium, & alios, dicens hanc rationem continere ingentẽ æquiuocationem in suo medio, nempè in acceptione *primi subiecti*: Nam cum duplex sit primũ subiectum, vt dictum est, *inhæsionis*, & *prædicationis*: In maiore primum subiectum accipitur pro vtroque; Quia vtroq; modo indiuiduum substantiale est primum subiectum: Quia & ipsi insunt accidentia, ipsum autem nulli potest: Et de ipso prędicantur secundæ substantiæ, hoc est prædicata substantialia communia, ipsum autem de nullo inferiori prædicatur. In minori autem primum subiectum accipitur pro præciso subiecto primo *inhæsionis*: quia verum est, quod indiuiduum subijcitur accidentibus propter materiam, quam includit, à qua tanquam à prima radice habet potentialitatem ad illa recipienda, & propter eandem materiam nulli ineſt tanquam forma subiecto. Quia tota substantia esset tãquam forma alteri subiecto, & sic ma-

Hurt. Durand. Suar.

Digitized by Google

teria prima informaret aliam materiã, & de ista quæro, an informet aliam: si non informat: ergo ipsa est prima, & sic est contra rationem primæ materiæ, vt sit forma alterius materiæ, & consequenter substantia, quæ ipsam includit: si iterum hæc materia informat aliam, abibimus in infinitũ, quod vt ostendit Phil. 2. Met. implicat in causis per se subordinatis: & sic standum est in vna prima materia, quæ ita informetur, vt non informet, & consequenter substantia, quæ ipsam includit, contrahit repugnantiam, vt sit in alia tanquam in subiecto, & propter hoc verum est, quod materia est radix, quare prima substantia, seu indiuiduũ substantiale in subiecto non sit, per quod distinguitur ab indiuiduo accidentis.

Arist.

27 Cæterum, quod ab ipsa materia, tanquam à primo subiecto indiuiduũ contrahat hanc negatiuam conditionem, quòd de subiecto non dicatur, nec indiuiduum sit diuisibile in partes subiectiuas, nullo modo prouenit à materia propter rationem primi subiecti: quod multipliciter probatur.

28 Primùm, resumendo argumentum ex dictis. Quia, si qua esset ratio, cur materia esset principium, quare indiuiduum substantiale nõ posset diuidi in plura inferiora, maximè, quia est primum subiectum: Sed hæc ratio non probat, quod indiuiduum non possit multiplicari, vt prædicatum cõmune pluribus inferioribus, sed quod non possit communicari, vt forma subiecto: Quæ communicatio est longè diuersa ab illa communicatione, qua aliquod superius communicatur suis inferioribus: quia prædicatum cõmune prædicatur vt totum, non vt pars formalis, sicut denominatiuè albedo prædicatur de superficie: ergo, quod indiuiduum sit primum subiectũ prædicationis, non habet à materia ob rationem primi subiecti.

1. Argum. principale Aduersariorum.

29 Quòd si respondeas, & dicas; licèt aliud sit rem esse communicabilẽ alteri tanquam subiecto, & esse communicabilẽ alteri tanquam inferiori, tamen vtrumque ex vna communi radice procedit, nempè à materia tanquam à primo subiecto. Ex hoc enim, quod materia tanquam primum subiectum reddit indiuiduum substantiale incommunicabile alteri tãquam subiecto, reddit quoque simul incommunicabile alteri tanquam inferiori: Sicut principium, quod reddit continuum diuisibile in partes integrales, reddit diuisibile in partes subiectiuas: à quo enim habet arbor, vt sit diuisibilis in plures surculos, habet, vt sit natura ipsius multiplicabilis in plura indiuidua.

1. Respõsio ad hoc 1. argum.

30 Contra hanc responsionem vrgetur: Quia si materia per hoc, quod est principium, cur indiuiduum sit incommunicabile alteri tãquam subiecto, esset principium, cur indiuiduum sit incommunicabile alteri tanquam inferiori: sequeretur, quòd vbi esset ista materia, esset ista incommunicabilitas, & vbi non esset materia, hæc incommunicabilitas non inueniretur: Sed hoc est apertè falsum. Nam in quidditatiuo conceptu hominis includitur materia, & tamẽ homo est cõmunicabilis pluribus inferioribus. Persona in indiuiduo Angelico non includit materiam, & tam in indiuiduo Angelico inuenitur ista incommunicabilitas. Igitur materia non est principiũ vtriusque incommunicabilitatis.

Inuasio cõtra hãc primã responsionem nostram ad 1. argum. eorum.

31 Secũdò, si materia ex hoc, quod est primum subiectum redderet indiuiduum substantiale incommunicabile vtroque modo: sequeretur, quod sicut ipsa materia in suo conceptu includens repugnantiam, vt sit communicabilis alteri tanquam forma receptibilis, includeret etiam repugnantiam, vt sit communis de pluribus indiuiduis materijs prædicabilis: Nam ratio primi subiecti est de quidditatiuo conceptu ipsius materiæ vt sic, prescindendo ab hac, vel illa materia: At sequela est falsa, quia ratio materiæ potest concipi in cõmuni, & prædicari de ista, & illa materia, & non potest cõcipi, vt forma receptibilis in hoc, vel illo subiecto, & hoc ideò, quia in suo com-

2. Argum. principale Aduersariorũ cõtra eandẽ primã rationẽ nostram.

Digitized by Google

cõmuniſſimo cõceptu includit rationem primi ſubiecti, ad quod ſequitur, repugnantia, vt ſit forma receptibilis: ergo non ex hoc, quòd materia includit rationem primi ſubiecti, propter quam non poteſt eſſe forma receptibilis, ſequitur quod non ſit de pluribus prædicabilis.

3. Argum. principale Aduerſariorũ erga eandẽ rat.

32 Tertiò, quia de ratione ſubſtãtiæ completæ compoſitæ ex materia, & forma, in communi conſideratæ, & præſcindendo ab omni alio inferiori ſub communi conceptu generaliſſimi generis ſubſtantiæ, eſt, quòd non ſit in alio, tanquam in ſubiecto: Sed quod ſubſtantia compoſita non ſit in ſubiecto non habet à forma, ſed habet à materia tanquam à primo ſubiecto: ergo de ratione ſubſtantiæ in communi eſt materia, vt habet rationem primi ſubiecti: Sed de ratione ſubſtantiæ ſic in communi non eſt repugnantia, vt ſit prædicabilis de pluribus inferioribus: Quia non eſt eſſentialiter ſingularis, vt contra Nominales oſtendimus tractantes de vniuerſalibus, & de vniuocis: ergo non ex hoc, quòd materia eſt primum ſubiectum confert incommunicabilitatem pluribus inferioribus, ac proinde indiuiduum ſubſtantiale non habet à materia, vt ſit primum ſubiectum prædicationis, taliter, quod omnia dicantur dę ipſo, ipsũ autem de nullo inferiori poſſit prædicari.

Impugnãtur Nominales.

4. Argum. principale Aduerſariorũ contra eandẽ noſtrã rat.

33 Quartò, quia quòd indiuiduum ſubſtantiale non poſſit multiplicari in in plura inferiora, pertinet ad illius maximam vnitatem. Ideò enim vnitas indiuidualis eſt maxima, & ſimpliciter vnitas; Quia eſt diuiſum vltima diuiſione, ita vt amplius diuidi non poſſit, & ideo dicitur indiuiduum quaſi ſimpliciter indiuiſibile: Sed dictum eſt ſupra, quod materia eſt principium multiplicationis, forma eſt principiũ vnitatis: ergo, quod indiuiduum non ſit multiplicabile in plura inferiora potiùs habet à forma, quàm à materia: Igitur materia non eſt principium, quare indiuiduum non ſit multiplicabile in plura inferiora.

Cõfirmat. Aduerſariorum.

34 Confirmatur, quia quod indiuiduum non poſſit multiplicari in plura inferiora, habet ab eo, quod vltimò determinat naturam: ſed quod vltimò determinat naturam metaphyſicè, eſt differentia indiuidualis; phyſicè eſt forma, quia à forma ſumitur omnis indifferẽtia. Vnde ſicut differẽtia ſpecifica determinat naturam genericam, ita differẽtia indiuidualis determinat naturã ſpecificam: & differentia, vt dictũ eſt, ſumitur à forma, & ſe habet ad naturã determinatam, ſicut forma ad materiam, vt ſæpiùs ſupra inculcatũ eſt: ergo, quod indiuidum ſit diuiſum vltima diuiſione, habet potiùs à forma, quia à materia, &c.

Efficaci diſcurſu improbatur Aduerſariorum imputatio de æquiuocatione, & inefficacia prædictæ noſtræ, & S. Thomæ rationis.

Capreol.

35 HIS tamen non obſtãtibus, benè ſcripſit Capreolus reſponſione ad 5. contra ſecundam partem concluſionis, quæ eſt reſponſio ad argumentum Durandi. *Quòd S. Thomas, & alij ſequentes eum in iſta materia, non falluntur per quamcumque æquiuocationem, vt arguens putat. Scimus enim, quod aliud eſt aliquid eſſe in alio per inhærentiam, & eſſe in illo per eſſentialẽ identitatem.* Hoc eſt ſicut ſecundæ ſubſtantiæ ſunt in ſubſtantia prima. *Verumtamen diximus, quod in rebus materialibus compoſitis iſti duo modi ſeſe inſeparabiliter concomitantur.*

Ratio diſcurſus.

36 Et probatur. Nam accipiamus aliquam ſingularem, & indiuiduam naturam ex materia, & formam compoſitam, nempè naturam huius Solis, & fingamus illam eſſe receptibilem, & vt formam informantem: Ex hoc, quod iſta ſingularis natura eſſet receptibilis in ſubiecto, eſſet multiplicabilis aliqua multiplicatione: Ergo ex hoc, quod propter materiã non eſt receptibilis, aliqua multiplicatione eſt immultiplicabilis: ſed non eſſet immultiplicabilis multiplicatione ſpecifica,

Digitized by Google

fica, hoc eſt non eſſet immultiplicabilis in plura indiuidua eiuſdem ſpeciei: (Quia de facto videmus, quod naturæ includentes materiam, multiplicãtur in pluribus indiuiduis eiuſdem ſpeciei: Imo, vt diximus, materia eſt principiũ talis multiplicationis.) Eſt ergo illa natura propter irreceptibilitatem immultiplicabilis multiplicatione indiuiduali, ideſt non poteſt ſubdiuidi in plura inferiora ſub ſe.

37 Tota difficultas conſiſtit in primo antecedente. Quia ſi receptibilitas confert naturæ aliquam multiplicationem, irreceptibilitas ſine dubio aufert iſtam multiplicationem, & fundat repugnantiam ad illam: Et quod eſt principium talis irreceptibilitatis, eſt profectò principium repugnantiæ ad talem diuiſibilitatem.

Antecedẽs rationis noſtri diſcurſus probatur.

38 Probatur ergo antecedẽs. Quia ſi iſta natura eſſet receptibilis, deberet recipi in ſubiecto quãto, & diuiſibili: imo ſecum afferet dicitur quãtitatem, & diuiſibilitatem, quia includeret in ſe materiã: ſi ergo diuideretur ad diuiſionem ſubiecti, ex vna ſingulari, & indiuidua natura, fierẽt duæ naturæ: & ſic vna ſingularis natura ſubdiuideretur in duas naturas ſingulares: ergo indiuidua natura ſubdiuideretur in ſua inferiora. Probatur conſequentia, quia quælibet natura ex illis dictis contineret in ſe ſingularitatem naturæ diuiſæ: ergo natura ſingularis diuiſa prædicaretur tanquam ſuperius de illis naturis inter ſe diuiſis. Conſequentia patet: & antecedens probatur. Quia ſingularitas, vel hæcceitas, aut differentia numerica illius naturæ diuiſæ, vel eſſet diuiſibilis, vel indiuiſibilis: Si eſſet indiuiſibilis, eſſet contra experientiam: quia videmus naturas ſingulares eſſe diuiſibiles ſolũ in partes integrales, & hæc diuiſio ſufficit ad præſens. Si eſſet diuiſibilis: ergo quælibet pars illius naturæ haberet ſuam hæcceitatem: Sed quælibet pars illius hæcceitatis eſt pars ſubiectiua reſpectu hæcceitatis diuiſæ: ergo illa natura indiuidua, quatenus indiuidua, haberet ſua inferiora, & ſuas partes ſubiectiuas: & ſic indiuiduum eſſet adhuc diuiſibile in ſua inferiora.

Reponuntur ad iſtum immediatum præcedentem noſtrum efficacem diſcurſum duæ Aduerſariorum reſponſiones, quarum prima ſtatim diſſoluitur: Secunda vero cum duplici confirmatione remittuntur enodanda inferius.

1. Reſpõſio Aduerſariorum ad noſtri diſcurſus rationem, & ſolutio.

39 AD hoc variè reſponderi poteſt: Primum dici poteſt, quod illa natura ſingularis caſu, quo eſſet receptibilis, non eſſet diuiſibilis: Sicut animę perfectorum animalium (ne dum anima rationalis) etiam ſi ſint receptibiles, tamen ſecundum probabiliorem ſententiam S. Thomæ, non ſunt diuiſibiles.

40 Sed hæc reſponſio non eſt ſufficiens: Primum, quia accipio naturam ſingularem, etiam perfectam, quæ eſt diuiſibilis, & ſecundum materiam, & ſecundum formam: Si ergo cum non ſit recepta adhuc eſt diuiſibilis, quanto magis ſi eſſet forma receptibilis. Secundò, quia illa natura eſſet materialis, non ſolum illo modo, quo de facto anima rationalis aliquo modo dicitur materialis, quia eſt actus materiæ: ſed etiam eſſet materialis, quia conſtaret ex materia: cum ergo iſta diuiſibilitas ſit paſſio materiæ, neceſſe eſt, vt non ſolum ex parte ſubiecti, ſed ipſa ſecum afferet hoc genus diuiſibilitatis.

2. Reſponſio Aduerſariorum.

41 Secundò reſponderi poteſt, & magis adæquatè. Quod illa natura eſſet diuiſibilis, ſed hoc, vt ſingularis eſt, eſſet diuiſibilis in partes integrales, nõ in partes ſubiectiuas: Aliàs etiam de facto natura indiuidua eſſet diuiſibilis, vt indiuidua eſt, in partes ſubiectiuas: Nam de facto videmus aliquam naturam indiuiduam diuidi in plures partes integrales: & ad ſummũ ſequeretur, quòd illa natura cõmunis ſpecifica diuideretur in plura numero indiuidua, ſicut cum diuiditur ſuperficies alba, in plures partes, multiplicantur plures numero albedines: Non autem quod hęc indiuidua albedo diuidatur

in

Digitized by Google

in plures partes subiectiuas, vt supra etiam à nobis responsum est ad consimile argumentum.

42 Confirmatur responsio. Quia si argumentum vrgeret, etiam de facto probaret, quòd indiuiduũ esset adhuc diuisibile in partes subiectiuas, quia non minus hæc diuisibilitas conuenit substantiæ singulari, etiam si sit irreceptibilis, ac si esset receptibilis: ergo si de facto indiuiduum non diuiditur in partes subiectiuas, etiam si sit diuisibile in partes integrales, neque si illa singularis natura esset receptibilis, &c.

1. Confir. responsionis.

43 Confirmatur secundò. Quia nõ minus vna forma singularis receptibilis est indiuidua, seu indiuisibilis in partes subiectiuas, ac vna completa natura singularis, & indiuidua, quamuis irreceptibilis sit: Ergo, quòd illa natura esset receptibilis, si supponitur singularis, & indiuidua, non propterea sequitur, quod possit diuidi in plures partes subiectiuas. Cons. patet, quia si idem effectus constat in receptibilitate, & irreceptibilitate, signum est manifestum, quod ille effectus nõ prouenit à receptibilitate, neque ab irreceptibilitate.

2. Confir. responsionis Aduersariorum.

44 Antecedens etiam patet. Nam accipio vnam singularem animam separatam: certè hæc anima est receptibilis à materia, tanquam illius forma, eo modo, quo anima rationalis est receptibilis: & cum sit singularis, est indiuisibilis in plures partes subiectiuas: ergo forma receptibilis, si est singularis, non obstante illius receptibilitate, adhuc est indiuisibilis hoc genere diuisionis: ergo si natura completa esset receptibilis, nihilominus esset indiuisibilis in plures partes subiectiuas.

Probatur antecedens. Secundæ confir.

Reprobantur præcedentes duæ responsiones cum duplici earum confirmatione Aduersariorum robusto vnico nostro argumento.

45 AT hæc responsio, quantumuis habeat apparentiam, & validè conformata, nihilominus non satisfacit: Et arguo cõtra illã supponendo, quod si materia non est primum principium, vnde natura singularis non possit diuidi in plura inferiora, oportet, quòd assignetur aliud principium, aut physicum, aut metaphysicum, in quo fundetur ista indiuisibilitas. Quia ista indiuisibilitas non est purè negatiua, sed importat intrinsecam repugnantiam ad diuisionẽ fundatam in ipsa entitate naturæ singularis: & ideò ex aliquo intrinseco principio positiuo debet oriri ista repugnantia, & ad illud sequitur illa negatio diuisionis. Tunc quæritur, quod nam est istud principium? Communiter assignant aduersarij hæcceitatem, siue differentiam indiuidualem, per quam vltimò natura determinatur, & fit hæc singularis natura: siue hæc differentia sit ex natura rei distincta à natura specifica singularizata, vt volunt Scotistæ: siue identificata cum ipsa entitate naturæ, vt volunt alij.

Contra omnes prædictas responsiones Aduersariorum inuasio nostra.

46. Hoc supposito arguitur contra. Hæc hæcceitas esset diuisibilis ad diuisionem subiecti in partes integrales: Sed non posset esse diuisibilis in partes integrales, quin esset simul diuisibilis in partes subiectiuas: ergo natura indiuidua, & singularis esset simul diuisibilis in partes subiectiuas: quod implicat in terminis, quia esset indiuisibilis, & diuisibilis in partes subiectiuas: Esset indiuisibilis, vt supponitur, quia esset singularis, & indiuidua, quæ non aliter dicitur indiuidua, quia non est diuisibilis in partes subiectiuas: Esset diuisibilis in prædictas partes, quia esset recepta: Igitur esset manifesta implicantia.

Ratio nostræ inuasionis.

Redarguũtur Aduersarij de eorum contradictionis implicat.

47 Maior patet, quia hæc hæcceitas esset extensa ad extensionem subiecti, sicuti esset extensa ipsa natura: Vnde si ipsa natura esset diuisibilis in partes integrales, etiam hæcceitas, uel cum illa identificata, vel vt modus intrinsecus illius, esset etiam diuisibilis in partes integrales: Vnde de maiori non potest esse difficultas.

48 Minor etiam probatur. Quia nulla forma potest diuidi in partes integra-

Digitized by Google

Minor rationis nostræ inuasionis probatur.

tegrales, quin diuidatur simul in partes subiectiuas. Quamuis enim possit aliqua forma diuidi in partes subiectiuas, & nō in partes integrales, vt Natura Angelica spiritualis, quæ diuiditur in plures species Angelicas, vel etiā secūdum aduersariorum opinionē in plura indiuidua, diuiditur quidem in plures partes subiectiuas, nō autem integrales: Nulla tamen forma potest diuidi in partes integrales, quin diuidatur simul in partes subiectiuas: Et dico *formam* quamcumque rationem formalem, quæ physicè, vel metaphysicè considerata præbet aliquē formalē effectū: Sed differentia indiuidualis esset aliqua forma, vel physica, vel metaphysica tribuens suum effectum formalem singularizando naturam specificam, & constituendo naturam hanc singularem; ergo si hæc differentia diuidatur ad diuisionem subiecti in partes iutegrales, etiam diuiditur in partes subiectiuas.

Forma potest diuidi in part. subiect. Quin diuiditur in part. integrales.

49 Maior patet: Quia albedo, v.g. extensa in hac numero superficie, si diuidatur superficies, ad illius diuisionem diuiditur albedo, cum hoc, quod quot sunt partes integrales, in quas diuiditur superficies, tot sunt indiuiduæ albedines: Similiter cum aliqua natura substantialis diuiditur in plures partes integrales, quot sunt partes integrales, tot multiplicantur indiuidua illiùs naturæ, vt apparet cū ex arbore, vel planta præciduntur surculi, & in terra plantantur, quot fuerunt surculi plantati, totidem sunt indiuidua multiplicata illius naturæ arboris: Igitur non potest aliqua forma, vel natura diuidi in partes integrales, quin diuidatur in partes subiectiuas: ergo si hæc differentia numerica diuiditur ad diuisionem naturæ singularis, oportet, vt hæc differentia singularis secundum quod est hæc hæcceitas, & hæc differentia numerica diuidatur in plures partes subiectiuas, de quibus hæc hæcceitas, vt est hæc, tanquam quid superius de suo inferiore prædicetur.

Maior eiusdem rationis inuasionis nostræ probatur.

Forma, vel natura nō diuiditur in partes integrales, quin diuidatur in partes subiectiuas.

Ponuntur nostro vnico præcedenti argumento tres responsiones Aduersariorum, & earum enodationes.

50 SED ad hoc potest primò responderi ab aduersariis, quòd quamuis verum sit, quod ad diuisionem in partes integrales sequatur diuisio in partes subiectiuas quantum ad rationem genericam, vel specificam, nō tamē quantum ad rationem indiuidualem, quæ est effectus formalis huius hæcceitatis, in quantum est hęc hæcceitas: Et ratio disparitatis est: Quia ratio generica, vel specifica, reperitur non solum in toto integrali, sed in qualibet illius parte; Ratio enim albedinis, vt albedo est, non solum inuenitur in tota superficie, sed in qualibet illius parte. Sicut etiam natura arboris non recipitur solum in tota arbore, sed in quolibet surculo illius, & ideo si diuidatur, & præcidatur, in qualibet parte inuenitur tota ratio quidditatiua, vel albedinis, vel naturæ arboris, & sic quælibet pars est indiuiduum illius naturæ, vel qualitatis: At hæc hæcceitas non potest multiplicari numero, quia hæc hæcceitas nō potest habere aliquam rationem cōmunem pluribus hęcceitatibus: quia ipsa determinat naturam, excludens ab illa omnē cōmunitatē: Quia est singularizans, & indiuiduans naturam, & faciēs illam esse hāc singularem naturam: Et ideò non potest diuidi in partes subiectiuas ad diuisionem ipsius naturę, sed solum in partes integrales.

Inuasione nostræ, & eius rationi respondent secundo Aduers. QVAESTIVNCVLA 3.

51 Sed cōtra hanc responsionē vrgetur, quia hoc est inconueniens, quod sequeretur ex aduersariorum sententia: Quod hæc hæcceitas esset hæc, & non esset hęc: Esset hæc, vt supponitur: Non esset hęc, quia, vt hęc, esset de pluribus inferioribus prædicabilis: Et natura singularis per illam constituta esset indiuidua, hoc est, diuisa vltima diuisione, vt supponitur: Et non esset diuisa vltima diuisione, quia vt hæc natura singularis adhuc esset subdiuisibilis in plures partes subiectiuas: Et

Præcluditur 1. responsio Aduers.

pro-

Digitized by Google

QVAESTIVNCVLA 3. Resolutio.

probat sequelã, quia vt benè dictum est, quando aliqua forma extenditur ad extensionem continui, in qualibet parte illius continui inuenitur totum, quod est de ratione formali illius formæ, & inuenitur totum, quod pertinet ad effectum formalem illius: Sed hæc hæcceitas est forma extensa, &c. ergo in qualibet parte extensa illius continui inuenitur tota formalis ratio huius hæcceitatis, in quantum est hæc hæcceitas. Nam non solum extenditur, vt hæcceitas, sed vt hæc hęcceitas, & hęc est propria ratio formalis illius, esse hanc hæcceitatem: ergo vt hæc extenditur: ergo cum diuiditur, in qualibet parte diuiditur vt hęc hæcceitas; Nam in qualibet parte diuisa remanet sua propria formalis ratio: Igitur de qualibet parte posset prædicari, vt totum commune de suis inferioribus, & ita, vt hæc hæcceitas haberet partes subiectiuas, quod vt dictum est, implicat in terminis, &c.

52 Secundò respõderi potest, quòd quando aliqua natura singularis diuiditur in plures partes integrales, tunc hæcceitas, quæ singularizabat illam naturã, non remanet in partibus diuisis, sed destruitur, & resultant aliæ hęcceitates, tot, quot sunt partes integrales, in quas illa natura diuiditur; ad eum modum, quo dicunt nonnulli Thomistæ, quòd existentia cõtinui est vna, & indiuisibilis, & quod cum continuũ diuiditur in partes integrales, illa præcedens existẽtia desinit, & nouæ existentiæ resultãt in partibus diuisis.

Cõtra nostram inuasionẽ, & eius rationẽ respondent secundò Contrarij.

53 Sed hæc responsio non potest stare, quia sequeretur, quòd hæcceitas esset distincta realiter, & realiter separabilis à natura singulari, & sic natura non multiplicaretur realiter ad multiplicationem indiuiduorum: Quia saltẽ per Diuinam potentiã posset vna numero natura successiuè habere plures hæcceitates, sicut vna numero materia successiuè potest habere plures formas, & per illas successiuè existeturę; Præterquamquod natura supponeretur vna numero ante singularitare; quod destruit singularitatem naturæ, & haberet vnitatem numericam sub pluribus hæcceitatibus, ac proinde haberet vnitatẽ independenter ab hæcceitatibus illis, quod totũ est falsum, vt infra latiùs ostendemus, &c.

Præcluditur 2. responsio Cõtrariorum.

54 Tertiò respõderi potest, quod illa singularitas, vel hæcceitas, qua indiuiduatur vna totalis natura, non est vna simplex hæcceitas, sed est composita ex pluribus hæcceitatibus partialibus, quia quælibet minima particula illius materiæ substantialis habet suã propriam hæcceitatem, & ex omnibus illis integratur vna totalis hęcceitas; Vnde quando illa natura diuiditur in partes integrales, in qualibet parte non inuenitur ratio formalis illius totalis hæcceitatis, sed partialis hæcceitas correspondens entitati illius partis, quæ vna cum hæcceitatibus partialibus aliarum partium integrabant totam illam hæcceitatem. Ita respondent illi, qui concedunt partes entitatiuas substantiæ inter se realiter distinctas, &c.

3. respõsio Aduersar. nostræ inuasioni, & eius ratio-ni.

Præcluditur 3. responsio Aduersar. Arist.

55 Sed hæc responsio fundata in illa sententia non satisfacit, quia hæc sententia in primis est contra Aristotelem, qui dicit abstracta quantitate à substantia, nullas remanere partes in ipsa substantia. Vnde illa distinctio partium continui est accidentalis. Nos autem quærimus de distinctiuo substantiali, per quod ipsæ partes substãtialis naturæ indiuiduantur antecedẽter ad quantitatem. Secundò ista sententia coincidit tandem cum sententia Democriti, & Anaxagoræ, quòd omnia constent ex atomis: Nihil enim est aliud atomus, grecè, quàm indiuiduũ, latinè. Si ergo quælibet minima particula illius naturæ substantialis haberet suam propriam hæcceitatem, quælibet illa particula in genere substantiæ esset completum indiuiduum. Quia in qualibet particula inueniretur tota ratio specifica cum sua propria hæcceitate substantiali, & sic illa natura singularis constaret ex infinitis indiuiduis, seu atomis inter se distinctis: proindeque illa natura non esse, nisi vnum per accidens.

Sententia Democriti, & Anaxagoræ.

Digitized by Google

56 Nec refert, quod inter illas partes fingantur indiuiſibilia ſubſtantialia continuantia illa indiuidua: Quia hæc indiuiſibilia non ſunt hæcceitates partium, ſed ſupponuntur partes hæcceizatæ per proprias hæcceitates, & per illa indiuiſibilia vniuntur inter ſe, ſicut medio cęmento vniuntur lapides in pariete. Sed vnaquæque pars haberet ſuam completam hæcceitatẽ, & ſic vnaquæque eſſet completum indiuiduum, quantum ſpectat ad indiuiduum in genere ſubſtantiæ: Et cum nõ poſſent illæ partes aſſignari in certo numero, certè aſſerendæ ſunt infinitæ, & ſic natura aliqua ſubſtantialis conſtaret ex infinitis atomis, ſeu indiuiduis, proindèque illa ſubſtantia eſſet vna per accidens: Sicut de facto ſi ex multis indiuiduis fieret vnum totale indiuiduum, ſicut ex multis hominibus fit vnus exercitus. Obiectio, & eius reſponſio.

57 Dices eſſe diſparem rationem, quia homines non continuantur ſubſtantialiter inter ſe, ſicut partes illius naturæ ſingularis. Obiectio.

58 Sed contra, quia quod illæ partes quatenus ſunt in ſe indiuidua, per accidens eſt, quod ſint continuæ, vel diſcontinuæ. Poſſunt enim eſſe continuæ, vel diſcontinuæ: ergo per accidẽs variantur, & ſic vnitas illius indiuiduę naturæ eſſet vnitas accidentalis. Enodatio.

59 Sed vlterius dices, hæc forma per accidens vnitur huic materiæ, & vnitæ faciunt vnum per ſe: ergo etiam ſi illa indiuidua per accidens continuentur, non propterea faciunt vnum per accidens. Obiectio.

60 Sed contra: Quia licet hæc forma, & hæc materia per accidens quodammodo vniantur, faciũt tamen vnũ per ſe, quia ſunt partes eſſentialiter ſe reſpicientes inter ſe proportionatæ, & habent inuicem innatum appetitum ad vnionem: Sed illæ partes quatenus ſunt indiuidua inter ſe diſtincta, nec ſunt eſſentialiter inter ſe proportionatę; Non enim vnum indiuiduum eſt eſſentialiter ordinatum ad aliud, nec habent eſſentialem propẽſionem: Nõ enim vi eſſentię vna reſpicit aliam, quia vna habet ſuam intrinſecam, & indiuidualem ſubſtantiam independenter à conſortio alterius. Et tandem non habent mutuum, & innatum appetitum ad vnionem. Alioquin omne indiuiduum appeteret continuari cum altero, quod patet eſſe falſum. Nam duo lapides, ſi haberent innatum appetitum ad continuationem, ſi ponerentur ſimul, ſtatim continuarentur, quod eſt contra experientiam. Prędluſio.

61 Dices, quod ideò nõ continuãtur, quia ſunt corpora dura, & duritics impedit continuationem: Quod ſi eſſent corpora mollia, vt aqua, & cæteri liquores, vtique continuarentur. Imo videmus, quod duæ aquæ inter ſe vicinæ, vna attrahit alteram, & continuantur inter ſe. Obiectio.

62 Sed contra: Quia ſi indiuidua ſubſtantialia haberent innatum appetitum ad continuationem, non ab intrinſeco ſecum ferrent qualitatem impedientem continuationem: Sed potiùs qualitates conferentes ad continuationem: Sed durities conuenit lapidi ex propria natura: ergo nõ habet natura vnius lapidis appetitum innatũ continuandi ſe cum alio lapide. Quod ſi aqua attrahit aliam aquam, non eſt ex appetitu præciſæ continuationis, ſed ex innato appetitu ſuæ conſeruationis, & defenſionis à contrario obſiſtente. Igitur non eſt ſimilis ratio de coniunctione formæ, & materiæ, & de vnione illorum atomorum, ſeu indiuiduorum: Vnde vnitas illa naturę cõſtans ex infinitis indiuiduis eſſet omninò accidentalis, & ideò Ariſtoteles eam reduxit ad quantitatem, qua ſublata remanet talium partium diſtinctio, &c. Reſpõſio. Ariſt.

Digitized by Google

Enodantur duæ confirmationes principales primæ responsionis Aduersariorum, & quædam instantia allata in eadem responsione pag. 63. à num. 42. vsque ad num. 45. huius secundi paragraphi proposita contra nostrum efficacem discursum in hac tertia difficultate.

Ad instãtiam, & ad 1. Cõfir. Aduersarior. respõdetur.

63 NEC ea, quæ pro corroboranda principali responsione adducebantur, quidquam proficiunt. Ad instantiam ergo, quæ in responsione affertur, & ad primam illius confirmationem; nempè, quòd non minus aliqua singularis natura est diuisibilis de facto in partes integrales, cum est irreceptibilis, ac si esset receptibilis: Sed de facto, vt singularis non diuiditur in partes subiectiuas, sed solum integrales: Ergo neq; si esset receptibilis: Dicendum non esse similem rationem. Quia, vt dictum est, ex vna parte illa natura non haberet à subiecto repugnantiam ad diuisionem in partes subiectiuas, sed ex se ipsa haberet principium intrinsecum talis repugnantiæ, vt dicunt aduersarij: Et sic illud principium intrinsecũ esset multiplicabile secundum propriã rationem ad diuisionem subiecti, in quo recipitur ipsa natura, & sic tota ratio illius quidditatiua inueniretur in vna, & in altera parte: Et ideò ipsũ principium, cuius tota ratio quidditatiua esset constituere hanc naturam, *vt hanc*, inueniretur in vna, & in alia parte integrali, & posset prædicari illud principium singularizans ipsã naturam, *totum* vt est in vna parte, & *totum* vt est in alia parte, & sic prædicaretur vt *totum* de suis partibus subiectiuis.

64 At vero, quia secũdum nos hoc principiũ singularizãs naturã, est materia prima, quatenus habet rationem primi subiecti: sic illa natura ex ista parte est terminata; Vt quatenus diuiditur ad diuisionem materiæ, diuidatur vt natura est, non vt singularis est; quia ex parte materiæ diuiditur vltima diuisione, quæ est diuisio indiuidualis. Vnde fit, vt cum diuiditur ad diuisionem materiæ, ipsa multiplicatur numero sub eadem specie, non autem vt est vna numero: Quia istam indiuisionem non habet natura ex se, sed habet à materia, vt habet ratione primi subiecti, ac proinde terminantis ipsam naturam, vt non sit amplius diuisibilis in partes subiectiuas.

Quomodo linea sit diuisibilis, & indiuisibilis?

65 Et explicatur hoc exemplo lineæ. Habet enim linea diuisibilitatem, & indiuisibilitatẽ: quatenus enim habet diuisibilitatem, componit cum ipsa superficie, & est diuisibilis cum illa, sed quatenus terminat superficiem, est indiuisibilis, & coercet diuisibilitatem superficiei, vt ex illius latere, quam ipsam terminat, non sit amplius diuisibilis.

Quomodo materia sit diuisibilis, & indiuisibilis?

66 Sic materia simul est diuisibilis, & indiuisibilis. Quatenus enim componit cum forma aliquam naturam specificam, est diuisibilis, sicut ipsa natura, imo ab ipsa tanquam à prima radice prouenit ipsa diuisibilitas. Sed tamen quatenus terminat formam, vt primum subiectum, faciens illam repugnantem, vt sit in alio subiecto, est indiuisibilis, & facit, vt natura non sit amplius diuisibilis in partes subiectiuas.

67 Et sic patet, quod non est similis ratio de diuisibilitate naturæ, quatenus est irreceptibilis, & quatenus est receptibilis. Nam quatenus est receptibilis, semper est multiplicabilis ad multiplicationem recipientis, vt non semel docet S. Thomas. Et nõ solum ipsa natura receptibilis est multiplicabilis ad multiplicationem recipientis: Sed omnis ratio formalis quãtumuis singularis, quam communicat recipienti. Vnde etiam singularitas, & hæcceitas illius esset multiplicabilis in partes subiectiuas, vt ostensum est, quod implicat contradictionem. Non sic autem si singularizatur ex parte recipientis; Quia si ipsũ recipiens non potest diuidi in partes subiectiuas, sed est vltimò terminans receptum, vt est materia prima, quatenus est primum subiectum, nec ipsa

S. Th.

Digitized by Google

natura recepta potest amplius diuidi, quatenus includit in se receptiuũ confert huiusmodi indiuisionem,&c.

Ad 2. Cõfir. respõsio.

68 Ad secundam confirmationem respondetur,quod non est similis ratio de anima rationali, & si sit receptibilis,& de natura completa irreceptibili. Quia natura completa irreceptibilis habet suam singularitatem absolutam, & independentem ab aliquo receptiuo. Et hoc ideo est, quia ad sui constitutionẽ requirit essentialiter inclusionem materiæ,quæ quatenus primum subiectum,terminat illã, vt neq; sit in subiecto,nec dici possit de subiecto. At vero anima rationalis habet suam singularitatem nõ per hoc, quod includit principium huius indiuisionis, sed per hoc, quod dicit ordinem ad tale principium terminatiuum, in quo est receptibilis.

Anima rationalis est singularis per ordinẽ ad suum receptiuum.

69 Sicut si darentur duæ superficies,quarum vna intrinsecè ad sui terminationem requireret lineam, altera sufficiẽter terminaretur à linea per solum ordinem ad illam; Verè linea esset terminus vtriusq; superficiei conferens vtrique superficiei ex illa parte, qua ipsam terminant, indiuisibilitatem, sed diuerso modo, pro diuersa superficierum natura,quia vnam terminaret per intrinsecam, & actualem adhærentiam, alteram per adhærentiam aptitudinalem: Ita dicimus in proposito. Quod natura irreceptibilis terminatur à materia, vt non sit diuisibilis in partes subiectiuas per actualem illius inclusionem: & irrationalis terminatur à materia per hoc, quod est apta in ea recipi,&c.

Obiectio, & eius respõsio.

70 Quod si dixeris; saltem Natura completa receptibilis posset etiam per ordinem ad suum receptiuum singularizari. Hæc instantia non valet, quia iam dato, quod per solum ordinem ad receptiuum singularizantur,adhuc receptiuum esset primum principium singularitatis illius,&c.

Probatur secundò alia ratione ex Capreolo nostra sententia huius 3. difficultatis,qua firmauimus materiam esse radicem, & principium incommunicabilitatis indiuidui substantialis completi.

71 QVanquam rationem allatam ad probandum,quòd indiuiduum substantiale à materia tanquam à primo subiecto habeat, quod nec sit in subiecto, nec possit dici de subiecto ego existimẽ efficacem, tamẽ quia habere potest quasdam apparentes responsiones, & contradicit principijs nonnullarum opinionũ, quas Auctores illarũ constanter defendunt, ideò illius efficacia aliquibus minus clarere potest.

2. Ratio nostræ cõclus.

72 Vnde probatur secundò ratione, quam insinuat Capreolus in illa responsione Durandi, & eam formo in hunc modum. Ab eo indiuiduum substantiæ habet tanquam à principio physico radicali, quòd de subiecto dici non possit, à quo habet, vt ipsum sit primum subiectum, de quo omnia superiora dicuntur, & ipsum de nullo inferiori dici potest: Sed esse primum subiectum hoc modo habet à materia: Sicut ab illa habet, quod non possit inesse subiecto. (Quod Aduersarij concedunt,vt supra dictum est:) ergo materia est primum, & radicale principium, cur indiuiduum substantiæ, nec in subiecto sit,nec de subiecto dici possit. Maior de se patet,&c.

Minor probatur primò.

73 Minor, in qua est difficultas, probatur primo: Quia indiuiduum substantiæ ex eo est primum subiectũ prædicationis, quia omnia superiora prædicata illi communicantur, ipsum autẽ non se communicat alijs: Sed superiora prædicata sunt communicabilia, metaphysicè concepta,indiuiduo, (quia forma, quæ est radicale principium prædictorum prædicatorũ, physicè se communicat materiæ tanquam primo subiecto physico, & informat illam secandũ diuersos gradus prius, & posterius; & hinc fit, vt gradus illi sint

Forma facit,vt prædicata superiora communicata indiuiduo de illo prædicentur.

Digitized by Google

sint prædicabiles, & communicabiles indiuiduo:)ergo ex hoc, quòd materia est recipiens formam informantẽ secundum diuersos gradus, sequitur vt indiuiduum sit recipiens omnia illa prædicata, determinans illa taliter, vt prout sunt recepta in illo, nec ipsum indiuiduum, nec illa prout sunt in illo, possint de alio inferiori prædicari.

Materia facit, vt prædicata superiora cõmunicata indiuiduo, de alijs non prædicẽtur.

74 Sicut enim communicabilitas istorum prædicatorum est à forma tãquam à prima radice, ita incommunicabilitas tanquam à prima radice est à materia. Vnde forma indiuiduata à materia, v.g. secũdum rationẽ corporis, constituit indiuiduum corporis, quod indiuiduum corporis, nõ potest, vt tale est, subdiuidi in plura indiuidua corporis: Quãuis enim, vt corpus possit subdiuidi in plura indiuidua corpora, tamen, vt corpus indiuiduũ, non potest subdiuidi in plura indiuidua, aliàs non esset formaliter indiuiduum: Sed hanc indiuiduationem non habet à forma, quia forma præcisè confert rationem corporis: ergo habet à materia, quatenus recipiendo formam, vt primum subiectum, coercet illius communicationem, vt nec corpus constitutum sit in subiecto, nec possit de pluribus corporibus prædicari.

Minor probatur secundo.

75 Secũdò, quia ita se habent prædicata superiora ad indiuiduum metaphysicè, sicut forma ad materiã physicè: Nam sicut forma partis informat materiam secundum diuersos gradus: ita forma totius concipitur informare indiuiduum secundum diuersa prædicata superiora, & inferiora: Et ideo

Arist.

dixit Philosophus cap. de substantia, quod secundæ substantiæ, idest prædicata generica, vel specifica, quę secum affert indiuiduo forma totius, prędicãtur de primis substantijs, quæ sunt indiuidua, *in quale quid*: hoc est tanquã forma de subiectis: Sed quod prædicata se habeant per modum formæ habent à forma tanquam à prima radice physica: Quia in tantum sunt formalia, in quantum includunt formam: ergo, quod indiuiduum sit primum subiectum recipiens omnia prædicata, habet quatenus includit materiam, quæ est primum receptiuum irreceptibile.

Indiuiduum nõ esset receptiuũ, sed receptibile ideo nõ prædicatur de inferioribus.

76 Et hinc fit, vt ipsum indiuiduũ non possit de inferioribus prædicari, quia vt sic non esset receptiuum, sed receptibile, & sic potiùs se teneret ex parte formæ, sicut alia prædicata cõmunia, quàm ex parte materiæ: ergo quod indiuiduum non sit communicabile inferioribus habet, vt includit materiam tanquam primum subiectũ: sicut quatenus includit formam, habet prædicata de inferioribus prædicabilia.

77 Res enim compositas, & vt sic dicam mistas, oportet resoluere in sua simplicia principia, ex quibus componitur, & videre quid ab vnoquoque principio sibi conferatur. Non enim frustrà concurrunt principia componentia ad constituendam rem compositam. Cum ergo substantia indiuidua sit cõposita ex materia, & forma, & forma sit receptibilis, & materia sit receptiua: & in quãtũ in se includit aliquid receptibile, est communicabilis pluribus: Et in quantũ includit receptiuũ est incommunicabilis pluribus: ergo materia inclusa in substantia indiuidua, à qua habet, vt sit receptiuum, est principium, cur indiuiduum sit incommunicabile pluribus.

Probatur Minor subsũpta.

78 Vnde probatur tertio illa minor subsumpta: Quia prædicata superiora coarctantur, & redduntur minus diuisibilia, minusque communicabilia ex parte subijcibilis, & quantum subijcibile fuerit inferius, & magis coarctatur, vnde indiuiduum ideo coarctat, & reddit naturã speciei omninò indiuisibilem, & incommunicabilem, quia est vltimum subijcibile, seu est illud, quod omninò subijcitur, & de nullo prædicatur, vt videri potest in serie prædicamentali: Sed quod aliquis gradus medius in serie prædicamentali, qui simul est subjicibilis, & prædicabilis, quod sit subijcibilis habet à materia, quod sit prædicabile habet à forma. Nam prædicatum attribuitur subiecto secũdum illud, quod est actuale: subijcitur autem secundũ quod est potẽtiale:

le: Vnde prædicatum attribuitur suo subiecto sicut perfectiuum suo perfectibili: Ergo, quod indiuiduum sit primum subijcibile, & proinde de nullo prædicabili, habet à materia tanquam à prima radice, &c.

Extant quatuor Obiectiones erga tres probationes prædictas Minoris nostræ secundæ Rationis, & enodantur: ac de Angelorum gradibus essentialibus subijcibilibus, & prædicabilibus apprimè differitur.

79 SED contra has probationes occurrunt tres obiectiones, quę etiam in argum. principalibus pro contraria sententia tactæ sunt. Prima est, quia in Angelis dantur gradus essentiales subijcibiles, & prædicabiles, & tamen non datur materia in eis, nec forma, tanquam partiales substantiæ componentes vnam substantiam completam, sed substantia Angeli est simplex: ergo subijcibilitas, & prædicabilitas non sumuntur neque à forma, neque à materia. 1. Obiectio.

80 Respondetur, quod vna simplex essentia Angeli continet eminenter, quod in nobis præstant duæ partes substantiales, materia scilicet, & forma: & ideò sicut substantia Angeli sine materia habet rationem primi subiecti, quam in nobis tribuit materia; Ita etiam in gradibus essentialibus potest in Angelo reperiri subijcibile, & prædicabile, quatenus scilicet essentia illius est finita, & limitata, & consequenter potest concipi vt actualis, & potentialis. Vnde, quia Essentia Diuina est actus purus, ideò ibi propriè non est subijcibile, nec prædicabile. Quãuis enim in substantia Angeli nõ sit propriè materia, & forma; est tamen ibi aliquod proportionale correspondens formæ, & materiæ, in quo fũdari potest ratio subijcibilis, & prædicabilis. Propterea, quia gradus essentiales, & si dicant perfectiones, & sic habent rationem formæ: quia tamen sunt limitati, & finiti, vnus ab alio perficitur, & sic possunt concipi, vt perfectibiles, ac proinde vt sic cum aliquo fundamento inuenitur ratio subijcibilis, & prædicabilis. Enodatio. Quomodo essentia Angeli contineat eminẽter quod præstat nobis materia, et forma?

81 Adde, quod vt dicit Capreolus, ex S. Th. in fine illius solutionis ad argumentum Durandi: Quòd, si formæ separatæ, hoc est Angeli, intelligerentur sicuti in se sunt, non haberent rationem communis, nec vniuersalis, &c. Capreol.

82 Secunda obiectio est, quia prædicatum commune dicitur totum potentiale; Et constitutum ex ipso, & differentia, dicitur totum actuale, quod est subiectum respectu cõmunis prædicati: ergo malè dictum est, quòd prædicatum est actuale, & subiectum est potentiale. 2. Obiectio.

83 Sed ad hanc obiectionem respondetur, quòd prædicatum cõmune potest dupliciter considerari: Vno modo secundum illud, quod actu est: Alio modo secundum illud, quod est in potentia. Quamuis ergo vt commune, sit potentia, & sit potentiale ad differentiam, per quam contrahitur, tamen prout actu assumitur in exercitio prædicationis, & in actu exercito dicitur de subiecto, attribuitur illi, secundum quod est actuale, & subiectum: quamuis absolutè sumptum sit actuale, tamen correspondet illi, vt quid potentiale. Quia semper id, quod se habet vt forma, se habet vt actus: & quod vt subiectum, se habet vt potentia. Vnde prædicatio fundatur in actualitate prædicati; & subiectio in potentialitate subiecti: Et hinc patet, quod materia, quatenus est primum subiectum *inhæsionis*, confert indiuiduo esse primum subiectum, *prædicationis*, &c. Enodatio. Prædicatũ commune cõsideratur dupliciter.

84 Tertia obiectio, procedit contra id, quod dictum est, quod restrictum prædicati communis est à subiecto, per quod restringitur communitas prædicati superioris, ac proinde tandem hæc restrictio, qua ab indiuiduo aufertur totaliter communitas, vt non possit de pluribus prædicari, reducenda sit ad materiam tanquam ad primũ principium. Contra hoc, inquam, arguitur, 3. Obiectio.

Digitized by Google

gnitur, & probatur; Quia ista restrictio potiùs reducenda est ad formam; Quia ita se habet differentia ad genus, sicut forma ad materiam, vt supra sæpè dictum est, & insuper genus sumitur à materia tanquam à prima radice, differentia à forma. Sed nõ genus restringit communitatem differentiæ, sed potius econtra differentia restringit communitatem generis: ergo vltima restrinctio, seu totalis ablatio communitatis ab indiuiduo potiùs debet desumi à forma, tanquam à prima radice, quàm à materia.

85 Sed respondetur, quòd differẽtia potest dupliciter considerari: Vno modo relata ad genus superius, quod contrahit, & cum quo speciem constituit: Alio modo ad inferius, in quo recipitur vna cum genere, seu cum specie constituta.

Præclusio.

86 Primo modo verum est, quod determinat genus, sed per hanc suam determinationem non aufert à genere communitatem, quin potiùs reddit illud habere actu plures partes subiectiuas sub se: Quia vt sic est diuisiua generis, quomodo supra diximus, quod forma est diuisiua materiæ.

Differentia determinãs genus, non tollit ab eo diuisibilib. in part. subiect.

87 Secundo autem modo ipsa non dat indiuisionem, & incommunicabilitatẽ speciei constitutæ, taliter, quod ipsa non sit diuisibilis in plures partes subiectiuas, quia adhuc ipsa est subdiuisibilis: Nam si ipsa est receptibilis, & habeat aliud receptiuum subjicibile sub se, vt species humana, est adhuc diuisibilis in plures partes subiectiuas, nempè in plura indiuidua: Sin autem non sit amplius receptibilis, erit vltimum receptiuum, & sic erit primum subiectum: sicut dicũtur esse Species Angelicæ, quæ simul sunt species, & indiuiduum: Ergo indiuisio in plures partes subiectiuas est ex parte *subijcibilis*, non *prædicabilis*.

Differentia determinans speciẽ, nõ tollit ab ea diuisibil. in par. subiect.

88 Adde, quod differentia non determinat genus, nisi vt se tenet ex parte subijcibilis; Rationale enim non determinat animal, nisi vt se tenet ex parte hominis, quem constituit, & de quo animal prædicatur. Igitur id, quod restringit, & tãdem aufert communitatem prædicabilis, est ipsum subijcibile. Et quia subijcibile tandem reducitur ad materiã, ideo materia est primum, & radicale principium reddens indiuiduum incommunicabile, &c.

89 Addamus quartam obiectionẽ ad hominem; Quia doctrina allata in hac probatione etiam coincidit cum doctrina Henric. Quodlib. 2. quæst. 9. Quòd omnis forma de se est communicabilis, sed restrictio communicabilitatis formæ est ex parte subiecti: Quã doctrinã supra reiecimus, diximusque, quod materia est causa multiplicationis formæ, eo quod forma, & actus tẽdit ad vnitatem: materia, & potentialitas eius tendit ad multitudinem, seu ad multiplicationem: ergo hæc nostra distinctio contradicit nostræ doctrinæ præcedenti.

4. Obiectio.

Hẽricus.

90 Sed ad obiectionem respondetur, quod in nulla est contradictio si rectè perpendatur doctrina superius tradita contra Henric. Nos enim non diximus ibi, quod forma non sit communicabilis, sed diximus ex se nõ petere communicationem materialem, sed formalem: Quia cum forma sit perfectiua, sine dubio petit se communicare suo perfectibili. Sed quod hoc perfectibile sit numero multiplicabile, hoc forma non petit: Sicut forma Solis connata est vnico indiuiduo. Vnde, quod sit communicabilis pluribus indiuiduis, per accidẽs se habet ad formam specificam, & si id petit, solum est ex suppositione, quod ipsa perfectibilia multiplicentur numero, prout ibidem ad Argumentum Henrici 3. loco contra quintam Notationem, & ad primam illius probationem declaratum est.

Enodatio.

Forma ex se petit comunicationẽ formalẽ, non materialem.

91 Vnde cum in præsenti dicimus, quod prædicata communia per modũ formæ sunt cõmunicabilia suo *subijcibili*, loquimur de communicatione formali, non autem materiali. Nam vt dictũ est *in cap. de Vniuersalibus*, natura secũdũ se nec est vniuersalis, nec singu-

Natura ex se nec est vniuersalis, nec singularis.

singularis, quia de se nec petit esse in multis, nec repugnat esse in vno, sed vniuersalitas, & singularitas accidunt illi. Quia habet vniuersalitatem, vt est in intellectu; Singularitatem, vt est in rebus: Sed de se petit esse vna vnitate formali, & de se solum dicit aptitudinem ad vtrumque, & in tantum ei aduenit communicabilitas, in quãtum est distincta vel re, sicut forma physica à materia; Vel ratione, sicut quidditas ab indiuiduo: à suo perfectibili.

Corollarium.

92 Ex dictis ergo concludimus, quod materia est illa, quæ vt primum subiectum aufert indiuiduo omnem communicationem, vt neque, vt forma sit in subiecto, neque, vt prædicatum commune possit dici de subiecto. Quæ nostra, & Sancti Thomæ sententia clarior apparebit soluendo aduersariorum argumenta.

Diluuntur quatuor argumenta, & vnica eorum confirmatio oppositæ sententiæ proposita pag. 60. & 61. n. 28. vsq; ad num. 35. contra primam rationem ex S. Thoma decerptam, qua firmauimus, materiam esse principium, & radicem incommunicabilitatis indiuidui, &c. Et primò enodamus primum argum. in cuius enodatione declaratur, quod materia singularizat formam, & omnia prædicata sibi communicata.

Respond. ad primũ principale argum. n. 28 propositum.

93 AD primũ ergo dicimus, sicut ibidem responsum est, quòd quidem licèt aliud sit indiuiduum esse incommunicabile alteri tanquam subiecto *inhæsionis*; & aliud esse incommunicabile alteri tanquam subiecto *prædicationis*; nihilominus vtraq; incommunicabilitas tanquam à radice pullulat à materia, tanquam à primo subiecto.

Materia vt principium substãtię cõpletę tria exercet officia; & quæ sint.

94 Et vt ad improbationẽ huius responsionis ibi adductam, & ad cætera argumenta pro aduersa sententia ibi posita respondeamus: Supponendum est, quod materia tanquam principiũ intrinsecum substantiæ completæ, & primum subiectum formæ, exercet tria officia.

95 Primum est potentiæ, quæ vnà cum forma, tanquam cum suo proprio actu, constituit compositum: Secundũ est primi subiecti, a quo compositum habet repugnantiam, vt sit in alio, tãquam in subiecto: Tertium est primi fundamenti, supra quod forma edificat essentiam compositi substantialis, construendo illam secundum diuersa prædicata quidditatiua, ex quibus essentia completa compositi substantialis coalescit, & cum ipsa sic recipiens supponatur formæ vt singulari, consequenter singularizat ipsam formam, & omnia prædicata, quæ illi tãquam subiecto communicantur.

Materia singularizat formã, & omnia prædicata sibi communicata.

96 Vnde fit, vt compositum non possit secundũ se totum de alijs inferioribus prædicari: Sicut enim materia comparata ad formã, eo ipso, quod forma informat materiam, fit, vt forma non possit denominare aliud subiectum sub materia, quia sub materia non est alia materia: Et ideò ipsa materia terminat communicationẽ formæ, taliter, vt non possit denominare aliud subiectum, quod subijciatur materiæ, ad differentiam formæ accidentalis, quæ quia proximè recipitur in toto, quod dicitur materia secunda, remotè quodammodo recipitur in materia, tanquã in primo subiecto. Ita similiter licet indiuiduum, cõparatum ad quidditatem tãquam materia ad formam, singularizat ipsam quidditatem, & omnia illius prædicata. Et ideò singularizat, quia non habet aliud sub se subiectum, in quo ipsũ indiuiduũ, vt forma totius recipiatur.

Subiectũ comparatum ad quidditatẽ singularizat ipsam quidditat. & illius prędicata.

97 Hoc autem, quod non habeat indiuiduum sub se subiectum, prouenit ex hoc, quod forma partis inest materiæ, vt primo subiecto, non habẽs subiectum sub se: Quia, si forma partis informaret materiã, & materia haberet aliud subiectum sub se: tunc forma partis informaret materiam, & vnà cũ materia informaret illud aliud subiectũ, quod ex suppositione esset sub materia, & sic tota quidditas composita ex forma partis, & ex materia prædicaretur de isto subiecto, quod subijtur,

Digitized by Google

tur materiæ, v.g. ex anima rationali, & materia componitur humanitas; si materia haberet aliud subiectum sub se, humanitas posset prędicari de illo alio subiecto, & diceretur homo; Si rursus illud subiectū possit inesse alteri subiecto, constitutum ex homine, & illo subiecto posset prędicari de tertio subiecto: Et sic, nisi detur vnum subiectum, quod non sit receptibile in alio subiecto, prædicatio procederet in infinitū: Ergo id, quod habet rationem primi subiecti est id, quo prædicatio terminatur. Indiuiduum ergo non potest de alio sub se subiecto prædicari, quia est primum subiectum: Et ideò primum subiectum est, quia includit materiā, à qua forma partis terminatur, vt nō sit vlterius communicabilis.

Indiuiduum est 1. subiectū, quia includit materiā.

98 Tertium ergo munus, quod in composito substantiali exercet materia tanquam subiectum primum, est constituere indiuiduum incommunicabile alteri, non solum tanquam subiecto *inhæsionis*, sed etiam tanquam subiecto *prædicationis*.

Subsequuntur tria Corollaria notatu digna ex solutione à nobis allata ad primum argumentum. Ponitur primum Corollarium, quo disceptatur: An Differentia Numerica sit vltima post specificam?

1. Corollarium.

99 ET hinc apparet quātum falluntur, qui differentiam indiuidualem ità proportionant naturæ speciei, quomodo differentia specifica se habet ad genus. Non enim differētia, seu principium singularizans prædicata quidditatiua proximè singularizat speciē, & per speciem prædicata generica superiora: Sed quodlibet prædicatū per se immediatè singularizatur secundū, quod forma partis informat materiam secundum diuersos gradus: Cum enim primò informat secundum prædicatum substantię, statim hic gradus substantię est singularis independenter à gradibus subsequentibus, & intelligitur constituta substantia singularis: Cum deinde informat materiam secundū gradū corporis, statim ratio corporis est singularis, & cōstitutum ex materia, & forma secundū istum gradum est corpus singulare, & sic de alijs.

QVAESTIVNCVLA 4. & eius resolutio.

Vltimus gradus specificus quando aduenit, præsupponit omnes alios gradus singularizatos.

100 Vnde gradus vltimus specificus cum aduenit, & fit ipse singularis, præsupponit iam præcedentes gradus esse singulares. Nō autem ex eo, quod singularizatur gradus vltimus specificus, singularizantur alij gradus superiores, quasi vero singularitas intelligatur afficere immediatè gradum vltimum specificum, & mediante illo afficere, & singularizare gradus superiores: Quia, vt dictum est, illi supponuntur, & pręintelliguntur iam singulares ante aduentum vltimi gradus specifici: Et hoc ostēditur primùm, quia licèt secundū mentem Sancti Thomæ vna sit forma substantialis, quę est principium tribuens composito substantiali omnia illa prædicata essentialia, continens illa eminenter, & formaliter in se: tamē ita tribuit, vt ordinatè tribuat, & perinde, ac si singulo gradui responderet propria forma ab alia distincta.

S. Th.

101 Vnde, vt clariùs hoc explicemus, supponamus sententiam illorum, qui attribuunt composito substantiali plures formas subordinatas, & inter se realiter distinctas: Vel tot, quot sunt prædicata essentialia, vt opinatus est Iandunus: Vel aliquas, sicut Scotus ponit formam corporeitatis distinctam ab alijs formis, nempè ab anima. Tunc sic argumentor: Quando prior forma à parte rei informaret materiam secūdum primum gradum, non informaret secundum illum gradum in vniuersali: quia sic daretur vniuersale à parte rei: sed in singulari, ita vt superueniens forma, quæ daret gradum secundum, supponeret compositum esse singulare: & ita *gradus corporis* supponit *gradum substantiæ* singularem, & *esse viuens* supponit etiam singulare *corpus*, & sic de cæteris: non ergo singularitas esset vna secūdū rem omniū illorum graduum, sed quilibet gradus haberet suam singularitatem: Sed licet

Iandun. Scotus.

cet ſecundum veritatem vna ſit forma ſubſtantialis, tamen vt dictũ eſt, illa eſt principium omnium illorum graduũ eodem ordine, proinde ac ſi eſſent formæ realiter inter ſe diſtinctæ, & hoc ordine verè à parte rei, & in actu exercito tribuit toti, informando materiam.

S.Th. 102 Vnde S.Th. dicit, quod accidentia conſequentia gradum priorem ſunt reales diſpoſitiones materiæ ad recipiendos gradus poſteriores, ſic enim ſcribit 1.p.q.76.a.6. ad 1. *Forma perfectior virtute continet quidquid eſt inferiorum formarum. Et ideo vna, & eadem exiſtens perficit materiã ſecundũ diuerſas perfectionis gradus. Vna enim, & eadem forma eſt per eſſentiam, per quã homo eſt ens actu, & per quam eſt corpus, & per quam eſt viuens, & per quam eſt animal, & per quam eſt homo. Manifeſtum eſt autem, quod vnumquodque genus conſequuntur propria accidentia. Sicut ergo materia præintelligitur perfecta ſecundum eſſe ante intellectum corporeitatis, & ſic de alijs, ita præintelliguntur prædicta accidentia, quæ ſunt propria eius ante corporeitatem. Et ſic præintelliguntur diſpoſitiones in materia ante formam, non quantum ad omnẽ eius effectum, ſed quantum ad poſteriorem.*

Cur quiuis gradus ſtatim, ac eſt in materia, eſt ſingularis.

vnuſquiſque gradus à forma materiæ tributus, eſt ſingularis ante vltimũ ſpecificũ gradum.

103 Itaq; ſecundum Sanctũ Doctorem ab vnoquoque gradu perfectionis, quo forma informat materiam, reſultant propria accidentia, quæ vt præcedunt à gtadu priori ſunt diſpoſitiones ad eandem formã, vt informat ſecũdum poſteriorem gradum: Sed non poſſunt illa accidẽtia reſultare à priori gradu, niſi ille gradus prior præintelligatur iam ſingularis. Quia actiones ſingulariũ ſunt: ergo gradus priores ſunt ſingulares ante gradus ſubſequentes: Quod non eſſet verum, ſi ſingularitas adueniret poſt vltimam ſpecificam determinationem, vt eſt manifeſtum.

Probatur à poſterioti etiã noſtra aſſertio.

103 Hoc ipſum etiam probatur à poſteriori, & à ſigno: Quia vt experiẽtia conſtat, cum videmus aliquem hominem venientem à longè: prius cognoſcimus eſſe ſingulare corpus, deinde ſingulare viuens, deinde ſingulare animal, & tãdem eſſet ſingularem hominem. Quo poſito ſic argumentor: Si ſingularitas eſſet vltimus actus, ſeu differentia determinãs ſpeciem ad ſingulare indiuiduum, ſequeretur, quòd ille homo non priùs videretur ſingularis, quã videretur homo. Nam ideò non videtur prius homo, quàm animal, & prius animal, quàm viuens, & prius viuens, quàm corpus: Ideo, inquam, non prius videtur; quia ratio viuentis præſupponit corpus, & ratio animalis præſupponit viuens, & ratio hominis præſupponit animal: ergo ſi ſingularitas præſupponit hominem, non prius videretur ſingularis homo, quam videretur homo: Sed experientia, vt dictum eſt, docet oppoſitũ: Igitur ſingularitas non præſupponit gradum ſpecificũ, ſed immediatè concomitatur omnem gradũ: Sed hoc nõ poteſt aliun de prouenire, niſi propter ſingularitatẽ materiæ, quæ eo ipſo, quod informetur à forma ſecundum aliquẽ gradum ſingularizat illã. Igitur materia determinat, & ſingularizat indiuiduũ corporis, viuentis, animalis, & hominis. Hoc autem non poteſt facere, niſi, vt primum ſubiectum.

A ſingularit. materiæ eſt, vt ſibi cõmunicato quouis gradu, quiuis gradus ſit ſingularis.

104 Igitur materia, vt primum ſubiectum eſt principium cur indiuiduũ non ſit multiplicabile in plura inferiora, auferens ab iſto omnem cõmunitatem: Et ſic patet quomodo materia exercet omnia tria illa officia: Primum in quantum, vt compars cum alia comparte, nempè forma conſtituit vnum totum: Secundum in quantum primum ſubiectum formæ confert toti compoſito, vt non ſit receptibile in alio ſubiecto *inhæſionis*: Tertium in quantum eſt primum fundamentum, ſupra quod forma erigit ſtructuram eſſentiæ, communicando illi ordinatè multa prædicata eſſentialia, ſingularizat omnia illa, vt de pluribus inferioribus prædicari non poſſint.

Tria officia exercet materia in ſua informatione, & quæ ſint?

Obiectio. 105 Sed contra ea, quæ modò dicta ſunt, argui poteſt: Quia ſi omnis gradus

Digitized by Google

gradus essentialis esset per se singularis, sequeretur, quòd singularitas esset cuiq; individuo essentialis, sicut & ipsum prædicatum essentiale est: Hoc autem est incidere in opinionem Nominalium, quæ à nobis reprobata est: Igitur non quilibet gradus essentialis est per se singularis.

Enodatio.

106 Hæc obiectio facilè dissoluitur: Sed pro maiore elucidatione, & solutione cæterorum argumentorum. Notandum est secundo. Quod ista tria officia, quamuis in actu exercito materia inseparabiliter cõferat: Attamẽ in materia ab intellectu potest vnũ concipi præcisum ab alio: Sicut genus potest concipi præcisum à differentia. Possum enim concipere ex materia, & forma, tanquam ex actu, & potentia componi vnum ens actu, non concipiendo, saltem explicitè, sit ne substantiale, vel accidentale. Deinde possum concipere illud ens actu esse substantiale, per hoc, quod intelligo materiã, ex qua illud componitur, esse primum subiectum, ex quo intelligo illi composito repugnare, vt possit accidere alteri tanquam subiecto: Tandem possum intelligere compositum substantiale, omnino prescindẽdo ab eo, quod intelligam esse singulare: Quia, & si in conceptu compositi substantialis intelligo inclusam materiã tanquam potentiam componentem cum actu: & tanquam primum subiectum fundare negationem existendi in alio, tanquã in subiecto *inhæsionis*: non propterea in tali conceptu necesse est intelligere materiam fundare negationem, seu repugnantiam, vt sit in alio, tanquam in subiecto *prædicationis*.

Animaduersio eruditissima.

107 Vnde licèt à parte rei eo ipso, quòd materia informatur secundum *gradum substantiæ*, constituat *hanc substantiam*: Et prout informetur secundũ *gradum corporis*, constituat *hoc corpus*, & sic de singulis: Attamen potest intellectus concipere substantiam, sine eo, quod concipiat esse *hanc*, & corpus sine eo, quod concipiat esse *hoc*, etiam si in conceptu substantiæ, & corporis includat materiam: Quia tunc materia cõcipitur inclusa in cõceptu *substãtiæ*, & *corporis* secundum alia officia, quæ exercet materia, cum vna cum forma veniat in compositionem totius, non autem secundum quod exercet munus singularizãdi illa prædicata, & ex his patet ad obiectionem.

Secundum Corollarium, quo affertur responsio ad quandam propositionem assumptam in probatione eiusdem primi argumenti oppositæ sententiæ: & quomodo indiuiduum Angelorum sit incommunicabile, cum non habeat materiam? & præcluduntur obiecta.

2. Corollarium.

108 Liquet etiam quid dicendũ sit ad illam propositionẽ in probationem primi argumenti assumptam. Si materia per hoc, quod est primum subiectum, esset principium, cur indiuiduum sit incõmunicabile alteri tanquam inferiori, sequeretur, quod vbi esset materia, esset talis incõmunicabilitas, & vbi non esset materia, non esset talis incommunicabilis. Ad hanc propositionem concedo primam partem sequelæ: Et ad improbationem illius, cum dicitur, quod in conceptu hominis includitur materia, & tamen conceptus hominis non includit repugnantiam, vt sit communicabilis pluribus inferioribus, sicut includit repugnantiam, vt sit in alio, tanquam in subiecto *inhæsionis*, eo quod includit in se rationem substantiæ, à qua habet, vt sit ens per se stans, non alteri inhærens; Dico: Quod hæc improbatio non valet, quia, vt dictum est, non opus est, vt in quouis conceptu, in quo includitur materia, includatur secũdum omnia illa tria officia, vel secundum omnes illos tres effectus, quos materia tribuit composito, quatenus ingreditur compositionem illius. Nam quatenus tribuit hoc tertium effectum potest præscindi à se ipsa quatenus tribuit duos effectus præcedentes: Et ideò etiam si in conceptu hominis includatur materia, non tamen in conceptu hominis *præcisè sumpti* opus est intelligi materiã, vt

Respõsio ad propos. assumptam in probatione primi argumẽti, quo ad primã part.

Est de secundario conceptu materiæ singularizare formam, & prædicata superiora.

vt singularizantem rationem hominis, quia hoc non est de primario conceptu materiæ: Sed de conceptu secundario, quamuis à parte rei totum hoc tribuat materia composito substantiali, inspecto adæquato illius effectu.

Resp. quo ad 2. par. eiusdem proposit.

109 Ad alteram partem, cum dicitur: Sequeretur, quòd vbi nõ esset materia, non esset ista incommunicabilitas: Respondetur distinguendo: Vbi nõ esset materia, vel nec esset aliquid eminenter continens virtutem materiæ, concedo: Vbi verò non est materia, sed est aliquid eminenter continens virtutem materiæ, & nego.

Obiectio de Angelis, & responsio.

110 Ex qua distinctione patet, quid dicendum sit de indiuiduo Angelico, quod habet hanc incommunicabilitatem, & nihilominus non habet materiam.

Indiuiduũ Angeli, & si sit sine materia, est incõmunicabile, quia eminenter continet, quod cõtinet cõpositum mater.

111 Dicimus enim, quod sicut substantia Angeli simplici modo eminenter continet, quidquid continet substantia materialis composita ex materia, & forma: Ita etiam in sua simplici substantia continet eminenter rationem primi subiecti: Et ideò indiuiduũ Angelicum ex vi suæ simplicis substantiæ, nec in subiecto est, nec dicitur de subiecto.

Obiectio.

112 Sed hic statim insurgit nõ dissimulanda obiectio. Quia vt sæpè dictũ est, non minus materia est principium indiuisionis, cur scilicet indiuiduum non sit multiplicabile in plura inferiora subijcibilia, quàm quod species sit multiplicabilis in plura indiuidua: Sed Substantia Angelica per hoc, quod eminenter continet materiam, non potest indiuiduum Angelicum multiplicari in plura inferiora: ergo etiam species Angelica per hoc, quod virtualiter, & eminenter continet materiam, potest in plura indiuidua multiplicari: Æqua enim videtur ratio, quòd per hoc, quod Substantia Angeli virtualiter includit materiam, sicut materia est principium immultiplicationis, & multiplicationis in substantijs ex ipsa compositis: Quare etiam, vt virtualiter in substantia Angelica continetur, non sit vtriusque principium?

Enodatio.

113 Sed ad hanc obiectionem facilè respondetur, esse disparem rationem de materia, vt est principium immultiplicationis indiuidui, & multiplicationis speciei: Quia illud primum cõfert materia secundũ id, quod habet perfectionis, quia est primũ subiectũ, & vt dicit Auerroes, est fundamentũ naturæ. Hoc autem posterius instãter prouenit à materia secũdum quod habet, & interdicit imperfectionem, nempe secundum quod est diuisibilis in plures partes integrales, quæ diuisibilitas conuenit substantijs, & rebus valdè materialibus, & imperfectis: cuius signũ est, quod quãtò forma fuerit perfectior, tantò minus hoc genere diuisionis diuisibilis inuenitur, etiam si sit forma in materia recepta,

Materia est principium immultiplicationis indiuidui, & multiplicationis speciei.

S. Th.

114 Vnde S. Th. cum probabiliori sentẽtia vult formas perfectorum animalium esse indiuisibiles: Vel si diuisibiles sunt, attamen propter suã perfectionem taliter reijciunt istam diuisionem, vt si pars illorum præscindatur, statim corrumpitur partialis forma, quod non contingit formis imperfectioribus, quæ in vtraque parte diuisa cum sua perseuerant materia. At ratio primi subiecti est magna perfectio, quam conferre potest materia composito substantiali, quia ex hoc habet indiuiduum substantiale primum principium, cur sit per se stans, & independens ab alieno subiecto, imò vt sit subiectum substentans alia, estque basis, & fundamentum, imò & receptaculum omnium aliarum substantialium, & accidentalium perfectionum, vt illas in se habeat, & nulli inferiori communicet: Imo vt ipsum sit illud, cui attribuuntur omnes prædictę perfectiones, & omnes operationes earum: Et quia substantia Angelica præcontinet materiã secũdum id, quod est perfectionis, non autem secũdum id, quod est imperfectionis: Ideò materia vt est principium immultiplicationis indiuidui, præcontinetur virtualiter in substantia Angelica, non verò secundum quod est principium multiplicationis speciei in plura indiuidua.

Ratio primi subiecti est maxima perfectio.

Substãtia Angelica virtualiter continet materiã secundum id, quod est perfectionis.

115 Sed

Digitized by Google

Obiectio vrgens.

115 Sed contra vrgebis: Quia in ista responsione supponitur falsum. Quod namque *vnitas* arguit perfectionem, *multitudo* imperfectionem: Quia potius videtur oppositum; nam multò perfectior est multitudo pluriũ hominum, quàm vnus homo: Cuius signum est, quia magis conseruandum est bonum totius multitudinis, quàm vnius singularis hominis: Quia bonum communitatis est diuinius, & ideo bonum totius communitatis est præferendum bono particulari: Vnde exponitur vita aliquorum pro defensione totius Ciuitatis: Et esto *multitudo* non importat perfectionem intensiuã: quia tota multitudo hominum, v.g. non excedit humanæ speciei perfectionem: Importat saltem perfectionem extensiuam, quia quanto maior fuerit multitudo hominum, tanto magis extenditur perfectio humanæ naturæ: ergo potiùs *multitudo* arguit perfectionem, quàm *vnitas*.

QVAESTIVNCVLA 5.

Enodatio.

116 Difficultas huius instantiæ fusiùs tractabitur infra, cum proponemus argumentum Scoti tractantis, an communitas naturæ arguat perfectionem, vel imperfectionem. Hic pro præsenti occasione dicimus, quod quando vnitates componentes multitudinem sunt eiusdem rationis, dico, quod *multitudo* arguit perfectionem, non *vnitas*, vt argumentum factum rectè probat. At quando vnitas est altioris ordinis continens in vno totum perfectiuum, quod est diuisũ in multis vnitatibus inferioribus: Tunc dico, quod perfectior est *vnitas*, quàm *multitudo*: & ideò perfectior est unus Deus, quam tota vniuersitas, & diuersitas creaturarum: Et ideò uidemus, quòd quantò res sunt perfectiores, tanto magis unitas continet inferiorum perfectiones. Vnde extat philosophicum axioma, quod dicit: Quæ sunt dispersa in inferioribus, sunt unita in superioribus.

Quando multitudo sit perfectior vnitate, & quando vnitas sit perfectior ea?

117 Dico igitur, quòd in speciebus inferioribus, quæ multiplicantur numero, esto sit perfectior *multitudo*, quam *vnitas*: Attamen in rebus superioribus & perfectioribus perfectior est *vnitas* vnius singularis indiuidui in vna specie, quam indiuiduorum *multiplicatio*: Et hoc apparet ex fine, quare natura instituisse videtur indiuiduorũ multiplicationem: Quia nimirum hoc videtur esse ad supplendum duplicem defectum specierum, Primus, & principalis est, vt ipsæ rerum species conseruentur in Vniuerso: Quæ cum non subsistant separatæ, vt Plato existimabat, sed existant in indiuiduis; & indiuidua sint corruptibilia; si indiuidua non multiplicarentur, & per continuã generationem non repararentur, omnes sublunares species interirent. Quia, vt dixit Philosophus in prædicamentis cap. de substantia. Destructis primis substantijs, impòssibile est secundas substantias, hoc est, genera, & species remanere: Et ideò videmus in incorruptibilibus, quod vnius speciei vnicum est indiuiduum, vt vnus Sol, vnus Iuppiter, &c.

Indiuidua dantur ob duplicem defectum specierũ.

Plato.

Arist.

118 Igitur prima ratio finalis, propter quam est instituta indiuiduorum multiplicatio, est ad supplendum defectum specierum, ne scilicet species à rerum vniuersitate perirent. Secunda ratio, quam supraetiam tradidimus, est ad supplendum alium specierum defectũ, vt scilicet species possit ostentationem facere suæ perfectionis: Quia enim in vno indiuiduo nõ potest ostẽdere omnem suam perfectionem, & operationem, cuius ipsa est principiũ: Et hoc propter defectum materiæ, quę non potest simul habere dispositiones conuenientes ad omnem naturæ operationem: Non enim potest vnum indiuiduũ esse bene dispositum ad scientias, & artes, & ad alias operationes, ad quas se extendit humana species: Prouisum est sapienter à supremo Artifice, vt indiuidua vnius huiusmodi speciei multiplicarentur numero: Et radicale principium istius multiplicationis est ipsa materiæ diuisibilitas.

Duplex ratio, vtdentur indiuidua ob duplicẽ specierũ defectum.

119 Vnde vides, quod hæc multiplicatio indiuiduorum oritur ex imperfectiõne specierum eo, quod materiales sint: At in speciebus Angelicis nulla

Digitized by Google

nulla ex his rationibus locum habet, quare multiplicentur numero: Non ratio prima, quia species Angelicæ sunt incorruptibiles, cum non solum careant materia priuationi subdita, & quæ sit in potentia ad esse, sicut carent corpora incorruptibilia: Sed sunt penitus immateriales. Nec propter indispositionem materiæ non possunt in vno indiuiduo habere totam perfectionem, & operationem speciei, quia vnum indiuiduum Angelicum possidet suam specificam naturam, eamq; ostendit in se secundum omnem perfectionem: Quia indiuidua Angelica sunt perfectissima in sua specie.

In speciebus Angelicis nullus est defectus, qui possit supleri ab indiuidui pluralitate.

120 Et ideò dicit S. Th. q. vnica de spiritualibus creaturis a. 8. fine corp. *In Angelis hæc perfectio inuenitur, vt vni indiuiduo nihil desit eorum, quæ ad totam speciem pertinet, & sic non sunt plura indiuidua in vna specie.* Vnde apparet quod *vnitas* Indiuidua Angelica est perfectior multitudine numerica indiuiduorum sub eadem specie: Quia in vno Angelico indiuiduo in sua specie continetur quod præstat multitudo numerica ex speciebus materialibus, propter altiorem modum Angelicæ substantiæ. Quia sicut propter immaterialitatem, & spiritualitatem suæ substantiæ est indiuisibilis, & non potest multiplicari in partes integrales: ita propter eandem immaterialitatem, & spiritualitatem non potest species multiplicari numero, &c.

S. Th.

Tertium Corolarium, quo clarificatur aliud esse, & importare vnitatem indiuidualem, & aliud vnitatem numericam; quo etiam multa de Angelorum indiuiduali vnitate tractantur: ac alia erga Animas rationales resoluuntur.

3. Corollarium. Aliud est vnitas indiuidualis: aliud vnitas numerica.

121 HInc obiter intelligitur, quod aliud est vnitas indiuidualis: Aliud est vnitas numerica: quamuis enim omnis vnitas numerica sit indiuidualis, non tamen omnis vnitas indiuidualis est numerica: Quia vnitas indiuidualis Angelica indiuidualis est; Nam non potest subdiuidi in plura inferiora, & habet repugnantiam, vt habeat aliam vnitatem sibi condiuisam: Sed vnitas numerica præter indiuisionem dicit aptitudinem, vt habeat aliam vnitatem sibi condiuisam.

Omnis vnitas numerica est indiuidualis, nõ tamen è conuerso.

122 Nõ enim repugnat indiuiduo numero habere aliud compar indiuiduum, repugnat tamen indiuiduo Angelico: Et ideò numerus indiuiduorũ in Angelis est alterius rationis à numero indiuiduorum materialium sub eadem specie. Quòd ille est transcendentalis: hic prædicamentalis, vt dicit S. Th. quæst. illa de spirit. creat. a. 8. ad 15. Vbi *Numerus*, inquit, *qui causatur ex diuisione continui, est species quantitatis, & est secundum in substãtijs materialibus: Sed in substantijs immaterialibus est multitudo, quæ est de transcendẽtibus secundum quod vnum, & multa diuidunt ens, & hæc multitudo consequitur distinctionem formalitatem, &c.*

123 Sed contra illud, quòd dicitur Numerum in substantijs materialibus esse numerum prædicamentalem, objicitur: Quia Numerus Prædicamẽtalis est de genere quantitatis: Sed numerus etiam in substantijs materialibus non est de genere quãtitatis: Quia vt dictum est supra, antecedenter ad quantitatem datur multiplicatio numerica: Vnde diximus supra, quòd Deus à pluribus indiuiduis substantialibus potest auferre quantitatem cum omnibus accidentibus, & ea sic, quantitate, & cæteris accidentibus denudata, conseruare: Vnde illa multitudo solum esset substantiarum præcisè: ergo vnitas numerica etiam in substantijs materialibus non est prædicamentalis, sed transcendentalis.

Obiectio.

124 Confirmatur, quia Animæ rationales separatæ sunt plures numero, & numerus earum non est prædicamentalis, tum quia separatæ non habent quantitatem: tum quia illarum multiplicatio non fit per diuisionem continui, cum quælibet illarum sit indiuisibilis, & se ipsa diuisa ab alia anima: ergo, &c.

Cõfirmatio obiectionis.

125 Sed

Digitized by Google

Enodatio obiectionis.

125 Sed huic obiectioni respondetur, quod, vt significat S. Thomas in vltimis verbis allegatis, cum numerus importat distinctionem vnitatũ; Duplex est distinctio, alia formalis, alia materialis. Numerus transcendentalis fundatur in distinctione formali. Numerus materialis fundatur in distinctione materiali, qualis est distinctio vnitatum, quæ consurgit ex diuisione continui: Vnde, quia multiplicatio numerica in substantijs materialibus fundatur in distinctione materiali, quæ assimilatur diuisioni ipsius continui, quia ex diuisione materiæ in partes integrales multiplicantur indiuidua materialia sub eadem specie, ideò S. Thomas multiplicationem numericam in substantijs materialibus reuocat ad numerum de prædicamẽto quantitatis. Quia hic numerus licet proximè, & sensibiliter sit in quãtitate, & per quantitatem; radicaliter tamen prouenit à diuisibilitate materiæ.

Numerus trascendẽtalis in distinctione formali, at materialis in distinctione mater. fũdatur.

Præclusio cor firmationis Obiectionis.

126 Ad confirmationem dicitur, quod licèt numerus Animarum rationalium proximè non sit nec à quantitate, nec à materia; radicaliter tamẽ à materia diuisibili in partes integrales proficiscitur, & per ordinem ad talem materiæ diuisibilitatem multiplicantur numero. Debemus enim imaginari perfectionem, quam confert Anima rationalis materiæ ex vi suæ speciei, esse quasi extensam in ipsa materia, sicut albedinem extensam in superficie: Vnde sicut ad diuisionem superficiei multiplicãtur numero albedines; ita ad diuisionem materiæ multiplicãtur numero Animæ rationales, cum hoc tamen discrimine: Quod ad diuisionem superficiei multiplicantur numero albedines, quæ tamẽ sunt adhuc ad diuisionem superficiei diuisibiles: sed Animæ rationales sic distinguuntur ad diuisionem materiæ, vt tamen remaneant in se indiuisibiles: Quia quamuis hæc multiplicatio formarum ortum habeat à diuisibilitate materiæ, attamen non æqualiter inficit omnes formas, sed quæ sunt sibi propinquiores magis participent illius diuisibilitatem: Quę verò sunt remotiores, & eleuatiores supra conditionem illius, participant minus.

Animę rationales à quo habent multiplicati numero.

127 Duplicem autẽ conditionem habet hæc diuisibilitas materiæ: Prima, & sanè præcipua, quod ea, inquę diuiditur, sunt paria, & vniformia, atque eiusdem rationis: Quod etiam apparet in compositis materialibus, quod ea, quę sunt maximè materialia, vt elementa, & mixta imperfecta, & secundum totum, & secundum partes sunt omninò homogenea: ita vt nulla, neque in accidentibus, diuersitas appareat: Ea vero, quæ sunt magis formalia, vt sunt Viuentia, quamuis substãtialiter sint homogenea, tamẽ constant ex partibus etherogeneis secundum accidentia.

Duplex conditio diuisibilitatis materiæ, & quæ sit?

128 Altera conditio est: Quia cum ipsa materia sit semper diuisibilis in semper diuisibilia, formæ magis materiales sic diuiduntur ad diuisionem materiæ in plures partes, vt adhuc sint diuisibiles; & tamen quia formæ sunt, vsque ad certum terminum magnitudinis, & paruitatis substinent diuisionem: Cæterum si augeãtur, aut plus iusto minuantur, tendunt ad corruptionem.

129 Animæ igitur rationales, & animæ perfectorum animalium: Quia sunt formæ informantes, participant primam conditionem materialis diuisionis, in hoc, quod vniformiter multiplicantur: Sed quia sunt eleuatæ supra materiam, purificantur ab alia materiali conditione, & sic ita vniformiter inter se diuiduntur, vt indiuisibiles remaneant. Itaque numerus Animarum rationalium, sicut pertinet ad numerum materialem, non formalem: ita non pertinet ad numerum, quem transcendentalem vocant, sed ad numerum prædicamentalem, &c.

Animæ rationales participãt primam conditionem diuisibilitatis materiæ, non secũdam.

Dissol-

Digitized by Google

Dissoluuntur tria alia argumenta principalia cum vnica confirmatione proposita pag. 60. & 61. à num. 31. ad num. 34. aduersus primam rationem nostram ex S. Thoma perceptam. Differitur nullius rei esse de essentia singularitatem: Et materiam dare indiuisionem indiuiduo: speciei diuisionem.

130 AD secundum principale argumẽtum, quod magni faciunt aduersarij; Respondetur, quod sicut possumus concipere vnam communem rationem indiuidui, quæ potest prædicari de hoc, vel illo indiuiduo, & secundum Caiet. prædicatur vniuocè de huiusmodi inferioribus, non obstante, quod ratio indiuidui includat repugnantiam, vt possit *dici de pluribus*: Quia nimirum in hoc omnia indiuidua, aut analogicè, aut vniuocè conueniunt: Quid mirum si possumus concipere vnam communem rationẽ materiæ, & primi subiecti, cui repugnat *esse in alio*, & *dici de alio*: Quia omnes indiuiduæ materiæ in hoc cõueniunt, quod sint principium, cur nec ipsæ, nec ex ipsis composita indiuidua *in subiecto non sint*, & *de subiecto non dicantur*: Quia ergo hoc est de conceptu materiæ in vniuersum, vt neutro modo sit communicabilis, nec alteri tanquam subiecto *inhæsionis*, nec alteri tanquam subiecto *prædicationis*, de omni indiuiduo materię hoc prædicari potest: Quia omni singulari materiæ hoc conuenit. Sicut etiam Scotus definit suam hæcceitatem incommuni, cuius officium est reddere naturam specificam incommunicabilem inferioribus, & tamen hæc ratio communis prędicatur de singulis hęcceitatibus, tanquam de suis inferioribus, &c.

Resp. ad 2. principale arg.

Scotus.

131 Ad tertium principale patet ex dictis, & prænotatis ad improbationem responsionis primi argumenti: Quod & si in conceptu substantiæ includatur materia, vt primum subiectum, non tamen includitur secundum omnem effectum, quem tribuit in actu exercito, & à parte rei materia, vt primum subiectum, ipsi substantiali composito: Quia vt primum subiectum confert primò, vt compositum non sit in alio tanquam in subiecto *inhæsionis*: Consequenter deinde, vt non sit in alio tanquam in subiecto *prædicationis*: potest autem intelligi prius sine posteriori: Et ideò potest concipi substantia, vt sic, præscindendo à singularitate: Et ideò singularitas non est de essentia substantiæ, vel alterius rei, vt falsò Nominales docuerunt, &c.

Ad tertiũ principale arg. respond.

Singularitas non est de essentia cuiusuis rei, vt falsò Nominales docebant.

132 Ad quartum respondetur, cõcedendo Maiorem, nempe, quòd indiuiduum non possit diuidi in plura inferiora, pertinere ad vnitatem illius: Quia sic est diuisum vltima diuisione, & ideò vnitas illius est penitus indiuisibilis. Sed ad Minorem dicitur, quod aliter materia est principium multiplicationis, & vnitatis: aliter forma: Et quidem materia est principium indiuisionis indiuidui ex ea parte, qua nõ habet, nec habere potest inferiora sub se: Est tamen principium diuisionis, & multiplicationis nõ indiuidui in plura inferiora, sed speciei in plura indiuidua propter suam potẽtialitatem, & diuisibilitatem: Quia ab vna forma specifica non potest tota eius potentialitas adimpleri, & aliquæ formæ materiales sunt diuisibiles ad diuisionem materiæ, & ideò sub eadem specie multiplicantur indiuidua: Non tamen indiuiduum secũdum quod indiuiduum est, multiplicari potest: Et ideò materia est principium multiplicationis speciei in plura indiuidua, & simul est principiũ cur indiuiduum multiplicari non possit, vt abundè satis supra explicatũ est.

Ad quartum principale arg. respond.

133 Neque hoc debet videri mirum, quod vna, & eadem materia sit principium multiplicationis, & immultiplicationis, quia hoc est respectu diuersorum: Quia est principium multiplicationis respectu speciei in plura indiuidua, quatenus est receptiua formæ: Est tamẽ principiũ immultiplicationis respectu indiuidui, quatenus ingreditur compositionẽ illius vt primũ subiectum. Sicut linea ex ea parte, qua

Materia est princip. indiuisionis indiuidui, & diuisionis speciei.

qua

Digitized by Google

quæ terminat superficiem, est indiuisibilis, terminans superficiei diuisibilitatem: Quatenus vero extenditur ad extensionem superficiei concurrit ad diuisibilitatem cum ipsa superficie.

134 Et sic patet quomodo materia est principium vnitatis, & multiplicationis; Forma autē aliter est principiū vnitatis, & multiplicationis numericę, quia complet prędictam indiuidualem vnitatem. Nam licèt à materia habeat indiuiduum, vt dictum est, quòd non possit diuidi in plures partes subiectiuas: Non tamē à materia habet, quod non possit diuidi in plures partes integrales, & multiplicari in plura indiuidua eiusdem speciei: Vel ex pluribus indiuiduis eiusdem speciei fieri vnum: Quod requiritur ad vnitatem indiuidui: Quia requiritur, vt sit indiuisum in se, & diuisum ab omni alio indiuiduo: Et hoc præstat forma determinando sub se tantam materiam, & cōtinendo illam in se vnitam, & indiuisam, & ab omni alia diuisam: Vt latè declaratum est.

Indiuiduum habet à materia indiuisionē in part. subiect., à forma indiuis. in par. integr.

135 Sed dices: Vnitas indiuidualis constituitur per indiuisionem: si ergo materia cōstituit indiuiduum indiuisibile, superflua est indiuisibilitas à forma: Quia ab eodem principio, à quo aliquid est indiuisibile, à fortiori est actu indiuisum: & si hanc præstat forma, non est principium radicale illius materia.

Obiectio.

136 Ad hanc instantiā respondeo, quòd indiuiduo competit duplex indiuisio: Vna per ordinem ad aliud compar indiuiduum: Et hæc pertinet ad vnitatem indiuidui, quatenus est indiuisum in se, & diuisum ab omni alio: Alia indiuisio est per ordinem ad inferiora, quatenus indiuiduum non potest in inferiora subdiuidi. Quod autem istæ duę indiuisiones sint distinctæ, patet: Quia in specie, & in alijs superioribus prædicatis datur prima indiuisio absque secunda: Species enim est indiuisa in se, & diuisa ab omni alia specie, & hæc pertinet ad vnitatem formalem illius, quam diximus esse vnitatem realem. Attamen nō est indiuisa respectu suorum inferiorum, quia habet sub se multa indiuidua, de quibus prædicatur: Igitur potest dari prima sine secunda. De ratione autem vnitatis indiuidualis est vtraque indiuisio: & ideò vnitas indiuidualis est maxima vnitas: Vnitas vero formalis speciei est minor vnitate numerali, vt benè dixit Scotus. Dico ergo, quòd materia est principium indiuisionis in plura inferiora: Forma vero est principium indiuisionis, quatenus constituit indiuiduum indiuisum in se, & diuisum ab omni alio indiuiduo, &c.

Præclusio.

Duplex indiuisio competit indiuiduo, & quæ sit?

Scotus.

137 Ad confirmationem dicēdū, quod differentia numerica, quæ est principium metaphysicum vnitatis indiuidualis, sumitur à tota entitate indiuidui, sicut, & aliæ differentiæ essentiales: Nihilominus sicut aliæ differentiæ tanquam à principio physico, & radicali sumuntur ab alterutra parte: sicut differentia *corruptibilis*, & *incorruptibilis* sumitur à materia: (Quamobrem *corruptibile*, & *incorruptibile* differunt genere, vt inquit Philosophus:) Alię verò differētię sumuntur à forma: Ita differentia numerica tanquam à prima radice partim sumitur à materia, partim à forma: Nam, quia vtraque pars, vt declaratum est, concurrit ad vnitatem numericam, quæ est maxima vnitas: Materia enim, vt dictū est, cōfert indiuisionem respectu inferiorum: Forma respectu condiuisorum: Ideò ab vtraq; parte desumenda est.

Respōsio ad principal. Confirmatij princip. arg.

Aristot.

Differentia numerica est maxima vnitas, & sumitur partim à materia, & partim à forma.

138 Vnde quando in cōfirmatione assumitur, quòd omnis differentia sumitur à forma: In primis dici potest de differentijs essentialibus, non autem de differētia Numerica. Deinde neque verum est omnem differentiam essentialem sumi à forma; quia aliqua sumitur à materia, vt dictum est de differentia corruptibilis, & incorruptibilis substantiæ. Illud tamen aduerto, vt supra probauimus, quòd de ista differentia numerica non eodem modo philosophandum est, ac de alijs differentijs: Quod minus cō-

Est aliqua differentia essentialis, quæ à materia, & non à forma sumitur.

Digitized by Google

munis supponit aliam communionem esse, quasi vero differentia numerica aduenire intelligatur post specificam. Quia hæc, vt dictũ est, immediatè afficit omnes gradus communiores, & specialiores, &c.

Corollarium ex hoc vsq; dictis, vt quid sint quatuor prædicta incommunicabilitates indiuiduo substantiali completo conuenientes, & à quo ei proueniant, breuiter, & dilucidè pateat.

139 EX hoc vsque dictis patet quid dicendum sit de quatuor illis incõmunicabilitatibus, quæ indiuiduo substãtiali cõueniunt, quatenus est prima substantia in genere substantiæ. Quod enim prima substantia sit incommunicabilis alteri tanquam subiecto *inhæsionis*, & *prædicationis*, seu quod *nec in subiecto sit, nec dicatur de subiecto*; habet tanquam à primo, & radicali principio à materia, vt latè dictũ est. Quod prima substantia sit incommunicabilis alteri *per identitatem*, quòd scilicet ex duobus indiuiduis non possit fieri vnum, habet à forma, quia est principiu n, quo indiuiduum est indiuisum in se, & diuisum ab alio: Quod patet in illis indiuiduis, quæ habent formas indiuisibiles: Non enim ex Socrate, & Platone potest fieri vnum indiuiduum, neque *per continuationem*: Quæ repugnantia non prouenit ex parte materiæ: quia hæc ex se est indifferens, vt sit diuisa, vel indiuisa ab alia materia: sed prouenit ab Anima, quæ non potest cum alia Anima continuari: Vnde in partibus monstruosis, quando duo capita videntur vnita in vno corpore: Vel ibi est vna anima, & sic est vnum indiuiduum: Vel ibi sint duæ Animæ, & sic sũt duo indiuidua realiter inter se distincta, & solum apparent continua, sed in rei veritate sunt contigua: Quia vniuscuiusque anima informat suam materiam: Et illa vnio est similis illi, qua vniuntur insitione natura arboris agrestis, & natura arboris hortensis.

140 Quid autem dicendum sit in casu, quo partus habeat duo capita, & vnum corpus, num censeri debeat duo, an vnum indiuiduum? Et quidem si loquamur de animalibus imperfectis, qualia sunt serpentes, in quibus solet hęc monstruositas apparere: Facilè dici potest esse vnam animam, & vnicum indiuiduum; cum hæc animalia habeant formam diuisibilem, & quæ cum alia continuari potest: At in specie humana præsertim crediderim esse duo indiuidua, & habere duas Animas: quia caput est pręcipuum organum animę, & per potentias in ipsa existentes exercet Anima suam precipuam operationem, quæ est *intelligere*: Vnde videtur quod cum ibi sit duplex operatio sentiendi, & duplex intelligendi, quæ sunt in homine principales operationes Animæ, quòd ibi sint duæ Animæ. Dubia erga Mostrua, & eorum decisio.

141 Sed dices de facto in homine sunt duæ manus, duo oculi, duæ aures, & tamen non propterea sunt duæ Animæ, sed vna, quæ per duplices potentias, & duplicia organa distinctas operationes eiusdem rationis operatur: ergo benè poterit esse vna Anima, quæ operetur per distincta capita. Obiectio.

142 Ad hoc respondetur esse disparem rationem de capite, & de illis alijs rationibus: Quia caput est præcipuum in homine, vt dictum est, & à natura institutum est, vt sit vnum in vno indiuiduo: sicut è contra institutum est à natura, vt illa alia membra sint duplicia: Vnde sicut mostruosum est, si quis nascatur monoculus, vel cũ vna manu: multo magis monstruosum est, si quis nasceretur biceps: Cũ ergo vnũ caput sit sufficiẽtissimũ pro vna anima, vt perfectè exerceat suas operationes: alterum maximè arguit inibi esse duas Animas: & maximè si credamus Galeno dicẽti: Primũ, quod incipit formari, & animari infætu, esse cerebrum: Quia ibi sicut est geminatum cerebrum, ita debent esse duæ ani- Enodatio. Galenus.

Digitized by Google

animata, & quamuis illæ primæ animæ intereant aduenientе anima rationali, nihilominus ſicut à principio ſunt duæ animæ vegetatiuæ, ita credendum eſt, ſucceſſiuè aduenire duas ſenſitiuas, & tandem duas rationales.

143 Nihilominus remitto me iudicio meliori: Non enim deciſio iſtius dubitationis pertinet ad noſtrum inſtitutum: Sed breuiter dicimus, ſicut dictum eſt; Quod ſi ibi eſt vna anima rationalis, ſimpliciter eſt vnum indiuiduum; ſi ſunt plures animæ, ſunt plura indiuidua.

144 Aduerte tamẽ, Illuſtriſſimum D. Caramuelem amiciſſimum, qui in ſapientia eſt vnus, & mille, teſte ſuis lugubrationibus eruditiſſimis in ſua Theologia Morali Fũdamentali enarrare, fuiſſe in Scotia circa annũ 1490. monſtrum humanum, quod ab vmbilico, & deorſum habebat omnia integra, quę ſolet habere vnus homo, hoc eſt, vnum ventrem, duo crura, duas tibias, duos pedes, &c. Sed ab vmbilico, & ſurſum habebat omnia geminata, quæ ſolẽt habere duos homines: duo nimirum capita: duo pectora, quatuor brachia, quatuor manus: Vnde ab vmbilico, & deorſum apparebat vnus homo: Ab vmbilico verò, & ſurſum duo homines: Imò, quod mirabile erat, aliquando ex ſuperna parte aliquid diſſidebant inter ſe; aliquando conſentiebant, & ſi fortè vnus pungeretur, non ſentiebat alter: At ſi ex interna parte pungeretur ſentiebãt ambo: Vnde videtur, quod erant duæ animæ in eadem corporis parte.

145 Et tandem nota, quod poſtquam hic Illuſtriſſimus Dom. Caramuel excitauerit celebrem quæſtionem ſuper hoc Monſtrum: Ipſe tanquam ſydus diſcurrens per omnia: quaſi omnia claritate ſuæ doctrinæ dilucidans: ſcribit hoc Mõſtrum plus fabuloſum eſſe, quàm monſtruoſum: & ſimiles hiſtorias, aut corrigendas, aut reijciendas eſſe: Et ratio eſt: Quia in Sacro Concilio Lateranenſi ſub Leone definitum eſt, quod in vno Corpore vna eſt Anima: Idem iudicium enim eſt de toto, & parte.

146 Sed dices, quòd hoc non eſt vniuerſaliter verum, quòd ex duobus indiuiduis nõ poſſit fieri vnum. Quotidie enim videmus, quod duæ aquæ uni uaſi infuſæ, continuantur, & fiunt una aqua, tàm ſecundum materiam, quàm ſecundum formam: Non enim duæ aquæ in eodem uaſe remanent diſtinctæ, & incommunicabiles inter ſe, ſicut aqua, & oleum: Et quidem illa incommunicabilitas, quam habent aqua, & oleum, non eſt, ideò, quia præcisè ſunt duo indiuidua: Sed prouenit à natura ſpecifica diuerſa, quam habent. Et hæc incommunicabilitas ſine dubio prouenit à forma, non à materia, quia materia de ſe non repugnat tali communicationi: Sed prouenit à forma ſpecifica, quæ tribuit quatenus eſt diuerſæ ſpeciei, hanc incommunicabilitatem: Cæterum duæ aquæ in eadem uaſe non ſic ſunt incommunicabiles, ſed uerè uniuntur in una unitate indiuiduali: Ergo nõ omne indiuiduum habet hanc incommunicabilitatem, etiam ſi habeat ſuã propriam formam. Obiectio.

147 Ad hanc inſtantiam dicendũ, ſicut diximus in de generatione agẽtes de maximo, & minimo: Quod indiuiduum poteſt conſiderari dupliciter, quantum ſpectat ad molem materiæ: Vno modo in eſſe incompleto, quando nondum peruenit ad maximum, ad quod ex ui formæ exigit peruenire: Alio modo quãdo iam ad eſſe completum peruenerit: Quando eſt in primo ſtatu, poteſt indiuiduum cum indiuiduo cõmunicari in unitate continuationis. At quando eſt in ſecundo ſtatu, & ad ſuum maximum peruenerit, non poteſt ui naturæ (quidquid ſit de potentia Dei,) continuari cum altero: Et quia res quantò ſunt magis materiales, tantò in immenſum ſe extendit earum magnitudo, nec eſt ita facilè ad eorum maximum peruenire; ut apparet in corporibus elementaribus, quorum indiuidualis magnitudo eſt immenſa, quapropter nobis videretur poſſe ſemper, & ſemper eorum

Digitized by Google

magnitudo augeri. Vnde, vt dicitur Iob. *Ignis nunquam dicit, ſufficit.* Ideò illorum indiuidua videntur ſemper poſſe continuari.

S. Iob.

148 Cęterum ſi aliquid ex his corporibus peruenerit ad ſuum maximũ, hoc eſt ad magnitudinem completã, tunc ex vi formæ non poſſet indiuiduum cum indiuiduo continuari. Sicut ſi Sol frangeretur in plures partes, & haberet diſpoſitiones aptas ad cõtinuationẽ; Tũc quælibet pars Solis poſſet continuari cum alia comparte, quia forma Solis in vna parte non haberet totum ſuum complemẽtum materiæ, quam exigit: At ſi præter hunc Solem daretur alius Sol, & haberet diſpoſitiones aptas ad continuationem, ex hoc ſolo non continuarentur: quia hæc forma indiuidualis in hoc Sole haberet totum complementum materiæ, quam vi ſuę virtutis exigit informare; Et ſic dicimus eſſe verum, quod dixit Philoſophus: *Omnium materia conſtantium ſunt certi limites magnitudinis, & paruitatis.*

Ariſt.

149 Sic igitur apparet, quomodo iſta incommunicabilitas conuenit indiuiduo ratione formæ. Quod ſi aliqua communicant, & vniuntur inter ſe, eſt propter dictam rationem, quia formæ amborum intendunt peruenire ad eam menſuram magnitudinis, quæ eſt ipſis proportionata, ad quam vbi peruenerint, fiunt incommunicabilia hoc genere communicationis.

Corollarium.

150 Quarta autem incommunicabilitas, nempè quod indiuiduum non poſſit communicari alteri *ſuppoſito*, ſed ſit in ſe ſubſiſtens, nec ei conuenit ratione materiæ, nec ei conuenit ratione formæ: Sed aliunde: Primum patet, quia poteſt natura indiuidua, & ſingularis, conſtans ex ſingulari materia, & ſingulari forma, adhuc cõmunicari alieno ſuppoſito, ſicut Humanitas Chriſti Domini ſingularis cũ ſit, ſubſiſtit in ſuppoſito Diuino: Igitur, quod prima ſubſtantia ſit in ſe ſubſiſtens, & indcpendens non ſolum ab alieno ſubiecto, ſed etiam ab alieno ſuppoſito, non conuenit illi, neque à materia, neque à forma. Et ideò reſtat ſecundum, quod illi proueniat aliunde.

Quarta incõmunicabilitas indiuidui erga ſuppoſitũ à quo ei proueniat?

151 Sed vnde prouenit, interrogabis? Ad quam interrogationem, dimiſſis aliorum placitis, breuiter reſpondeo, quod hoc prouenit à forma hypoſtatica: Eſt autẽ forma hypoſtatica entitas quædã, ſiue modus intrinſecus, quo natura ſingularis indiuidui, intrinſecè terminatur, vt in ſe, & per ſe exiſtat, & ſit incommunicabilis alteri ſuppoſito; Et ideò dicitur, *quod Verbum Diuinum aſſumpſit naturam, & conſumpſit perſonam*: Quia aſſumpſit præciſam humanam naturam ſingularem ſine hac forma hypoſtatica, ſeu ſine propria perſonalitate: Nam hæc forma hypoſtatica in natura intellectiua, & ratione prædita, dicitur perſonalitas, ſicut & ipſum ſuppoſitum ſubſiſtens in hac huiuſmodi natura dicitur perſona.

Vnica interrogatio, & eius reſponſio.

Forma hypoſtatica quid ſit, & quã incõmunicabilitatem cõferat indiuiduo?

152 Vt autem hoc ſecretũ aliquo ſẽſibili exemplo imaginari poſſimus; conſideremus aquam, quæ dupliciter poteſt contineri, & terminari, ne ſe diffundat: Vno modo à vaſe continẽte: Alio modo ſi congeletur; Inter quos duos modos hoc eſt diſcrimen, quod primo modo ſi frangatur vas, aqua diffunditur: At ſecundo modo etiam fracto vaſe, adhuc ſe continet, nec effunditur. Ita etiam aliqua natura etiam ſingularis dupliciter fit incommunicabilis alteri ſuppoſito: Vno modo, quia terminatur, & continetur in ſuo eſſe à ſuppoſito alieno, ſicut aqua à vaſe; Et ſic Humanitas Chriſti Domini eſt incommunicabilis propter Perſonalitatem Diuinam: Alio modo, quia habet in ſe intrinſecum terminum, quo intrinſecè fit alteri incommunicabilis, ſicut aqua ab illa qualitate, quam ex gelu acquirit, nẽpè à duritie, efficitur intrinſecè incõmunicabilis.

Aliqua natura ſingularis dupliciter fit incommunicabilis alteri ſuppoſito, & quomodo?

153 Et ſic patet, quæ ſunt principia concurrentia ad perfectam, & cõpletam vnitatem indiuidui ſubſtantialis, & qua conſtituitur prima ſubſtantia perfectè incommunicabilis.

DIF-

Digitized by Google

DIFFICVLTAS IV.

Explanatur tertia conditio, seu proprietas indiuidui substantialis completi, nempè vt sit designabile. Et quæ sint principia huius designationis.

154 SVpereſt, vt tãdem expendamus tertium requiſitum ad conſtituẽdum indiuiduum, nẽpè deſignationem illius, & quæ ſunt huius deſignationis principia: Nomine deſignationis intelligimus vltimam indiuidui determinationem, qua unum indiuiduum diſcernitur ab alio. Nam ſi uideo hominem à longè uenientem, primum quidem uideo eſſe ſingulare corpus, ſed non diſcerno, ſit ne corpus animatum, an inanimatum, quia non uideo, an habeat partes organicas, an non; Deinde uideo eſſe ſingulare uiuẽs, ſed non diſcerno ſit ne ſingulare uiuens tantum, an ſingulare animal: Sed quia deinde illud uideo moueri motu progreſſiuo, cognoſco eſſe ſingulare animal, ſed non diſcerno ſit ne homo, an beſtia; Et deinde, quia uideo progredi duobus pedibus erecta ceruice, cognoſco eſſe ſingularem hominem, ſeu indiuiduum uagum ſpeciei, ſed non determinatè, quis indiuidualis ſit homo; Et tãdem cognoſco eſſe hunc hominem ſingularem, videlicet Socratem, uel Platonem.

Quid nomine deſignationis intelligatur.

155 Vnde patet, quod ad perfectionem indiuidui requiritur completa determinatio illius, & hanc determinationem *deſignationem indiuidualem* appellamus. Et quamuis hæc deſignatio incipiat à gradu corporis, quia ab illo gradu incipit eſſe ſingulare ſenſibile, & ut talis diſcernitur ab alijs ſingularibus corporibus; nihilominus, ut in graduatione facta apparet, iſta deſignatio nõ perficitur, niſi cum ad vltimum ſingularitatis indicium peruenerit, quando nimirum hoc indiuiduũ totaliter ab omni alio indiuiduo completè diſcernitur: Et ob hoc dicitur indiuiduum ſignatũ: Quærimus ergo, quæ nam ſint principia iſtius deſignationis?

Ad perfectionẽ indiuidui ſpectat completa determinatio, quę dicitur deſignatio indiuidualis.

156 Sed aduerto, quòd hæc deſignatio poteſt conſiderari, & ex parte ſignificãtis determinatum indiuiduũ; Et Porphyrius cap. de ſpecie paulò ante finem, ponit triplicem modum ſignificãdi determinatũ indiuiduum. Primò proprio nomine, vt Socrates. Secundò ex ſuppoſitione, vt Sophronici filius, ſuppoſito, quòd Sophronicus non habeat alium filium, niſi Socratem. Tertiò demonſtratione, ſeu pronomine demõſtratiuo, vt cum demõſtrato Socrate, dico, hic homo, hoc album, &c. Et iſta deſignatio non facit ad rem præſentem, ſed ad Logicos pertinet: Secundò conſiderari poteſt ex parte rei ſignificatæ, nempè ex parte ipſius indiuidui determinati: Et de hac determinatione, ſiue deſignatione inquirimus, quæ ſint principia determinantia, & deſignantia indiuiduum?

Animaduerſio Porphyr.

Deſignatio indiuidui poteſt ſumi ex parte ſignificãtis, aut ex parte rei ſignificatæ.

157 In qua re certum eſt, quod quantitas, & alia accidentia ſunt principia huius deſignationis: Quia per quãtitatem, & figuram cognoſcimus animalia perfecta, vt Bucephalum, & Alexandrum, eſſe talia indiuidua determinata ſub ſpecie equina, vel humana: Cætera autem, quæ per figurã, & quantitatem determinatè diſcerni nequeunt, vt ſunt homogenea, per aliqua alia accidentia, quæ ſunt ità propria Vnius, vt non ſint propria Alterius indiuidui: Et cum nullum accidens, ſeorſim ſumptum poſsit ita eſſe vnius indiuidui, quod non poſſit eſſe commune alteri indiuiduo: Quia vel illud accidens eſt proprium conſequens propriam ſpeciem, & ſic debet eſſe commune omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei: Vel eſt accidens proueniens

Quãtitas, figura, & alia accidentia sũt princip. deſignationis indiuidui.

Digitized by Google

ueniens ab extrinseco principio: Et sic potest esse commune non solum indiuiduis eiusdem, sed etiam speciei diuersæ: sicut candor est communis lacti, niui, & calci proueniens ex diuersis causis: tamen in niue procedit ab excessu frigiditatis: in calce ab excessu caloris: Lacti ex nimia decoctione: Nam lac est sanguis benè decoctus: Sic igitur ex singulis accidentibus seorsim consideratis non potest sumi certa determinatio indiuidui.

158 Et ideò non accidentia, sed collectio accidentium assignari solet principium talis designationis, & ideò Porphyr. Porphyrius loco citato sic definit indiuiduum: *Est indiuiduum, cuius collectio proprietatum nunquam est in alio:* Quænam vero sint hæc accidentia, quorum collectio ita est propria huius, vt non sit alterius indiuidui, iam dialecticæ Tyrones norunt. Videãtur interpretes illius, præsertim ex nostris N. Didacus de Iesu. Discalceatis P. Didacus à Iesu in cõmentarijs in vniuersam Logicam Arist. disp. 7. q. vltima de natura indiuidui: Et PP. Nostri Complutenses in PP. Nostri Complut. disputationibus in Aristot Dialecticam disp. 6. q. 6. de Natura indiuidui, & alij. Itaque non accidentia, sed accidentiũ singularis collectio est principium taliter determinatiuum huius indiuidui, & distinctiuũ ab alio, vt hæc collectio sit, qua vnum indiuiduum ab alio discernatur.

Damasc. 159 Vnde Damasc. hæc accidentia, quorum collectio distinguit vnum indiuiduum ab alio, characteristicas proprietates appellat, dicens c. 11. suę Logicæ. *Oportet autẽ cognoscere, quoniã characteristica proprietates accidentia sunt, characterizantia hypostases:* Et lib. de duabus naturæ, & vna hypostasi Christi Domini c. 2. explicans differentiam, qua vna hypostasis ab alia discernitur, quod est dicere vnum indiuiduum substantiæ ab alio indiuiduo: *Discernuntur*, inquit, *ad inuicem characteristicis quibusdam proprietatibus.*

DIFFICVLTAS V.

An accidentia, quæ sunt principia designationis indiuidui prædicti, seu primæ substantiæ, ita sint principia, vt his saltem Diuinitus sublatis ab eis, remaneant duo indiuidua, seu duæ primæ substantiæ eiusdem speciei indistinctæ, vel saltem ad inuicem discerni non possint.

160 SED dubium est, an hæc occidentium collectio ita sit principium distinctiuum, & determinatiuum indiuidui substantialis, seu primæ substantiæ, vt his saltem diuinitus à prima substantia sublatis remanerent duæ primæ substantiæ eiusdem speciei indistinctæ, vel saltem ad inuicem discerni non possint? Et in hac re Prima sententia affirmat istam collectionem accidentium esse proprium, & formalem distinctiuum vnius indiuidui substantialis ab alio, taliter, quod sublata hac accidentium collectione, indiuidua substantialia non remanerent distincta, vel saltem non posset vnum ab alio discerni. Hæc sententia videtur esse Aristotelis, Porphyrij, Auicennæ, Damasceni, S. Thomæ, & plurium aliorum. Quorum testimonijs probanda est.

Difficilis difficultas.

1. Sententia.

Arist. Porphyr. Auicenn. Damasc. S. Th.

161 Et probatur primò. Auctoritate Aristotelis 7. Met. t. 21. Assignans discrimen inter quidquid est, & id, cuius est, hoc est, inter naturam specificam, & indiuiduum, dicit, quod natura specifica est in indiuiduo, tanquam forma in materia: & dat exemplum de specie humana, quod homo est in Socrate, v.g. tanquam forma in materia: Et exemplificat, quid nomine materiæ intelligat, & dicit, quod materia sunt hæc ossa, & hæc carnes. Vnde tex.

1. Probat. auctor. Arist.

28.

Digitized by Google

28. *Formam in his carnibus, atque ossibus esse Socratem, & Calliam,* & sic per hanc materiam indiuiduatur natura specifica, & determinatur in hoc indiuiduo: Sed hæc ossa, & hæc carnes nō important nudam substantiam materiæ, aut indiuidui, sed accidentia etiā: Igitur de mente Philosophi id, quod constituit indiuiduum, illudque determinat, sunt accidentia, seu accidentium collectio.

Confir. ex eodem Arist.

162 Confirm. ex eodem ibidē tex. 57. Vbi probat, quòd indiuidua non possunt definiri, quia sunt corruptibilia: De corruptibilibus autem nec est distinctio, nec demonstratio: Quia definitio, & demonstratio sunt de rebus necessarijs, non contingentibus: sed hęc ratio Aristotelis non valeret, si loqueretur de corruptione substantiali: Quia etiam species rerum sensibiliū sunt substantialiter corruptibiles, & tamen de eis est scientia: Imò vnum, quod de eis scitur, est, quod sunt substantiæ corruptibiles, ad discrimen incorruptibilium substantiarum: Ergo loquitur de corruptione accidentali: quia in eis collectio accidentiū est variabilis: ergo indiuiduum formaliter constituitur per collectionem accidētium, tanquam per propriam differentiam indiuidualem.

2. Probatur ex Porphyr.

163 Secūdò probatur ex Porphyrio loco supra cit. cap. de specie, vbi hæc habet: *Indiuidua autem dicuntur huiusmodi: quoniam ex proprietatibus consistit vnumquodque eorum, quarum collectio nūquam in aliquo alio erit. Socratis enim proprietates nunquam in aliquo alio particularium erunt eadem, &c.* Ex quibus manifestè apparet, quòd pro differentia indiuiduali, qua indiuiduum constituitur, & ab alio secernitur est ipsa proprietatum, seu accidentium collectio.

3. Probatur ex Auicenna.

164 Tertiò probatur ex Auicenna. Id enim 1. sue Met. dicit: Indiuidua secundū naturā specificam vnū sunt, sed accidentibus differunt: *Singula*, inquit, *indiuidua eiusdem speciei, postquam non sunt diuisa intellectu essentia, vnum sunt, sed debēt esse diuersa accidentibus.* Et lib. 5. *Equinitas*, ait, *ex hoc, quòd in definitione eius conueniunt multa, est communis, sed ex hoc, quòd accipitur cum proprietatibus, & accidentibus signatis, est singularis: Equinitas autem in se est equinitas tantum.* Et insuper lib. eodem. Postquam declarauit quomodo, & per quid genus ad speciem determinatur, statim declarat, quomodo species indiuiduatur, & determinatur ad indiuiduum, subdēs: *Postquam vero determinata est species specialissima, erit tūc natura, sic quòd accidunt ei comitantia ex accidentibus, & proprietatibus, per quæ natura indiuiduatur, & fit signata.* Ecce quomodo hic Author dicit, quod differentia indiuidualis, per quam natura speciei specialissimæ indiuiduatur, sumitur ab accidentibus, & proprietatibus singularibus, seu ex collectione proprietatum.

4. Probatur ex Damasc.

165 Quartò probatur ex Damasceno in sua Logica: Nam c. 4. Quod est de differentia, assignans discrimen inter differentiam specificam, & numericam sic scribit: *Alijs igitur rebus differt species à specie: & alijs hypostasis ab ea, quæ eiusdem speciei, & eiusdem substantiæ hypostasi*: Idest alijs differt indiuiduum ab indiuiduo, & assignans discrimen inter præfatas differentias, subdit: *Differt quidem enim species hominis à specie equi secundū rationale, & irrationale, & dicitur rationale, & irrationale substantialis differentia, &c. Rursus differt homo ab homine, equus ab equo, vel canis à cane secūdum quod hic quidem est longus, hic autem breuis. Hic quidem senex, hic autē iuuenis, hic vnus homo prudens, alter fatuus. Hæc omnia accidentales, seu aduentitiæ differentiæ, & qualitates dicitur, quod est accidens.*

166 Vbi vides discrimen inter has differentias de mente Damasceni in eo esse positum: Vt differentia specifica sit substātialis, & sumatur ab ipsa indiuidui substātia: Differētia numerica sit accidentalis, & sumatur ab accidentibus, seu ab illorum collectione: Et ista accidentia sunt illa, quæ *characteristicas proprietates* appellat

Da-

Digitized by Google

Damascenus, vt patet ex locis supra adductis, In quibus, & alijs Damascenus manifestè dicit, quod differentia indiuidualis est accidentaria substantiæ, & sumitur ab ipsis characteris accidentibus, quæ signant, & determinant indiuiduum, & faciunt vnum discerni ab alio.

5. Probat. ex S-Th.

167 Quintò probatur ex S. Thoma, qui opusc. 70. super Boet. de Trin. q. 4. a. 2. in terminis hanc quæstionem vertens: Num scilicet varietas accidentium sit causa pluralitatis secundum numerum? Post multa resoluit quæstionē in fine corporis art. hac distinctione. Quòd quædam accidentia sunt principia indiuiduantia, & distinguentia ipsa indiuida sub specie: Et istę sunt dimensiones, & ideò ponit materiam signatam quātitate esse indiuiduationis principium: Quædam vero accidentia sunt, quæ non sunt causę cōstituentes, & distinguentes indiuidua, sed sunt causæ cognoscendi indiuidua inter se distincta: Et sic cōcludit, quòd accidentium varietati attribuitur indiuiduatio: vel tanquam principio indiuiduante: vel tanquam principio cognoscendi indiuidui: sic scribit loco citato. *Vnde patet, quòd materia secundum se considerata non est principium diuersitatis secundum speciem, nec secundum numerum: sed sicut est principium diuersitatis secundū genus, prout subest communi formæ, ita est principium diuersitatis secundum numerum, prout subest dimensionibus interminatis: Et ideò cum hæ dimensiones sint de genere accidentium, quandoque diuersitas secundum numerum reducitur in diuersitatem materiæ, quandoque in diuersitatem accidentium, & hæc ratione dimensionum prædictarum. Alia vero accidentia non sunt principium indiuiduationis, sed sunt principium cognoscendi distinctionem indiuiduorum, & per hunc modum etiam alijs accidentibus indiuiduatio attribuitur.* Ecce quomodo S. Thomas saltem ad dimensiones, quæ sine dubio accidentia sunt de prædicamento quantitatis, reducit cōstitutionem indiuidui, & distinctionem illorum.

S.Th.

168 Sextò denique probatur fundamentali ratione, qua prædicti insignes Philosophi, & Theologi inducti sunt in hanc sententiā. Quia differentia indiuidualis est extra essentiam indiuidui: Quia tota essentia indiuidui consistit in natura specifica, quam indiuiduū in se participat: Sed quidquid est extra essentiam, & aduenit illi est accidentarium: ergo differentia numerica est accidētalis, ac proinde ex accidentibus debet desumi.

6. Prob. efficaci ratione.

169 Nec valet si dicas, quòd differentia numerica ex hoc, quod est extra essentiam, est quidem accidentaria accidentalitate Logica, nō Metaphysica, idest, non est quoddam accidens prædicamentale, vel aliqua illorum collectio, quæ tanquā accidens aduenit substantiæ: Sed est accidentaria secundum quod omne, quod est extra essentiam alicuius rei, Logicus accidentarium appellat; cæterum ipsa differentia est substantialis, & est de substantia indiuidui.

1. Resp. ad sextū arg. contrariæ sententię, potest esse.

170 Sed contra hanc responsionē vrgetur primò. Quia si ex eo differētia numerica dicitur accidentalis, quia est extra essentiam speciei: & ideò tāquam accidens subiecto illi concipitur aduenire: pariter differentia specifica est accidētaria naturę genericæ. Nam differentia specifica cum est de conceptu naturæ genericæ: Non enim de conceptu naturæ sensitiuæ in quātum huiusmodi est rationale, aut irrationale, sed præscindit ab vtroque, & accidit naturæ sensitiuæ in quantum huiusmodi, quod illi aduenial hęc, vel illa differentia: Quia quamuis sit in potentia ad prædictas differentias, de se tamen non magis exigit vnā, quàm alteram: nempè, quod per rationale determinetur in homine, per irrationale determinetur in bruto: Ergo nullum esset discrimen inter differentiam specificam, & numericam, sed eodem modo se haberet numerica ad speciē, ac specifica ad genus. Vndę aut vtriq; est omninò accidentaria, aut vtrique est essentialis.

1. Inuasio aduersar. cōtra nostrā prædictā respōsionē.

171 Vrgetur secundò, quia differentia

2. Inuasio Aduers. rentia substantialis pertinet ad ipsam quidditatē indiuidui: Nam ipsa quidditas indiuidui est ipsa indiuidui substantia,&c.

172 Vrgetur tertiò: Quia si differentia indiuidualis esset substantialis, 3. Inuasio Aduers. non minus ex natura specifica, & indiuiduali differentia fieret per se vnū, ac fit ex natura generica, & natura specifica: ergo tota essentia, & quidditas indiuidui nō consisteret in natura specifica; Quia illud vnum per se constitutum esset quidditas indiuidui: Neq; natura specifica prædicaretur de indiuiduis, vt totum actuale, vt communiter Logici, & Philosophi asserunt: Sed prædicaretur vt genus, tanquam totum potentiale: Quia ita se haberet natura specifica ad differentiam numericam, sicut se habet genus ad differentiam specificam: Vnde sicut ex eo genus prædicatur vt totum potentiale, quia est in potentia ad differentiam specificam, & componit cum ea vnum tanquam potentia, & actus: Ita similiter philosophandum esset de differentia numerica comparata ad naturam specificam, & sic non est accidentaria, sed essentialis.

Secunda sententia nostra expenditur duplici conclusione: Reponitur dubium difficile de animabus separatis quoad distinctionem sexus, & resoluitur: Et satisfit triplici vrgenti interrogationi scitu necessaria.

173 SEcunda sententia docet, Accidentia, aut illorum collectionem, nec esse differentiam indiuidualem substantialis indiuidui, nec ab eis sumi talem differentiam. Animaduersio. Pro cuius explicatione notandum est, quod dupliciter possumus loqui de ista differentia: Vel vt constituit indiuiduū, & distinguit vnum ab alio: Vel vt præcisè facit discernere vnum ab alio: Non enim inter indiuidua intercedit distinctio, sed etiam intercedit discretio: Quia cognosco, v.g. hunc esse equum meum: Illum esse tuum: Hunc puerum esse talis Patris filium; illū alterius. Si loquamur de principio præcisè distinctiuo, & constitutiuo indiuidui: Iam dictum est supra, quod indiuiduum substantiale constituitur, & distinguitur ab alio indiuiduo antecedenter ad omne accidens, nec in hoc puncto est vlterius immorandū. Si tamē loquamur de discretione, & designatione indiuiduali, & quasi characteristico signo, quo vnum indiuiduum discernitur ab alio, distinguēdum puto: Quod aut sermo est de illis indiuiduis, quæ sunt *homogenea*, vt aqua, ignis, lignum, lapides, & similia: Et de his dico, seclusis proprijs accidentibus, vel illorum collectione, non posse discerni vnum indiuiduum ab alio; Patet hoc: Quia de facto, si ista in accidentibus sunt omninò similia, non potest discerni vnum ab alio: v. g. si duo baculi sunt omninò similes, nec habetur aliquod accidēs vnius distinctiuum ab alio, non potest discerni, sit ne iste baculus meus, ille tuus: Sed seclusis omnibus accidentibus talia indiuidua sunt omninò similia in substantia: Quia non potest assignari quid substantiale haberet vnum diuersum ab alio, quod sit veluti characteristica proprietas, qua diuersificetur ab alio: ergo in substantia istorum indiuiduorum non potest assignari aliquid substantiale, quo discernuntur.

1. Cōcl. & eius ratio.

De rebus, quæ sunt homogeneæ, seclusis proprijs accident. non potest vnum indiuiduum discerni ab alio.

174 Dices, quod hæc characteristica proprietas est ipsa differentia indiuidualis. Obiectio.

175 Sed contra: Quia potest vna numero substantia ex his multiplicari in plura indiuidua per solam diuisionem in partes integrales: Vt si vnum lignum diuidatur in duas partes, quælibet pars est statim vnum indiuiduū lignum distinctum ab alio: Et tamen quantum ad substantiam sunt eiusdē rationis, quia substantia est homogenea, vt supponimus: ergo non potest differentia indiuiduali discerni vnum indiuiduum ab altero. Enodatio.

176 Aut sermo est de indiuiduis perfectis, & maximè, quæ habent formas indiuisibiles, vt indiuidua huma-

Digitized by Google

2.Cócl. & eius ratio.

na: Et de his dico, quod præter distinctionem ad inuicem, habent etiam quandam *characteristicam proprietatem substantialem*, qua vnum indiuiduum ab alio discernitur: Nam ponamus, quod Deus à Petro, & Paulo auferret omnia accidentia, & remaneret sola illorũ substantia; tũc non solũ remanerent duo indiuidua distincta, vt supra dictum fuit, sed insuper posset discerni hoc substantiale indiuiduum est Petrus, illud est Paulus: Sicut de facto anima Diui Petri discernitur ab anima Diui Pauli. Quod enim animæ separatæ discernãtur ad inuicem patet ex sacro Euangelio, vbi legitur, quod anima diuitis existentis in inferno cognoscebat animã Lazari, & animã Abrahã: & quod Abrahã inter innumeras animas in inferno existentes cognoscit animam diuitis, cui alloquenti respondit: Ergo inter animas non est præcisa distinctio indiuidualis solum, sed characteristica quædã proprietas, qua una ab alia discernitur: Et consequenter etiam inter ipsa indiuidua habentia animas cum talibus distinctiuis, & designantibus *rationibus substantialibus*, datur sufficiens discernendi indicium.

Indinidua humana, & animæ rationales discernũtur inter se per quãdam proprietatem substãtialem.

177 Sed illud videtur difficile, quia sequeretur quod in animis separatis appareret quædam distinctio sexus: Quia cognosceretur, quod hæc est anima viri, hæc mulieris: Hæc est Anima Sancti Francisci, hæc est Anima Sanctæ Claræ: hoc autem videtur absurdum. Sed huic difficultati responderi non potest nisi explicetur, quid sit ista *substantialis proprietas*, qua animæ discernuntur inter se.

1.Dubium difficile inferius decidendum.

Prima Interrogatio: Quid addat anima singulari hæc prædicta proprietas discretiua? Et responsio ad ipsam, & ad dubium difficile supra propositum de animis separatis quò ad sexus distinctionem.

1. Interrogatio.

178 VNde interrogabit quis statim. Quid addat animæ singulari hæc proprietas discretiua, seu characteristica? Et quidem ista non potest esse accidens: Quia supponimus secluſis accidentibus dari hanc proprietatem: Nec potest esse modus aliquis substantialis, quia non appareret vnde talis modus resultat; oportet ergo esse quid pertinẽs ad ipsam substantiam Animæ.

179 Dico igitur, quod hæc proprietas est ipsa substantialis commensuratio animæ ad corpus taliter complexionatũ. Nam sicut de facto Deus iuxta capacitatem materiæ dispositæ infundit proportionatam, & commẽsuratam animã secundũ suam substãtialem commensurationem, vt diximus in de anima: Ita etiam si Deus antecedẽter ad corpora creasset animas, creasset illas secundum diuersas commensurationes proportionatas corporibus diuersimodè complexionatis. Et hinc diximus prouenire *substantialem* quandam animarum *inæqualitatem*, secundum diuersas commensurationes ad corpora inæqualiter complexionata. Nec ista *inæqualitas substantialis* constituit diuersitatem specificam inter Animas: Quin imò denotat imperfectam participationem naturæ specificæ, in quantum, quod in una Anima nõ potest perfectio specifica habere omnem operationem: & hoc prouenit ex dispositione materiæ. Cum enim anima in sua operatione dependeat aliquo modo à materia: Nam, & si operatio intellectiua non dependet à materia, tanquam à subiecto, vel organo, pendet tamẽ obiectiuè: quia nata est accipere species per sensus: Et ideò etiam, vt intellectiua est, habet commensurationem ad cõplexionem, & dispositionem corporis: Vnde siue ante infusionem ad corpus, siue post separata existat; semper retinet talem commensurationem, & exigit corpus ita sibi cõmensuratum.

Substantialis quædam inæqualitas animarum rationalium vnde proueniat?

180 Dixi autem, quod *hoc prouenit ex imperfecta participatione naturæ specificæ*. Quia amplitudo formæ coarctatur per materiã: Et ideò secundũ diuersas dispositiones materiæ diuersi-

Digitized by Google

uersimodè substantialis commensuratio illius limitatur: Vnde ista inæqualitas perfectionis supponit imperfectionem: Nam vt dicit Commentator 1. Cœli comm. 4. *Et quòd inuenitur ex eis plures, quam vnum, est diminutũ, quia si esset perfectũ, sufficeret esse vnũ, sicut est in mundo. Et hæc est causa esse multorum indiuiduorum vnius speciei, scilicet propter diminutionem non fuit natura contenta esse vnius.*

Amplitudo formæ coarctatur secundum diuersas dispositiones materiæ.

181 Itaque quod animæ multiplicentur numero, est propter diminutam participationem naturæ specificæ, non quòd non eam completè contineat, vel composito conferat, sed quia debet conferre commensurata materiæ, & dispositionibus illius, & cum materia nõ possit æqualiter disponi ad omnẽ operationis vsum; Quia si hoc posset, vt dicit Commentator, sufficeret vnum indiuiduum, & vna anima: Sed quia hoc fieri non potest: Quia dispositiones conducentes ad vnam operationem impediunt ad aliam: Ideò natura nõ fuit contẽta vnico indiuiduo in vna specie, sed propter diminutionem instituit plura. Multa quæ possunt hoc loco, & obijci, & declarari, iam dicta sunt, tum in Logica tractantes de natura indiuidui, tum in de anima, cũ probauimus dari animas substantialiter inæquales.

Propter diminutã participationẽ naturæ specificę multiplicantur num. animæ rationales.

182 Vnde ad dubium n. 177. supra propositum: an in animabus separatis remaneat aliquod *substantiale distinctiuum sexuum*: ita vt discernatur, & distinctè cognoscatur, *hæc est anima Adami, & hæc est anima Heuæ*: Et sine dubio habent inter se istæ animæ aliquid discretiuum, quo cognoscentur, non solum, quia fuerunt in corpore, sed etiam si antecedenter ad corpora creatæ fuissent: Non quod verè in animabus separatis sit propria sexuum distinctio, sed aliquod indicium, quo discernatur, quod hæc est anima maris, illa fęminę: Durũ enim mihi videtur, quod in illa societate Animarum beatarũ non aliquo *signo substantiali* discernantur Animæ sanctarum mulierum, ab Animabus virorum Sanctorum.

Respõsio ad 1.

183 Et si quæras quodnam sit hoc signum? Dico, quòd est substantialis coaptatio, & commensuratio ad corpus taliter, & taliter dispositum, vt in corporibus sibi commensuratis requirant dispositiones proportionatas sexibus distinctis. Vnde sicut in generatione propter dispositiones infunditur anima illis commensurata: ita in regeneratione, seù in resurrectione, propter talem animam resultabunt in corpore tales commensuratæ dispositiones. Vnde in quauis materia infunderetur anima S. Catharinæ, statim in illa materia formarentur dispositiones proportionatæ animæ illius. Quia ab illa substantiali commensuratione resultarent dispositiones, & figura illi proportionatæ.

184 Sed huic nostræ determinationi illud obstare videtur: Quia distinctio sexuum est merè accidentalis: nam multis, & antiquis, & recentioribus casibus constat, quòd fęminæ mutauerunt sexũ, & de fœmineo ad masculinum transierunt: Ergo non potest talis distinctio fundari in ipsa substãtia animæ; Quia ipsa substantialis cõmensuratio animæ ad corpus non est transmutabilis, vt per se patet. Obiectio.

185 Sed ad hoc respondeo, vt quidam peritissimus Medicus respondebat. Quod ibi non est transmutatio sexus. Quia re vera illæ, quæ videbantur fœminæ, re vera pertinebant ad sexũ virilem, sed propter imperfectam organizationem sexus virilis non apparebat: Qui deinde aut vi, aut efficacia naturæ tandem apparent, &c. Enodatio.

186 Sed dices, quia hinc sequeretur, quod anima monstruosi corporis requireret corpus monstruosum. Obiectio.

187 Sed hoc non valet, quia Monstra accidunt præter intentionem naturæ, & coaptatio substantialis Animę requirit corpus sibi proportionatum, quod deinde monstruosum fit, est præter intentionem naturę ipsius animæ. Sicut si post animationem cor- Enodatio.

Digitized by Google

pus proportionatum ex aliquo casu fieret monstruosum, & generaliter monstrum accidit ex parte materiæ, vel quia deficit, vel quia superfluit.

Reponitur secunda Interrogatio, an signum, seu proprietas substantialis, qua animæ separatæ discernuntur ad inuicem, quo ad distinctionem sexus, sit ipsa differentia Numerica? & eius responsio.

188 SED interrogabis, nùm ista substantialis proprietas sit ipsa differentia numerica, qua animæ distinguuntur numero vna ab alia, ac perinde quando vnitur corpori, & constituit hominem indiuiduum, nũ ab ista proprietate tanquam à radicali principio sumatur numerica distinctio indiuiduorum sub eadem specie? 2. Interrogatio.

189 Ad quam interrogationem respondetur, quod quamuis hæc proprietas sit indiuidualis, & faciat aliquo modo differre vnam animam ab alia: Attamen non est ipsa propria differentia indiuidualis, qua anima ab anima distinguitur, aut indiuiduum ab indiuiduo: Quia sequeretur primùm, quòd non possent dari duæ animæ æquales etiam de potentia Dei, vt supra declaratum fuit, & nunquam possent duæ materiæ æqualiter disponi ad æquales formas, quod dicere nulla cogit necessitas. Respõsio.

190 Deinde, quia si in huiusmodi proprietate consisteret differentia indiuidualis, sequeretur, quod in omnibus formis tàm substantialibus, quàm accidentalibus, & in omnibus compositis deberet assignari huiusmodi proprietas: Quia in omnibus debet assignari differentia indiuidualis: Hoc autem non habet locum in illis formis, & indiuiduis, quæ sunt omninò inter se homogenea, vt supra dictum fuit, & ideò ista proprietas se habet, vt quid consequens differentiam indiuidualem: Differentia enim indiuidualis est principium distinguendi, sed hæc proprietas est principium discernendi vnum indiuiduum ab alio: Principium autem distinguendi debet reperiri in omnibus indiuiduis: Sed discernendi non opus est reperiri in omnibus.

191 Imò ego existimo solum reperiri in indiuiduis humanis, & in Animabus rationalibus propter specialẽ naturam, quam habent, quod possunt existere separatæ: Vnde necesse est, vt habeant in illo statu aliquam substantialem proprietatem, qua possit vna ab alia discerni, &c.

Tertia interrogatio, qua quæritur. Quid addat differentia numerica supra differentiam specificam? & duplex ad eam responsio.

192 SED statim iterum consequẽter interrogabis: Quid ergo addit differentia indiuidualis supra naturam specificam? 3. Interrogatio.

193 Dico, quòd differẽtia numerica propriè non est differentia, nec diuidit vnum indiuiduum ab altero, quomodo diuidunt differentiæ aliquid commune: Quia sequerentur illa incommoda, quæ tacta sũt in sexto arg. Differentia enim in tantum distinguit, & diuidit aliquod commune, in quantum per modum actus, & formæ addit aliquid illi communi diuersificans illud ab alijs participantibus illud commune: At differentia numerica nõ diuersificat vnum indiuiduum ab alio: Aliàs indiuidua non differrẽt numero, sed essentialiter. Nam ideò dicitur distingui numero, quia nil plus habet vnum, quàm alterum quoad essentialia, & ideò distinctio numerica est materialis, & vniformis. Quod si per superadditas differentias ad naturam specificam, differrent, quælibet istarum differentiarum faceret vnum per se cum natura specifica, sicut facit differentia specifica vnum per se cum natura generica, & ideò natura specifica non esset tota quidditas indiuidui: sicut genus non est tota quidditas speciei, vnde distinctio inter indiui- 1. Resp. Differentia numerica non est vera differentia; & quid requiritur ad veram differẽtiam.

dua

dua non esset solum numerica, sed essentialis, sicut distinctio inter species sub genere non est solum numerica, sed essentialis.

194 Dico igitur, quod differentia numerica præcisè sūpta non est aliud, quam diuisio materiæ: Et principium formaliter, vnde sumitur hæc diuisio, est ipsa forma, quatenus per suam informationem est diuisiua materiæ: Et indiuidualis differentia est ipsius forma, quatenus pro sui informatione est exigitiua tantæ, & determinatæ materiæ, ita vt in minori esse non possit, & si statim haberet maiorē, & nō prohiberetur ab extrinseco, maiorem informaret vsq; ad completum terminum informationis suæ: Quo termino assecuto, etiam si maior materia suppeditaretur, desineret ab intrinseco illam informare, quantum est vi suæ naturæ, etiam si ab extrinseco illam informare prohiberetur, vt supra abundè satis declaratum est: Indiuidualis autem differentia formæ accidentalis consistit in habitudine ad singulare subiectum, quia non potest existere, nisi in subiecto singulari, & supponit illud iam singulare ante sui informationē, vt supra etiam dictum fuit.

2. Resp.

Dissoluuntur argumenta principalia opposita sententiæ in hac V. Difficultate, quæ pag. 86. 87. & 88. n. 161. vsq; ad 172. fuerunt proposita.

195 SVpereſt, vt argumentis oppositis satisfaciamus. Ad primum ex Philosophi dictis desumptū, vt respōdeamus: Notādum est primò, quòd vt apparet ex cap. 12. Philosophus disputat: Quare aliquæ partes, ex quibus componitur definitum, sint priores definitione: Sicut litteræ sunt priores syllaba: Aliquæ vero sint posteriores, vt digitus animalis: Non enim animal definitur per digitum, sicut syllaba per litteras: Sed digitus per animal: Nam definitur digitus prout est pars animalis? Respondet distinguendo, quod partes definiti: Alię sunt formales, & sūt partes definitionis, vt litteræ, quæ pertinent ad formalem cōstitutionem syllabæ: Alię sunt materiales, & non pertinent ad definitionem definiti, sicut est digitus respectu animalis, & dicit, quod illæ sunt priores, istæ posteriores definitione.

Respondetur ad 1. arg. ex auctorit. Arist.

1. Prænotandum.

196 Notandum secundò, quòd ibi Philosophus tractat de substantia sēsibili: In qua cōsideratione dicit, quòd Metaphysicus cum Physico concurrit, vt apparet ex tex. 37. fine. Et quia Naturalis non abstrahit à materia sēsibili: ideò cum agit de partibus materialibus inuoluit sensibilia accidentia. Quia ergo dicit, quòd ossa, & carnes sunt partes materiales compositi substantialis, ideò in definitione hominis non ponūtur. Dicit tertiò, quod sicut hęc ossa, & hæ carnes sunt partes materiales huius indiuidui: ita ossa, & carnes sunt partes materiales speciei.

2. Prænotandum.

197 Ex quibus apparet, quod Aristoteles non accipit hæc ossa, & has carnes, vt pręcisè dicunt accidētia, sed potiùs, vt dicunt substantiam cum accidentibus sensibilibus, alioquin etiā de ratione speciei essent accidentia. Vnde ex dictis Philosophi ad summū sequitur, quod accidentia concurrunt ad indiuiduationem quoad secundariam indiuidui rationē, quatenus nimirum est sensibile, & cadit sub sensu, quod non negamus, &c.

198 Ad confirmationem quoque dicitur, benè Philosophum ex corruptibilitate intulisse indiuidua definiri non posse: Nam inutilis esset cognitio rei perituræ: species autem quamuis, vt sunt in hoc, vel illo singulari, sint corruptibiles, simpliciter tamen non sunt corruptibiles, sed perpetuæ, quia semper extant in vniuerso. Et ideò earum ratio, tùm quidditatiua, tùm demonstratiua vtilis est, & est scientis perfectio, &c.

Respons. ad confir.

199 Ad secundum desumptum ab auctoritate Porphyrij, in primis dicimus, quòd fortè fuerit illius mentis, vt constitutio, & diuisio indiuiduorum sit ipsa collectio accidentium; Non tamen cogimur eius sententiam tenere.

1. Respōs. ad 2. ex auctorit. Porphyr.

Digitized by Google

re. Secundò respondetur, quòd loquitur de indiuiduo, quatenus est sensibile, & per collectionem sensibilium accidentium, sensu vnus ab alio discernitur, quatenus vna collectio accidentium ita est in vno, vt non sit in alio. Et hæc explicatio potest fundari in eo, quòd dicit in proemio sui libelli, quòd nimirum intendit tradere quandam perfacilem introductionem in Logicam Aristotelis, aptam captui Chysantij sui discipuli, & aliorum in doctrina Aristotelis nouitiorum, continendo se ab altioribus, & difficilioribus quæstionibus, & ideò desumpsit indiuiduum per collectionem sensibilium accidentium, vt notio indiuidui esset captu facilior.

Respons. ad 3. ex auctor. Auicennæ.

200 Ad tertium desumptum ab auctoritate Auicennæ respondet Hēric. Gand. Quodlib. 2. q. 8. §. *Quomodo ergo*. Quod Auicenna accipit largè accidens, pro omni scilicet prædicato, quod est extra essentiam. Vnde secundum ipsum Henric. etiam si existētia, & subsistentia identificentur realiter cum essentia, vt ibidem docet; nihilominus quatenus sunt extra essentiam, nulla enim res creata est essentialiter existens, & subsistens, sed solus Deus; existentia, & subsistentia accidunt essentiæ, & ideò sub nomine accidentis complectitur Auicenna omnia, quæ intelliguntur essentiæ aduenire, quæ non pertinent ad quidditatem, quocumque modo aduenire intelligantur, siue re, siue ratione. Sic enim scribit: *Sed intelligendum, quòd accidens accipitur hic largissimè, secundum quod iuxta modum loquendi Auicennæ accidens rei appellatur omne, quod conuenit rei, & est extra intentionem suæ essentiæ.*

Auicēna.

201 Quæ responsio, vt magis Scholasticis terminis explicetur, intendit Henric. declarare mentem Auicenn. Quòd accipit Auicēna locis adductis accidens, non solum pro accidente prædicamentali, quòd est verum accidens aduenies subsantiæ, sed pro accidente Logico, prout omne, quòd aduenit rei extra illius essentiam, accidens à Logico reputatur, etiam si quid subsantiale sit, imo & cum entitate essētiæ identificatum, vt dicunt illi, qui differentiam indiuidualem, seu hæcceitatem existimant esse identificatam cum entitate essentiæ, sed extra essentiam.

Respons. ad 4. ex auctor. Damasc.

202 Eodem modo respondeo ad quartum desumptum ab auctoritate Damasceni. Quæ responsio, & explicatio vtcumque subsstineri potest, sed tamen non videtur ad germanam mētem prædictorum Auctorum, vt legenti loca illorum citata, lucidiùs apparebit: & ideò si cum sinceritate loquendum est, fateor prædictos Auctores in ea sententia fuisse. Sed quia ratio ostendit oppositum, veneramur illorum sententiam, sed non sequimur.

Respons. ad 4. ex auctor. S. Th.

203 Ad quintum desumptum ab auctoritate Sancti Thomæ iam dictū est supra, quòd eo loco S. Doctor loquitur iuxta sententiam Commentatoris, quā re altiùs pertractata deseruit: & docuit subsstantiam indiuiduari per se ipsam, & ex proprijs subsstantialibus principijs: Quia potiùs accidentia dixit indiuiduari per subsstantiam, quàm subsstantiā per accidentia.

Respons. ad 6.

204 Ad sextum dicendum, quod optimè vrget contra illos, qui ponunt singularitatem, quam hæcceitatem vocant, vt vltimam differentiam constitutiuam indiuidui. Nam si ita res se haberet, sine dubio indiuidua essentialiter differrent, & differentia specifica esset differētijs diuisibilis, quòd est contra rationem differentiæ constituentis speciem atomam, hoc est indiuiduam, seu indiuisibilem. Nam in tantum species dicitur atoma, in quantum differentia constitutiua illius non est amplius differentijs diuisibilis: Sed contra nos non vrget argumentum, quia dicimus differentiam numericam esse solam diuisionem materiæ modo supra explicato, & ideò differentia numerica est solum materialis, & nihil addit essentiæ per modum differentiæ, &c.

Co-

Digitized by Google

Corollarium totius præsentis Paragraphi secundi.

205 VT tandem præsentem §. Concludamus. Habemus ex dictis satis explicata illa tria, quæ requiruntur ad constituendum perfectum individuum in genere substantiæ, quodque prima substantia appellatur, nempè: *Vnitatem, Incommunicabilitatem, & Designationem.*

Corollarium.

206 Habemus etiam illam celebrem doctrinam, quam tradidimus in tertia Difficultate pag. 77. nu. 117. huius secundi Paragraphi, & quam adnotare curauimus, & opere pretium duximus hìc reuocare in memoriam ne pereat; Nempè, nobiliorem, potiorem, & perfectiorem esse Vnitatem Multitudine sub vna eademque specie in rebus eleuatioribus, & perfectioribus: E contra verò in rebus, & speciebus inferioribus: Et hinc videmus, quod sub vna, eademque specie Angelica Vnum tantum condidit Immensus Opifex individuum, cum condidisset Angelicam ipsam Naturam multò præstantiorem, ac nobiliorem hac visibili Creatura, vt altiori modo Angelum magis assimilaret sibi, qui cum sit Deus, omnem excogitabilem, & supereminentem perfectionem præcontinens, est maximè Vnus.

In donis Naturæ, & gratiæ Vnitas est perfectior multitudine.

107 Nec solum hæc nostra celebris doctrina de perfectione Vnitatis supra multitudinem est vera in donis Naturæ, sed certa, & verior appareret in donis supernaturalis gratiæ, vt solidissimè ex testimonijs, & inconcussis rationibus probat, & defendit N. P. Nicolaus à Iesu Maria in suo egregio propugnaculo omnium Religionum, seu in sua Apologia perfectionis contra tertiam propositionem cuiusdam Anonimi: Nam maiorem gloriam Dei oriri, suo viuido ingenio probat, ex vno S. Petro, ex vno S. Paulo, quam ex multitudine mille hominum, qui & si sint in gratia, non sunt tã perfecti ac vnus S. Petrus, vnus S. Paulus: quorum duorũ vnusquisq; Sanctus præcontinet totam latitudinem perfectionis in illa multitudine dispersæ, & vltrò maiorem.

N. P. Nicolaus à Iesu Maria.

108 Huic etiam doctrinæ se adscribit doctissimus N. P. Franciscus de S. Maria tom. 2. lib. 7. num. 4. Reform. Carmel. Discalceatorum, afferens etiã illud insigne testimoniũ N. S. M. Theresæ, nempè, MAS AGRADA A DIOS VN ALMA, QVE LE SIRVE CON PERFECTION, QVE MILLARAS, AVNQVE BVENAS, PERO NO TAN PERFECTAS: Eleua enim oculos per stellarum foramina ad Empyreum, & humiliter contemplare Sacratissimam Virginem illam, cuius Filius est Deus, & ibi addisces maiorem gloriam Dei oriri ex illa Vna Sacratissima, Perfectissima, ac proinde Dilectissima Virgine Deipara, quam ex tota hominũ, & Angelorum Multitudine: quia cum sit Vna, continet maiorem gratiæ supernaturalis perfectionem, quàm vtrorumque hominum, Angelorumq; illa vniuersa Multitudo.

N. P. Frãc. de S. Maria.

N. S. M. Theresia.

109 Vnde Potentissimus ille Rex immortalis magis se bene complacet in structura tàm naturali, quàm supernaturali vnius perfectioris Creaturæ, quàm in texitura mille Creaturarum, quæ non relucent ita præclarè.

110 Et ratio efficacissima huius rei esse potest: Quia cum Supernus immensè ditissimus ille Opifex ad imaginem, & similitudinem suam Rationales Creaturas creasset: In illis magis se bene complacet, quæ magis assimilãtur sibi ipsi Optimo Maximo Opifici: Vnde cum ipse Deus sit maximè Vnus, præcontinens altissimo modo, non solum perfectiones in Creaturis dispersas, sed alias infinitiès infinitas: inde fit, quod Vnitas in rebus perfectioribus, non solum in ordine Naturæ, sed etiam in donis, & ordine supernaturalis gratiæ potior, & perfectior est ipsa Multitudine: Cum ipsa Vnitas contineat in vnum, quæ in inferioribus discriminata, & dispersa relucent: Et ex hac perfectionis Vnitate oritur Maior gloria Dei.

Ratio cur Vnitas sit perfectior multitudine.

111 Et

Digitized by Google

111 Et hinc desudasse semper cõspeximus Sanctos Fundatores Sacrarum omnium Religionum, vt in illis stabilirent, quæ sunt maioris perfectionis: Imò ad hoc aliqui se voto astrinxerunt: cuius maximum exemplum habemus in Serafica N. S. M. Theresia, quæ maximè arduum votum emisit efficiendi semper quidquid perfectius esse intelligeret: Et quid enim hominibus semper proclamat vel liber itineris perfectionis: liber mansionum, liber fundationum, liber ipsiusmet vitæ ab ipsa cœlesti lumine conscripti? Et quid Vniuerso vociferat eximius liber ille Noctis Obscuræ pro acquirenda perfectione altissima sapientia repletus à N. V. P. Ioanne à Cruce eiusdem S. M. N. Theresiæ sodali exaratus: nisi quod in rebus perfectioribus perfectior est Vnitas quã Multitudo, non solum in ordine Naturæ, sed magis in donis supernaturalis gratiæ: & hinc oriri maiorem gloriam Dei.

N. S. M. Theresia.

N.P. Io: à Cruce.

112 Et tandem ex dictis in isto præsenti Paragrapho secundo habemus insuper, quomodo materia est multiplicationis numericæ principiũ. Nunc ad hũius vltimi punctĩ, quò nostra præsens intentio dirigitur, probationem procedamus.



PARA:

Digitized by Google

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Probatur directè, quod Principium Numericæ Multiplicationis indiuiduorum sub eadem specie sit materia *ex qua*, vel *in qua*.

1 DIximus supra in tertio fundamento §. 1. pag. 7. num. 15. quæstionis, quòd de mente S. Thomæ Principium multiplicationis numericæ est materia, vel *ex qua*, per quam multiplicantur composita: vel *in qua*, per quam multiplicantur formæ: Quod fundamentum prius proposuimus explicandum, & postea probandum. Et quia mens S. Thomæ diuersimodè intelligitur, non solum ab extraneis, sed etiam à Thomistis, & varias ad intelligendum habuit difficultates: Ideò in illius exacta explicatione longiùs sanè immorati sumus: Sed habita iam illius explicatione, & superatis pro illius intelligentia difficultatibus: Nunc supereſt prædicta sententia S. Thomæ argumentis probanda.

DIFFICVLTAS VNICA.

Probatur; defenditur, & conuincitur ratione, & testimonijs Aristot. sententiam S. Thomæ, scilicet, materiam esse principium numericæ multiplicationis sub eadem specie contra Suarium asserentem nec defendi, nec conuinci ratione posse: Explicatur quid hìc per materiam intelligat D. Thomas: Et multa de Angelis; de Anima rationali; & de Accidentibus spiritualibus perpenduntur.

2 DVabus vijs probabimus: hanc sẽtentiã S. Th. Primò in præsenti directè, ostendendo, quod materia est principium numericæ multiplicationis: Secũdò in sequẽti §. 4. quòd alij modi ab alijs excogitati nõ sufficiẽter assignant principium huius numericæ multiplicationis. Quod vt efficaciùs præstemus, recolendum est discrimen inter multiplicationem numericam, & specificam: Quod multiplicatio numerica sub eadem specie nullam diuersitatem importat inter vnitates, & ideò, vt dixi à principio, est *Multitudo homogenea*: Multiplicatio specifica su beodem genere importat diuersitatẽ inter vnitates, & ideò est *etherogenea*. Animaduersio.

3 Quo supposito, sic argumentor: Principium multiplicationis *homogeneæ*, est principium multiplicationis numericæ: Sed materia vel *ex qua*, vel *in qua* est principium multiplicationis *homogeneæ*: ergo materia vel *ex qua*, vel *in qua* est principium multiplicationis numericæ, &c. Maior propositio est manifesta: Quia non solum omnis multiplicatio numerica est *homogenea*, vt suppositum est, sed etiam è cõtra omnis multiplicatio in quantum *homo-* Ratio cõclusionis. Omnis multiplicatio numerica est homogenea, & è contra.

Digitized by Google

homogenea, est numerica: Quia cum omnis multiplicatio importat aliquod totum, quod per diuisionem multiplicat in plures vnitates, si illud totum diuiditur in plures partes, aut integrales, aut subiectiuas, diuisione *homogenea*, illæ vnitates multiplicantur solo numero: si in partes *etherogeneas*, secundum quod *etherogeneæ* sunt, differunt specie, vel quasi specie.

4 Dixi primum *secundum quòd etherogeneæ sunt*: nam cum partes possint esse etherogeneæ, vel substantialiter, vt anima, & corpus, homo, & brutum: Vel accidentaliter, vt cum vna superficies diuiditur in vnam partem albam, alteram nigram: Si solum accidentaliter etherogeneæ sunt, vt cum animal diuiditur in caput, pedes, & brachia, quia substantialiter sunt homogeneæ, cum constent ex eadem materia, & eadem forma, seu anima, si diuisæ remanent cum eadem forma diuisibili, certè ex hac parte differũt numero substãtialiter; & ex alia differũt specie accidẽtali; quia diuersificãtur non substantialiter, sed secundũ diuersa accidentia. Sin autem secundum diuersa accidentia habeant diuersas animas; tunc & accidentaliter, & substantialiter diuersificantur.

Partes possunt differre numero substãtialiter, & specie accidentaliter.

5 Dixi vlterius, *quod differunt specie, vel quasi specie*, vt comprehenderẽ diuisionem partium essentialium: Vt cum totus homo diuiditur in corpus, & animam: vel cum definitum diuiditur in genus, & differentiam: Certè istæ partes propriè non differunt specie, quia quælibet ipsarum propriè nõ habet speciem, sed est pars speciei.

Genus, & differẽtia, vt partes totius quomodo differant.

6 Dixi tandem *siue diuidatur in partes integrales, siue subiectiuas*. Quia etiam cum aliquod totum vniuersale diuiditur in partes subiectiuas, ex parte ipsius naturæ vniuersalis diuisio inuenitur homogenea, & numerica: Nã natura animalis, seu animal cum diuiditur in hominem, & brutum, ipsum animal, quod diuiditur, quia eiusdem rationis æqualiter inuenitur in vtroque: (vnde, & in hac vniformitate fundatur vniuocatio generis, & speciei,) ideò illa multiplicatio totius vniuersalis in partes subiectiuas, est multiplicatio numerica, quãuis ex parte differentiarum diuidentium diuersificetur illa communis natura animalis in homine, & bruto: Quapropter, quia Diuina Essentia in personis non diuiditur, dicitur non multiplicari numero: & ideò ex parte diuidentium illa multiplicatio est etherogenea, & specifica. Itaque omnis multiplicatio homogenea est numerica: & consequenter, quod est primum, & radicale principium talis multiplicationis est principium multiplicationis numericæ.

7 **Minor autẽ**, quod scilicet principium diuisionis, & multiplicationis homogeneæ sit materia, probatur: Quia omne quod diuiditur, & multiplicatur multiplicatione homogenea, vel est materia, vel est materiale, vel habet modum materiæ. In primis materia prima est taliter diuisibilis, & quantitas, quæ consequitur materiam: & formæ, quæ sunt actus materiæ.

Minor probatur.

Omne, quod diuiditur, & multiplicatur multiplicatione homogenea, est materiale.

8 Similiter subiecta accidentium etiam spiritualium, in quantũ per ipsa multiplicantur numero accidentia spiritualia, se habent per modum materiæ: Nam vt dictum est supra homo, & Angelus, quamuis ex proprijs differentijs diuersificentur in naturis, tamen, vt habent potentiam obedientialem, & capacitatem ad accidentia supernaturalia, ad gratiam nempe, ad lumen gloriæ, & cætera, æqualiter, & vniformiter se habent.

Angelus, & homo ad gratiã, & cætera accidentia supernat. æqualiter se habent in potentia obedient.

9 Similiter natura generis cum diuiditur, licèt per differentias diuersificetur, tamẽ quia secũdum se æqualiter participatur à speciebus per ipsã, & differentias constitutam, ideò vniformiter diuiditur, ac proinde diuiditur tanquam materia, & comparatur ad differentias diuidentes tanquam materia ad formã: Vnde Philosophus 5. Met. c. 6. tex. tom. lect. 7. par. 5. explicans tertium modum vnius per se: *Dicuntur*, inquit, *vnum, & quorum vnum genus differens, oppositis differentijs, ac*

cum

Digitized by Google

cum hæc vnum dicuntur, quoniam vnum est genus subiectum differentijs, & quodam simili modo, sicut materia vna. In quem locum scribit S. Tho. lect. 7. particula 5. *Dicũtur aliqua esse vnum genere, sicut aliqua dicuntur esse vnum materia: Nam illa, quæ dicuntur esse vnum materia, distinguuntur per formas.* Sicut nempè genus per differentias. Vbi Philosophus genus ad materia reducit, &c. Ergo principium multiplicationis homogeneæ, vel est materia, vel aliquid materiale, vel habens modum materiæ.

10 Neq; enim S. Thomas, cum dicat materiam *ex qua*, vel *in qua* esse principium indiuiduationis, seu potiùs multiplicationis numericæ, solum intelligit materiam primam, vt falsò aliqui opinãtur: Alioquin accidẽtia merè spiritualia non possent multiplicari numero, quia nullum ordinem habent ad materiam primam: Sed intelligit pro materia, vel ipsam materiam primam, vel quod habet ordinem ad materiam, vel ex quadam proportione habet se ad modum materiæ: Vt sic intelligatur, quod prima radix numericæ multiplicationis sit ratio diuisibilitatis materiæ, accomodata secundum rationẽ materiæ proportionaliter rebus ipsis, quæ multiplicantur numero.

S. Tho. quid hic intelligat per materiam.

11 Sed dices primò: Quia ista inductio solũ probat, quod diuisum diuisione vniformi, & homogenea debet esse vel materia, vel includens materiã, vel dicens ordinem ad materiã, vel habens modum materiæ: Sed non probat, quòd principium diuisiuum debeat esse tale: Nam vt dictum est: natura generis vt diuiditur, se habet, vt materia: Attamen principia diuidẽtia non se habent, vt materia, sed potiùs vt forma, & actus: Similiter subiecta spiritualium accidentium, vt dictũ est, quatenus sunt subiecta illorum, diuiduntur diuisione materiali: Attamen principia diuidentia sunt differentiæ essentiales, quibus naturæ, & essentiæ illorum sunt diuersæ inter se: Vt natura hominis, & Angeli: Et ita Natura

1. Instantia.

specifica Angelica potest multiplicari numero in pluribus indiuiduis sub eadem infima specie: Quia per diuersas differentias numericas potest vniformiter diuidi.

12 Sed hæc instantia destruit se ipsam. Quia aut principia diuidentia sunt diuersæ rationis, sicut sunt differentiæ, quæ diuidunt genus, & quæ diuidunt naturas subiectorum spiritualium accidentium: Et hoc modo quãuis diuisum diuidatur diuisione vniformi, & tanquam materia: Attamen constitutũ ex natura diuisa, & principijs diuidentibus: vt sunt species sub genere, & naturæ receptiuæ spiritualium accidentium: non sunt homogenea, sed etherogenea; magis, vel minus, secundum quod pluribus, aut paucioribus differentijs diuiduntur: Vnde multitudo coalescens ex illis vnitatibus multiplicatis non esset vniformis, sed multiformis. Quare esto natura Angelica possit de se materialiter diuidi: Si ipsa principia diuidentia sint diuersæ rationis, quilibet Angelus constitutus ex natura diuisa, & differentia diuidente, esset essentialiter ab alio distinctus, & sic non numero, sed specie differunt. Respõsio.

13 Sin autem dicas principia diuidentia esse eiusdem rationis: non possunt esse nisi desumpta à materia: quia non possunt esse aliter inter se diuisa (oportet enim, vt principia diuidentia priùs sint diuisa inter se, vt possint alia diuidere) nisi diuisione, quæ ortum habeat à materia, vel ab aliquo principio materiali: Quia & ipsa debent esse diuisa diuisione vniformi, ac proinde materiali: Vnde diximus, quod diuisibilitas materiæ est principium radicale multiplicationis numericæ formarum: ex eo, quod materia potest diuidi in plures portiones; Et quia quælibet portio materiæ est receptiua consimilis formæ, fit, vt formæ receptibiles in materia sint numero multiplicabiles: Hæc autem multiplicabilitas reducitur ad actum proximè ab ipsis formis, in quantum quælibet ex vi suæ naturæ requirit tantam portionem

nem materiæ, vt possit informare illã: & ideò ex commensuratione, quam forma habet ad materiam, reducitur ad actum illa multiplicatio: remotè vero, & mediatè ab agente reducente materias ad actum per impressionem consimilium formarum.

14 Vnde apparet, quòd formæ licèt sint diuisiuæ materiæ, non tamen diuisione difformi, sed vniformi. Quia ex vi propriæ naturæ requirunt commensurationem ad certam materiæ portionem, & ideò formæ licèt sint principia diuidentia materiam, tamen non diuiduntur inter se, nisi diuisione materiali, quatenus respiciunt distinctas materiæ portiones; v.g. Quia anima rationalis ex vi suæ speciei requirit tantam materiæ portionem, in qua minori esse non posset, & si haberet totum complemẽtum materiæ, iam nõ posset esse in Maiore: Semel infusa anima tantæ materię, esset completus homo in sua substantia: & quia actuata materia ab vna forma, adhuc restat alia portio materiæ, quæ vi agentis naturalis potest disponi ad consimilem formam, & Deus potest illam infundere, hinc fit, vt animæ rationales multiplicentur numero inter se, & multiplicent materiam in plures numero portiones.

Anima ration. ex sua specie requirit tantã materiam, in qua minori, aut maiori esse nó potest.

15 Vnde, vt dixi, apparet, quod diuisibilitas materiæ, & coaptatio, quam habet forma ad materiam, faciunt diuisionem homogeneam, & numericam multitudinem: Quòd si materia non esset diuisibilis, nec formæ essent multiplicabiles: & ideò tanquã à prima radice, hæc multiplicatio homogenea formarum, & compositorum, & tanquam à radicali principio prouenit à materia.

Reponuntur quatuor erudita Corollaria, quæ ex dictis in hoc tertio Paragrapho colliguntur: Et primum Corollarium astruit quod multiplicatio vniformis oriri potest à principijs, & diuersa, & eiusdem rationis.

16 EX his colligitur primò: Quòd multiplicatio vniformis potest oriri à principijs, & diuersæ, & eiusdem rationis. Quãdo oritur à principijs diuersæ rationis: Solum vniformitas se tenet ex parte diuisi, non ex parte vnitatum, in quas diuiditur, & sic natura generica diuiditur in plures species. Natura enim, quæ diuiditur, æqualiter multiplicatur: Sed Vnitas, in quas diuiditur, sunt diuersæ rationis, sicut est Multitudo specierum sub genere: Sic similis est diuisio subiectorum receptiuorum spiritualium accidentium: Quia capacitas talium accidentium, vt diuiditur per diuersas naturas subiectorum, est eiusdem rationis, & homogenea: Sed ipsæ naturæ diuidentes sunt diuersæ rationis inter se: At quando oritur ex principijs eiusdem rationis, tunc non solum multitudo ex parte diuisi, sed etiam ex parte diuidentium, est vniformis. Et hæc est propria Multiplicatio numerica. Quæ non potest ad aliud principium reduci, nisi ad materiam, tàm ex parte diuisi, quàm diuidentium, &c. 1. Corollarium.

Corollarium secundum explicat, quod cum dicimus materiam ex qua, vel in qua, esse primam radicem Numericæ multiplicationis, sensus est, quod Natura, seu Res, quæ multiplicatur numero, sufficit, vt dicat, vel habeat ordinem ad materiam tanquam ad radicem huiusmodi multiplicationis.

17 COlligitur secundò, quòd cũ dicimus materiam *ex qua*, vel *in qua* esse primam radicem Numericæ multiplicationis, non intendimus dicere, quod materia, vt sit principium talis numericæ multiplicationis, debeat esse intrinseca rebus multiplicatis: Sed sufficit si res, quæ multiplicantur numero habeant ordinem ad illam, tanquam ad primũ principium, & radicem huiusmodi multiplicationis. Sicut potentiæ, & habitus sumunt Vnitatem, & multiplicationẽ specificam ab obiectis, non quod ipsa obiecta dent potentijs, & habitibus intrinsecè vnitatem, aut multiplicationem, 2. Corollarium.

Digitized by Google

nèm, quasi vero ipta obiecta debeant ingredi vt formæ intrinsecæ, aut attingere entitatem potentiarum, vel habituum: Sed dicuntur habere per ordinem, & dependenter ab obiectis, hoc sensu, quòd si non haberent obiect. vnitatem, vel pluralitatẽ specificã, nec esset vnitas, nec pluralitas potentiarum. Ita in proposito dicimus, quod materia est principium multiplicationis numericæ: Quia nisi esset materia diuisibilis, & numero multiplicabilis, nec naturæ, nec formæ possent numero multiplicari. Vnde importatur solus ordo ad multiplicationem materię: v.g. animæ rationalis, vt sint multiplicabiles numero, non est necesse, vt actu recipiantur in materia, taliter quod separatæ à materia non permaneant multæ in numero: Quia etiam separatæ, numero remanent distinctæ: Sed satis est si habeant ordinem ad materiã multiplicabilem. Ita vt natura, quæ non est receptibilis in materia, vel quę non constat ex materia includens in se formam receptibilem, nullo modo est multiplicabilis multiplicatione Vniformi, & Numerica.

Natura non receptibilis in materia, aut non constans ex forma receptibili in materia, vllo modo multiplicatur numericè.

Corollarium tertium indicat, quod omnis Diuisio, & Multiplicatio, aut est formalis, aut materialis, quia aut coalescit ipsa multitudo ex pluribus vnitatibus etherogeneis, aut ex pluribus homogeneis.

18 COlligitur tertiò, quàm rectè Philosophus 3. Met. t. 11. & 10. Met. tex. 4. vbi dicit: *Sic igitur mensura omnium vnum est, quia cognoscimus, ex quibus substantia est, aut secundum quantitatem, aut secundum formam diuidentẽ.* Omnem diuisionem aut multiplicationem vnitatum reducit vel ad formam, vel ad quantitatem: Quia omnis diuisio aut est etherogenea, & sic est per formam, aut homogenea est, & ita est per quantitatem: Non quod præcisa quantitas sit prima radix homogeneæ diuisionis, quia prima radix huius diuisionis, & multiplicationis est materia, non quatenus est potentia, vel primum subiectum, sed quatenus est corporea, & prima radix quantitatis, seu quatenus est diuisibilis in plures partes integrales, vt supra dictum est.

3. Corollarium.

19 Itaque prima radix diuisionis etherogeneæ est forma: Prima radix diuisionis homogeneæ est materia. Quod satis apparet in compositis ex materia, & forma: Quia si composita sunt nimis materialia, hoc est, habent formas valdè materiales, constant ex partibus omninò homogeneis, vt elementa, & mixta imperfecta: Sin autem composita sint magis formalia, vt viuentia, constant ex partibus etherogeneis, & quantò formaliora fuerint, hoc est, quantò habent formas magis eleuatas supra materiam, eò maiorẽ partium diuersitatem habent, vt sunt animalia perfecta.

1. Radix diuisionis etherogeneæ est forma: homogeneæ verò est materia.

20 Patet igitur, quòd omnis diuisio, & multiplicatio aut est formalis, aut materialis, & quæ sit ratio huius diuisionis: Quia aut multitudo coalescit ex pluribus Vnitatibus Etherogeneis, aut ex pluribus homogeneis: Si ex illis, est formalis: si ex his, materialis est. Et ideò illa formalis, quia principium illius est forma: Ista materialis, quia principium istius est materia, &c. Vnde potentiæ, quia accipiunt vnitatẽ, & multiplicationem ab obiectis, dicuntur specificari ab illis, tanquam à forma extrinseca. Quia verò accipiunt vnitatem, & multiplicationem numericam à subiectis, dicuntur sumere vnitatem, & multiplicationem ab his, tanquam à materia *in qua*, ad quam dicunt ordinem, &c.

Quomodo potẽtiæ specificãtur ab obiectis, & indiuiduantur à subiectis.

Corollarium quartum impugnat Suarium asserentem non posse conuenienter defendi nostram sententiam in isto 3 §. firmatam; nempè, quod materia ex qua, vel in qua sit principium multiplicationis numericæ.

21 COlligitur quartò, non rectè Suarium disp. 5. Met. sect. 3. n. 8. dixisse hanc nostram sententiam præter fundamẽtum auctoritatis Aristote-

4. Coroll. Suarez.

Digitized by Google

ſtotelis, & S.Thomæ, non poſſe ratione conuinci, & deinde oſtendere conatur, neque poſſe conuenienter defendi: Fatetur enim eſſe hanc ſentent. Ariſtotelis, & S.Thomæ: Nam vtriuſq; teſtimonia perſpicua ſunt. Cum Philoſophus multis in locis apertè docet hanc ſententiam: nam 5.Met.t. 12. dicit poſtquam diuiſit Vnum diuiſione Logica, quòd aliqua ſunt vnum numero: aliqua ſunt vnum ſpecie: alia ſunt vnum genere, & alia ſunt vnum analogia, ſtatim explicans quęnam ſunt vnũ numero, dicit: *Ea ſunt vnum numero, quorum eſt materia vna*: & lib. 7. t. 28. *Tota forma*, ideſt quidditas, quæ forma totius dicitur, nempe natura ſpecifica, *in his carnibus, & oſſibus Callias, & Socrates*. Quibus manifeſtè docet, quod natura ſpecifica indiuiduatur per materiam, quæ continetur in his oſſibus, & his carnibus: Et 10.Met.tex. 23. Inquirens: quare aliqua contrarietas, vel differentiarum oppoſitio faciat differre ſpecie, & aliqua ſolo numero, vt oppoſitio inter maſculinum, & fœmininum, quæ ſunt differentiæ animalis: Nam Mas, & fœmina ſolo numero differunt ſub eadem ſpecie: Quod inde patet, quia idem vniuocum generans quandoque marem, quandoq; fœminam gignit: Quod non eueniret, ſi differrent ſpecie. Itaque reddens rationem, quare aliqua oppoſitio differentiarum cauſet diuerſitatem ſpecificam, & quædam numericã: Dicit, quod quando oppoſitio differentiarum prouenit à forma, cauſat diuerſitatẽ ſpecificam: Quando prouenit à materia, cauſat diuerſitatem numericam. *Maſculus*, inquit, *& fœmina propria quidem animalis paſſiones ſunt, ſed non ſecundũ ſubſtantiam*, ideſt ſecundum formam vt S.Th. exponit lect. 11. partic. 3. *Verũ in materia, & corpore.*

Ariſt. S.Th.

S.Th.

22 Et non ſolum Ariſtoteles docuit materiam eſſe principium numericæ multiplicationis, ſed addit vlterius: Vbi non eſt materia, eſſe nõ poſſe ſub eadem ſpecie plura indiuidua. Vnde 12.Met.t.49. infert, Primum Motorem non poſſe eſſe niſi Vnum numero, quia eſt expers materiæ. Itaque non eſt dubitandum hanc fuiſſe Ariſtotelis mentem, eam quoque fuiſſe S.Thomę, teſtimonia ſupra adducta, ſatis ſuperq; manifeſtant.

Ariſt.

23 Cum igitur fateantur aduerſarij hanc eſſe ſententiam Ariſt. & S.Th. non rectè dixit Suarius hanc ſententiam eſſe ratione deſtitutam, non enim credendũ eſt, duo hæc luminaria magna in re tam graui, quę ad vſq; Primũ Motorem, atque ad ſummum Deum pertingit, aliquid aſſerere voluiſſe ſine lumine rationis.

Suarez.

24 Et ratio fundamentalis eſt ſupra à nobis allata: Quia omnis multiplicatio homogenea ſumitur à materia, multiplicatio etherogenea ſumitur à forma; vt perſpicua inductione videmus: Sed multiplicatio numerica eſt homogenea, vt ſupponimus: hoc enim eſt diſcrimẽ inter prędicatas multitudines, vt ſupra dictum eſt: Nam ſi nõ eſt hoc diſcrimen, quæſtio eſſet de nomine: ſi enim vnitates componentes multitudinem numeralem ſunt diuerſæ rationis, erit, inquam, quęſtio de nomine, qualem tu numericam appellas: Ego voco ſpecificam. Ergo multiplicatio numerica ſumitur à materia, ſeu materia eſt radicale principium multiplicationis numericæ.

Ratio fũdamentalis.

Multiplicatio homogenea ſumitur à materia: etherogenea à forma.

25 Nec valet, quod ad hanc rationem reſpondet Suarius loco cit. n. 5. Quod ſola forma eſt principium multiplicationis, quia ex Philoſopho: actus eſt, qui diſtinguit: Et S.Th. contra Gent. & alibi probat, quòd rerum diſtinctio non prouenit à materia.

Reſpõſio Suar.

Ariſt.

26 Non valet, inquam, hæc reſpõſio: Cũ non ſola forma ſit multiplicationis principiũ, ſed etiã materia: Videmus enim, quòd ad diuiſionem materiæ multiplicantur plura indiuidua ſub eadem ſpecie, vt dicebamus de propagatione arborum, & plantarum: Quòd propagatur arbor ex arbore. Vnde tàm materia, quàm forma eſt principium multiplicationis, ſed differunt, quod illa multiplicatio, quæ prouenit à materia, eſt homogenea, quæ prouenit à forma, eſt etherogenea,

Prælcludi-tur reſpõ-ſio Suar.


Digitized by Google

nea, & quamuis forma sit principium actualis multiplicationis, vt diximus supra; Quia tamen hanc actualem multiplicationem non tribuit forma ex se, sed ex eo, quia materia est radicaliter multiplicabilis multiplicatione homogenea, ideò hæc multiplicatio non attribuitur formæ, vt radicali principio, sed potiùs materiæ. Quia si materia non esset diuisibilis in partes homogeneas, non daretur ista numerica multiplicatio. Sicut multiplicatio formalis obiectorum ideò dicitur radicale principium multiplicationis specificæ potentiarum, quia ablata formali obiectorum multiplicatione, continuò aufertur multiplicatio specifica potentiarum.

Ablata formali multiplicat. obiectorũ, aufertur multiplicat. specifica potentiarũ.

Suarez.

27 Vnde ratio, quam Suarius reputat elumbem, sine dubio neruosa est, & robusta, fundata in bona philosophia, quæ non ex proprio capite rationes confingit, sed desumit ex his, quæ res naturaliter præseferunt. Et certè hinc decipi uidentur aduersarij, quod solum attendunt ad multiplicationem numericam, sed non ad multitudinis qualitatem, & ad discrimen, quod uersatur inter ipsam, & specificam, & quare ista numerica ab antiquis appellata sit: Quia nimirum, numerus, præter sectionem materialem uniformem, nihil præterea addit unitatibus: quod non facit multitudo specifica, seu specierum; quia quælibet Vnitas habet quid diuersum ab alia.



PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Ex confutatione aliorum modorum, quibus ab Aduerſarijs explicatur principium numericæ multitudinis, confirmatur ſententia Ariſtotelis, & Diui Thomæ, quod materia eſt radicale principium illius.

Ariſt. & S.Th.

1 OVamuis hæc Ariſtotelica, & Thomiſtica ſententia, quod ſcilicet materia ſit numericæ multiplicationis principium ſatis ſupra & explicata, & probata fuerit, vt tamen confirmetur magis, expendendi ſunt alij modi, quibus aliqui, qui prædictam deſeruerunt ſententiam, conati ſunt aſſignare huius multiplicationis principium: Quia ex illorum inſufficientia, lucidiùs apparebit, ſententiam, quam ſequimur, eſſe rationi magis conſentaneam. Sunt ergo multi, & varij modi, quibus aſſignant aduerſarij noſtri indiuiduationis principium.

DIFFICVLTAS I.

An Collectio accidentium, ſeu proprietatum ſit principium indiuiduationis? Et eſt primus modus dicendi aliquorum, qui tamen reijcitur.

1. Modus dicendi impugnatur.

2 ET primus modus dicendi eſt quorundã, qui putant principiũ indiuiduationis eſſe ipſam accidentium, ſeu proprietatũ collectionem: Sed hic modus dicẽdi iam ſupra reiectus eſt pag. 89. à num. 173. vſq; ad num. 205. Quia licèt collectio accidentium ſit principium indiuiduationis, & multiplicationis quoad nos, in quantum ſunt indiuidua ſenſibilia: Quia accidẽtibus cognoſcimus vnum ab alio differre: Attamen ſecundum ſe indiuiduum non poteſt conſtitui, & diuidi ab alio indiuiduo propter accidentia: Cum indiuiduum ſubſtantiale ſi priùs indiuiduum, quàm illi adueniant accidentia. Vnde diximus ſupra, quod ſubſtantia indiuiduatur per ſe ipſam: Quin potiùs accidentia indiuiduantur per ſubſtantiam, quia indiuiduantur per ſubiectum, & ideò iſte modus dicendi nulla probabilitate ſubſtineri poteſt.

DIFFI-

Digitized by Google

DIFFICVLTAS II.

An existentia, vel subsistentia sit principium indiuiduationis? Et est secundus modus dicendi quorundam, qui vt falsus primò reijcitur quo ad existentiam, ex suppositione quòd sit identificata cum essentia, & dissoluuntur obiecta: Reijcitur secundò quo ad existentiam, ex suppositione quòd sit distincta ab essentia ex natura rei.

3 Secundus dicendi modus assignat pro indiuiduationis, & numericæ multiplicationis principio, ipsam existentiam, vel subsistentiam. Hanc docent nonnulli apud Scotum in 2. dist. 3. q. 3. & apud Soncin. 7. Met. q. 32. & eam ex parte docet Henric. Quodlib. 2. q. 8. Quia & si ipse concedat in rebus materialibus principiũ Vnitatis, & Multiplicationis numericæ esse materiam: & accidentia indiuiduari per subiecta: nihilominus in substantijs immaterialibus, quas tenet esse multiplicabiles numero sub eadem specie, dicit principium huius multiplicationis esse illarum existentiam, vel subsistentiam: Et quia hoc principium debet esse pertinens ad ipsam entitatem indiuiduam, hinc docet subsistentiam, & existentiam esse identificatas cum ipsa indiuiduali substantia. In hanc sententiam inclinat Carthusianus in 2. dist. 3.

2. Modus dicẽdi, & eius confutatio.

Henricus.

Carthus.

4 Totum fundamentum Henrici est: Quia id, quo indiuiduatur natura specifica, debet esse aliquid extra quidditatem rei: Nam tota quidditas consistit in vltimo conceptu speciei specialissimæ: Et ideò nulla res est essentialiter indiuidua nisi sola Diuina Essentia: Sed in omni creatura existentia, & subsistentia est extra essentiam creaturæ: quia nulla est essentialiter existens, aut subsistens: ergo saltem in quibus non est materia *in qua*, vel *ex qua*: vt sunt substantiæ abstractæ: huiusmodi naturæ possunt indiuiduari per existentiam, vel subsistentiam: Et ita Quodlib. 5. q. 8. idem Henric. tenet huiusmodi substãtias indiuiduari à supposito, in quo prædictæ naturæ subsistunt: sicut accidentia indiuiduantur per subiectum, in quo subsistunt.

1. Fũdam. Henric.

Henricus.

5 Adeò efficax existimat Henricus hoc suum fundamentum, vt hinc reijciat sententiam Philosophi, & sequentium modum Philosophandi illius, tanquam fidei Christianæ aduersariam. Cum enim dicat Philosophus, quòd substantię abstractæ non possunt multiplicari numero, quia non habent materiam: infert, quod hinc sequitur, substantias abstractas esse essentialiter existentes, ac proinde entia à se; ac proinde Deus: quod fidei Christianæ maximè aduersatur: Quæ vnum solum Deum, & vnum ens à se, & ab alio independens confitetur: Omnem verò substantiam quantumuis abstractam esse meram creaturam: Sequelam probat ipse: Quia si substantiæ abstractæ non possent multiplicari numero, essent vi essentiæ, seu essentialiter singulares: Sed sunt singulares per existentiam: ergo existentiã haberent vi essentiæ, & sic essent essentialiter singulares.

Arist.

Secundò probatur hæc sententia: Quia Christus Dominus etiam si habeat duas naturas, non tamen est duo indiuidua, sed vnum indiuiduum propter vnitatem Suppositi: Ergo à supposito natura indiuiduatur.

2. Fũdam.

6 Verum hæc sententia stare non potest, & contra hanc Henric. sententiam arguit Capreolus in 1. dist. 7. q. 2. ar. 3. ad argum. Aureol. contr. 2. 3. loco: Et vt Suarius dicit disp. 5. met. sect. 5. num. 2. ab omnibus reijcitur, vt omninò falsa, & improbabilis. Imprimis enim reijcitur ex Mysterio Incarnationis, in quo humanitas Christi fuit assumpta ad existendum, & subsistendum existentia, & subsistentia Diuina: At humanitas in quantum entitas creata fuit assumpta singularis, &

Reijcitur, vt falsa hæc sententia.

Digitized by Google

Existētia, & subsistētia prę-supponūt naturam singularē.

indiuidua: Non enim Verbum assumpsit humanitatem vniuersalem, sed *hanc determinatam, & singularem*: igitur singularitas, & indiuiduatio alicuius naturæ specificæ non sumitur ab existentia, aut subsistentia illius, sed existentia, & subsistentia præsupponunt naturam singularem.

Respondent Aduersarij.

7 Dices: hoc argumentum vrgere in via Thomistica, in qua dicitur, quod humanitas Christi Domini fuit assumpta ad existendum existentia increata, supponendo quod existentia sit quid re ipsa, & ex natura rei distinctum ab essentia; Sed hoc principium nec ab Henrico, neq; à multis Theologorum Scholis admittitur: Multi enim cum Henric. & Scoto sentiunt existentiam identificari cum essentia actuali.

Præcluditur prædictæ responsio 1.

Sed quidquid sit de existentia, saltem certum est, Naturam assumptā subsistere subsistentia increata, & in suppositō Diuino: ergo saltem subsistentia, & suppositum non possunt esse indiuiduationis principium: quod maximè vult Henric. illo quodlib. 5. q. 8.

Præcluditur 2.

8 Quòd neque existentia, dato, quod esset identificata cum essentia, potest esse indiuiduationis principiū, probatur. Quia non posset indiuiduare essentiam, nisi per modum differentiæ: Quomodo enim per differentiam specificam, v.g. Rationale, determinatur natura generis, videlicèt Animalis, ad hanc speciem, puta hominis, & diuersificatur ab animali irrationali, nēpe à bruto: Ita per existentiam propriā constitueretur natura singularis, & indiuidua distincta ab alia indiuidua natura eiusdem speciei: Sed existentia non potest esse diuisiua naturæ specificæ in plura indiuidua hoc modo: quia non potest esse diuisiua, nisi quatenus naturæ specificæ tribueret suum effectum formalem: Sed suus effectus formalis non est constituere rem singularem, & indiuiduam, sed existentem: Vnde solum potest diuersificare naturam existentem à se ipsa, vel ab alijs non existentibus. Sicut albedo, quia effectus suus formalis est facere albū, diuersificat superficiem albam à non alba: Atqui sub eadem specie possunt, & de facto dantur plures naturæ Singulares existentes: Ergo existentia non potest esse formale principium indiuiduationis.

Existentia facit differre à nō existenti, non vero à nō singulari, & ab alio singulari, ideò non est indiuiduans.

Respondent Aduersarij.

9 Sed ad hoc fortè respondebit quispiam, dicetque existentiam duo conferre, cum aduenit ipsi naturæ, & eam indiuiduare, & existentem reddere. Quæ responsio fulciri potest, quia nec esse, nec intelligi potest res aliqua actu existere à parte rei, nisi sit singularis: Quapropter Deus, quia est essentialiter existens, est essentialiter singularis: Et Arist. 7. Met. probat contra Platonem, quod si ideæ essent extra singularia per se existentes, & subsistentes, non essent naturæ communes, sed omninò singulares, & indiuiduæ: & ideò nō possent à multis singularibus participari, & prædicari de illis: Quia natura singularis non potest prædicari de pluribus: Vnde Porphyrius c. de specie, definit indiuiduum, *quod de vno solo prædicatur*. Itaque existentia intrinsecè constituit rem singularem.

Arist.

Præcluditur primo Aduersariorū responsio.

10 Sed hæc responsio stare nō potest. Primùm quia intelligi non potest, quomodo existētia possit diuidere naturam specificam de se indiuisam (vt aiunt negatiuè) in plures numero naturas, nisi tribuendo aliquem effectū formalem diuisiuum Vnius naturæ ab alia: Sed existentia quatenus existentia, vt ostensum est, non diuidit naturā existentem ab alia existenti, sed à non existenti: ergo qua existentia est, non est diuisiua, nisi secundum alium conceptum, nempè differentiæ indiuidualis: Sed hoc, supposito, quòd existentia sit idem cum essentia, non est tribuendū specialiter existētiæ, qua formaliter existentiæ, sed ipsi entitati, quatenus includit in se differentiam numericam diuidētem vnam naturam ab alia: ergo existentia non potest esse formaliter principium indiuiduationis.

Præcluditur 2.

11 Secundò, quia differentia numerica habet per se necessariam connexionem cum natura specifica, ita vt sola precisione intellectus possit intelligi

Digitized by Google

telligi natura ſpecifica abſque differentia numerica: Sicut natura generis abſque differentia ſpecifica: Cæterum re ipſa inter ſe habent inſeparabilem connexionem, hoc ſenſu: Quod per ſe conueniunt primę ſubſtantiæ in prædicamẽtali coordinatione: Et ideò in quocumque ſtatu ſit prima ſubſtantia, ſiue in ſtatu exiſtentiæ actualis, ſiue in ſtatu poſſibilitatis: Petrus ſicut ſemper, & non contingenter eſt homo, ita ſemper, & contingenter eſt Petrus: Sed exiſtentia non habet neceſſariam connexionem cum natura indiuidua, ſeu cum Petro, ſed habet connexionem contingentem: Solus enim Deus eſt ens per ſe ſimpliciter neceſſarium: ergo exiſtentia non poteſt gerere munus indiuidualis differentiæ, nec eſſe formaliter principium indiuiduationis.

Exiſtentia non habet neceſſariã connexionẽ in omni ſtatu cũ natura ſingulari, ideò non eſt indiuiduans.

12 Neque illa, quæ pro confirmãda reſponſione adducta ſunt, quidquã valent. Nam verum quidem eſt, quòd non poteſt eſſe, nec intelligi res exiſtẽs, quin præintelligatur ſingularis; Sed non ideò hoc eſt, quia exiſtentia ſit id, quo formaliter res conſtituitur ſingularis: Sed quia exiſtentia vt tribuat ſuũ effectum formalem, eſſentialiter præſupponit rem eſſe ſingularem: Vnde vrget argumentum à poſteriori, ſi eſt exiſtens, eſt ſingularis: Sed non è conuerſo, ſi ſingularis eſt, exiſtens eſt: Quia Antichriſtus etiam ſi non ſit exiſtens, & etiam concipiatur ſine exiſtentia actuali, adhuc intelligitur eſſe quidam homo ſingularis: Et propterea, quia Deus eſt eſſentialiter exiſtens, eſt eſſentialiter ſingularis: Et bene Ariſtoteles probauit, ſi ideæ eſſent exiſtentes, & ſubſiſtentes extra ſingularia, fore ſingulares.

Ariſtot.

13 Hactenus oſtendimus exiſtentiã non poſſe eſſe indiuiduationis principium, ex ſuppoſitione, quòd ſit identificata cum eſſentia. Sed multò minus ſi ponatur diſtincta ex natura rei iuxta mentem S. Thomæ: Quia multò magis ſupponit naturam ſingularem. Vnde non rectè philoſophatus eſt Scotus, qui ponit exiſtentiam identificatam omninò cum eſſentia: & ſingularitatem, vel hæcceitatem ex natura rei diſtinctam: Præpoſterus profectò eſt hic philoſophandi modus: Quia iuxta hũc modũ priùs præſupponeretur res exiſtens, & poſtea ſingularis, cõtra ſubordinationem inter exiſtentiam, & ſingularitatem: quia prior eſt ſingularitas, quàm exiſtentia; Poteſt enim intelligi res ſingularis ſine exiſtentia, non tamẽ res exiſtens ſine ſingularitate, vt dictũ eſt. Cæterum, quia tenendo iſtud principium Thomiſticum, quòd exiſtentia ſit ex natura rei diſtincta ab eſſentia, communibus argumentis reijcitur hæc ſententia de exiſtẽtia, ac de Subſiſtẽtia, & de Scotica hęcceitate: Ideò in pręſẽti improbabimus hãc ſententiã, oſtendendo, quod neq; ſubſiſtẽtia poteſt eſſe principium indiuiduationis, & infra latiùs improbando ſententiam Scoti de illa à ſe inuenta hæcceitate.

Secundò reijcitur prima ſẽtẽtia quò ad exiſtẽtiã, vt diſtinctã ab eſſentia.

Scotus.

Poteſt intelligi res ſingularis ſine exiſtentia, at non è cõtra.

Reijcitur tertiò iſte ſecundus modus dicendi quò ad ſubſiſtentiam; & quò ad ſuppoſitum: Duo ſupponuntur: Aliqua de Sacratiſſima Humanitate Chriſti Domini, & de eius Sacroſancto Myſterio Incarnationis: & de Angelis pertractantur.

14 SVnt autẽ nõ ſolum Hẽricus, ſed aliqui etiã Moderni, qui tenẽt naturã indiuiduari per ſuppoſitũ, & cũ ſuppoſitum nõ ſit aliud, quàm natura ipſa cum forma hypoſtatica, quæ ſubſiſtẽtia, & perſonalitas appellari ſolet, tandem principium indiuiduationis in ipſam ſubſiſtentiam, & ſuppoſitalitatem reſoluunt.

Henricus.

15 Vt autem oſtendamus falſitatem huius ſententiæ, ſupponendum eſt in primis contra Henricum, quod hæc ſubſiſtentia addit aliquid ſupra naturam, non negatiuum ſolum, ſed poſitiuum. Sciendum eſt enim, quod Henricus illo Quodlib. 5. quæſt. 8. poſtquã ſatis clarè expoſuit ſententiam Ariſt. & S. Thomæ; Quod principium indiuiduationis eſt materia *ex qua*, vel *in qua*, & illam admittẽdam eſſe cenſeat, quoad ſubſtantias materiales, quæ habent materiam *ex qua*, & generatim

Animadueſſio.

Ariſt. S. Th.

Digitized by Google

quoad omnia accidentia, quæ habent materiam *in qua*, nempè ſubiectum: Nihilominus dicit materiam non eſſe ita adæquatum principium indiuiduationis, & numericæ multiplicationis, vt res, quæ non habẽt materiã *ex qua*, neque *in qua*, quales ſunt ſubſtantiæ Angelicæ, non poſſint multiplicari numero ſub eadem ſpecie: Et quia debet aſſignari aliquod principium, quo natura ſpecifica multiplicetur (cum de ſe natura ſpecifica nil aliud includat, quàm principia ſpeciei: Vnde tale principium debet eſſe extra quidditatem ſpecificam:) aſſignat pro principio huius multiplicationis *ſuppoſitum*: Et deinde explicans quid ſit illud, quod addit ſuppoſitum ſupra naturam, quod ſit diuiſiuum illius: & dicit hoc eſſe id, quo conſtituitur ſuppoſitum: Et tandẽ explicans quid ſit illud, quo conſtituitur ſuppoſitum: & dicit non eſſe quid poſitiuum, ſed negatiuum, explicatq; hoc negatiuum duabus negationibus, nempè negatione diuiſionis in ſe, & negatione identitatis cum alio.

1. Suppoſitio cõtra Henric.

16 Suppono igitur contra Henricum, quod id, quod addit ſuppoſitum ſupra naturam, eſt aliquid *poſitiuum*: Quia impoſſibile eſt, quod illæ duę negationes conueniant ſuppoſito ſine aliquo poſitiuo fundamento, quo ſuppoſitum habeat repugnantiam intrinſecam ad diuiſionem in ſe in partes ſubiectiuas, & ad identitatem cũ alio: Non enim illæ duę negationes ineſſent ſuppoſito, niſi quia ipſa entitas ſuppoſiti poſitiuè repugnet ad diuiſionem in ſe, & ad identitatem cum alio ſibi condiuiſo: Quam repugnantiam non habet natura ſecundum ſe: Quia & diuiſibilis eſt in plures partes ſubiectiuas: Et vna natura, v.g. vna humanitas non habet de ſe repugnantiam, vt ſit idem cum altera natura, nempe cum altera humanitate, quia inter ſe habẽt vnitatem formalem: Ergo iſta repugnantia aduenit naturis ex aliquo poſitiuo, quod ſuppoſitum vtriuſque addit ipſis naturis.

Id, quod addit ſuppoſitũ ſupra naturam, eſt quid poſitiuum.

2. Suppoſitio.

17 Suppono ſecundò, quod hoc ſuperadditum, ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum, quod addit ſuppoſitum ſupra naturam, eſt ex natura rei diſtinctum ab ipſa natura, & ſeparabile ab illa. Docuit nobis hoc Sacrum Incarnationis Myſteriũ, in quo *fuit aſſumpta natura conſumpta perſona, ſeu perſonalitate.* Igitur poteſt Diuina Virtute ſeparari natura à perſonalitate: ac proinde euidentiſſimum realis diſtinctionis indicium.

Illud, quod addit ſuppoſitum ſupra naturã, eſt diſtinctũ ex nat. rei ab ipſa.

18 His conſtitutis facilè oſtenditur hoc ſuperadditum, quòd ſubſiſtẽtia appellatur, non poteſt eſſe ipſum principium, quo natura indiuiduatur, quod ſic patet: Quia vel eſt principiũ indiuiduationis intrinſecũ, ita vt ſingularizare naturam ſit intrinſecus effectus formalis illius: Vel eſt principiũ extrinſecum, ſicut obiectum eſt principium extrinſecum vnitatis, & diſtinctionis ſpecificæ potentiarum: His enim duobus modis poteſt vnitas, & multiplicatio pẽdere ab aliquo principio: Sicut vnitas, & multiplicatio potentiarum ſpecifica pendet intrinſecè ab ordine ad obiecta formalia, quia hic ordo ſe habet, vt differentia conferens intrinſecam vnitatem, & diſtinctionem ſpecificam potentijs: Pendet verò ab obiecto tanquam à forma extrinſeca, ad quam dicit ordinem taliter, quod ſi nõ daretur formalis diſtinctio obiectorum, nõ daretur vnitas, vel multitudo ſpecifica potentiarum: Sed ſubſiſtentia neutro modo poteſt eſſe principium indiuiduationis, & multiplicationis numericæ.

Subſiſtentiã nec eſſe princ. intrinſ. nec extrinſ. indiuiduationis probatur.

19 Et quidem nõ poteſt eſſe principium intrinſecũ, quod vocant principium metaphyſicum, ſeu differentiam numericam: quia hoc principiũ eſt inſeparabile ab ipſa natura ſingulari: Non enim, vt dictum eſt, poteſt dari à parte rei natura exiſtens, quin ſit ſingularis; poteſt autem dari à parte rei natura ſingularis ſine ſua ſubſiſtentia, vt patet de Humanitate Chriſti, quæ habet propriam ſingularitatem, & non habet propriam ſubſiſtẽtiam: Ergo ſubſiſtentia nõ poteſt eſſe intrinſecum principium conſtitutiuũ, & di-

Differẽtia numerica eſt inſeparabilis à natura ſingulari.

Digitized by Google

& diuiſiuum naturæ indiuidualis.

20 Quòd neque per modum extrinſeci principij, probatur: Quia potiùs ſubſiſtentia indiuiduatur per ordinem ad naturam ſingularem, quàm è conuerſo: Quia ſubſiſtentia comparatur ad naturam tanquam forma ad ſubiectum: & ideò appellatur forma hypoſtatica: Sed forma potiùs indiuiduatur, & multiplicatur numero per ordinem ad ſubiectũ, quàm ſubiectũ per formam; vt generatim de omnibus accidentibus fatetur Henricus: Quæ ratio currit etiam de formis, & modis ſubſtantialibus: Et patet in accidentibus ſpiritualibus, vt lumen gloriæ: Ergo non poteſt natura indiuiduari per ordinem ad ſubſiſtentiam, ſed potiùs ſubſiſtentia indiuiduatur per ordinem ad naturam ſingularem: ita vt priùs ſit ſingularis natura, quàm ſubſiſtentia: Vt latiùs arguendo contra Scotum infra oſtendemus.

Henricus.

Subſiſtẽtia cum ſit vti forma naturæ ſingularis, ab ipſa natura debet indiuiduari.

Enodantur duo fundamenta, ſeu argumenta oppoſita pag. num. ab Henrico.

21 NEque fundamentũ Henrici eſt alicuius momenti: Quia & ſi verum ſit, quod principiũ conſtituens, & diuidens naturam indiuiduam ſit extra eſſentiam, & quidditatem naturæ: Non tamen è contra quidquid eſt extra eſſentiam, eſt principium indiuiduationis: Sed oportet, vt ita ſit extra eſſentiam, quod munus & officium ipſius ſit diuidere vnam naturam ab alia; Hoc autem non poteſt facere exiſtentia, & multò minus ſubſiſtẽtia, etiam ſi ſint extra eſſentiã & quidditatem naturæ: Vnde nullius conſtantiæ eſt fundamentum illius: Et multò magis friuolam eſt, quod ſupra prædictum extruit fundamentum: Nempe, quod ſi ſubſtantiæ abſtractæ eſſent immultiplicabiles numero ſub eadem ſpecie, eſsẽt entia increata, independentia ab efficiente, & entia à ſe: Non enim hæc ſunt conſequentia: Nam benè poſſunt eſſe eſſentialiter ſingulares, & tamen non eſſentialiter exiſtentes: Quia ipſa exiſtentia, & ſubſiſtentia, vt oſtenſum eſt, non eſt id, quo formaliter prædictæ ſubſtantiæ ſunt ſingulares: Sunt enim ſingulares ex propria ſpecifica differentia: exiſtentia verò illarum, & ſubſiſtentia eſt omninò extra eſſentiam: & ideò ex vno non ſequitur aliud.

Ad 1. arg. Henrici reſponſio.

22 Ad ſecundũ reſpõdetur, quod indiuiduum poteſt accipi dupliciter: Vno modo prout dicitur à negatione in plures partes ſubiectiuas; Et hoc modo dicit naturam ſingularem indiuiſibilem in prædictas partes, quo ſenſu loquimur de indiuiduo, & hoc ſenſu dicimus, quod in Chriſto ſunt duæ naturæ, vtique ſingulares, & indiuiduæ: Alio modo prout indiuiduũ dicit id, quod per ſe, & in ſe exiſtit, non in alio, tanquam in ſubiecto, vel ſuppoſito; Qua ratione addit aliquã negationem indiuiſionis in ſe, & diuiſionis ab alio, non in natura, ſed in exiſtendo: Quia cum dupliciter poſſit aliquid exiſtere: Vel in alio (& hoc dupliciter, vel in alio tãquã in ſubiecto, vti accidens: vel in alio tanquam in ſuppoſito, vt humanitas in ſuppoſito Diuino (vel poſſit exiſtere per ſe, & nullo modo in alio, nec ſit cõmunicabile alteri. Suppoſitum confert vnitatem quantum ad exiſtentiam: Quia facit naturam exiſtere alteri incommunicabilem quantum ad exiſtentiã, non verò quantum ad diuiſionem vnius naturæ ab alia, ſed hanc præſupponit, vt dictum eſt, & quia hæc vnitas eſt complementum indiuidui, vt ſupra diximus; Ideò indiuiduum cenſetur vnum ab vnitate ſuppoſiti: & ſic Chriſtus dicitur vnum indiuiduum etiam ſi ſubſiſtat in duabus indiuiduis naturis, &c.

Ad 2. arg. reſponſio.

Dupliciter poteſt ſumi indiuiduũ: & dupliciter poteſt aliquid exiſtere?

DIFFI-

Digitized by Google

DIFFICVLTAS III.

Vtrum forma ſit principium Vnitatis, & multiplicationis numericæ? Et eſt tertius modus dicendi aliorum, & impugnatur.

23 ASſignant alij pro principio indiuiduationis ipſã formam: Sed notandũ eſt, quòd forma dupliciter poteſt dici indiuiduationis principium: Vno modo, quòd forma nõ ſolùm ſuo modo concurrit ad indiuiduationem ſubſtantiæ cõpletæ, quatenus hoc indiuiduum completum conſtat ex hac forma, & ex hac materia: Sed etiam quatenus aliquo modo concurrit ad indiuiduationẽ materię, in quantũ cõſtituit illã poſitiuè indiuiſam in ſe, & diuiſã ab omni alia materia. (Vt ſupra declaratũ fuit:) Et hoc modo cõcedimus formã eſſe aliquo modo indiuiduationis principiũ. Alio modo quod poteſt intelligi materiam eſſe primũ principium indiuiduationis, & radicale, ita vt primum prineipium, vnde incipit vnitas, & multiplicatio numerica, ſit ipſa forma: & primò illi inſit hæc vnitas, & multitudo, & ab ipſa deriuetur ad materiam, & ad totum compoſitum, ſicut ab ipſa tanquam à prima radice prouenit vnitas, & multitudo ſpecifica, & in hoc ſenſu procedit præſens difficultas. An ſcilicet ſicut à forma tanquam à primo principio radicali ſumitur differentia eſſentialis, per quam natura conſtituitur, & multiplicatur ſub eodem genere: ita etiam ab ipſa tanquam à prima radice deſumatur differentia numerica, per quam natura indiuiduatur, & numero multiplicatur ſub eadem ſpecie?

3. Modus dicẽdi, & eius confutatio.

Animadueꝛſio.

24 In hac difficultate eſt prima ſẽtentia affirmatiua. Hæc ſententia tribuitur Durand. in 2. diſt. 3. q. 2. & eam tenet Zimara Theoremate 97. Probatur primo ex Ariſt. 1. de anima cap. 1. Vbi dicit: *Quod forma eſt, quæ conſtituit hoc aliquid.* Hoc aliquid autem in phraſi Ariſtotelica idem eſt, quod indiuiduum. Præterea idem Ariſt. dicit, quòd actus eſt, qui diſtinguit, & ſeparat: Et S. Th. dicit, quod actus eſt, qui vnit. Nam q. 8. de Verit. a. 10. *Actus*, inquit, *inuenitur eſſe principium vnitatis*. Ex quibus teſtimonijs ſumitur argumentum. Quia principium vnitatis, & multiplicationis numericæ, debet eſſe vnitiuum, & diuiſiuum, quia conſtituit illud indiuiſum in ſe, & diuiſũ ab alijs: Sed hoc facit actus, & forma, vt dicunt Ariſt. & S. Thomas: ergo, &c.

1. Sententia Durãd. Zimmara.

Ariſt.

S. Th.

1. Argum. primę ſẽtentiæ.

Ariſt.

25 Secundò, quia cũ duo ſint principia ſubſtantiæ completæ, materia, & forma: Differentia indiuidualis nõ poteſt ſumi principaliter à materia, ſed à forma: Tum quia ab ea parte debet principaliter ſumi, quæ maximè pertinet ad vnitatem indiuidui, vt per ſe patet: Sed ad vnitatem indiuidui magis pertinet forma, quàm materia: Nam hæc materia eſt communis, & indifferens ad plures formas, & poteſt eſſe materia huius, & alterius indiuidui: At hęc forma eſt maximè propria huius indiuidui: Vnde etiam ſi in Socrate per actionem nutritiuam ſit fluxus materiæ, attamen ſemper eſt idẽ numero Socrates propter vnitatem animæ: ergo potiùs forma eſt principium, à quo ſumitur differentia numerica, quàm materia.

2. Argum.

26 Tum etiam quia idem eſt principium, *vt aliquid ſit*, & *vt vnum ſit*. Dicit enim S. Th. q. vnica de anima a. 1. ad 2. *Vnumquodque ſecundum idem habet eſſe, & indiuiduationem*: Et 1. p. q. 76. a. 2. ad 2. *Vnumquodque*, inquit, *hoc modo habet vnitatem, quo eſſe*: Sed formam eſt principium eſſendi, & quæ ſecum affert eſſe, non autem materia: ergo materia non poteſt eſſe primum principium radicale numericæ

S. Th.

Digitized by Google

ricæ differentiæ, sed hæc est forma.

27 Tum denique, quia materia est propter formam, & non forma propter materiam, vt sæpè docēt Aristoteles, & S. Thomas: ergo Vnitas, & Multiplicatio numerica materiæ est propter vnitatem, & multiplicationē numericam formarum: & non è contra multiplicatio, & vnitas numerica formarū propter vnitatem, & multiplicationem materiæ, hoc est, ideò sunt multæ numero materiæ, quia sūt multæ numero formæ, non autem è contra ideò sunt multæ numero formæ, quia sunt multæ numero materię. Arist. S. Th.

28 Tertiò principaliter, quia primum principium indiuiduationis, debet ex se esse indiuiduum, & ex se debet multiplicari numero, & ab ipso debent alia habere vnitatem, & multiplicationem numericam. Hoc enim est de ratione primi principij, vt alia ab ipso participent huiusmodi vnitatem, & multiplicationem: ipsum verò non participet ab alio: Sed huiusmodi est forma: Nam formæ ex se multiplicantur numero, vt apparet in Anima rationali, quæ sicut existit independenter à materia, ita est indiuidua & multiplex numero independenter ab illa. 3. Argum. Quæ sint de ratione primi principij.

Secunda sententia nostra, qua negamus formam esse principium radicale vnitatis, & multiplicationis numericæ.

29 SEcunda tamen sententia negat formam esse principiū radicale vnitatis, & multiplicationis numericæ. Ita Arist. qui omnem diuisionem, & multiplicationem reducit vel ad formam, vel ad quātitatem, & nomine *quātitatis* intelligit *materiā*, & dicit, quod diuisio, quæ sumitur à forma, facit differentiam specificam; quæ sumitur à materia, differentiam numericam. S. Thomas quoque dicit, quod omnis differentia, quæ sumitur à forma diuersificat specie. Arist. S. Th.

30 Et probatur, quia illud est radicale principium vnitatis, & multiplicationis numericæ, ad quod maximè huiusmodi vnitas, & multiplicatio accedit, & cuius principij naturā magis sapit (nam cum composita resoluantur in sua simplicia, tanquam in principia: ad vnumquodque principium debet reduci id, quod participat naturam illius principij: Et ideò qualitates mixtorum, quæ componūtur ex elementis, reducuntur ad illa elementa, quibus per se conueniunt prædictæ qualitates) Sed vnitas, & multitudo numerica magis sapit naturam materiæ, quàm formæ. Nam vnitas, & multitudo numerica est homogenea, sicut specifica est etherogenea: Et sic principiū vniformitatis est materia, diuersitatis est forma. Quod maximè apparet in corporibus (videmus enim, quod corpora quantò magis sunt materialia, hoc est, quātò habēt formas magis immersas materiæ, tātò habent partes magis homogeneas: quantò verò sunt magis formalia, hoc est, quantò habent formas magis eleuatas supra materiam, tantò habent partes magis etherogeneas, vt apparet in Viuentibus) ergo vnitas, & multiplicatio numerica magis sumitur à materia, quā à forma, ac proinde radicale, & primū principiū huiusmodi vnitatis, & multitudinis nō est forma, sed materia, vt dictum est.

31 Confirmatur: quia experientia constat, quòd quantò res sunt magis materiales, tanto faciliùs multiplicātur numero, Vt supra latè declaratum est: igitur materia est primum, & radicale principium huius multiplicationis. Confirm.

32 Et hinc apparet, quàm verum sit illud principium S. Th. Quod omnis differentia, quæ sumitur à forma, est specifica, quæ sumitur à materia, est numerica. Quod principium ruinosum fundamentum appellat Scotus, quamobrem nititur illud labefactare, sed cassō labore: Quia nil magis elucet in natura, quàm hoc principiū: Et mirum est, quod Scotus sua subtilitate non penetrauit talis principij veritatem, &c. Corollarium. Scotus.

Diluun-

Diluuntur tria principalia argumenta sententiæ oppositæ.

33 NEque aduersariorum argumenta quidquam vrgent. Nam primum desumptum ab auctoritate Philosophi, & S. Thomæ, solum probant, quòd forma aliquo modo concurrit ad vnitatem, & multiplicationem specificam materiæ, & totius compositi, vt supra declaratum est, non tamen tanquam primum, & radicale principium; sed hoc est materia, quæ si non esset multiplicabilis multiplicatione homogenea, nec essent multiplicabiles numero formæ, nec ipsa composita: & ideò radix huiusmodi vnitatis, & multiplicationis est materia, non forma, &c.

Ad primũ resp.

Si materia nó esset multiplicabilis numero, nec formæ, nec composita multiplicarentur numericè.

34 Ad secundum respondetur negando assumptum: Quod scilicet differentia indiuidualis magis sumitur à forma, quàm à materia: & ad vtrasq; probationes respondetur, quòd probant solùm formam esse illam, quæ præbet vltimum complemẽtum vnitati, & multiplicationi numericæ, non autem, quòd sit primum, & radicale principium huiusmodi vnitatis, & multiplicationis.

Ad secundum resp.

35 Ad tertiam drobationem dicitur, quòd pluralitas materiæ est propter pluralitatem formarum, quantũ ad constitutionem, & multiplicationem specierum, non verò quantum ad constitutionem, & multiplicationẽ indiuiduorum: Quia in hoc è conuerso negotiũ incedit: Et ratio disparitatis est: Quia multiplicatio specierum est per se intenta à natura, vt supra diximus: Sed multiplicatio indiuiduorum oritur ex conditione materiæ: Sicut artifex ex intentione artis requirit diuersa instrumenta pro diuersa operatione necessaria ad suum opificium: Sed quod vnum genus instrumentorũ multiplicet numero est præter artis intentionem, & prouenit ex conditione materiæ, quæ aut rubigine, aut vsu atteritur, & consumitur: Et ideò oportet sua instrumenta instaurare, & numero multiplicare. Vide, quæ supra diximus circa consimilem difficultatem.

Ad 3. probationem assumpti in 2. arg. Respond.

Pluralitas materiæ est propter pluralit. formarum, & specierũ: non vero propter pluralit. indiuiduorum.

36 Ad tertium respondetur concedendo maiorem, quod primũ principium vnitatis, & multiplicationis numericę debet ex se habere primùm istam vnitatem, & multiplicationem, & quòd alia participant ab ipso: Sed nego minorem, quòd hæc vnitas, & multiplicatio primò conueniat formę, & deinde materiæ, & composito: Quia quamuis forma sit principium vnitatis, & multiplicationis, non tamẽ homogeneæ, sed etherogeneæ, hoc est, causat vnitates, & multiplicationes specierum, non tamen indiuiduorum: Quia sicut materia est prima radix vniformitatis in rebus, ita est prima radix, & primum principium vniformis vnitatis, & multitudinis: Et ad probationem de Animis rationalibus dico: Quòd quamuis existant sine materia, non tamẽ sine ordine ad materiam: Vnde quia materia est multiplicabilis numero, hinc sunt Animi numero multiplicabiles: Intrinsecè igitur Animi rationales indiuiduantur ab ordine ad distincta numero corpora: Extrinsecè vero ab ipsa materia, quatenus est numero multiplicabilis, prout supra latè declaratum est: Sicut potentiæ multiplicantur specie intrinsecè à diuerso ordine ad obiecta formalia: Extrinsecè vero ab ipsis obiectis formaliter inter se distinctis, &c.

Ad tertiũ resp.

Animæ rationales separatæ, & si existent sine materia, non tamẽ sine ordine ad materiam.

DIFFI-

Digitized by Google

DIFFICVLTAS IV.

Vtrum principium vnitatis, & multiplicationis numericæ sit hæcceitas? Et est quartus modus dicendi Scoti, & Scotistarum, qui communiter ab omnibus confutatur.

37 SCotus in 2. dist. 3. q. 1. in quodlib. quæst. 2. 7. Met q. 16. ibidem Ant. And. cõfutata sententia S. Thomæ, quin, & Aristotelis, quod materia sit principium indiuiduationis rerum, nec illi satisfaciunt, quæ pro tali principio assignãtur: Excogitauit quandam entitatem, cuius officium esset singularizare naturas: Et hanc entitatem appellat hęcceitatem ab officio, quod gerit in natura: nempe determinare res vltima determinatione, & reddere illas demonstrabiles, vt dici possit, hæc est natura Petri, & hæc Pauli: Cũ ergo omnis entitas siue completa, siue incompleta existens, vel apta existere, sit singularis; in omni entitate singulari ponit hanc hæcceitatem.

4. Modus dicendi, & eius cõfutatio.

38 Et si quæras: Vnde hęc hæcceitas est singularis: Dicit, quòd seipsa est singularis, imo est ipsa singularitas: sicut albedo seipsa est albedo, & afficiens superficiem constituit albam: Et quantitas seipsa est quantitas, seu seipsa est extensa; & afficiens substantiam, quantificat, & extendit substantiam: ita hæcceitas seipsa est singularis; & afficiens naturam specificam, eã singularizat, & diuidit naturam communem specificam in plures naturas numero distinctas, quarum vna non est altera.

1. Interrogatio, & respõsio.

39 Si quæras qualiter hæc entitas hæcceitatis distinguatur ab ipsa natura specifica: Dicit distingui non distinctione reali, sed distinctione formali: Et quia apud Scotum distinctio formalis est plusquam distinctio rationis: Cõsequenter dicendum est de mente Scoti, quod est distinctio ex natura rei, seu independenter à nostro intellectu.

2. Interrogatio, & responsio.

40 Vnde hæc sententia duo dicit: Primum, quòd hæcceitas se habet ad naturam specificam, sicut differentia specifica contrahit naturam generica: Sicut enim differentia specifica contrahit genus ad speciem; ita hæcceitas contrahit naturam specificam ad indiuiduum: quamuis nonnulla discrimina versãtur inter vtrãq; differentiam. Secundò dicit, quòd hæcceitas aduenit naturæ specificę, & comparatur ad illam tanquam actus ad potentiam, & distinguitur formaliter, hoc est, ante intellectus operationem, & ex natura rei ab ipsa natura specifica, quam singularizat: Ita latè explicat mentem Scoti Rada tom. 2. contr. 3. a. 4. per varias notationes, & conclusiones, & præsertim concluſ. 9. in Epilogo controuers. Hoc expresè tenet Fonseca 5. Met. cap. 6. 5. sect. 9. & sect. 3. ad 4. obiectiuum, & ad 5. &c. Addit insuper hic auctor, quòd in composito substantiali indiuiduo sunt tres hæcceitates inter se distinctæ. Vna est hæcceitas materiæ: Altera est hæcceitas formæ: Et altera est hæcceitas totius compositi. Rada.

41 Hæc sententia tractabitur in præsenti solum quoad posteriorem pũctum: Quatenus scilicet ponit hæcceitatem ex natura rei distinctã à natura specifica: Nam in hoc est specialis sententia Scoti. Quoad primũ verò punctum tractabitur difficultate sequenti, quia est concors sentẽtia Scotistarum, & nonnullorum ex Neotoricis, qui conueniunt cum Scotistis, quod id, quo indiuiduantur res singulares, est differentia numerica; Dissidẽt verò, quod Neoterici dicũt hanc esse ante intellectum identificatam cũ natura speciei, quam contrahit; & sola ratione pręscindi posse, quia est identificata re, non ratione, cum sit extra conceptum, & rationem quidditatis: Scotistæ verò dicunt distingui ex natura

Digitized by Google

tura rei: Et ideò, vt dixi, in præsẽti examinanda est quoad hoc posterius, vt est propria sentẽtia Scotistarum: Difficultate sequenti, vt est communis istis, & Neotericis.

Sententia Scoti, & Scotistarum, quæ, qualis, & quid sit, et importet?

42 Itaque secundùm sententiam Scoti, & discipulorum eius, principiũ indiuiduationis est quædam realitas modalis, pertinens saltem reductiuè ad ipsum prædicamentum, ad quod pertinet ipsa natura, quam singularizat: Et ab hac entitate modali natura modificata habet duo, quæ sunt de ratione indiuidui: Primum, quod sit indiuisibile in plures partes subiectiuas: Secundum quod ita sit indiuisum in se, vt sit diuisum ab omni alio indiuiduo participante eandem naturã specificam. Hanc sententiam probant primò ab exclusione aliarum opinionum de principio indiuiduationis: Sed quia etiam nos multas illarum excludimus, & solum dicimus principium indiuiduationis esse materiam *ex qua*, vel *in qua*: Ideò eorum argumenta partim proposita, & soluta sũt supra: partim proponentur, & soluẽtur infra, ideò illa prætermittimus: Et solum proponemus argumenta, quæ affert Rada loco cit. concluſ. 6.

1. Argum. Scoti, seu Radæ.

43 Et primum est: Quia omnis vnitas consequitur aliquam entitatem: ergo vnitas numerica, quæ est maxima vnitas consequitur entitatem indiuidui: Sed non consequitur vnitatem indiuidui secundum quod dicit naturam specificam, & quidditatiuã: Quia naturam, vt sic consequitur vnitas formalis, quæ minor est numerali: ergo consequitur indiuiduum secundum aliquam aliam entitatem aduenientem naturæ specificæ: & consequenter natura specifica comparatur ad hanc entitatem tanquam potentia ad actum: & ex natura specifica, vt potentia, & hac entitate, vt actu fit per se vnum, quod est ipsum indiuiduum: Igitur principium indiuiduationis est aliqua vltima realitas distincta ex natura rei, quæ modificãdo naturam specificam determinat, & singularizat illam, & constituit indiuiduum: Non potest enim eadem entitas simul esse actus, & potentia realis, sed debent saltem ex natura rei distingui inter se.

2. Argum. Radæ.

44 Secundò: Quia ea, quibus duo indiuidua sub eadem specie inter se distinguuntur, nõ possunt esse ipsa natura, quia in hac potiùs conueniunt, quàm differunt: ergo debent dissidere per aliqua primò diuersa inter se. Sed hæc primò diuersa non sunt negationes, nec accidentia, vt iam dictũ est: ergo sunt aliquæ entitates positiuæ, quæ tanquam actus afficientes ipsam naturam, & diuidentes illam, faciunt simul vnum per se tanquam ex actu, & potentia; & ita concedendæ sunt istæ entitates ex natura rei distinctæ, ex quibus fit indiuidui realis compositio.

3. Argum. Radæ.

45 Tertiò: Omne, quod est indiuiduatum, non potest esse indiuiduationis principium: Quia principium indiuiduationis nõ est quod indiuiduatur, sed quo indiuiduatur: Sed natura specifica est indiuiduata in suis singularibus: ergo natura specifica recipit aliquam entitatem, per quam indiuiduatur: Sed hæc entitas superueniens naturæ specificæ non potest esse eadẽ entitas cum ipsa natura: quia idem superueniret sibi ipsi: ergo est aliqua entitas superaddita naturæ, ita tamen quod ex natura, & hac entitate superaddita fiat per se vnum, & hoc est indiuiduum.

4. Argum. Radæ.

46 Quartò arguunt Rada, & Fonseca specialiter ad probandum, quòd debet dari quidem hæcceitas indiuiduans totum compositum ex materia, & forma substantiali. Quia principium indiuiduationis non potest esse neque hęc materia, neque hæc forma: ergo debet esse aliqua tertia entitas determinans, & indiuiduans totã quidditatem compositam. Consequẽtia patet: quia si totum non indiuiduatur per partes componentes, necesse est dari aliquod totale indiuiduationis principium. Antecedens probatur: Quia materia non potest esse principium indiuiduationis: Nam cum eadem

Digitized by Google

dem numero fit communis genito, & corrupto, non potest esse principium determinans hoc indiuiduum: Cum eadem numero possit esse communis pluribus indiuiduis. Nec potest esse sola forma, quia cum ipsa sit indiuiduata, debet habere suam partialem hæcceitatem, per quam indiuiduatur: Sed hæcceitas illius partialis non est sufficiens indiuiduare totam substantiam compositi, atque ipsius indiuidui: ergo debet dari tertia quædam hæcceitas distincta ab hęcceitate partium: & sic præter hæcceitates partium, datur vna hæcceitas totius.

Sententia Scoti, Scotistarumque confutatur primò duplici ratione, seu argumento Suarij; Cui satis respondent Scotistæ. At confutatur potissimo vnico argumento, seu ratione Caietani, cuius argumenti vim Scotistæ non euacuant.

47 AT hæc sententia Scoti cõmuniter reijcitur, saltem quãtum ad hoc, quod ponit hæcceitatem esse entitatem distinctam ex natura rei ab essentia, quam singularizat: Vnde Dico primò, principium indiuiduationis, & multiplicationis numericæ generatim omniũ entitatũ non potest esse modus quidam distinctus ex natura rei ab vnitate, vel essentia singularizata. Hæc conclusio est multorum, sed rationes, quæ afferuntur non admodum vrgent contra hanc Scoti hæcceitatem.

Reijcitur 1. Scoti sententia à Suarez.

48 Primùm enim arguit Suarez disput. 1. Metaph. sect. 12. num. 9. Quia si natura singularizata, & iste modus singularizans, sunt inter se distinctæ ex natura rei entitates, sequitur, quòd vnaquæque illarum habet suam vnitatem: Quia sunt duæ res, vel res, & modus &, entitas vnius non est entitas alterius: ergo natura ante singularitatem esset singularis; Probatur consequentia: Quia illa vnitas, per quam distinguitur natura ab hęcceitate, conuenit naturæ antecedenter ad ipsam hæcceitatem: sed illa est vnitas singularis: ergo iam natura est singularis ante hæcceitatem singularizantem.

1. Ratio Suarez contra Scot.

49 Quòd si respondeas, & dicas, illam vnitatem naturæ, quam ex se habet antecedenter ad hæcceitatem, nõ esse vnitatem singularem, sed vnitatem formalem.

Obijcitur Suario.

50 Contra hoc vrget, quia si illa non esset vnitas singularis, esset vnitas communis: omnis quippè vnitas, aut singularis est, aut communis: Sed vnitas communis est vnitas vniuersalis, quod enim commune est multis, vniuersale est: ergo illa esset vnitas vniuersalis, & sic daretur Vniuersale à parte rei, * vt distincta ab vnitate singulari, seu ab ipsa singularizante hæcceitate.

Enodatio, & replica Suarez.

* nam illa vnitas cõuenit naturę à parte rei,

51 Confirmatur: Quia sumo duas naturas distinctas numero: Naturam scilicet humanam Petri, & naturam humanam Pauli, vt distinctas à suis hæcceitatibus, vel sunt se ipsis numero distinctæ, vel non sunt se ipsis distinctæ, sed hæcceitatibus: Si dicatur primum habetur intẽtum, quia seipsis sunt, & non per aduenientem hæcceitatem: Si non sunt seipsis distinctæ, sed hæcceitatibus: ergo vt ex seipsis habent vnitatem formalem, habent vnitatem communem: ergo habent vnitatem vniuersalem. Quia vna, & eadem natura vnitate formali à parte rei est in Petro, & Paulo; igitur à parte rei datur vna Natura Vniuersalis.

Confirm.

52 Multa alia congerit, quæ non maiorem vim habent, quàm argumentum factum: Sed hoc non vrget, quia, vt dictum est, Scotistæ respondent, quod natura, vt præsupponitur distincta ab hæcceitate, præsupponitur cum sua vnitate formali: Et ad improbationem dicitur, quod est quidẽ vnitas communis, sed non Vniuersalis: quia plus requiritur secũdũ Scotistas ad vnitatem vniuersalẽ, quàm ad vnitatẽ communem: Cõcedunt enim Scotistę naturam vnam communem à parte rei, sed non vniuersalem à parte rei: Quia ad vnitatem communem sufficit, quod sit talis vnitas, quod à pluribus participetur: & sic vnitas for-

Scotistæ respondẽt Suarij argumento.

Digitized by Google

malis naturæ humanæ est in Petro, & in Paulo: ad vnitatem vniuersalem requiritur amplius, nempe vt natura habeat vnitatem formalem cum positiua exclusione singularitatum. At quatenus communis est non dicit talem positiuam exclusionem, quia illa fundatur in abstractione intellectus, & est quædam secunda intentio aduenies naturæ habenti vnitatem formalem.

S.Th.

53 Quod clariùs dici potest etiam secundum mentem S.Th., quòd illa vnitas formalis, quam ex se habet natura, vt distinguitur ab hæcceitate, nec est communis, nec singularis, sed est vnitas naturæ secundum se, quatenus tamen actu à parte rei est sub exercitio hęcceitatis, exercentis suum munus singularizandi naturam: Non enim prout est à parte rei, accipienda est illa vnitas naturæ cum præcisione hæcceitatis: Sed accipienda est, prout est à parte rei, vt recipiens effectum formalem hæcceitatis singularizantis ipsam naturã: & ideò illa vnitas prout est à parte rei, est quidem vnitas formalis: sed est concipienda vt recipiẽs actualem diuisionem in plures vnitates indiuiduales.

54 Et ideò in nullo signo à parte rei existit absque eo, quod circa illam hæcceitas exercitium suum præstet singularizandi prædictam naturam, sed solùm per intellectus pręcisionem potest sic concipi, non vero vt est extra intellectum: Signa enim rationis non sunt signa realia.

Scotistæ posũt respond. cõfirmationi Suarez.

55 Similiter respondetur ad confirmationem, quòd duæ illæ naturæ non sunt seipsis numero distinctæ, sed seipsis habent vnitatem formalem, multiplicatam tamen per hęcceitates, & cum dicitur, quod vt præintelligũtur illæ naturæ ante hæcceitates, eo ipso præintelliguntur cum vnitate communi: Ad hoc respondetur negãdo assumptum: Quia à parte rei, vt dictum est, in nullo signo præintelligũtur naturæ, nisi sub actuali exercitio hæcceitatum: Sicut in via S. Thomæ dicimus, quòd in nullo signo à parte rei intelligitur essentia, nisi sub exercitio existentiæ constituentis illam à parte rei: Et dato, quod presupponeretur natura pro aliquo signo reali naturæ cum suavnitate formali, tunc nec esset vna vnitate vniuersali, nec vna vnitate singulari, sed vna formaliter, in potẽtia tamẽ ad vnitatem singularem, vt explicat Rada loc. sup. cit. in quodam notabili.

2. Argum. fieri potest cõtra Scotum.

56 Secundò argui potest contra Scotum. Quæ à parte rei distinguuntur inter se, per aliquam oppositionem inter ipsa distinguentia distinguũtur, vt per se patet; principia enim distinctionis ideò distinguunt, quia sunt inter se incompossibilia in vna entitate; incompossibilitas autem prouenit ex oppositione: Sed principia fundantia vnitatem formalem, & vnitatem indiuidualem non habent oppositionem inter se (fundamentum enim vnitatis formalis est differentia specifica, v. gr. rationale, per quam omnes naturę rationales multiplicatę in pluribus indiuiduis, vt rationales sunt, non habent inter se diuisionem. Fundamentum vnitatis indiuidualis est hæcceitas, vt vult Scotus: Sed differentia specifica non habet oppositionem cum differentia indiuiduali, sed cum sibi aduersaria differentia, nempe cum irrationali: Et differentia indiuidualis non habet oppositionem cum differentia specifica, quam contrahit, sed cum alia differentia indiuiduali, nempe hæcceitas Petri cum hæcceitate Pauli) ergo non habent inter se fundamentum distinctionis realis, vel ex natura rei: Nam non potest quidem humanitas identificari realiter cum equinitate, quia illa est rationalis, hæc irrationalis: Non potest Petrus identificari cum Paulo, quia habent repugnantes differẽtias: Cum ergo inter differentiam specificam, & numericam non sit ista repugnantia, quia vna non excludit aliam, benè possunt identificari inter se, & ideo non opus est, vt ad singularizandas naturas addantur istæ modales entitates.

56 Sed

Digitized by Google

57 Sed hoc secundum argumentũ facilè à Scotistis dissolui potest, negãdo minorem, nempe quòd inter differentiam specificam, & numericam nõ sit aliqua oppositio. Quamuis enim ex diametro non opponãtur, sicut rationale, & irrationale, habent tamen quandam oppositionem, ut sic dicam lateralem. Nam cum isti conceptus differentiales sint cõceptus primò diuersi, excludunt per suas rationes formales quidquid non est de ratione formali illarum: Rationale enim non solum excludit à sua entitate irrationale sibi directè oppositum, sed quidquid rationale non est, hæcceitas autem non est rationale, sed aliquid illi aduenies: & ideò quandam oppositionem saltem contradictoriam inuoluunt: rationalitas enim non est Petreitas, & Petreitas non est rationalitas. Vlterius habent aliam oppositionem, nempe actus, & potẽtiæ: Nam ratio actus est oppositа rationi potẽtiæ, ut patet, differentia autem specifica constituens speciem constituit illam potentialem ad diuisionem indiuidualem, quamuis enim comparetur, vt actus ad naturam generis, quam contrahit, constituit tamen speciem in potentia ad indiuidualem diuisionem, cui potentiæ aduenit hæcceitas vt actus. Sicut superficies comparatur vt actus ad substantiam, comparatur vt potentia ad colorẽ: Vnde appareret, quod habent sufficientem oppositionem, ob quam realiter inter se distinguantur, seu ex natura rei.

Ad 2. arg. Suarij possunt respondere Scotistæ.

Reponitur argumentum vnicum, seu vnica ratio Caietani potissima contra sententiam Scoti, & Scotistarum; cuius vim Scotistæ non euacuant.

58 HIS ergo, & alijs argumentis prætermissis, quibus solet, aut potest hæc sententia confutari, potissimum existimo illud Caietani. De ente, & essentia c. 2. q. 4. à quo mihi videtur efficaciter improbari hæc Scotica hæcceitas, si vis eius ad maiorem lucem extrahitur.

59 Arguit ergo, & benè Caietanus: Actus singularis supponit potentiam singularem ex Philosopho 2. physic. c. 3. t. 36. Sed hæcceitas est actus singularis, natura hæcceizata est potentia receptiua talis actus: ergo hæcceitas supponit naturam singularem: ergo frustra ponitur hæc hæcceitas: Quia iam natura est singularis ante singularitatem aduenientem.

3. Argum. Caietani cõtra Scotum. Arist.

60 Derident Scotistæ vim huius argumenti, & eludunt adhibita distinctione de actu singulari, dicentes: Quòd dupliciter aliquis actus potest dici singularis; Vno modo, *vt quod*, alio modo, *vt quo*. Actus dicitur singularis, *vt quod*, qui non est ex se singularis, sed per propriam hæcceitatẽ singularizatur, talis est omnis forma substantialis, vel accidentalis: Quia nulla forma secundũ propriã rationẽ formalem est singularis, aliàs propria ratio formalis huiusmodi formarum non posset multiplicari numero, quod est manifestè falsum; Vnde propria quidditas prædictarum formarum indiget singularizari per hæcceitatem. Actus vero singularis, *vt quo*: est ipse actus, quo natura singularizatur, seu est ipsa singularitas.

Scotistæ respond. Caietano.

61 Et potest explicari exẽplo existentiæ in via Sancti Thomæ: Quia aliud est existẽs *vt quod*, nempè quod accipit existentiam: aliud est existens *vt quo*, & est ipsa existentia, qua res fit existens. Simile afferri potest de quantitate; quia aliud est extensum, *vt quod*, & talis est substantia materialis, & omnia illius accidentia: Aliud est extensum *vt quo*, & hæc est ipsa quantitas. Dicunt ergo Scotistę, quod propositio assumpta ex Philosopho intelligenda est de actu singulari, *vt quod*, non de actu singulari, *vt quo*. Actus enim, qui non est ipsa singularitas, sed est singularis, quia habet singularitatem, supponit potentiam singularem: At actus, qui est ipsa singularitas, non supponit, sed facit ipsã potentiam singularem: Vnde clariùs

Aliud est existẽs vt quod, & aliud est existẽs, vt quo: sicut aliud extensum, vt quod, & aliud, vt quo.

potest

potest adhiberi distinctio propositionis: Actus singularis supponit potentiam singularem, si non sit actus, quo potentia fit singularis, concedo: Si sit actus, quo potentia fit singularis, & nego; modò ad minorem: Sed hæcceitas est actus singularis: distinguo: est actus singularis, faciens potentiã singularem, concedo: Est actus singularis, non faciens potentiam singularem, & nego: ergo præsupponit potentiam singularem: nego consequentiam.

62 Hæc solutio eadem est, cum illa, quam adhibent Thomistæ de actu existentiæ. Solet enim fieri simile argumentum: Omnis actus realiter adueniens potentiæ, supponit potentiam existentem, cui aduenit: Sed existentia per nos est actus essentiæ: ergo præsupponit essentiam existérem ante existentiam. Cui argumento respõdere solemus, quòd actus aduenies realiter subiecto, vel potentiæ supponit illam existentem. Si per ipsum actum non fit formaliter existens, cõcedo: Si per ipsum actum fit existens, & nego: Existentia autẽ est actus, quo potentia fit formaliter existens: & ideò non supponit potentiam præexistentem.

Præcluditur respõsio Scotistarum.

63 Hæc solutio haberet quandam apparentiam, si Scotistæ admitterent, inter potentiam, & actum posse intercedere quandam mutuam prioritatẽ, & posterioritatem naturæ: Sicut Thomistæ admittunt inter materiam primam, & formam substantialem, & inter essentiam, & existentiam. Quòd essentia non est simpliciter prior existentia, nec existentia est simpliciter prior essentia; Sed quodammodo prior, quodammodo posterior: Quia essentia quatenus est subiectum recipiens existentiam, est prior natura ipsa existentia, & existentia ex hac parte est posterior: At quatenus existentia dat esse formaliter essentiæ, existentia est prior, essentia posterior: Quod est idem, ac dicere: Essentia in genere causæ materialis est prior existentia: Existentia verò in genere causæ formalis est prior essentia: At Scotistæ hanc mutuam prioritatẽ, & posterioritatem inter actum, & potentiam, inter formam, & materiam, siue subiectum non admittunt, imò tanquam impossibilem, & in terminis implicantem, vehementer abhorrent, & acriter impugnant, vt videri potest apud Radam controuers. cit. a. 4. in probatione quartæ conclusionis; & ideò allata responsione non euacuant vim argumenti Caietani.

Mutua, & reciproca prioritas, & posterioritas essentiæ, & existẽtiæ inter se.

64 Et ideò vrgeo sic: Omnis actus præsupponit suam potentiam existẽtem: ergo omnis actus siue sit singularis, *vt quod*, siue *vt quo* præsupponit suam potentiam singularem. Antecedens est primum principium in via Scoti: Quia potentia, & subiectum præsupponitur in genere causæ materialis ad ipsum actum, & formam, quæ superadditur illi: Sed prioritas in genere causæ materialis est prioritas existentiæ: Quia priùs debet poni in esse subiectum, & postea debet educi, vel induci actus, & forma.

4. Vrgeri cõtra Scotũ potest ex Caietano.

65 Et confirmatur hoc, quia omnis actus, & forma creata debet habere suam causam efficientem, vel ergo resultat à subiecto, & non potest ab eo resultare, nisi illud præsupponat in esse, præter quam quod hoc non potest dici de hæcceitate: Quia cum subiectum eius sit natura specifica, quæ non dicit aliud, nisi prædicata quidditatiua, & accidentia, quæ prædicta prædicata consequuntur, & non habent in se singularitatem, nec radicem singularitatis, sed meram potentialitatem, vt fiat singularis, non potest ab ipsa resultare ipsa hæcceitas, quia sic hæcceitas præcontineretur in virtute essentiæ, & ita essentia secum ferret singularitatem, & non posset numero multiplicari, cum sit vna formaliter, & eiusdem rationis in omnibus, & ideò vna hæcceitas resultare posset, & vna hæcceitate tota complecteretur, ac proinde vnius speciei vnicum esset indiuiduum. Sicut est opinio S. Thomæ de substantijs abstractis, quam Scotus, & Scotistę reijciunt, volentes tàm

Confirm. antecedẽs 4. argum. Caiet.

S. Th.

in

Digitized by Google

in materialibus, quàm ſpiritualibus ſubſtantijs dari poſſe plura indiuidua ſub eadem ſpecie: Igitur hæcceitas non poteſt reſultare à ſubiecto ſuo: & ſi reſultaret, illud præſupponeret exiſtens. Vel actus quicumque,& ſpeciatim iſta hęcceitas producitur ab Agẽte in ſubiecto; & tunc debet agens præſupponere ſubiectum præexiſtẽs termino actionis ſuæ,quatenus ipſum actum, vel formam educit, vel inducit in ipſum ſubiectum, & actuat potentialitatem illius.

66 Dices,quod agens eadẽ actione producit eſſentiam, & illius hæcceitatem, & ideò non debet præſupponere eſſentiam exiſtentem ante hæcceitatem. Obiectio.

67 Sed contra, quia hæcceitas verè dependet in ſuo eſſe ab eſſentia tãquam à cauſa materiali receptiua ipſiuſmet hæcceitatis: ergo non poteſt agens dare eſſe actuale ipſi hæcceitati, niſi eius actio priùs natura terminetur ad naturam, cum qua,cõcurrente vt cauſa materiali, det eſſe hæcceitati, inferendo illam in ipſam potentialitatem naturæ: Igitur omnis actus etiam ipſa hæcceitas præſupponit ſuam potentiam præexiſtentem. Et hoc fuit Antecedens. Enodatio.

58 Conſequẽtia, nempe ergo omnis actus ſingularis ſiue *vt quo*, ſiue *vt quod* præſupponit potentiam ſingularem, facilè probatur. Quia omnis res exiſtens, in quocumque ſigno eſt, aut intelligitur exiſtens, eſt, & intelligitur ſingularis: Quia aut ipſa exiſtentia eſt ipſa ſingularitas, vt volebãt Henric. & alij ſupra allegati: Aut exiſtentia ſupponit ſingularitatem, vt diximus ibidem:Et patet hoc: quia omnis actio terminatur ad terminum ſingularem: Actiones enim ſunt à ſingularibus, & in ſingularibus, & circa ſingularia; Vt dicitur 1. Met. c. 2. & eſt doctrina Ariſtotelis communiter recepta,quia vera,& experimento comprobata:ergo quando agẽs ſua actione producit Naturam ſpecificam cũ ſua ſingularitate,priùs actio terminatur ad ipſam naturam, quàm ad hæceitatem:ergo in illo priori natura eſt ſingularis ante hęcceitatem,& conſequenter eſt ſingularis ante ſingularitatem: Vnde non ſolum actus, qui eſt ſingularis, vt *quod*, ſed etiam qui eſt ſingularis, vt *quo*, præſupponit potentiam ſingularem: & ita allata reſponſio inutilis eſt,& non ſoluit argumentum Caietani, &c. Cõſequẽtia 4 arg. probatur. Omnis actus ſingularis præſupponit præexiſtẽtem ſuam potentiã ſingularem.

69 Ex his apparet, quàm præpoſtera ſit ſententia Scoti de exiſtentia, & hæcceitate, cum ponit exiſtentiam identificari cum eſſentia, & hæcceitatẽ ex natura rei diſtingui ab eſſentia: cum rectus ordo philoſophandi requireret, vt priùs poneret hæcceitatẽ, & poſtea exiſtentiam: Et ideò hinc ſumpſimus argumentum contra Scotum ad probandum, quod exiſtentia diſtinguitur ab eſſentia: arguendo in hunc modum. Hæcceitas diſtinguitur ab eſſentia ex natura rei: ergo multo magis exiſtentia. Antecedens eſt ipſa ſententia Scoti. Conſequentia probatur: Quia exiſtentia ſupponit hæcceitatem: Non poteſt enim alicui rei tribui exiſtentia, niſi præſupponatur ſingularis: Si ergo hæcceitas, quã præſupponit, diſtinguitur ex natura rei ab eſsẽtia, multò magis diſtingui debet exiſtentia: Quia quando duo actus ſunt ſubordinati,quorum vnus non poteſt actuare, niſi alio præſuppoſito,ſi præcedens diſtinguitur,multo magis id,quod ſubſequitur.Itaque vt redeamus ad propoſitum, iſta hęcceitas Scoti eſt ſuperflua,quia vt oſtẽſum eſt ex principijs,& communibus, & proprijs ipſius Scoti ſequeretur, quod natura eſſet ſingularis ante ipſam ſingularitatem. Corollarium. Argumẽtum difficile cõtra Scotum.

Secundo confutatur,& improbatur principaliter ſententia Scoti, & Scotiſtarum vnica noſtra ratione.

70 SEcundo principaliter improbatur prædicta ſententia Scoti, quia ſequeretur, quod aut vt prius hæcceitas eſſet ſuperflua, aut quod poſſet dari vniuerſale à parte rei. Quia ſi inter eſſentiam, & hæcceitatem Reijcitur 2. ſententia Scoti vnica noſtra ratione.

hæcceitatem intercederet distinctio ex natura rei, posset Diuina Virtute fieri, vt separaretur natura, vel essentia à suis hæcceitatibus. Non enim potest assignari ratio implicãtiç, quare non posset Deus conseruare essentiam in esse, & suspendere suum concursum conseruantem ab hæcceitatibus singularizantibus illam: Sicut potest Deus separare naturam à sua subsistentia: Tàm enim intima est hęcceitas essentiæ, quàm subsistentia naturæ substantiali. Nam singularitates sunt extra essentiam naturæ specificę, sicut actualis subsistentia; posito igitur hoc casu possibili (difficile enim potest ostendi casum esse impossibilẽ) tunc vel illæ naturę multiplicatę per hęcceitates, nihilominus remanerent distinctę: & ita superfluę essent hęcceitates singularizantes naturas, cum adhuc sine illis essent numero distinctę.

Reijcitur 2. sentẽtia Scoti vnica nostra principali ratione.

71 Dices, quod hìc essent distinctę, per ordinem ad hęcceitates, sicut nos dicimus de facto animas rationales separatas à corporibus esse numero distinctas per ordinem ad diuersa corpora numero distincta.

Obiectio.

72 Sed hęc responsio non valet, quia vel iste ordo esset predicamentalis: Et ita naturę substantiales indiuiduarentur formaliter per aliquod accidens, quod nec ratio, nec Scotistę admittunt: Vel iste ordo esset transcendentalis, & esset ipsamet substantia naturę singularis: Et tunc dico, quod iste ordo identificatus cum natura singulari, est differentia numerica, non autem ipsa hęcceitas, quę ponitur vt forma intrinseca faciens formaliter differre numero vnam naturam ab alia: Quod si propter hoc non ponitur, frustra talis entitas inducitur in natura. Sin autem destructis hæcceitatibus non remanent naturæ distinctæ, sed confluunt in vnam naturam (nam ablatis principijs formaliter diuisiuis, aufertur diuisio naturæ in plura indiuidua) cum illa non esset vna vnitate singulari, remaneret vna vnitate formali: Sed cum illa vnitate formali secluſis hæcceitatibus, licet actu nõ esset in multis, apta tamẽ esset esse in multis, & dici de multis: ergo illa natura esset Vniuersalis à parte rei.

Enodatio.

75 Sed statim obijcies cõtra: Quia ideò nos reiecimus primã rationem, quæ fieri solet contra hanc hæcceitatem ex natura rei distinctã ab essẽtia, quàm singularizat, quia non sequitur ex distinctione inter illas vniuersalitas: ergo neque ex nostra ratione.

Obiectio.

76 Sed huic obiectioni facilè respondetur ex doctrina aduersariorũ, quia aliud est distinctio, aliud est separatio: Anima enim, & si distinguatur à corpore siue coniuncta, siue separata: Attamen coniuncta viuificat corpus: Separata autem non viuificat, sed mortuum relinquit: Prima igitur ratio procedebat ex præcisa distinctione, ex qua non sumebatur ratio sufficiens ad probandum, quod daretur natura vniuersalis: Quia & si natura esset distincta, non tamen esset ab hæcceitate separata: Vnde cum distinctione ex natura rei inter naturam, & hæcceitatem, adhuc potuisset exercere suum munus singularizandi naturam. Nostra autẽ ratio procedit non solùm præsuppositа distinctione, sed etiam separatione, in quo casu non potest esse, nec intelligi hęcceitas exercere suũ singularizãdi munus, & ideò nõ est similis vis rationis nostræ, ac Auctorum rationis prioris.

Enodatio.

Adnotantur duæ responsiones Scotistarum ad nostram secundam principalem rationem.

77 AT nihilominus ad hanc nostram rationem dupliciter responderi potest: Primò negando præsuppositum, nempe posse Deum conseruare in esse naturam specificam denudatã à suis hæcceitatibus: Secundò dato casu negando illationem, quod si separetur, detur vniuersale à parte rei: Et quod spectat ad primum, dicunt aduersarij, quod & si distinctio formalis sit distinctio independenter ab intellectu, & ante illius operationem, est tamen talis distinctio, vt nec sit rea-

Nostræ 2. principali rationi duplex responsio Scotistarum. Prima responsio Scotist.

realis, nec modalis, sed quædam distinctio media, quæ talis est, vt non possit vna formalitas, ne quidem Diuina Virtute ab alia separari: Nam quando aliqua distinguuntur tãquam res à re, potest vnum ab alio separari indifferenter: Quando distinguuntur tanquã res, & modus; & si modus non possit existere separatus à re modificata, sicut non potest sessio existere separata à sedente, & figura à quantitate; potest tamen res modificata existere sine tali modo, sicut sedens potest existere etiam abiecta à se sessione, vt si situm mutet, & ex sedente fiat stans.

76 Similiter quantitas potest abijcere à se figuram, quamuis enim non possit esse sine aliqua figura, potest tamen ab vna in aliam transmutari, vt cera priùs rotunda, potest fieri quadrata. At hæc distinctio formalis talis est, & formalitates ita inter se inseparabiliter sunt connexæ, vt vna formalitas non possit ab alia disiungi: Vnde cum in homine sit coniuncta formalitas animalis, & rationalis, istæ duæ formalitates ita sunt connexæ, vt nec ratio animalis possit separari à rationali, nec rationale ab animali: Et ratio ipsorum est, quia ista distinctio formalitatum nec est rei à re, nec modi à re. Et si quæras, quare non est distinctio rei à re? Dicunt, quòd illa habent distinctionem rei à re, quæ seorsim sumpta habent rationem totius, & distinguuntur, vt quædam inter se tota: Formalitates autem non sunt tota essentia, sed partes essentiæ: Vnde sunt partes definitionis, vt patet per Aristotelem 7. Met. de partibus definitionis.

77 Et si obijcias, quia materia, & forma sunt magis propriè partes essentiæ, & tamen possunt ab inuicem separari: Negant paritatẽ, redduntq; disparitatem, dicentes, quia quamuis sint physicæ partes totius compositæ essentiæ; attamen metaphysicè sunt tota, quia vnaquæque habet in se suam essentialem determinationem, & proportionatam quidditatem.

Obiectio cõtra Scotistas, & responsio ipsorum.

78 Si deinde quæras, quare non distinguuntur, vt res, & modus? Quia, inquiũt, res modificata est quoddam totum, & modus aduenit enti, quod iã est totum: Sed cum formalitas distinguitur à formalitate, & quælibet formalitas non sit tota essentia, sed pars formalis essentiæ, metaphysicè loquẽdo non potest vna distingui ab alia tanquam res, & modus, sed quælibet potiùs se habet vt modus: & quia essentialiter sunt partes vnius essentiæ non potest vna ab alia separari, etiam Diuina Virtute, propter essẽtialẽ subordinationem, & dependentiam vnius ab alia: & hinc negãt suppositum, nẽpe casum, quo Deus separaret Naturam specificam ab omnibus hæcceitatibus.

Interrogatio, & responsio Scotistarum.

79 Confirmari potest hęc responsio ex principijs Thomisticis: Quia secundùm Thomistas existentia distinguitur ex natura rei ab essentia, sicut secundum Scotistas hæcceitas distinguitur à natura specifica: Sed per Thomistas implicat cõtradictionem, quòd possit Deus conseruare essentiã, & suspendere suum concursum conseruantem existentiam: Quia tunc essentia existeret sine existentia, quod manifestam implicat contradictionẽ: Quia simul existeret, vt supponitur, & non existeret, quia non haberet existentiam: ergo etiam non potest Deus conseruare naturam specificam, & suspendere suum concursum conseruatiuum hæcceitatis, &c.

Cõfirmatio primæ responsionis Scotistarum.

80 Secundò respondent, adhuc casu admisso: Quòd in eo euentu natura esset vna; nec tamen vnitate singulari, nec vnitate vniuersali; sed esset solùm natura secundùm se, & vna vnitate formali. Nõ esset vna vnitate singulari, quia esset denudata ab omni hæcceitate singularizãte naturam: Nõ esset vna vnitate Vniuersali, tum quia de ratione naturæ Vniuersalis est, vt sit actu in multis: Quia cũ ad vniuersalitatem sequatur prædicabilitas, & vt aliqua natura sit prædicabilis de multis requiratur, vt sit actu in multis: illa autem natura in casu proposito,

2. Respõsio Scotistarum.

Digitized by Google

nec esset in vno, nec in multis singularibus: Cum supponatur exuta omni singularitate, non esset prædicabilis de multis, ac proinde nec esset Vniuersalis, nam ex quo Vniuersalis est, de multis prædicabilis est.

81 Tum quia aptitudo Vniuersalis non est, vt vna natura sit in multis per sui diuisionem, vt nempe multiplicetur in multis pro multiplicatione singularium, & indiuiduorum, in quibus ipsa est in esse, & de quibus est prædicabilis, sed vt vna indiuisa in se possit esse in multis: Sicut Natura Diuina in seipsa indiuisa manens est in tribus personis: Vnde sola Natura Diuina est Vniuersalis à parte rei, & omnis alia natura creata est multiplicabilis ad multiplicationem illorum, quibus ineſt. Illa autem natura specifica, si existeret à parte rei separata à singularibus esset taliter vna entitate formali, vt esset multiplicabilis à parte rei pro multiplicatione hæcceitatum illam diuidentium; proindeque ad multiplicationem indiuiduorum, quæ constituerentur ex naturis diuisis, & hæcceitatibus diuidentibus; ac proinde etiam in casu, quo separata existeret, nihilominus non esset Vniuersalis, & ideo etiam admisso casu non daretur vniuersale à parte rei.

Impugnantur prædicta duæ responsiones Scotistarum; & primò euertitur prima earum cum sua confirmatione.

Impugnatur prædicta duplex responsio Scotistarum.

82 IN his responsionibus tangitur multa pertinentia ad rationem vniuersalis, & ad distinctionē essentialium prædicatorum: seu quomodo inter se distinguantur gradus metaphysici, quæ latè dicta sunt à nobis in Logica, & in Metaphysica. Et satis perspicuè pertractantur (ex Nostris Carmelit. Discalceatis) à N.P. Didaco de Iesu in Commentar. in vniu. Arist. Logicam disp. 4. à N. P. Blasio à Concept. in sua Metaphys:

N.P. Did. à Iesu.

P. Blas. à Concept.

à Nostro Patre Dominico à Sanctissima Trinitate, olim præstantissimo N. Præposito Generali in sua Bibliotheca Theolog. (nouo venustatis ordine concinnè elaborata, & in VII. Tomos digesta, verè odoramentorum eruditionum, & diuitiarum solidæ doctrinæ celebris Bibliotheca) tom. 4. lib. 3. cap. 6. sect. 7. Et à N. doctiss. Collegio Complut. disp. 3. per totam, & maximè q. 5. in suo artium Cursu in Arist. Dialect. Vnde ne longiùs, quàm par est, nostra disputatio protrahatur, nunc breuiter vtraque responsio impugnatur.

P. Domin. à SS. Trinitate.

N. Colleg. Complut.

83 Et prima, quidem improbatur: Quia gratis asseritur, quòd etiam si formalitates distinguantur ante operationem intellectus, tamen distinctio talis conditionis est, vt vna formalitas ab alia separari non possit, quia media est inter distinctionem realem, & rationis: Non enim debet assignari pro causa inseparabilitatis, quia est distinctio media: Sed potiùs inseparabilitas pro causa mediationis, hoc est, ideò est media, quia extrema sunt inseparabilia: Constat autem, quod quidquid ante operationem intellectus distinguitur ab alio, potest Diuina Virtute separari, si ex separatione non sequatur aliqua contradictio: Vnde quamuis aliqua sint naturaliter connexa, & inseparabilia inter se: Vt sunt propriæ passiones: Sicut lumen à Sole, calor ab igne; nihilominus Diuina Potentia non est subdita legibus naturæ, vt non possit ea separare: Sicut separauit lumen à Sole in morte Christi, & sicut quotidiè separat accidentia panis, & vini ab eorum substātia: in primo enim casu remansit substantia Solis abiecto lumine. In secundo casu remanent accidentia abiecta substantia: oportet ergo, vt assignetur non solum naturalis, sed essentialis connexio, & inseparabilitas.

Impugnatur prima responsio Scotist.

Passiones naturaliter sūt inseparabiles à rebus, secus Diuina Virtute.

84 Sicut non potest Deus separare, aut suspendere suum concursum à creaturis, & quod creaturæ remaneant in esse: Quia creatura dicit essentialem dependentiam ab actuali

Dei

Digitized by Google

Dei cõcursu, vt est receptũ apud omnes Theologos, & sic de alijs. In casu autem proposito nõ assignatur aliqua essentialis connexio, non solùm inter formalitates disparatas, sed etiam subordinatas: Quamuis enim formalitas posterior esśetialiter supponeret primam: sicuti rationalitas supponit animalitatem, & extensio in ordine ad locum supponit extensionem in ordine ad se, vnde non potest rationalitas tribuere suum effectum formalem, nisi præsuppositа animalitate; seu non potest rationale constituere hominem, nisi præsuppositо sensitiuo; & extensio in ordine ad locum nõ potest tribuere effectum formalem suum, nisi præsuppositа extensione in ordine ad se: Ac proinde non possit esse posterior formalitas sine priore; non tamen ex hac subordinatione sequitur, quod non possit esse prior sine posteriore; v. gr. sensitiuum sine rationali, quia in brutis datur formalitas sensitiui sine rationali, & datur extensio in ordine ad se sine extensione in ordine ad locum, vt credimus fieri in corpore Christi in Sacramento.

Possunt gradus metaphysici inter se separari, et vnusquisque, qui prior est, potest esse sine posteriore, & non è contra.

85 Nec valet si dicas, quod in bruto, & si sit sensitiuum sine rationali, est tamen cum alia formalitate: Non valet, inquam, hæc responsio, quia si semel sensitiuum ex natura rei, & ante operationem intellectus est distinctum à rationali: Quamuis naturaliter non possit dari à parte rei sine aliqua differẽtia, seu formalitate determinante ipsum sensitiuum, tamẽ suppositа tali distinctione posset diuinitus conseruari sensitiuum sine vlla formalitate ipsum determinante. Quia posset saluari tota ratio, & quidditas sensitiui sine rationali: Vel saltẽ poterit sensitiuum absque contradictione transire de vna formalitate ad alteram, nempe à rationali ad irrationale, quod vtrumque sine dubio est absurdum; sic enim homo posset in brutum transmutari, & è contra, quod non est dicendum. Quòd si aliquando legitur in scriptura Deum trãsmutare hominem in brutum, vt de Nabuchodonosor, qui dicitur trasmutatus fuisse in bouem, hoc factum est solum accidentaliter, & secundũ imaginationem ipsius hominis, qui imaginabatur se esse bouem, non verò substantialiter, & essentialiter: quia essentiæ rerum non sunt transmutabiles.

Obiectio, & eius Enodatio.

Quomodo Nabuchodonosor fuit transmutatus in brutũ,

86 Hinc apparet, quàm sint insufficientes rationes adductæ, quare ista distinctio formalis, si est ante operationem intellectus non debeat dici realis, sed media inter realem, & rationis. Nam cum dicitur in prima, quod distinctio realis est inter duo tota, falsum est, & instantia de materia, & forma est satis efficax ad hanc rationem refellendam. Quia etiam si materia, & forma existerent separatæ, non propterea existerent vt duo tota, quia verè, & essentialiter sunt partes. Quamuis enim illud dici possit de partibus continui, quod in continuo existunt vt partes, separatæ vt tota, quia ratio partis, & totius est illis accidentaria: Attamen de materia, & forma, hoc dici non potest, quia essentialiter sũt partes quomodocumq; existant: Et prætereà: Si partes componentes physicè essentiam sunt ab inuicem separabiles, quare non partes componentes metaphysicè? cum in compositione metaphysica proportionaliter se habeat genus ad differentiam, sicut materia ad formam, & maximè cũ partes metaphysicæ sumantur à tota rei substantia. Multo magis ergo possent separari partes metaphysicæ, si ante operationem intellectus inter se distinguuntur, & existunt vt tota, quàm partes physicæ. Nulla igitur est ratio allata disparitatis, quare formalitates, si ante opus rationis inter se distinguuntur, non possit vna ab alia separari, sicut potest vna pars physica separari ab altera.

Rationes adductas à Scotistis esse insufficientes demõstratur.

Partes metaphysicæ ante intellectum distinctæ possũt separari ab inuicem, sicut partes physicæ.

87 Illud autem, quod addebatur, quod ideò materia, & forma possunt habere rationem totius, quia habent propriam quidditatem, non valet: Quia vel sermo est de quidditate to-

Digitized by Google

totali, & hoc est falsum, quia sunt essentialiter partes ordinatæ ad componendam vnam quidditatem totalē; vel est sermo de quidditate partiali, quia nimirum materia essentialiter est potentia, & forma actus, pariter etiam formalitates habent hoc modo suam quidditatem: maximè cum genus sit potentia ad differentiam, & differentia sit actus generis. Nulla igitur potest assignari ratio disparitatis, quare si ante operationem intellectus formalitates sunt inter se distinctæ, hæc non sit distinctio realis, qualis est inter physicas partes essentiæ, materiam, & formam.

Altera ratio à Scotistis adducta est magis insufficiens.

88 Multò minus est sufficiens ratio posterior, quæ adducitur, quare hæc distinctio formalitatum nō sit talis, qualis est inter rem, & modum. Quia scilicet nulla formalitas est res modificata, sed potiùs quælibet formalitas assimilatur modo, tum quia res modificata se habet vt totum, & nulla formalitas talis est, cū quælibet si pars essentiæ, tum etiam, quia si modus dicitur adiacens rei determinatio, & quælibet formalitas aduenies se habet vt determinans rationem communem, quælibet formalitas assimilatur modo potiùs, quàm rei modificatæ.

89 Sed hæc ratio vt dixi clumbis est. Quia etiam si quælibet formalitas seorsim sumpta non se haberet vt res modificata, nempe vt totum, attamen compositum ex formalitate, & eo gradu essentiali, qui formalizatur, vt est genus medium, potest se habere vt res, & totum ad sequētem formalitatem; v.g. ex summo genere substantiæ, & prima formalitate corporeitatis componitur gradus corporis, qui gradus corporis se habet vt subiectū ad sequentem formalitatem, nempè viuentis, & viuens ad formalitatem sensitiui, & animal constitutum ex sēsitiuo, & superioribus generibus, se habet vt subiectum rationalis: ergo rationale potest comparari ad animal tanquam modus ad suum modificatum, & consequenter benè inter animal, & rationale potest cadere distinctio, quæ est inter rem, & modum.

90 Vnde ratio allata est penitus insufficiens: Et dato casu, quod inter formalitates essentiales non possit cadere distinctio realis rei à re, vel modi à re, ac proinde non possint inuicē separari, cò quòd sunt partes essētiales, & cōponentes essentiam, attamen hæc ratio non currit de essentia, & hæcceitate. Quia hæcceitas est extra essentiam, & supponit essentiam omninò completam ex rationibus essentialibus, ac proinde non est tanta idēitas inter hæcceitatem, quanta est inter genus, & differentiam, quæ constituunt speciem: Vnde dato, quòd differentia à genere, etiam si ab eo ante operationem intellectus distingueretur, separari non possit, quia nimirum conspirant ad componendā essentiam, attamen nil prohibet, quin hæcceitas possit separari à natura specifica, quam contrahit. Igitur nullatenus ostendi potest implicantia, quare hæcceitas Diuina Virtute non possit separari à natura specifica manente in esse eadem natura.

Maior identitas est inter genus, & differentiam, quam inter essentiam, & hæcceitatem, ac inde separari potest ab essentia.

91 Ad confirmationem desumptā ex paritate existentiæ, & hæcceitatis, satis ex se nullam esse, manifestum est. Nam effectus formalis non potest tribui sine causa formali: Vnde ablata causa formali, necesse est suum aboleri effectum: Cum ergo effectus formalis existentiæ sit ponere rem in esse: Implicat, quod essentia existat, & sit in esse sine existentia. At effectus formalis hæcceitatis non est facere naturam existentem, quin immo secundùm Scotum, sicut natura, & hæcceitas sunt distinctæ entitates, ita quælibet habet suam existentiam, per quam existit in rerum natura, & ideò ablata hæcceitate, adhuc remanere potest natura in esse sine hæcceitate. Cum vero effectus formalis hæcceitatis sit reddere naturam singularem, ablata hæcceitate remaneret natura existens non singularis. Quod est absurdū, quod intulimus, & per hæc satis improbata manet prima respōsio.

Impugnatur Confirmatio primę rationis Scotistar.

92 Sed

Effugium aduersar.

92 Sed dices, quod hæc disparitas solum vrget in via Scoti, nõ autem in via omnium, qui defendunt hæcceitatem esse entitatem distinctam, &c. Nã Fonseca defendit hoc ipsum de hæcceitate, & existentia: Vtramque enim ponit ex natura rei distinctam: & potest dicere Fonseca, quod natura non potest existere sine hæcceitatibus ex eo, quia existentia essentialiter supponit hæcceitatem in ipsa natura, vt reddat illam existentem: & ideò sublata natura ab hæcceitate, paritèr aufertur ab existentia.

Fonseca.

Præcluditur.

93 Sed contra hanc responsionem vrgeo: Quia saltem ex hac via sequitur, quod vna natura successiuè posset constituere plura indiuidua eiusdem speciei. Quia sicut Deus potest auferre à natura istam existentiam, & tribuere illi alteram: ita & hæcceitatẽ: Vnde natura vna, & vna essentia posset transire de indiuiduo in indiuiduũ, nempè de Petro in Paulũ, de Paulo in Ioannem, & sic sequeretur, quod Petrus, Paulus, & Ioannes non essent tres homines: Sicut Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus non sunt tres Dij propter identitatem naturæ. Quod in naturis creatis implicat contradictionem.

Impugnatur secunda responsio Scotistarum.

Ratio impugnationis.

94 LOngè faciliùs improbatur secunda responsio. Quia dato casu, quo natura specifica à parte rei abstraheretur ab omnibus singularibus, & sic abstracta existeret: verè illa natura sic existens esset vna actu indiuisa in multis, apta diuidi in multis: ergo esset Vniuersalis à parte rei: patet consequentia ex definitione Vniuersalis: nihil enim amplius ad Vniuersalitatem debemus fingere esse requisitum.

Obiectio, & eius Enodatio.

95 Dices, quod natura esset vna vnitate formali: Sed contra. Quia natura cum sua vnitate formali, dicit solam naturam cum suis prædicatis quidditatiuis: Quam vnitatem habet natura in quocumque statu siue præcisionis, siue contractionis: Sed in casu, quo esset præcisa à parte rei, illam indiuisionem non haberet in statu contractionis, quia illa indiuisio opponitur statui contractionis, nam natura contracta per hæcceitates amittit illam indiuisionem, & non amittit suam vnitatem formalem: ergo illa indiuisio non pertinet ad vnitatem formalem, sed alia indiuisio, quam ex vi præcisionis realis acquirit, & ad quam natura secundum se, & cum sua vnitate formali, indifferẽter se habet: ergo verè illa vnitas præcisionis realis est vnitas vniuersalis.

Cõsequẽtia probatur.

96 Probatur consequẽtia, quia illa indiuisio accidit naturę secundùm se, alioquin in quocumque esset natura, esset præcisa, & indiuisa: Sed cum sit triplex status naturæ: nempe secundũ se, & quod concernit naturæ secundũ istum statum, inseparabiliter conuenit naturæ: Et status contractionis, multiplicata in indiuiduis per hęcceitates: Et status abstractionis, qui est status Vniuersalitatis, in quo additur naturæ ista indiuisio actualis in plura, Quia in isto statu est indiuisa actu, diuisibilis in potentia: indiuisio autem actualis, quatenus negat actualem diuisionem in multis, vt dixi, accidit naturæ: ergo illa natura sic præcisa, vt præcisa à suis hæcceitatibus, verè est Vniuersalis: si ergo esset præcisa à parte rei, verè esset Vniuersalis à parte rei.

Quod cõuenit naturę secũdum se, inseparabiliter in omni statu illi cõuenit.

97 Et dato, quòd illa natura sic existens non esset formaliter Vniuersalis, certè non esset singularis: Quia existeret sine vlla hęcceitate: At nihil potest existere à parte rei, nisi sit singulare, vt supra ostensum est, & aduersarij fatentur: ergo illa natura esset singularis sine hæcceitatibus, ac proinde superflua est ista Scotica hęcceitas.

1. Instãtię allatæ à Scotist. nõ vrgent.

98 Neque quæ aduersarij afferunt, quicquam ponderis habẽt: Nam quod primò dicitur, quod illa natura non esset prædicabilis, proindeq; nec Vniuersalis: Quia vt aliquid sit prædica-

dicabile de aliquo, debet ineſſe illi, vt prædicatio ſit vera.

99 Ad hoc dicendum, quòd prædicabilitas eſt duplex: Alia eſt in actu ſignato, alia eſt in actu exercito. Prædicabilitas in actu ſignato eſt illa, quæ conuenit naturæ ex hoc, quod eſt apta eſſe in multis, etiam ſi actu in multis non ſit, & hæc eſt illa, quæ eſt propria paſsio Vniuerſalis, & hanc haberet illa natura à parte rei præciſa ab hæcceitatibus. Prædicabilitas in actu exercito eſt illa, quæ tribuit fundamentum intellectui, vt poſsit exercere actum prædicandi: niſi enim natura ſit in multis, non poteſt intellectus cum fundamẽto exercere actum prædicandi naturam de multis: Et hęc non eſt paſsio vniuerſalis, imo conſequitur naturam contractam, & actu multiplicatam: Ex quo patet nẽgatione prædicabilitatis nil concludi: Quia natura in ſtatu illo realis præciſionis haberet prædicabilitatem in actu ſignato, non in actu exercito.

Prædicabilitas in actu ſignato, nõ vero in actu exercito, eſt propria paſſio Vniuerſalis.

100 Multò minus vrget, quòd addebatur ſecundo, nempe, quòd natura illa ſic à parte rei præciſa exiſtens, non eſſet Vniuerſalis, quia non haberet vnitatem Vniuerſalis. Nam vnitas vniuerſalis, inquiunt, requirit vt illa natura ſit vna indiuiſibiliter, nempe, vt eadem indiuiſa natura ſit in pluribus, ad eum modum, quo Natura Diuina eſt in pluribus perſonis.

2. Inſtantia Scotiſtarum.

101 Non vrget, inquam, hoc, quia licèt hæc vnitas requiratur ad vniuerſale in cauſando: ſicut eſt Vnitas Solis, qui ſingularis cum ſit, eſt Vniuerſalis cauſa multorum effectuũ; ſeu ſua virtute attingit diuerſos effectus ſecundùm quãdam vniuerſalem rationem in pluribus effectibus multiplicatam, vt cum ſuo calore cõcurrit ad omniũ viuentium generationẽ, prout dixit Philoſophus 2. phyſ. Sol, & homo generãt hominem: Attamen illa vnitas, ſeu ille vnitatis modus deſtruit vniuerſale in prædicando.

Præcluditur.

Ariſt.

102 Vnde Ariſt. 7. Met. inter alia argumenta, quibus improbat Idæas Platonicas, quod nimirum quælibet illarum eſſet vniuerſalis in prædicando, ex eo improbat, quia ſequeretur, quod quælibet Idæa eſſet vniuerſalis, vt dicitur, & nõ eſſet vniuerſalis, quia non poſſet in pluribus multiplicari: Et ideò S. Th. Dur. & alij dicunt, quod Diuina Natura cum prædicatur de pluribus perſonis, non prædicatur vt natura Vniuerſalis, quia non multiplicatur in pluribus perſonis: Falſum eſt igitur, quod vnitas ſit quaſi vnitas numerica excludens à natura aptitudinem, vt ſit multiplicabilis in pluribus, imo intrinſecè talis eſt illa vnitas, vt reddet naturam indiuiſam, diuiſibilem tamen.

Diuina Natura non prædicatur de tribus Perſonis, vt Vniuerſalis, cũ non multiplicetur in illis.

103 Contra hoc vrgent aduerſarij: Quia nullus actus deſtruit ſuã potentiam: Sed actualis multiplicatio deſtruit vniuerſalitatem, quod eſt in potentia ad multa: ergo nõ poteſt iſta potentia, quæ eſt de ratione vniuerſalis reſpicere actum diuiſionis in multis, quia per iſtum actum ipſa deſtruitur, ac proinde de ratione vnitatis vniuerſalis eſt, vt ita natura ſit indiuiſa, vt ſit indiuiſibilis in multis.

Inſtantia Scotiſtarum.

104 Sed hæc inſtantia nulla eſt: Quia aptitudo, quam habet natura vniuerſalis, vt ſit in multis non conuenit naturæ ex vi vniuerſalis, ſed ex vi vniuerſalitatis habet, vt actu non ſit in multis: Sed talem aptitudinem habet natura ex ſe, quatenus de ſe eſt indifferens vt ſit actu in multis diuiſa, & actu indiuiſa in multis.

Euertitur inſtantia Scotiſt.

105 Quod autem vna potentia indifferens ad actus oppoſitos, per aduentum vnius deſtruatur alius, nõ ſolùm nõ eſt deſtructiuum potentiæ, ſed eſt conſentaneum ipſi potentiæ, quæ de ſe eſt indifferens. Non enim deſtruitur potentia ſuperficiei per hoc, quòd adueniente nigredine ab ea expellatur albedo, imo hoc eſt conſonũ ſuæ potentiali indifferentiæ, vt poſſit tranſire de albedine ad nigredinem. Sic etiam natura cum ſit de ſe indifferens ad ſtatum abſtractionis, & contractionis, de ſe eſt indifferens, vt ſit in multis diuiſa, & indiuiſa à multis. Vnde iſti actus non deſtruũt potẽtiam

natu-

Digitized by Google

naturæ indifferentem: Sed solum diuisio, & indiuisio se destruunt ad inuicem propter oppositionem, quam habent, cum nempe natura transit à statu abstractionis ad statum contractionis.

106 Vnde instantia facta nil vrget, & responsiones allatæ nostro argumento non satisfaciunt, proindeque probat non dari istam hæcceitatem ex natura rei distinctam à natura singulari, quam excogitauit Scotus, &c.

Secunda nostræ Conclusio, seu Assertio contra Radam, & Fonsecam, quod etiam concessa hæcceitate distincta ab essentia singulari, non debet dari tertia hæcceitas distincta ab hæcceitatibus materiæ, & formæ.

2. Cõclus. 107 Dico secundò: Dato quòd hæcceitas esset ex natura rei distincta ab essentia singulari, non est necesse, vt in composito substantiali detur tertia hæcceitas simplex distincta ab hæcceitatibus formæ, & materiæ, sed sufficiunt duæ illæ partiales, quatenus vnitæ simul faciũt vnam hæcceitatem totalem. Hæc assertio est contra Radam, & Fonsecam locis supra citatis.

1. Ratio secundæ nostrę assertionis. 108 Probatur primò. Quia ad faciendam vnam essentiam totalem sufficiunt partiales essentiæ materiæ, & formæ vnitæ inter se: ergo ad faciendam vnam hæcceitatem totalem sufficiunt duæ hæcceitates partiales materiæ, & formæ, inter se vnitæ. Cõsequentia patet ex paritate rationis. Non plus enim requiritur ad faciendam vnam hæcceitatem totalẽ, quàm ad faciendam vnam essentiam totalem, quam hæcceitas singularizat.

Antecedens probatur. 109 Antecedens suppono probatum in physicis, vbi ostendimus, quod totum non est tertia quædam entitas distincta à partibus simul sumptis, & vnitis: Quia nõ potest explicari quid sit hęc tertia entitas, quæ dicitur forma totius, præter partes simul sũptas, & vnitas. Nam quidem potest ex pluribus simul sumptis, & vnitis resultare quædam tertia entitas, & quædam forma totius per hoc, quod componentia corrumpuntur, & resultat quędam tertia forma: Sicut ex commistione albedinis, & nigredinis resultant colores medij, qui existimantur esse tertiæ quædam qualitates: Et sicut ex mistione elementorum resultant diuersæ species mistorum. At quod manentibus componentibus simul sumptis, & vnitis resultet tertia quædam entitas, non apparet. Totũ non est tertia quędã entitas à partibus simul sũptis, & vnitis distincta.

110 Vnde, qui putant calorem, & frigus posse se compati in gradibus remissis in eodem subiecto, negant teporẽ esse tertiam quandam qualitatem resultantem ex calore, & frigiditate: Sed dicunt teporem non esse aliud, quàm calorem, & frigiditatem refractos, & simul coniunctos: Cum ergo in composito substantiali materia, & forma non destruantur, & transeant in tertiam entitatem, sed in suo esse permaneant, consequenter, totum non est aliud, quàm materia, & forma simul sumptæ, & vnitæ: & hoc sufficit pro confirmatione præsentis argumenti. Totũ non est aliud quã materia, et forma simul sumptæ, & vnitæ.

2. Ratio nostrę secundę cõclusionis. 111 Secundò probatur conclusio. Quia in toto integrali præter hæcceitates partium, non datur tertia hæcceitas totius: ergo neque in toto essentiali. Antecedens admittitur à Fõseca loco citato: Dicit enim, quod quælibet pars habet suam hæcceitatem, & cum vniuntur, & integrant totum, ex partialibus hæcceitatibus fit vna totalis, & non oportet addere tertiam hæcceitatem. Consequentia patet ex paritate rationis: quia sicut partes integrales componunt totum integrale suo modo, ita partes essentiales componunt vnam essentiam suo modo: ergo si præter partiales hæcceitates partium non oportet vlterius addere nouam hæcceitatem totalem in toto integrali: ergo neque in toto essentiali. Nititur Fonseca assignare disparitatem: Sed in rei veritate non satisfacit, vt rem consideranti apparebit, &c. Fons.

Diluun-

Diluuntur quatuor argumenta principalia proposita à Rada pag. 114. à num. 43. vsque ad n. 46.

112 SVpereſt reſpondendum ad argumenta, & ad primum, ſecundum, & tertium dicitur, quod nil aliud probãt, niſi quod differentia numerica non ſit eſſentialis, ſed ſit quædam formalitas extra eſſentiã; ſed ex hoc non ſequitur, quod talis formalitas ſit ex natura rei diſtincta ab eſſentia. Non enim omnis diſtinctio formalis eſt diſtinctio extra intellectum, vel ex natura rei. Nec nos ſic generaliter admittimus, ſicut Scotiſtæ, quod omnis diſtinctio formalis ſit ex natura rei: Vnde patet quàm ſit caſſus eorum labor, qui vt inducant diſtinctionem mediam inter realem, & rationis, in hoc defatigantur, quod in rebus dantur diuerſæ formalitates: Non enim ſufficit probare formalitates (has enim nullus negat) ſed quod talis diſtinctio ſemper ſit diſtinctio pluſquam rationis.

Reſpond. ad 1. 2. & 3. principale arg. Radæ.

113 Nam ſine dubio anima rationalis eſt formaliter vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis, & tamen anima rationalis non eſt quædam ſubſtantia ante operationem intellectus compoſita ex pluribus entitatibus formalibus, ſed eſt vna ſimpliciſſima ſubſtãtia. Et iſta generalitas neque habet locum in via Scoti: Nam exiſtentia ſecundum Scotum eſt extra eſſentiam creaturæ (nulla enim creatura eſt eſſentialiter actualis, & exiſtens:) Vnde exiſtentia eſt formaliter diſtincta ab eſſentia, & tamen ſecundum Scotum exiſtentia neque ex natura rei eſt diſtincta ab eſſentia: Igitur per hoc, quod probatur, quod inter hæcceitatem ſingularizandi, & eſſentiam ſingularizatam intercedit diſtinctio formalis, non propterea probatum eſt dari inter illas diſtinctionem ex natura rei.

Eſt argumentum Scoti cõtra ipſummet Scotũ contra diſtinct. mediam difficilè.

114 Ad quartũ, quod eſt cõtra ſecundã noſtrã Aſſertionẽ reſpondetur negando Antecedens: Dicimus enim, quod principia intrinſecè indiuiduãtia totũ ſubſtantiale compoſitum ſunt *hac materia*, & *hac forma*, vt ſupra diximus ex D. Th. Quòd autem dicitur, nõ poſſe hanc materiã eſſe principiũ, &c. quia hæc eſt communis multis indiuiduis. Dico, quod optimè probat materiam ſolam non poſſe eſſe principium totale, ſed eſt principium inchoatiuum, quod per hanc formam completur, & denominatur, & conſtituitur hoc ſingulare indiuiduum, &c.

Reſpond. ad 4.

DIFFICVLTAS V.

Vtrum principium vnitatis, & multiplicationis numericæ ſit ipſa Differentia numerica deſumpta ab entitate ſingulari ſecundum ſe, nullo habito ad extrinſecum reſpectu? & eſt V. Modus dicendi, & hìc quæ ſit vera ſententia ſtabilitur, & aliqua de Angelis diſſeruntur.

115 AD dubiũ ſuppono primò: Quod ſi aliqua duo entia diſtinguuntur inter ſe, debẽt habere, & includere in ſe aliquas rationes formales, quibus diſtinguãtur: Nã vel iſta entia ſunt ſimplicia, ita vt in nullo vniuocè conueniant (vt ſunt ſumma genera, v. g. ſubſtantia, & quantitas) & iſta cum ſint primo diuerſa, ſuis proprijs conceptibus formalibus diſtinguuntur: Vel includunt aliquam compoſitionem ſaltem metaphyſicam: Quia nimirum partim conueniunt, partim differunt: & iſta entia includunt ſuas differentias, per quas id, in quo conueniunt, diuerſificatur in vno, & in alio, ex qua diuerſificatione ſequitur diſtinctio.

5. Modus dicendi.

116 Suppono ſecundò: Quod iſta diuerſificatio euenit dupliciter: Vel abſo-

2. Suppoſitio.

Digitized by Google

absolutè, vel respectiuè. Absolutè quidem quando rationes diuersificantes, nullo habito respectu ad aliquod extrinsecum, ex propria ratione habent vim diuersificandi, & distinguendi: Sicut substantia, & quantitas suis proprijs conceptibus formalibus distinguuntur nullo habito respectu ad extrinsecum. Quamuis enim quantitas in quantum accidens dicat respectum ad substantiam: Attamen vt quantitas dicit rationem absolutam, nempè extensionem: Nō est enim aliud quātitas, nisi extensio; quæ ratio se ipsa est diuersa à ratione substantiæ, cuius ratio est per se esse.

Pythagor. 117 Et ideò Pythagoras dabat Mathematica separata: Quia credebat quantitatem ex primaria sua ratione esse extensionē per se subsistentem: Similiter homo, & brutum cum conueniant in animali, distinguuntur per differentias rationalis, & irrationalis; quæ differentiæ ex proprio suo conceptu formali habent diuidere animal in hominem, & brutum, nullo extrinseco respectu.

118 Aliquando verò ista principia, seu formalitates distinguentia intrinsecè respiciunt aliqua extrinseca, à quibus eorum vis distinguendi dependet; Sic potentiæ, habitus, & actus distinguuntur per obiecta. Vnde differentię distinctiuæ istorum entium non est aliud, quam quidam essentialis ordo, quo respiciūt obiecta distincta: & ideò distinctio obiectorum est principium, vnde illorum entium distinctio principiatur, taliter, quòd si obiecta non essent in se distincta, neque istæ potentię distinguerētur inter se, & similiter nec habitus, neque actus: Vnde vnitas, & multiplicatio specifica istorum entium, tāquam à prima radice sumitur à formali vnitate, & distinctione obiectorum.

Hæccei-tas (quæ est aliquid positiuum idētifica- 119 Cum ergo dentur entia in rerum naturæ, quæ distinguuntur numero; sine dubio ista entia debent in suis entitatibus includere aliquid positiuū, quo vna entitas ab alia distinguatur: Et hæc ratio positiua cōmuniter appellatur *differentia numerica*, seu, vt dictum est, *hæcceitas*: Et quamuis dubio præcedenti exclusimus distinctionem ex natura rei inter entitatem singularem, & hanc hæcceitatem singularizantē, non tamen exclusimus ipsam hæcceitatem singularizantem, sed diximus esse identificatam cum ipsa entitate singulari, & solum ab ea ratione distingui. tum cum entitate singulari, non vero distinctū ex natura rei) est differētia numerica.

120 Vnde solum restat difficultas an hæc differentia sit aliquis conceptus absolutus ex propria ratione habens vim constituendi, & distinguendi numero indiuidua sub eadem specie: An vero sit cōceptus respectiuus respiciens aliquod extrinsecum, quod sit principium vnitatis, & distinctionis numericæ? Punctus istius V. difficultatis.

121 Et in hac difficultate prima sententia docet, quod differentia numerica est conceptus absolutus ex se vim habens distinguendi, & constituendi plura indiuidua sub eadē specie. Hæc est propria sententia Scoti, & Scotistarum: Hanc etiam sequitur Suarez disp. 5. Met. sect. 6. solum enim diffidet Suarius à Scoto, quoadmodum distinctionis, quia Scotus cū suis putat hæcceitatem distingui pluſquam ratione; Suarius vero sola ratione distingui, in quo conuenit Suarias cum Thomistis. 1. Sententia. Scotus. Scotistæ. Suarez.

122 Sed quantum ad hoc punctū, quod hæcceitas sit conceptus, vel formalitas absoluta ex se habens vim constituendi, & distinguendi indiuidua sub eadem specie: Ipsaque absolutè sumpta sit principium vnitatis, & multiplicationis numeralis, conuenit Suarius, & passim recentiores in hac materia, & in materia de Angelis cum Scoto, & Scotistis, & Fonseca, & alijs. Fonseca.

123 Vt autem explicent suam sententiam eodem modo philosophantur de differentia numerica respectu speciei, quam diuidit in plura indiuidua solo numero inter se distincta, ac de differentia specifica respectu generis, quod multiplicat, & diuidit in diuersas species. Dicūt enim, quod

Digitized by Google

ſicut idem genus, ſeu eadem natura generica affecta diuerſis differentijs multiplicatur in diuerſis ſpeciebus, & cum qualibet differentia facit vnum per ſe metaphyſicum, & cõponit ſpeciem: Ita eadem natura ſpecifica affecta diuerſis hæcceitatibus, multiplicatur in diſtinctis indiuiduis, & cum qualibet hæcceitate componit vnum per ſe, quod eſt ipſum indiuiduum. Quamuis autem differentia numerica exploretur per analogiam ad differẽtiam ſpecificam, tanquam ad notiorem, nihilominus agnoſcunt aliqua diſcrimina inter vnam, & alteram differentiam, quo ad munus conſtituendi, & diſtinguendi.

Rada. 124 Et ſignanter Rada tom. 2. cõtrou. 3. a. 4. In explanatione opinionis Scoti verſ. *Secundo obſeruare oportet*, adducit duo: Primũ eſt, quod differentia ſpecifica pertinet ad eſſe quidditatiuum ſpeciei, & conſtituit illam in eſſe quidditatiuo: Sed differentia indiuidualis nec pertinet ad eſſe quidditatiuum indiuidui, nec conſtituit in eſſe quidditatiuo; addit tamẽ aliquid poſitiuum ad eſſe quidditatiuum: Vnde licèt ſpecies totam indiuidui quidditatem dicat, non tamen totam entitatem.

Primũ diſcrimen allatum à Rada.

125 Secundum diſcrimẽ eſt, quod differentia ſpecifica contrahit genus tanquam aliqua realitas perfectior, & nobilior, quàm ſit genus ſecundum ſe: Sed differentia indiuidualis non contrahit naturam ſpecificam tanquã differentia formalis nobilior, ac perfectior, quàm ſit ipſa ſpecies, ſed magis ſicut differentia materialis; non quod ſit propriè materia: ſed quia det indiuiduo eſſe primum ſubijcibile omnibus ſui generis prædicatis, in quo aſſimilatur materiæ, quæ omnibus ſubijcitur: Vel quia contrahit quidditatem ad indiuiduum; quam quidditatem Ariſtoteles ſæpè appellat formam: vnde indiuiduum, vel differentia indiuidualis ſe habet vt materia: & propter hanc analogiam interpretantur Scotus, & Scotiſtæ Ariſt. cum dicit, principium indiuiduationis eſſe materiam, non enim intelligendus eſt de materia propriè, ſed metaphyſicè dicta, vt Rada loc. cit. exponit: & latiùs in ſolutione principalium argumentorum.

Secũdum diſcrimen prænotatum à Rada.

Ariſtot.

Scotus.

Rada.

126 Iuxta hanc ſententiam, quæ ponit hanc differentiam numericam identificatam cum ipſa eſſentia rei, explicat Suarez quomodo vnaquæq; res, ſiue ſit ens completum, ſiue incõpletum, indiuiduetur per ſuam propriam entitatem, nec indigeat aliquo extrinſeco ſuperaddito, vel per ordinem ad aliquod extrinſecum: Solùm enim agnoſcit pro principio indiuiduãte talem differentiam, ſola ratione diſtinctã à conceptu, & formalitate ſpecifica: & ſic dicit materiam eſſe ex ſe, & vi ſuæ entitatis indiuiduam, ſic formam, ſic accidentia, ſic modũ, ſic denique ipſum indiuiduum ſubſtantiale.

Suarez.

127 Hæc ſententia nõ habet aliud principalius fundamentum, niſi quod ſumitur ex Analogia ad differentiam ſpecificam. Vnde arguit ſecundo loco Rada pro 6. cõcluſ. opinionis Scoti. Sicut ſe habet entitas, à qua ſumitur differentia ſpecifica, ad entitatem generis, ita entitas, à qua ſumitur differentia numerica, ad entitatem naturæ ſpecificæ: Sed entitas generis determinatur per entitatem differentiæ ſpecificæ, quatenus ſeipſa eſt prima diuerſa ab oppoſita ſibi differentia: ergo entitas naturæ ſpecificæ determinatur per entitatem differentiæ numericæ, quatenus eſt primò diuerſa ab oppoſita ſibi alia differentia numerica.

Principalius fũdamẽtũ Scotiſtarum, & Scoti, quod aſſert Rada.

128 Secundo arguit: Omnis differentia differentium reducitur ad aliqua primò diuerſa, hoc eſt ea, quæ differunt, per aliqua primò diuerſa differunt. Nam ſi differentiæ, per quas differũt, differrẽt alijs differẽtijs, daretur proceſſus in infinitum, & non eſſet ſtatus in differentibus: ſed indiuidua differunt inter ſe; quia sũt entia diuerſa inter ſe: ergo illorum differẽtiæ sũt primo diuerſa: Sed hæc primo diuerſa non pertinent ad naturam ſpecificam

Digitized by Google

cam in hoc potiùs indiuidua conueniunt: ergo sunt differentiæ numericæ additæ ipsi essentiæ.

Suarez. 129 Deinde vrget Suarez: Quia fundamentum vnitatis debet esse intrinsecum, & inseparabile ab ipsa entitate, cui conuenit talis vnitas: ergo ex propria entitate quælibet res habet suam vnitatem, vel specificam, vel numericam, & non ab extrinseco, vel per ordinem ad extrinsecum, &c.

Secunda sententia, quæ est nostra, astruit vnitatem numericam desumi per ordinem ad aliquod extrinsecum distinctum secundum rem ab ipsis rebus numero multiplicatis.

130 SEcunda tamen sententia docet numericam vnitatem esse desumendam per ordinem ad aliquod extrinsecum: & dico *extrinsecum*, ideſt distinctum secundum rem ab ipsis rebus numero multiplicatis. Hæc sententia est communis Thomistarum, & aliorum, qui assignãt pro principio indiuiduationis semper aliquam realitatem distinctam à natura, quæ in pluribus indiuiduis multiplicatur numero, &c. Vide quid de Fonseca. opposita sententia censeat Fons. 5. Met. c. 6. q. 3. sect. 2.

131 Probatur hæc sentẽtia primò: 1. Ratio. Quia si principium indiuiduationis esset differentia numerica modo explicato; Sequeretur, quod indiuidua eiusdem speciei essent inter se specie diuersa: & species, quæ supponitur athoma, se haberet vt genus, esseturque diuisibilis in plures species: Hoc est falsum, & contra totum id, quod in ista quæstione supponitur: ergo, &c.

Sequela Probatur Primo. 132 Sequela maioris probatur 1. Quia quæ differunt per differentias primo diuersas, differunt specie: Ideo enim animal diuiditur specie in hominem, leonem, &c. Quia cum conueniant in animali, differunt inter se per differentias primo diuersas: & ratio est, quia quælibet differentia addita animali diuersificat vnum animal ab alio: Nam quæ distinguuntur, vt primo diuersa (sicut summa genera, & differentiæ essentiales) in tantum seipsis distinguuntur, in quantum in nullo communi vniuocè conueniunt, & quodcumque habet suam formalem rationem, quam Scotistæ *quidditatem* vocant, per quam vna formaliter est diuersa ab alia.

133 Vnde maior diuersitas est inter illa, quæ sunt primò diuersa, quàm ter illa, quæ ex primò diuersis constituuntur: Quia hæc in ratione communi conueniunt, & differunt per formalitates primò diuersas, quæ illi cõmuni adijciuntur. Vnde multitudo consurgens ex diuisione orta ex differentijs primò diuersis non potest esse homogenea, & præcisa diuisio, qualis est multitudo numerica, sed oportet, vt sit etherogenea: Quia præter diuisionem confert aliquid diuiso diuersum in vno ab eo, quod confertur alteri: Quomodo ergo vnitates constitutæ ex primo diuersis possunt esse eiusdem, & non diuersæ rationis? alioquin species sub genere, dicam, differre numero inter se: Nam non apparet ratio, quare differentiæ primo diuersæ sub genere diuersificent specie, & non differentiæ numericæ sub specie, pariter specie diuersificẽt, cum tota ratio diuersificandi species sub genere sint ipsæ differentiæ, quatenus sunt primo diuersæ.

134 Vnde sic argumẽtor: Tota ratio diuersificandi species sub genere sunt differentiæ, quatenus inter se sũt primo diuersæ: Quia cum adduntur generi conferunt aliquam formalitatem vni diuersam à formalitate alterius: At indiuidua iuxta hanc sentẽtiã distinguuntur sub specie differentijs primo diuersis: (Hoc Scotistę libẽter admittunt cum Scoto, de quorum mente Rada, loc. cit. ponit 8. conclu- Scotus. Rada. siones: Et patet ratione: Quia differẽtiæ numericæ iuxta hanc sententiam sunt formalitates simplices, & absolutæ, non habẽtes ordinem ad aliquod principium distinctiuum extrinsecũ:) ergo ex proprijs conceptibus forma-

Digitized by Google

libus differunt, quod idem est, ac dicere esse formalitates primo diuersas: ergo cũ species diuiditur per has differentias in plura indiuidua, quodlibet indiuiduum est sua species, differens specificè, & essentialiter ab alio indiuiduo. Quomodo iuxta sententiã Thomistarum quilibet Angelus indiuiduus est sua species.

Effugium aduersariorum.

135 Sed dices fortè esse disparem rationem inter differentias specificas, & numericas: quod differentiæ specificæ addunt generi augumentum perfectionis; Sed differentia numerica non addit speciei perfectionis augmentum.

Euertitur tale effugium aduers.

136 Sed contra, quia non minus differentiæ numericæ iuxta hanc sententiam sunt formalitates positiuæ, quàm differentiæ specificæ: ergo suo modo non minus addunt perfectionẽ speciei, quàm addant differentiæ specificæ ipsi generi: Vnde sicut perfectior est species, quàm genus, quia species continet genus, & aliquã formalitatem positiuam illi superadditã: Ita perfectius esset indiuiduum, quam species, per hoc, quod indiuiduum includit naturam specificam, & aliquam positiuam formalitatem illi superadditam: Sed istud positiuum est primò diuersum à positiuo, quod adderet alia differentia constitutiua alterius indiuidui: ergo non minus differunt specie indiuidua inter se, quàm differunt inter se species: Nullum ergo est discrimen inter differentiam specificam, & numericam, &c.

Eadẽ sequela probatur secundò.

137 Probatur secundò eadem sequela. Omne, quod est definibile vera, & propria definitione, nimirum, quæ constat ex partibus, quarum vna importat aliquid commune vniuocum, & altera aliquid proprium contrahẽs illud commune per modum differentiæ, est species. Vt patet per Philosophum 7. Met. cap. De partibus definitionis t. 13. *Quare quidditas est eorum, quorum oratio definitio est*. Et ideò dicit S. Thomas in illum locum, quod genus in quantum genus non est propriè definibile: Vnde summa genera, quia sunt conceptus formales simplices primo diuersi, ideò summa genera propriè definiri non possunt: & genera intermedia, & si propriè definiri possunt, quia ipsorum ratio est resolubilis in duas partes prædictas, nempe in genus, & differentiam: Sicut cũ definitur animal viuens sensitiuum, non definitur, vt est genus prædicabile de inferioribus, sed quatenus est species subijcibilis sub suo genere superiore: Sed si indiuiduum constitueretur ex specie, & differentia numerica primo diuersa ab alia differentia, indiuiduum posset verè, & propriè definiri; Quia eius ratio esset resolubilis in duas partes, scilicet in partem cõmunem vniuocam, & propriam differentiam: ergo quodlibet indiuiduum esset sua species distincta à specie alterius indiuidui.

Respõsio aduersariorum.

138 Dices, quòd propria, & vera definitio est illa, quæ resoluit definitũ in duas partes, quarum vna significat genus, altera differentiam contrahentem genus: Sed & si definitio daretur indiuidui, nõ esset vera definitio, quia non resolueretur definitum in genus, & differentiam specificam, sed in speciem, & differentiam numericam, & ideò nec esset vera definitio, nec definitum esset species.

Inuasio nostra cõtra aduersar. respõsionem.

139 Sed hæc responsio est nulla: Quia si esset vera hæc sententia, quòd tu dicis esse speciem infimam, ego dico esse speciem subalternam: Et quod tu dicis esse differentiam numericam, ego dico esse differentiã simul, & specificam: Quomodo dicimus differentiam indiuidualẽ in Angelis esse ipsã differentiam specificam: Et prædicatũ commune proximum, quod per differentiam indiuidualem contrahitur, esse speciem subalternam.

Assumptũ nostrę inuasionis probatur.

140 Et probo assumptum: Quia genus est illud, quod vt totum potentiale prædicatur de suis inferioribus: Sed species, quam tu dicis infimam, iuxta modum discurrendi istius sententiæ, prædicaretur de indiuiduis, vt totum potentiale: Quia ideò genus dicitur prædicari vt totum potentiale,

Digitized by Google

le, quia præter id actuale, quod in sua ratione continet, est in potentia ad differentiam, per quam contrahitur, & cum qua constituit vnum actuale: Sed natura illa, quam tu dicis esse speciem infimam, esset in potentia ad differentiam indiuidualem, per quam perficeretur, & cum qua componeret totam substantiam indiuidui: ergo illa species prædicaretur de indiuiduis, vt totum potentiale, ac proinde, vt genus, seu vt species subalterna: ergo definitio indiuidui esset vera definitio, & definitum esset vera species, &c.

Corollarium, quo euertuntur duo illa discrimina allata à Rada inter differentiam specificam, & numericam, quorum primum petere principium demonstratur.

141 EX his apparet, quòd illa duo discrimina inter differentiam specificam, & numericam allata à Rada, vt retulimus supra, sunt sine solido fundamẽto adducta. Nam quod dicitur primùm in illa notatione, nimirum, differentiam specificam pertinere ad esse quidditatiuum speciei, & constituere illam in esse quidditatiuo: At vero differentiam indiuidualem nõ pertinere ad esse quidditatiuum, gratis dicitur, quia vt ostẽsum est, si ponitur differentia numerica modo explicato, quidditas indiuidui, & propria species ipsius esset illud, quod coalesceret ex natura communi, & differentia indiuiduali.

Corollarium.

142 Nec ratio quam adducit ibidem Rada est alicuius momenti. Quia in ista materia, quam tractamus, est ipsa petitio principij. Dicit enim: Quia indiuiduum non habet aliam quidditatẽ à quidditate speciei: alioquin indiuidua quidditatiuè differrent: Dico quod supposita sua sentẽtia illud sequitur: Et ideò quia in via Sancti Thomę differentia constituens indiuiduum Angelicum hoc modo se habet, ideò dicimus quẽlibet Angelum continere suam speciem, & differre specie ab alio.

Ratio adducta à Rada non valet, & est petitio principij.

143 Verum est, quod indiuidua, quæ sub eadem specie multiplicantur, non differunt specie inter se, & ratio indiuidualis non pertinet ad speciem, & essentiam indiuidui. Sed oportebat, vt Rada afferret aliam rationẽ, quare cum proportionali modo se habeat differentia numerica ad naturam speciei, ac differentia specifica ad genericam: nẽpè, quare differentia specifica diuersificat essentialiter species, & differentia numerica non diuersificat specificè indiuidua: & non istam desumptam ex principio, quod maximè controuertitur in hac materia de principio indiuiduationis: Nam potissima controuersia est: An implicet multitudo indiuiduorum solum indiuidualiter differentium, quę quot colligit indiuidua, tot contineat species? Et Scotus negat, sed S. Thomas affirmat, & non habet pro inconuenienti, quod differentia indiuidualis sit specifica: Quod sequitur ex modo, quo ponitur illa differentia indiuidualis.

Ratio indiuidualis non pertinet ad essentiam indiuidui. Rada.

Scotus. S.Th.

144 Hinc patet similiter, quod petit principium in ratione, quam affert pro secundo discrimine: quatenus contendit ostendere, quod differentia numerica de mente Aristotelis se habet vt materia, & quidditas vt forma; ex eo, quia differentia indiuidualis ad quidditatem alicuius non pertinet, & probat hoc hac ratione: Quia omnis quidditas creata est communicabilis, imo plurificabilis secundum se, nec repugnat sibi multiplicari: illud autem, ad quod pertinet differentia indiuidualis, scilicet, indiuiduum intrinsecè est implurificabile, sicut ipsa differentia indiuidualis, & per consequens oportet, quod differentia indiuidualis sit alterius rationis ab ipsa quidditate, quam contrahit, & omnino extra ipsam.

Arist.

145 In quo discursu manifestè patet, quod assumit id, quod est in quæstione in hac materia: An scilicet omnis quidditas creata sit cõmunicabilis,

Probatur quod primum discrimẽ, & discursus Rad.r petit principium.

lis, & multiplicabilis? Nã Scotus hoc præcipuum controuertit in hac materia contra S.Thomam: Nam S.Th. tenet, quod aliqua quidditas creata est communicabilis, & multiplicabilis, vt in rebus, quæ habent veram materiã *ex qua*, vel *in qua*. Aliqua vero nõ est communicabilis, nec multiplicabilis, vt quidditas, quæ non habet materiã *ex qua*, neque *in qua*, vt sunt quidditates Angelicæ: Si ergo hoc est cõtrouersum: Sit ne omnis quidditas multiplicabilis, an non? Quomodo assumitur pro principio certo in maiore, quod omnis quidditas est multiplicabilis.

146 Et ideò, vt dixi, primum discrimen allatum inter differentiam specificam, & indiuidualem, gratis adducitur, & non probatur, nisi assumendo pro certo id, quod est in quæstione positum. Vnde si differentia numerica vt formalitas primo diuersa contrahit speciem, tota quidditas indiuidui non est species, quam contrahit, sed compositum ex specie, & differentia numerica.

147 Nam non alia ratione in via S. Tho. quilibet Angelus est sua species, nisi quia quidditas illius, non est species, quam contrahit, sed constitutum ex specie contracta, & differentia indiuiduali contrahente: Et si hæc

Sententia S.Th.

sententia S.Thomæ non recipitur nec de facto, nec de possibili: Supponatur tamen per impossibile, quod Angeli sicut differunt numero, ita differrent specie inter se, ita vt sub eadem infima specie non possent dari duo Angeli solo numero differentes: Quo per impossibile supposito, precor qua alia ratione differrent specie inter se, nisi quia ex natura communi, & differentia indiuiduali contrahente, & determinante illam communem naturam, componeretur quidditas huius Angeli. Sed hoc modo tu asseris componi omnia indiuidua tam materialia, quàm immaterialia: nam in tãtum illæ indiuiduales differentiæ cõponerent speciem, in quantum vna esset primo diuersa ab alia: ergo cum de facto ita tu ponis, consequenter omnia indiuidua differunt specie. Quod in rebus materialibus est omninò falsum.

Secundum discrimen inter differentiam specificam, & numericam à Rada constitutum, præcluditur.

148 MVlto minus valet, aut constans est secundum discrimen: nempè quòd differentia specifica contrahit genus tanquam aliqua realitas perfectior, & nobilior ipso genere: Sed differentia indiuidualis non contrahit naturam specificam tanquam differentia formalis nobilior, & perfectior ipsa specie.

Secũdum discrimen à Rada relatum.

149 Hoc enim discrimen voluntariè adducitur ad effugiendum, quod & si differentiæ numericæ contraherent speciem tanquam primo diuersę, indiuidua tamen nõ differunt specie: Sed tamen hoc euitare non potest. Nam non est necessarium ad constituendam speciem, quod differentia contrahens genus semper addat generi aliquam perfectionem simpliciter nobiliorem, & perfectiorem ipso genere: hoc enim habet locum in illis differentijs, quæ eleuant genus ad altiorem gradum: Sicut sensitiuum eleuat viuens: & rationale eleuat animal: At in illis differentijs, quæ non eleuant genus ad altiorem gradum, sed intra latitudinem sui proximi generis modificant illud secundum diuersum modum illius generis, tunc non oportet, vt differentia addat perfectiorem simpliciter præstantiorem, & perfectiorem ipso genere, sed satis est, si generi addat aliquam perfectionem, quam secum genus non affert, ita vt compositum ex genere, & differentia sit quid perfectius, quàm sola ipsa natura generis.

Præcluditur prædict. discrimen.

Quæ differentiæ addũt generi perfect. nobiliorem, ad quam eleuãt genus, vt resultet species?

150 Nisi velimus asserere cum illis, qui de mente Arist. 9. Met. dicunt, quod actus est simpliciter perfectior sua potentia, quia dat potentię vltimũ complementum, & ideò in quantum actus habet rationem finis, censetur sim-

Digitized by Google

Actus dat cõplemẽtum suæ potentiæ, & habet rationem finis, respectu illius, & sic est perfectior illa.

simpliciter perfectior ipsa potentia. At differentia numerica iuxta viam istius sententiæ nil minus habet respectu speciei, quàm habeat differentia specifica respectu generis: Quia dicit formalitatem primo diuersam ab alia differentia: & natura specifica comparatur ad illam, vt actus ad potentiam, ac proinde de indiuiduo nõ prædicatur vt totum actuale, sed vt totum potentiale: Ponit, & addit perfectionem ipsi speciei, & compositum ex natura speciei, & differentia indiuiduali est quid perfectius, quàm sit sola natura specifica; & vlterius addit rationem vltimi actus, quod nõ addit differentia specifica generi: ergo nil minus habet differentia numerica, prout explicatur ab ista sententia ad constituendam quidditatem, quàm habet differentia specifica respectu generis.

151 Igitur nullum est discrimen quantum ad hoc de differentia specifica, & indiuiduali, & ideò sicut illa pertinet ad quidditatem indiuidui, ita & ista: Vnde indiuidua inter se nõ solum differunt numero, sed specie, & non solum indiuidualiter, sed essentialiter sunt diuersa. Quod est absurdum, quod in illa nostra assumpta propositione diximus sequi ex ista sententia, &c.

Reponitur quædam Obiectio difficilis apparenter, & pro solutione, declaratur discrimen inter hæcceitatem adinuentam à Scoto, & hæcceitatem repositam à S. Th. & astruitur quid sint differentia numerica in via S. Th. & quid addant quidditati animarum rationalium.

Obiectio.

153 SED statim obijcies, quia in omnium opinione debent admitti differentiæ indiuiduales, quæ distinguant realiter indiuidua sub eadem specie: Nam impossibile est, quod aliqua realiter inter se distinguantur, & non habeant in se principia distinguentia.

Prosequitur eadem Obiectio.

154 Rursus ista principia, & istæ differentiæ non possunt pertinere ad quidditatem indiuiduorum, quia non solum indiuidua immaterialia, vt sunt Angeli, sed etiam indiuidua materialia differrent specie inter se, quod est apertè falsum. Vnde etiam Thomistæ in in indiuiduis materialibus admittunt differentias numericas extra quidditatem indiuiduorum.

Protrahitur ipsamet Obiectio.

155 Deinde istæ differentiæ non possunt esse puræ negationes, vt cum communi omnium opinione ostendimus contra Henric. Nec potest esse aliquod accidens, vel collectio accidentalium proprietatum, vt ostensum est contra nonnullos, qui dixerunt quantitatem, vel aliqua accidentia esse ea, quibus indiuidua distinguuntur numero. Nec potest esse forma, aut materia: quia istæ ad summum sunt principia physica, ex quibus sumuntur differentiæ numericæ, sicut ab istis sumuntur differentiæ specificæ: ergo metaphysicè loquendo non potest assignari aliud principium multiplicationis numericæ, nisi ipsæ differentiæ numericæ, quatenus inter se sunt primo diuersæ, & additæ naturæ specificæ, & illam diuidunt in plura indiuidua.

156 Hæc ergo certa cum sint, vel saltim sint magis conformia saniori doctrinæ, tunc vrgeo eisdem argumẽtis, & retorqueo illa contra tuam opinionem. Quia admittis istas differentias contrahentes naturam specificam, & illam diuidentes in plura indiuidua: ergo diuersificarent specie ipsa indiuidua.

Discrimẽ inter hæceit. Scoti, & hæceit. S. Th.

157 Ne inutiliter laboremus, statim assignandum est discrimen inter hæcceitatẽ Thomisticam, & Scoticam: & quòd aliter Thomistæ sentiunt de differentijs indiuiduantibus, aliter Scotistæ.

158 Nã hæcceitas secundũ Scotũ, & sequaces eius constituit, & diuidit propriè per modum differentiæ, vt supra ex eorum dictis apparuit. Quæ diuisio sine dubio formalis est, quia est diuisio per conceptus formales

Digitized by Google

males omninò absolutos,& primo diuersos.

159 At hæcceitas secundũ S. Th. non diuidit speciem in plura indiuidua tanquam propria differentia. Vnde de Ente,& essentia c.5. litt.g. ponit istos modos diuidendi per differentias, & per singularitates tanquã modos diuersos. Dicit enim hæc ibi: *Impossibile est, vt fiat plurificatio alicuius, nisi per additionem alicuius differentiæ, sicut multiplicatur natura generica in speciebus: vel per hoc quod forma recipitur in diuersis materijs, sicut multiplicatur natura speciei in diuersis indiuiduis: vel per hoc, quòd vnum est abstractum,& aliud in aliquo receptum: Sicut si esset quidam color separatus, esset alius à colore non separato ex ipsa sua separatione.* Dimisso hoc tertio modo, qui supponit sẽtentiã Platonis, qui ponebat naturas separatas, & irreceptibiles. Benè sequitur quod, si daretur color separatus, hoc est, nec receptus, nec receptibilis,& daretur alius color aut receptus, aut receptibilis, ex ipsa receptibilitate, & irreceptibilitate plurificarentur inter se.

Hæcceitas iuxta S.Th. non diuidit speciẽ tãquã propria differentia.

160 Hoc igitur tertio modo dimisso. Manifestè S.Th. distinguit plurificationẽ generis in plures species, & plurificationem speciei in plura indiuidua: Quia illa fit per differentias, ista fit per receptionem formæ in diuersis materijs(& nomine receptionis intellige receptionem aptitudinalem, non actualem.)Hoc est per receptibilitatem formæ vnius speciei in plures materias.

S.Th.

161 Vnde differentia numerica secundum S. Thomam non est aliud, quam receptibilitas huius formæ in ista materia, & receptibilitas illius in altera consimili materia: & ideò sicut materia, per quam multiplicantur formæ, non distinguitur ab alia materia, nisi per solam diuisionem materialẽ, quę reducitur ad diuisionem cõtinui, per quam solũ fit vna numero, absq; eo, quod inter vnitates sit aliqua formalis diuersitas (aliàs multitudo numerica esset etherogenea.) Ideò ipsæ formæ ex respectu, quem habent ad tales materias, solo numero distinguuntur,& istos respectus vocãt Thomistæ differentias indiuiduales, quæ nullam perfectionem addunt, sed solum diuidunt ipsas formas materiali diuisione, sicut sunt ipsæ materiæ diuisæ, quas respiciunt.

Differentia numerica in via S. Th. est receptibilitas huius formæ in ista materia, & illius in altera cõsimili mater.

162 Et propterea Philosophus dixit, quod omnis diuisio, aut est à forma, hoc est formalis, quæ fit per formalitates primo diuersas, qualis est illa, quæ fit per differentias: aut est à quantitate, hoc est materialis, quæ reducitur ad diuisionem quantitatis. Quia non fit per formales differẽtias, neque ex se facit aliquam diuersitatem in vnitatibus diuisis, sed solum per ipsam materiæ diuisionem.

Aristot.

163 Vt autem hęc sententia Thomistarum de differentia numerica magis declaretur, recolendum est, quod diximus supra, quod omnis multiplicatio numerica procedit à materia tanquam à prima radice multiplicationis vniformis,& quod materia sit duplex *ex qua*,& *in qua*. In composito substantiali prior est materia *in qua*, quàm *ex qua*: Quia prior est multiplicatio formæ, quàm multiplicatio cõpositi: Nam ex multiplicatione materiæ sequitur multiplicatio formæ, & ex multiplicatione materiæ, & formæ sequitur multiplicatio compositi.

Animaduersio.

Ex multiplicat. materiæ est multiplicatio formæ, & ex multiplicat. vtriusque est multiplicatio cõpositi.

164 Vnde ad explicandum quid sit differẽtia numerica indiuidui substantialis, priùs explicare oportet, quid sit differentia numerica diuidẽs numero formas inter se, ab huius enim explicatione pendet hoc negotium.

165 Et propterea S. Thomas supra allegatus explicans quomodo plura indiuidua multiplicentur numero sub eadem specie, dixit hanc multiplicationem fieri solum per hoc, quod *forma recipitur in diuersis materijs.*

S.Th.

166 Et quia in nullis formis hoc meliùs explicare possumus, quàm in animis rationalibus, qui etiam à corporibus separati retinent suam differen-

Digitized by Google

rentiam indiuidualem, per quam numero inter se distinguuntur, ideò in his principaliter videbimus, quid sit eorum singularitas, siue hæcceitas.

167 De hac re latè disputat Caietanus de ente, & essentia c.6.q.13. cõtra Scotum. Nos breuiter dicimus, quod differentię numericę animarum rationalium non addunt aliud ad essentiam, & quidditatem illarum, nisi commensurationes, & coaptationes ad corpora humana multiplicabilia ex diuisione materiæ. Cum enim anima sit actus corporis physici, & organici, quælibet species animarum vi suæ essentiæ dicit commensurationem, & coaptationem ad corpus organicum suæ speciei proportionatum: Sed quia propter diuisibilitatem materiæ corpus est multiplicabile, ideò multiplicantur animæ rationales, quatenus hæc dicit cõmensurationem, & coaptationem ad hoc corpus, & illa ad aliud corpus: & ita istæ differentiæ numericæ non distinguunt animas rationales, vt propriæ differentiæ per conceptus formales primo diuersas: Quia nõ sunt ea, quibus primo animæ rationales distinguuntur numero inter se, sicut sunt hæcceitates Scoticæ, & differentiæ numericæ à Suario assignatæ: Sed habent vim distinguendi ab alio extrinseco principio, nempè à materia diuisibili, in qua sunt receptibiles: Vnde solum possunt inducere distinctionẽ materialem, non formalem.

Caiet.

Quid addant differentiæ numer. animarum rationquidditati illarũ.

168 Et ideò benè dixit ibidem Caietanus, quòd istæ differentiæ non faciunt distinctiones formales, sed formarum. Vt significaret quòd non faciunt distinctionem per veras differentias, & per conceptus seipsis diuersos, sed quatenus, dicit, inuoluunt ordinem ad distinctas materias.

Caiet.

Argumentum Scoti, & alia obiectio contra nostram doctrinam immediatè traditam diluuntur.

169 MVlta contra hanc doctrinam obijcit Scotus in 2.dist.3. q. vltima, & in Quodlib.q.2.quæ ibidem proponit, & optimè soluit Caietanus, & superfluum est hic afferre, poterunt apud ipsum videri. Solum propono vnum, vel alterum argumentum, vt res magis illustretur.

Scotus.

Caiet.

170 Quia ista commensuratio, vel coaptatio, vel quouis nomine appellatur. Peto primum: Est ne aliquid positiuum, an negatiuum? Certè negatiuum dici non potest, quia distinctio numerica inter animas rationales est realis, & positiua, in quo positiuo fundantur negationes: ergo est aliquid positiuum. Si est aliquid positiuum, rursus peto: Est ne quid distinctum ante operationem intellectus ab essentia animarum, an aliquid ante operationem intellectus indistinctum? Si est quid distinctum: ergo est hæcceitas Scoti, quam tantoperè Thomistæ abhorrent: ergo est aliquid ante operationem indistinctum.

Argumẽtum Scoti contra nostram doctrinã immediatè traditã.

171 Et iterum inquiro: Si est indistinctum, aut est ità indistinctum, vt sit etiam re, & ratione indistinctum, hoc est, vt sit essentiale: An vero ita sit indistinctum re, vt sit distinctum ratione, hoc est sit exrra essentiam huius animæ? Certè non potest dici essentiale, quia sic essentia animæ rationalis non esset multiplicabilis numero: ergo est extra essentiam: Tunc sic argumentor retorquendo argumentum supra extructum contra differentiam numericam, quia nullum discrimen apparet inter modum explicandi differentiam numericam, quam ponunt aduersarij, & inter differentiam numericam, quam nos ponimus: Nam quæ obijcis contra primum modum, pariter vrgent contra hunc modum à nobis positum: vt consideranti apparebit.

Protrahitur Scoti argumentũ varijs interrogationibus.

Digitized by Google

Soluitur argumentū Scoti.

172 Sed ad hoc argumentum facilè respondetur: Notando quòd ad hoc, vt aliquæ differentiæ sint primo diuersæ, non sufficit, quod sint conceptus simplices, & inresolubiles in alios conceptus intrinsecus, sed requiritur, vt sint inresolubiles in aliud principiū extrinsecum, vnde pendeat vis diuidendi, quam habent: Nam si habeant aliud principium, vnde dependeat vis distinguendi, quam habent; manifestum est, quod non sunt primo diuisiua; sed primum est illud, à quo dependet vis distinguendi. Vnde quāuis potentiæ distinguantur specie per ordinem ad obiecta formalia; Absolutè tamen dicimus, quòd potentiæ distinguuntur specie per obiecta: Quia nimirum illa sunt prima principia distinctiua potentiarum secundum speciem.

Animaduersio circa requisita, vt aliqua sint primo diuersa.

173 Et quia differentiæ numericæ secundum oppositam sententiam sūt formalitates ex se ipsis primo diuersę, non agnoscentes aliud principium extrinsecum, vnde dependeat earum vis distinguendi, sed ex proprijs rationibus appositis: ideò distinctio prouenies ex illis debet esse specifica: Quia non potest esse distinctio magis specifica, seu etherogenea, quàm quæ prouenit ex conceptibus simpliciter primo diuersis.

Cōfirmatio animaduersionis.

174 Et confirmatur, quia si differentiæ diuersificantes species potentiarum, eas in specie multiplicant, etiam si vis dictinguendi proueniat ab obiectis, non nisi quia obiecta, quæ sunt extrinseca principia distinguuntur formaliter inter se; Quanto magis specie distinguunt illæ differentiæ, quæ sunt ex se, & ab intrinsecis formalibus conceptibus primo diuersæ, & habent ex se vim diuersificandi?

Differentiæ numericæ habent vim distinguēdi à materia multiplicabili

175 At differentiæ numericæ iuxta nostram sententiam, cum in tantum habeant vim distinguendi, in quantum respiciunt materiam materialiter plurificabilem, sic non possunt multiplicare formas, nisi diuisione materiali, & non per modum propriæ differētiæ: perinde enim diuidunt animas rationales, ac diuiditur vna albedo extensa in superficie in plures albedines numero distinctas ad diuisionem superficiei, vt supra declarauimus. materialiter, & non aliter.

176 Ex his apparet, quam sit diuersus modus, quo Thomistæ ponunt differentias numericas à modo, quo ponunt Scotistæ, & qui eos in hoc pūcto sectantur, vt Suarius, & alij.

Secunda Obiectio, seu arg.

177 Secundo obijcies, quia secūdū S. Th. Caiet. & nostram sententiā: Animi rationales sunt substantialiter inæquales: Sed ista inæqualitas non potest esse aliud, quam sua propria differentia numerica: ergo verè differentia numerica diuersificat, &c.

Pręclusio.

178 Respondetur, quod illa inæqualitas, & si consequatur differentiā numericam, non tamen est ipsa differentia, alioquin sequeretur, quod omnes formæ numero distinctæ essent inæquales, quod falsum est: Nam videmus in rebus, quæ habent formas diuisibiles, quòd diuiso toto, multiplicantur plura indiuidua, quæ sine dubio distinguūtur numero, & habent suas differentias numericas; & tamen non sunt substātialiter, imò quandoq; nec accidentaliter inæqualia: ergo nō prouenit præcisè ex eo, quia differentiæ numericæ sunt primo diuersæ, & quod vna addit perfectionem, quam non addit altera; Sed illa inæqualitas prouenit ex dispositione materiæ, seu ex ordine ad illam, vt supra pluries explicauimus, &c.

Inæqualitas substātialis animarū ration. non est à differentijs numeri-cis.

179 Explicata hæccèitate formarum facilè est assignare, quid addat differentia numerica super naturam specificam in indiuiduo materiali. Et dico, quod est ipsa hæcceitas formæ, quatenus est diuisiua materiæ, quam informat, ab alia materia. Cum enim forma sit singularis antecedenter ad informationē, vt dictum est, ipsa singularis forma informando materiam actu diuidit illam ab omni alia; vnde ex materia diuisibili, & forma actu diuidente constituitur vna singularis substantia diuisa materialiter ab omni alia: & hęc hæcceitas totius in suo con-

Digitized by Google

conceptu includit principium diuisiuum materiæ, vel diuisiuum diuisione materiali, &c.

Enodantur tria argumenta principalia oppositæ sententiæ proposita pag. 130. & 131. à num. 127. vsq; ad num. 129.

180 SAtisfaciendum nunc superest argumentis. Ad primum respondetur negando maiorem. Non enim eodem modo differentiæ numericæ diuidunt speciem in plura indiuidua, ac differentiæ specificæ diuidunt genus: Quia differentiæ specificæ diuidunt genus diuisione formali, differentiæ numericæ diuisione materiali. Ad eum modum, quo per diuisionem continui multiplicantur plura indiuidua eiusdem formæ illi inhærentis, &c.

Respond. ad primũ argum.

181 Ad secundum respondetur, distinguẽdo maiorẽ. Cũ enim assumitur: Omnes differentiæ eorũ, quæ differũt, resoluũtur in aliqua primo diuersa: si sermo sit de his, quæ differũt formaliter, concedo: Si sermo sit de his, quæ differunt materialiter, & nego. Et cum probatur, quia daretur processus in infinitum, & non esset status: Dico, quod est status, quia vis distinguendi, quam habet differentia numerica, resoluitur tanquam principium in ipsam diuisibilitatem materiæ. Deinde cum dicitur in minori, quod indiuidua differunt, quia sunt entia diuersa: Si sermo sit, quod propriè differunt, & sint propriè entia diuersa; falsissimum est, quia indiuidua sunt maximè similia: Et tantum abest, quod differentiæ numericæ sint primo diuersæ, quod sunt maximè conuenientes inter se, & maximè consimiles, & ideò eorum distinctio reducitur, vt dixi, ad diuisionem materiæ.

Respõsio ad secundum arg.

182 Ad tertium respõdetur, quòd fundamentum vnitatis, & distinctionis debet esse intrinsecum, & inseparabile ab ipsis rebus indiuiduis: fundamentum proximum, concedo: fundamentum primum, & radicale, nego, vt apparet in vnitate, & multiplicatione potentiarum, quæ desumitur ab obiectis tanquam à principijs primis, &c.

Respõsio ad tertiũ argum.



Digitized by Google

PARAGRAPHVS QVINTVS.

De Principio Vnitatis, & Multiplicationis numericæ accidentium; in quo discriminatè nonnulla de Angelis disseruntur.

1 SATIS ex confutatione aduersantium confirmata manet sententia Aristotelis, & S. Thomæ, quod materia est principium vnitatis, & multiplicationis numericæ: & quamuis hoc generatim satis probatum sit, tàm in indiuiduis, substantialibus, quàm accidentium, nihilominus, vt omnis tollatur difficultas, placet etiam deuenire ad speciatim explicandum principium Vnitatis, & Multiplicationis numericę accidentium. Et quia accidentia sunt simplices formę, non possunt indiuiduari, & multiplicari à materia *ex qua*. Rursus, quia cum subiecto non componunt vnum per se, cum sint entia completa in suo genere: non possunt concurrere ad indiuiduationem materię *in qua*, sicut dictum est de formis substantialibus, sed supponunt ipsa subiecta antecedenter ad inhęrentiam ipsorum perfectè indiuiduata: Vnde solum restat videndum, num absolutè ipsa accidentia indiuiduentur per sua subiecta, taliter, quòd si subiecta non possint multiplicari numero, neque ipsa accidentia numero multiplicarentur?

DIFFICVLTAS I.

Vtrum accidentia indiuiduentur à subiectis? In qua, & de Angelis aliqua pertractantur.

2 IN hac difficultate Prima sententia est negatiua: Istam sententiam tenent Nominales, quatenus dicũt. Rem omnem esse essentialiter singularẽ: Tenet Suarius disp. 5. met. sect. 7. & alij, dicentes, vnamquaque rem esse indiuiduam per suam propriam entitatem, nec indiuiduari per aliquod extra illam. Tenet Scotus, & Scotistæ, Fõseca, & alij, quatenus dicunt rem omnem indiuiduari per suam propriam hæcceitatem. Tenent denique illi, qui dicunt principium indiuiduationis esse formam: Quia si alia indiuiduantur per formam, multò magis quælibet forma est de se indiuidua, siue sit forma substantialis, siue accidentalis.

Prima sẽtentia. Nominal.

Suarez.

Scotus. Scotistæ. Fonseca.

3 Probatur hæc sententia primũ. Quia possunt accidentia separari à subiecto; & sic separata existere, & nihilominus distinguuntur numero inter se, vt patet, cum Sacerdos consacrat multas hostias in vna pixide contentas: Si non possent existere inter se numero distinctæ, ex illis omnibus fieret vna hostia, quod ad sensum videtur contrarium: ergo accidentia non indiuiduantur, nec multiplicantur nu-

1. Argum.

Digitized by Google

numero ex parte subiecti, &c.

4 Nec valet si respondeas, quod illa accidentia non existunt sine subiecto, quia habent pro subiecto quantitatem. Nam quæro de quantitate, quomodo vna quantitas distinguitur numero ab alia quantitate extra subiectum? Et quod mihi respondebis de quantitate: ego dicam de alijs accidentibus.

Prima respõsio, & eius præclusio.

5 Secundò. Quia si accidentia multiplicantur numero ad multiplicationem subiectorum, debent ipsa subiecta esse numero multiplicabilia. Sed in substantijs abstractis accidentia spiritualia, saltem gratia, lumina gloriæ, & similia multiplicantur numero in Angelis, & tamen in illis non est possibilis, aut saltem de facto non datur numerica multiplicatio, & dato, quòd etiam de facto sit aliqua numerica multiplicatio, vt v.g. in Angelis vnius ordinis, aut vnius Hierarchiæ, tamen Angeli vnius ordinis, vel vnius Hierarchiæ differunt specie ab Angelis alterius ordinis, vel alterius Hierarchiæ, vt fert communior opinio inter illos, qui de facto admittunt Angelos plures inter se numero distinctos, & tamen gratia, & lumen glorię est accidens omnibus commune, & solo numero distinguitur in omnibus.

2. Argum.

6 Et dato, quod omnes Angeli essent eiusdem speciei, & solo numero distincti, sicut sunt omnes homines, vt vult D. Bonau. Nihilominus posset Deus creare alios Angelos ab his, qui creati sunt, specie diuersos, hoc enim non est denegandum Diuinæ Omnipotentiæ: Tunc si crearet, dedisset gratiã, & lumen gloriæ eiusdem speciei vtrisque Angelis, sicut de facto contulit Angelis, & hominibus: ergo plura accidentia solo numero distincta possunt esse in pluribus subiectis specie, & genere distinctis: ergo distinctio numerica accidentium non pendet à distinctione numerica subiectorum.

S. Bonau.

7 Nam si multiplicarentur numero accidentia à subiectis: Sequeretur, quòd sicut accidentia specifica multiplicantur specie per subiecta specie diuersa, sicut calor specie differt a frigore, quia ille est passio ignis, hoc est proprietas aquæ (quæ elementa specie differunt inter se:) Ita accidentia multiplicarentur numero per subiecta numero distincta, & tamen falsum est, quod accidentia multiplicentur numero per subiecta specie, & genere diuersa: ergo, &c.

Vnica, & fortis sequela.

8 Tertiò arguitur, quia si accidentia indiuiduantur à subiectis, & ad illorum multiplicationem multiplicarentur, sequeretur quod vnum numero subiectum non posset indiuiduare, nisi vnicum accidens. Sed experientia constat, quod vnum subiectum potest recipere plura numero accidentia: ergo signum est, quod accidentia non indiuiduantur, & numero multiplicantur ad multiplicationem subiectorum.

3. Argum.

9 Dices, quod vnum numero subiectum potest recipere, & indiuiduare plura accidentia, successiuè, nõ simul: & ratio disparitatis est, quia quando recipit, & indiuiduat successiuè, & si entitatiuè sit idem subiectũ formaliter; virtualiter non est idem, quia in quantum potest pluries perfici eodem specifico accidente, se habet quasi multiplex subiectum: & ideò entitatiuè est vnum, virtualiter tamen multiplex: At vero si reciperet simul, non esset entitatiuè vnum, & virtualiter multiplex, sed simpliciter esset entitatiuè, & virtualiter vnum: Quia vt dictum est, in tantum potest successiuè recipere, quia pluries recipere potest: igitur non potest idem subiectum numero simul recipere plura accidentia solo numero distincta.

Prima respons. ad 3. Argum.

10 Sed contra hanc responsionem vrgetur, quia experientia cõstat, quòd in eodem numero subiecto simul existunt duo accidentia solo numero distincta, vt in eodem medio sunt species duorum parietum alborum, & duorum hominum, &c. ergo accidentia non multiplicantur numero à subiectis.

Præclusio prædictæ respons. 3. argum.

Secun-

Secunda sententia nostra affirmatiua, quæ & in tripartita conclusione diffunditur.

Secunda sententia.

SEcunda sententia est affirmatiua, nempè accidentia indiuiduari, & numero multiplicari per subiecta. Ita S.Th. 1.p.q.29.a.1.& q.39.a.3.& opusc.29. in fine. Capreol. in 1.dist.54.a.2.conclus. 2. N.P. Blasius à Conceptione in sua Metaphys. disp. 4. q. 1. §. 1. N. Salmanticenses tract. de princ. indiuid. disp.2. dub.1. N.P. Philippus à SS. Trinitate in Summa Philosophica 3.p.q.7.art.1.

S.Th. Capreol. N. Blas. à Concept. N.Salmāticenſ. N. Philipp. à SS. Trin.

12 Pro cuius sententiæ elucidatione recolendum est, quod supra diximus, dupliciter aliqua posse habere vnitatem, & multiplicationem: Vno modo ex se, & à proprijs intrinsecis siue physicis, siue metaphysicis per nullum respectum ad aliquid ab eorū entitate distinctum. Sic albedo, & nigredo specie distinguuntur, ex proprijs differentijs: Alio modo per ordinem ad aliquod extrinsecum, sicut potentiæ multiplicantur specie per obiecta formalia, siue actu existant, siue non existant. Sufficit enim, quod habeant ordinem ad illa. Nam ex eo obiecta dicuntur multiplicare potentias, quia si non essent possibilia diuersa obiecta formalia, neq; daretur potentiarum multiplicatio. Iuxta hanc distinctionem.

Animaduersio.

13 Dico primò: Accidentia non multiplicantur numero per subiecta tanquam per principia intrinseca, taliter quod quandiù inhærent subiectis numero distinguantur inter se; separata verò amittant principia intrinseca, per quæ indiuiduentur. Hæc conclusio est Capreoli loco citato, & est S.Th.1.p.q.29.a.1.& alijs locis, vbi dicit hoc esse discrimen inter substantiam, & accidens, quod substantia indiuiduatur ex proprijs principijs; (vbi loquitur de indiuiduo substantiæ cōpletę.) Accidentia vero indiuiduantur per ordinem ad subiecta.

1.Concl.

14 Vnde, quod dicit quodlibeto 7.a.10.& 1.p.q.50.a.4.& q.75.a.7. Quòd si daretur albedo separata, esset tātum vna, & non posset multiplicari numero, quia non haberet, quo illæ albedines distinguerentur inter se: malè explicatur à Suario sect. illa 7.a.2. *de actuali separatione:* & vereor, ne fingat Suarius se non attingere proprium sensum S.Thomæ, vt illius opinionem magis reddat incredibilē. Nam S. Thomas illis locis vocat albedinem separatam ad sensum philosophorum, quo modo accipiebat Plato, ponens species rerum separatas, & Aristoteles impugnans Platonem. Loquitur enim de totali separatione, & actuali, & aptitudinali, qualis non est illa sacramentalium specierum, quia & si separentur actu, non tamen aptitudine: imo innata illarum inclinatio est recipi in subiecto.

S.Th. Plato. Arist.

15 Igitur de mente S. Thomæ non implicat duas albedines solo numero distinctas existere posse separatas separatione actuali, non vero separatione actuali, & aptitudinali, hoc est si essent qualitates irreceptæ, & irreceptibiles in subiectis, sed natura sua per se subsistentes, essent immultiplicabiles.

16 Vnde hoc est vnum principiū Peripateticum, imo, & Platonicum, atque Thomisticum: Quod nulla natura est multiplicabilis numero, nisi, vel sit receptibilis, vt formæ substantiales, aut accidentales: vel includat in se aliquod receptibile, sicut natura substantialis compōsita, quæ includit formam receptibilem. Ideò, quia naturæ Angelicæ non sunt receptibiles, cum sint substantiæ completæ de se subsistentes, nec includant aliquid receptibile, quia sunt substantiæ simplices, non possunt numero multiplicari.

Quid requiritur, vt aliqua natura sit numero multiplicabilis, & quæ sit illa natura.

17 Itaque iuxta mentem S. Thomæ, possunt duo accidentia solo numero distincta separari à subiecto, & sic separata consistere cum sua numerica distinctione: ergo subiecta nō sunt principia intrinseca numericæ distinctionis accidentium, taliter, quod si separarentur à subiectis, remanerent indistincta.

18 Di-

Digitized by Google

2.Concl. 18 Dico secundò: Accidentia indiuiduantur, & multiplicantur numero per ordinem ad sua subiecta. Hæc est expressa S. Tho. locis cit. & probatur. Omnia accidentia ordinantur ad primam substantiam perficiendam: nam de illa prædicantur. (Quod si aliqua accidentia non perficiāt aliquam primam substantiam, hoc est per accidens; sicut quod calor non perficiat aquam, per accidens est, quia si non est perfectio vnius, semper accidens est perfectio alterius: nam omne accidens respectu alterius substantiæ est proprietas illius:) Ergo in tantum accidentia sunt numero multiplicabilia, in quantum sunt multiplicabilia numero primæ substantiæ: Sicut in tantum sunt multiplicabiles potentiæ, in quantum sunt multiplicabilia obiecta formalia.

Ratio cōclusionis.

Confir. 19 Et confirmatur: Quia si perirent, aut implicarent primæ substantiæ, perirent, & implicarent omnia accidentia: Et si non esset dabilis, nisi vna prima substantia, non esset dabile, nisi vnum accidens: ergo multiplicabilitas primarum substantiarum est principium multiplicabilitatis accidentium: ergo indiuiduatio, & multiplicatio accidentium pendet ab vnitate, & multiplicatione subiectorum.

Si perirēt primæ substantię perirent omnia accidentia, cum indiuiduantur ab illis.

3. Concl. & eius ratio. 20 Dico tertio, etiam si Accidentia indiuiduentur per ordinem ad subiecta, nihilominus actualis inhærentia aliquid confert ad vnitatem numericam accidentium, quare scilicet vnum sit incommunicabile pluribus subiectis. Quia per actualem inhærentiam fit, vt non possit vnum numero accidens transire de subiecto in subiectum, sed intereunte subiecto, accidens vna simul intereat.

Quid cōfert actualis inhærentia ad vnitatem numer. accidentiū.

Diluuntur tria principalia argumenta oppositæ sententiæ pag. 140. & 141. à n. 3. vsque ad n. 10. proposita.

Ad 1.arg. respons. 21 ARgumentis satisfaciendū supereſt. Ad primum dicimus, & concedimus, quòd potest Deus separare à subiecto quātitatem, & qualitatem, quidquid sit de alijs accidentibus, & sic separatas conseruare: Quia, vt dictum est, accidentia nō indiuiduātur à subiectis per actualem receptionem in illis, sed per hoc, quod dicunt ordinem ad subiectum numero multiplicabile: Sicut potentiæ multiplicantur per obiecta, & hoc manifestè docet S. Th. illo quodlib. 7. art. 10. S.Th.

Suarius. 22 Vnde mirum est, quòd Suarius allegat illud quodlib. dicens, quod quando S. Th. dicit posse Deum separare accidens à subiecto, ibi limitare ad solam quantitatem, non ad qualitatem: Cum S. Doctor ibi doceat etiā albedinem posse Deum à subiecto separare. Notat tamē ibi S. Th. discrimē inter quātitatem separatam, & qualitatem: Quod qualitas separata non esset sensibilis, nec sensu externo, nec imaginatione, sed esset solum intelligibilis, & haberet modum existendi spiritualem: Sed quantitas separata non haberet talem existendi modum, vt patet in Sacramento, & etiā si nullam haberet qualitatem sensibilem, nihilominus sensibilis esset, non quidem sensu externo, sed imaginatione; quomodo est obiectum Mathematicæ, quæ abstrahit à materia sensibili, vt præclarè ibi explicat S. Th. Quæ doctrina verissima est, & ab omnibus debet recipi, nisi fortè à Nominalibus qui non distinguunt quantitatem à rebus quantis. Sed non negat ibi Angelicus Doctor, quod qualitas nō possit à Deo separata conseruari cum sua indiuiduatione, vt falsò illi attribuit Suarius loc. cit. Videatur locus citatus, &c. D.Th. Suarius.

Ad 2.arg. respons. 23 Ad secundum respondetur, quod Accidens potest comparari ad subiectum, & vt accidens proprium, & vt accidens commune: Quando cōparatur vt accidens proprium, tunc quia consequitur speciem subiecti, debet multiplicari numero ad præcisam multiplicationem subiectorum: Quando comparatur ad subiectum, vt accidens commune, tunc non opus est,

Digitized by Google

est, vt solo numero multiplicentur subiecta, sed ipsũ accidẽs etiam indiuiduatur, quãuis subiecta multiplicẽtur specie. Et ratio est, quia accidens respicit subiecta secundum quandã cõmunem rationem, quæ ratio etiam si subiecta multiplicẽtur specie, tamẽ illa multiplicatio specifica se habet per accidens; quia illa ratio, secũdum quã subiectum est receptiuum illius accidentis, æquè se habet siue multiplicetur specie, siue numero: Sicut lumẽ, licèt respectu Solis sit accidens proprium, tamen prout est accidens cõmune omnibus corporibus æquè indifferenter recipitur, siue corpora differant specie, siue numero.

24 Vnde illa multiplicatio specifica de materiali se habet ad multiplicationem numericam communis accidentis, & respectu illius perinde se habent illa multa subiecta, ac si numero differrent: & propterea cum multiplicatione specifica subiectorũ benè consonat multiplicatio numerica accidentium; & sic est de multiplicatione numerica gratiæ, & luminis gloriæ, etiam si fit in multis subiectis numero, & specie distinctis, vt in hominibus, & in Angelis, &c.

Ad 3. arg. respon. 25 Ad tertium, vt respondeamus, tractandæ sunt sequẽtes difficultates, quæ ibi tanguntur: Scilicet, An plura accidentia solo numero distincta naturaliter possint simul esse in eodem subiecto: Vtrum successiuè: Et demũ quid de potentia Dei fieri possit?

DIFFICVLTAS II.

An tanta sit dependentia accidentis à subiecto in sua indiuiduatione, vt vi naturæ in eodem indiuiduo subiecto duo accidentia solo numero distincta nequeant inhærere?

26 IN hac difficultate prima sententia est negatiua; ita Scotus, Durãdus, & alij, qui tenent Accidentia nõ indiuiduari per ordinem ad subiectum. Prima sẽtentia. Scotus. Durãdus.

Præcipuum fundamentum huius opinionis est, quia si ità indiuiduatio Accidentiũ dependeret à subiecto, quod vnum numero accidens requireret vnum numero subiectum, sequeretur quòd duo numero accidentia nõ possent saltem naturaliter inesse eidem subiecto: Sed instantiæ multæ probant oppositum: Nam in eodem medio sunt duo lumina simul producta à duobus luminosis, vt perspectiui cõtendunt: Cuius signum est, quod si inter illa interponatur corpus opacum, appareant geminatæ vmbræ: Deinde in eodem medio sunt species duorum corporum ijsdem coloribus numero distinctis affectorum, v. gr. duorum alborum, & simul sunt in pupilla, & in sensibus internis, nempè sensu cõmuni, & imaginatione: Similiter in vno Patre simul sunt plures relationes numero distinctæ ad plures filios à se genitos: Denique in eodem aere sunt plures soni solo numero distincti, vt experimur in concentu musicali: ergo non repugnat plura accidentia solo numero distincta simul inesse eidem subiecto. Primum fundam. Pulchræ instantiæ.

27 Secundò. Non repugnat eidem passo applicari plura agentia solo numero distincta, quorum quodlibet suã circa illud exerceat actionem, v. g. duo Secũdum fundam.

ignes

ignes circa idem lignum. Nam si repugnent, sequeretur, quod neutrum ageret, quia vnum deberet impedire actionem alterius: & non esset maior ratio cur ignis, A, impediat ignem B, & hic non impediret illum, & sic neuter ignis ageret; quod est absurdum saltem in agentibus naturalibus, & experientia constat oppositum. Sed si vterque ageret, vtique ageret sua propria actione, taliter quod actio vnius non esset actio alterius: ergo nec terminus productus actione vnius, esset terminus productus actione alterius: Et sic illæ actiones terminarentur ad distincta accidentia solo numero distincta, nempe ad duos calores, & sic in eodem ligno essent duo calores solo numero distincti. Igitur non repugnant plura accidentia solo numero distincta inesse eidem numero subiecto.

Tertium fundam.

28 Tertio: Si quæ esset ratio, vnde probari posset, quòd plura accidentia solo numero distincta non possent esse in eodem subiecto, maximè, quia capacitas subiecti cum sit expleta per vnum numero accidens, non potest aliud recipere: Sicut vas aqua plenum, non potest recipere aliam aquam, quia capacitas vasis per vnã aquam expleta est: Etiã per experientiam videmus, quod in eadem numero superficie nõ possunt recipi duæ albedines: Sed hæc ratio nulla est: ergo, &c. Probatur minor, quod aliqua accidentia solo numero distincta non possint recipi in eodem subiecto non prouenit ex indiuiduali capacitate subiecti, sed aliunde: Nam si ex indiuiduatione procederet, hæc esset causa generalis ad omnia accidentia: Et tamen supra in primo argumento probatum est, quòd aliqua accidentia solo numero distincta possunt inesse eidem subiecto, quamuis aliqua simùl inesse non possint: Ergo, &c. Explicatur à pari: Sicut quod idem subiectum non possit colorari diuersis coloribus specie diuersis, vt simùl secundum eandem partem sit viridæ, & rubrum, hoc non prouenit ex generali ratione, quia accidentia specificantur à subiectis: Cùm non repugnet idem subiectum posse recipere duas simùl qualitates specie distinctas etiam sub suo proximo genere, v.gr. species albi, & species nigri possũt esse in eodem medio: Igitur quod aliqua accidentia possint simùl recipi, alia simùl recipi non possint, prouenit aliunde ex rationibus proprijs: ergo non repugnat plura accidentia solo numero distincta inesse posse eidem numero subiecto, &c.

Secunda sententia nostra, qua firmamus non posse duo accidentia solo numero distincta simul esse in eodem subiecto, propter indiuiduationem, quam habent à suis subiectis.

29 SEcunda sententia tenet oppositum: nempè quod propter indiuiduationem, quam habent accidentia à suis subiectis duo accidentia solo numero distincta non possunt simùl esse in eodem subiecto. Hanc sententiam communiter defendunt Thomistæ. Capreolus in 1. dist. 7. q. 2. art. 2. Vbi plurima adducit argumenta Scoti, Aureoli, Adami, Hugonis de Castro, & aliorum, partim ab experientia, partim à ratione petita, & optimè eodem soluit artic. Caiet. 3. p. q. 35. art. 5. Heruæus Quodlib. 3. q. 9. & in 3. dist. 8. q. 1. Paludanus ibidem q. 2. Soncin. 7. Met. q. 4.

2. Sententia nostra.
Capreol.
Caiet.
Heruæus.
Paludan.
Soncin.

30 Et ex nostris Carmel. Discalceatis P. Blasius à Conceptione in sua Metaph. disp. 4. q. 3. §. 1. P. Gabriel à S. Vincent. par. 3. de Sacram. pœnit. disp. 8. q. 5. dub. incid. citans S. Thomã: PP. N. Salmantic. tom. 1. tract. 1. disp. 2. de princip. indiuiduat. quos refert, & sequitur par. prima tract. 6. cap. 8. sui cursus Theol. Mor. doctissimus ille noster P. Franciscus à Iesu Maria (qui illa egregia volumina typis demandauit super Apocalypsim) cuius robustam doctrinam, non minus, ac solida dictamina N. P. Antonij à Spiritu Sancto in suo Director. Reg. par. 1. ferè semper testatur N. P. Andreas à

N. Blas. à Concept.
N. Gabr. à S. Vinc.
N. Salmãticens.
N. Franc. à Iesu Maria.
N Anton. à Spiritu Sancto.
N. Andr. à Mat. Dei.
N. Philip. à SS. Trinit.

Digitized by Google

Matre Dei par.2.ſeu tom.2.curſus ſuæ Theolog. Mor. Et tandem hanc ſententiam defendit N. P. Philipp. à SS. Trinitate in ſua ſumma Philoſophica 3.par.q.7.art.3.& alij.

Ariſt. 31 Et eſt expreſſa mens Ariſt. 5. Met. c.10.t. 15. Vbi ponens quintum modum, quo aliqua differunt ſpecie, & dicit: *Cum in eadem ſubſtantia ſint, differentiam habent.* Quem locum elucidans S. Th. lect. 12. partic. vltima. *Quintus*, inquit, *modus eſt*, ſcilicet, quo dicuntur aliqua diuerſa ſpecie: *Quando aliqua accidentia ſunt in eodem ſubiecto, & tamen differunt ad inuicem, eo, quod impoſſibile eſt plura accidentia vnius ſpeciei in eodem ſubiecto eſſe.* Multis alijs locis hanc ſententiam expreſſit S. Th., quæ percenſere ſuperfluum eſt.

1.Ratio. 32 Probatur ratione: Subiectum, & accidens proportionantur ſicut actus, & potentia: ergo ſicut vnus actus ſingularis non poteſt recipi, niſi in vna potẽtia ſingulari: (quapropter vnum numero accidens non poteſt ſimul eſſe in duobus ſubiectis numero diſtinctis, quia actus ſingularis requirit potentiam ſingularem ex 2. Phyſ. vt ſupra dictum eſt, arguendo contra hæcceitatem Scoti:) Ita etiam vna potentia ſingularis non poteſt recipere, niſi vnicum actum ſingularem, vt ſit proportio, & coaptatio inter actum, & potentiam, per quam coaptationẽ ad ſuam ſubiecti potentiam accidens indiuiduatur, vt de animabus rationalibus docuit S. Th.

Confirm. Confirmatur, quia capacitas ſubiecti eſt ità proportionata cum accidente, quòd in ſe poteſt recipere, ſicut capacitas loci ad locatum: Sed vnus locus naturaliter non poteſt in ſe continere, niſi vnum locatum, & duo corpora non poſſunt eſſe in eodem loco: ergo nec capacitas ſubiecti poteſt recipere ſimùl duo accidentia ſolo numero diſtincta.

2.Ratio. 33 Secundò probatur: Si duo accidentia ſolo numero diſtincta poſſent recipi in eodem ſubiecto, poſſet idem ſimul alterari duabus alterationibus ſolo numero diſtinctis: Quia nõ eſt maior ratio cur idem lignum, v.g. ſi poteſt recipere duos calores ſolo numero diſtinctos, quare non poſſet alterari duplici calefactione à duobus ignibus, per quas calefactiones produceretur duplex calor ſolo numero diſtinctus: Hoc autem eſt contra communem ſententiam: ergo, &c.

34 Reſpondent aduerſarij, quod ratio, quare non poſſint duo ignes ſimùl calefacere idem paſſum taliter, quod imprimant illi duos calores numero diſtinctos, non eſt ideo, quia ſubiectum non poſſit recipere plures calores, ſed quia eſſent illi duo calores fruſtra, & non propter finem actionis: finis enim actionis agentis eſt aſſimilare ſibi paſſum: Si ergo, vt ſupponimus, perfectè aſſimilatur agenti ex actione vnius, fruſtra aduenire aſſimilatio alterius: & ideò non eſt neceſſe, vt alter ignis agat in paſſum. Effugium aduerſariorum.

35 Sed hæc reſponſio non valet: Quia licèt paſſum eſſet aſſimilatum vni agenti, non eſſet aſſimilatum alteri. Ex quo enim ſubiectum eſt capax duplicis caloris, capax eſt duplicis aſſimilationis ſolo numero diſtinctæ. Sicut quia pupilla poteſt recipere ſimilitudinem vnius, & alterius corporis albi, volũt aduerſarij, quod vtrũq; album agat in pupillam imprimendo duplicem ſpeciem ſolo numero diſtinctam, quia per vnam ſpeciem aſſimilatur vni albo, & per alterã aſſimilatur alteri: ergo etiam idem paſſum poteſt recipere duplicem calorem à duobus ignibus, & per vnum aſſimilatur vni, & per alterũ alteri igni. Hoc autem, vt dixi, eſt contra experientiam, & veritatem: ergo, &c. Præcluditur.

3. Noſtra ratio. 36 Tertiò ſic argumentor: Aliqua accidentia ſunt, quæ ſolo numero diſtincta non poſſunt ſimul recipi in eodem ſubiecto, vt aduerſarii fatentur, & patet experientia, quod lignũ perfectè calidum, ſi admoueatur aliud calefactiuum eiuſdem virtutis non amplius calefacit, quia nimirum expleta eſt capacitas ligni, quam habebat ad recipiendum calorem ſecundũ illam

illam mensuram: Vnde si calefactiuũ non sit maioris virtutis, nõ agit: Ageret autem si lignum haberet capacitatem recipiẽdi distinctum numero calorem: Quia adhuc potentialitas, & capacitas ligni esset explebilis per aliũ numero distinctum calorem. Igitur aliquod genus accidentis talis conditionis est, vt illius generis, seu speciei duo accidentia solo numero distincta non possint simùl recipi ab eodem subiecto: ergo nulla accidentia solo numero distincta possunt ineſſe simùl eidem subiecto. Antecedens, vt dixi, & conceditur ab aduersarijs, & probatum est ratione. Consequentia probatur: Quia nulla potest sufficiens ratio assignari, quare aliqua accidentia solo numero distincta possint simùl ineſſe eidem subiecto, & aliqua ineſſe non possint. Omnes enim discriminis rationes, quas aduersarij adducunt, facillimo negotio refelluntur.

Vt efficacia tertiæ rationis nostræ sententiæ appareat, reponuntur, & refelluntur septem modi dicendi, seu septẽ discriminis rationes aduersariorum, quare iuxta sententiam oppositam ipsorum aliqua accidentia solo numero distincta non possint, & aliqua possint ineſſe eidem subiecto.

37 PRimus ergo modus dicendi, quare aliqua accidentia solo numero distincta non possint, & quare aliqua possint ineſſe eidem subiecto, est ratio formæ completæ, & incompletæ: Dicunt enim, quòd duo accidentia *in esse* completo non possunt simùl in esse eidem subiecto, benè tamen *in esse* incompleto. Et sic sunt species in eodem medio, vel in eadẽ phantasia. Ita Iauellus 5. Met. q. 17. & sumit hoc ex S. Th. q. 8. de Verit. a. 14. & citat pro se Capreolum in 2. dist. 3. q. 2. a. 3. Quatenus ad secundum Aureoli primo loco contra 9. conclusionem, affert hanc distinctionem, & eam confirmat, afferendo per extensum doctrinam S. Thomæ ex loc. mox citato. Adducit Suarius disp. 5. sect. 8. n. 6. pro hoc dicendi modo Caietanũ 1. p. q. 85. a. 4. Sed nec Capreolus, nec Caiet. loquitur de accidentibus solo numero distinctis, quia isti simpliciter tenet, quod duo accidentia solo numero distincta nullo modo possunt esse in eodem subiecto. (Vt patet ex locis citatis pro secunda sententia:) Sed loquuntur de accidentibus specie distinctis sub eodem proximo genere, de quibus accidentibus est alia ratio, vt mox ad tertiũ apparebit. Solũ Iauellus videtur fuisse huius mẽtis, & ita dicit esse propositionẽ Aristotelis supra adductã, limitandã: Quod scilicet, nõ est generatim intelligenda de omnibus accidentibus, sed de accidẽtibus in actu completo, & sic etiam limitat propositionem S. Th.

38 Sed hic modus dicendi nõ potest verificari, quia si semel admittit, quod in eodem subiecto possint esse simul duo accidẽtia solo numero distincta, vel ambo in actu incompleto, vel vnum in actu completo, & alterũ in actu incompleto, poterunt simul esse in eadem aqua duo calores numero distincti, vel ambo in gradu remisso, vel vnum in gtadu remisso, & alter in gradu intenso; quod nullus Thomista admittit, nec admittere potest: Adde, sicut simùl esse possunt duo, si duo ignes calefacerent eandem aquam, ita possent esse centum, si centum calefactiua applicarentur. Quod per se patet esse absurdum.

39 Secundus modus dicẽdi distinguit accidẽtia propria, & cõmunia, & dicit, quòd accidẽtia propria non possunt plura numero simùl esse in eodẽ subiecto: At vero accidentia communia, & extranea possunt solo numero distincta plura esse simùl in eodẽ subiecto; & ratio disparitatis est: Quia cum accidentia propria consequantur naturam subiecti, vnum sufficit pro vno subiecto: At accidentia communia cum proueniãt ab impressione extrinseci agentis, possunt plura imprimi à pluribus agentibus. Et ita idem passum potest recipere diuersos calores numero distinctos per distinctas calefactiones. Ita Iandunus 5. Met.

1. Modus dicendi.

Iauellus.

Suarius.

Capreol. Caiet.

Iauellus.

Refellitur primus modus dicendi.

2. Modus dicendi.

Iandun.

Digitized by Google

q.36.& ita limitat propositionẽ Arist. quod intelligendus est de accidentibus proprijs,non communibus.

40 Sed hæc sententia Iandini, quod vnum passum,v.g. eadem aqua calefacta,vt quatuor in eadem parte, si admoueatur calefactiuum, vt quatuor,tale calefactiuum agat in aquam producendo nouum calorem, vt quatuor,est contra communem sententiã: Et ideò iste modus dicendi, vt fallus ab omnibus reijcitur.

Refellitur secundus modus dicendi.

41 Tertius modus dicendi distinguit accidentia, quòd alia sunt, quæ acquiruntur subiecto per proprium motum, & mutationem, vt est calor, lumen,& similia.Alia,quę non acquiruntur subiecto per proprium motũ, vel mutationem, vt est relatio, situs, vbi, & similia: Dicunt ergo, quod illa accidentia,quæ acquiruntur subiecto per proprium motum, non possunt simùl plura numero esse in eodem subiecto,benè tamen illa,quę nõ acquiruntur per proprium motum,vel mutationem. Hanc sententiam refert Fonsec.5.Met.c.10. q.1. sect. 1. & solet tribui Scoto, Durando, Gabrieli, & alijs, sed Suarez disp.5. Met. sect. 8. a. 10. ostendit prædictos Auctores fuisse alterius mentis.

3. Modus dicendi.

Fonseca. Scotus. Durãdus. Gabriel. Suarez.

42 Et ratio discriminis esse potest: Quia quando subiectum per motum, aut mutationem acquirit aliquod accidens, necesse est, vt ibi interueniat actio agentis reducentis subiectum de potentia ad actum: Si ergo subiectum iam est in actu, & assimilatum agenti,cessat actio alterius agentis: At vero quando accidens non acquiritur per proprium motum, aut mutationẽ, sed solum resultat ex positione alterius extrinseci,sicut ex positione termini resultat relatio,aut ab existentia in loco resultat vbi,tunc nihil prohibet huiusmodi accidentia solo numero distincta posse resultare in eodem subiecto, & sic in eodem Patre resultant plures paternitates.

43 Sed hic modus dicendi est falsus: Et quamuis posset multis impugnari: Quia non est sufficiens ratio, quare accidentia acquisita per motũ, vel mutationem non possint multiplicari numero in eodem subiecto,& per resultantiam possint, quia vtrobique currit ratio similitudinis, & actuationis; nihilominus nunc reijcitur ex præcipuo illorum fundamento. Præcipuum fundamentum, quo probant suam sententiam, quod scilicet non repugnat plura accidentia solo numero distincta posse esse in eodem subiecto, est experientia, quia plures species numero distinctæ recipiuntur in eadem potentia, v.g. visiua: sed species recipiuntur in potentia per veram mutationem: Quia visibile per actionem suam immutat potentiam: & species ab extrinseco agente potentiæ imprimuntur, non per resultantiam: ergo non est generaliter verum, quod accidentia, quæ acquiruntur per motum, & mutationem nõ possint simùl esse in eodem subiecto, Sicut nec est vniuersaliter verũ, quod accidentia, quæ prodeunt in *esse* per resultantiam, possint simùl numero distincta ineesse eidem subiecto: Quia locatum in vno loco non potest habere,nisi vnicum solum vbi:ergo,&c.

Refellitur 3. modus dicendi.

44 Quartus modus dicendi distinguit accidentia,quòd alia sint relatiua,alia absoluta. Relatiua quidem vniuersaliter dicit posse multiplicari numero in eodem subiecto. De absolutis subdistinguit, quod quædam educuntur de potentia subiecti,vt calor, quædam non educuntur,vt lumẽ. Dicit ergo de his absolutis,quòd illa, quæ educuntur de potentia subiecti, non possunt multiplicari numero in eodem subiecto: quæ vero non educuntur, possunt numero multiplicari.

4. Modus dicendi.

45 Modus hic quartus dicendi est Antonij Andreæ 5.Met.q.8.

Antonius Andreas.

46 Sed neque hic dicendi modus est sufficiens: Nam quòd dicit aliqua accidentia absoluta educi de potentia subiecti, aliqua non educi, est falsum, quia omne accidens petit fieri in subiecto, & ex subiecto, sicut omne accidens petit inhærere subiecto. Imo, vt lumen educatur de potentia subiecti,

Quartus dicendi modus refellitur.

Digitized by Google

cti, requirit ſubiectum diſpoſitum, nẽpè diaphanum, quod non eſſet neceſſarium, ſi lumen non educeretur de potentia ſubiecti. Deinde debet aſſignare rationem, quare accidentia abſoluta, quæ educuntur de potentia ſubiecti, non poſsint numero multiplicari, ſecus vero, quæ non educuntur, ſed informãt ſubiectum: ſicut anima rationalis, quę non educitur à materia, ſed informat materiam.

47 Et certè non poteſt aliam aſſignare rationem, niſi quia ſubiectum eſt factum in actu per vnum tale accidens, & ideò ſuperueniens eſſet ſuperfluum. At hæc eadem ratio militat de cæteris accidentibus nõ ſolum abſolutis, ſed etiam reſpectiuis. Nam ſi ſubiectum eſt illuminatum, vt quatuor, ad quid aliud lumen, vt quatuorè Et ſi ſubiectum per vnam relationem optimè refertur ad terminũ, ad quid alia relatio ſolo numero diſtincta, per quam referatur ad conſimilem terminum? Si termini habent eandem rationem formalem, per vnicam relationem poſſet referri ad omnem terminum participantem eandem formalem rationem.

48 Explicatur: Quia ſecundum vnã rationem formalem potentia refertur ad obiectum, non multiplicantur tot potentiæ, quot ſunt obiecta participantia illam rationem formalem, ſed vna ſimplex, & indiuidua potentia refertur ad omnia obiecta; (illa enim multiplicitas obiectorũ, dũmodo habeat eandem rationem formalem, de materiali ſe habet ad vnitatem potẽtiæ.) Relatio pariter non reſpicit terminum, niſi ſecundum aliquam rationem formalem: Et ideò ſi termini cõueniunt in vna ratione formali, vnica ſufficit relatio. Alioquin tenemur dicere, quod in vna ſuperficie alba eſſent ponendæ tot relationes numero diſtinctæ, quot ſunt alba in vniuerſo. Quòd certè puerile videtur.

49 Igitur ſicut ſubiectum actuatũ per vnum calorem non poteſt ſuſcipere alium diſtinctum numero calorem, quia iam eſt actu calidum: ita etiam ſubiectum non poteſt ſuſcipere, niſi vnicam relationem, per quam actu refertur ad omnes terminos participantes illam formalem rationem, & ſuperflua eſt omnis alia relatio.

50 Quod ſi dixeris non ſub eadem ratione terminari plures numero relationes ad diſtinctos terminos, v.g. plures paternitates ad plures filios, quia vna terminatur ad vnum, v.g. vt primo genitum, ad alterum, vt ſecundo genitum, & ſic de alijs: Sed ſi ſub diuerſa ratione reſpiciunt terminum, dicam illas relationes differre ſpecie inter ſe, & numero: Et ita verificatur dictum Ariſt. quod accidentia, quæ in eodem ſubiecto differentiam habent, differunt ſpecie: Igitur nullum omninò eſt allatum diſcrimen: Quia eadem ratio incompaſſibilitatis militat de abſolutis, & reſpectiuis, de eductis, vel non eductis è ſubiecto.

51 Quintus modus dicendi diſtinguit accidentia, quòd quædam ſunt intenſibilia, & remiſſibilia, quædam vero intentionem, & remiſſionem non ſuſcipiunt: Dicit itaque quintus hic modus, quòd accidentia, quæ intenduntur, & remittuntur, non poſſunt plura numero eſſe in eodem ſubiecto, & hæc ſunt illa, quæ acquiruntur ſubiecto per motum, vel mutationem ſucceſſiuam; ſed quæ non intenduntur, aut remittuntur poſſe plura eſſe in eodem ſubiecto. Hunc modum dicendi tribuit Suarius diſp. 5. Met. ſect. 8. n. 13. Fonſecę lib. 5. Met. c. 10. ſect. 3. & 4. Quintus dicendi modus. Suarius. Fonſeca.

52 Sed hic modus dicendi neque eſt ſufficiens. Primò, quia ſtando in huius ſententiæ principijs nec verum eſt, quod accidentia, quæ ſunt intenſibilia, & remiſsibilia, non poſsint plurificari in eodem ſubiecto. Nam lumen, ſpecies intentionales, ſonus, & ſimilia ſunt huiuſmodi accidentia, & tamen aſſerunt iſti dari plura numero eodem ſubiecto. Quintus modus dicendi impugnatur.

53 Rurſus nec omnia accidentia, quæ non ſuſcipiunt intentionem, aut remiſsionem, poſſunt plura ſimùl numero diſtincta eidem ineſſe ſubiecto.

Non

Digitized by Google

Non enim duæ quantitates numero distinctæ possunt inesse eidem subst-
tiæ: nec duæ figuræ numero distinctæ eidem superficiei: nec duo vbi: nec duo situs: nec alia similia.

Fonseca. 54 Deinde oportet, vt Fonseca assignet rationem quare aceidentia, quæ intentionem, & remissionem suscipiunt, non possint esse plura in eodē subiecto; & illa, quæ nō intenduntur, nec remittuntur, possint plurificari: Et eam videtur reddere rationē: Ratio Fō-secæ. Quia quando accidens suscipit intentionem, & remissionem, tunc si vnum accidens numero addatur subiecto, in quo præexistit aliud consimile accidens, non remanent duo accidentia, numero distincta, sed ex illis fieret vnum magis intensum, & sic nunquā possunt esse duo accidentia: hoc autem non euenit in illis acccidentibus, quæ non suscipiunt magis, & minus: Nam cum sint quoad intentionem, & remissionem indiuisibilia, benè possunt simùl distincta in eodem cohærere subiecto: & sic duæ paternitates benè possunt simùl inesse eidem Patri.

55 Sed hæc disparitas nulla est. Ratio Fō-secæ impugnatur. Primò, quia fundatur in sententia valdè incerta, supponit enim duo: Primum, quod intentio fiat per partes eiusdem accidentis, sed hoc tolerabile est: Secundum, quod crescat intentio accidentis per additionem cuiuscumque partis, taliter quod si albedo, vt vnum extensa per longissimam superficiem, vniretur tota in vno angulo superficiei, illa albedo euaderet intensa, vt centum, quod est communiter reiectum.

56 Quòd si dixeris nō intendi per Effugium Fonsecæ præcluditur. has partes extensiuas, sed per partes intensiuas longè ab illis diuersas: ergo si subiecto calido, vt quatuor adderetur alius calor, vt quatuor, non resultaret calor, vt 8. sed remanerent duo calores, vt quatuor, & ita etiam ex hoc genere accidentium duo solo numero distincta inesse possēt eidem subiecto. Denique instantia de luminibus, de speciebus intentionalibus, de sonis, & similibus (quæ admittit Fōseca posse in eodem subiecto multiplicari, vel aliqua illorum, cum sint accidētia intensibilia, & remissibilia) hunc dicendi modum falsitatis conuincit. Non ergo hac distinctione assignatur ratio sufficiens, quare aliqua accidētia solo numero distincta inesse simul possint eidem subiecto, aliqua inesse non possint.

Sextus dicendi Modus; seu sexta Discriminis ratio Aduersariorum.

57 SExtus dicendi modus est Suarij, qui loco. sæpiùs cit. disp. 5. Met. sect. 8. n. 14. quāuis asserat duo similiter esse certa; nimirū, aliqua accidētia solo numero distincta posse simùl esse in eodem subiecto (eo, quod instantia specierū, & relatiuorum sibi multum probari dicat) nō tamen omnia accidentia solo numero distincta esse simùl cōpossibilia in eodē subiecto. Nihilominus cōfutatis, & satis efficaciter, prędictis dicēdi modis, ingenuè fatetur difficilè assignari posse generalem regulā ponentem generalem differentiam, qua perscribatur, aut declaretur, quæ accidentia solo numero distincta possint simùl esse in eodem subiecto, & quæ minimè possint: Nihilque inuenire, quod sibi ex omni parte satisfaciat: Attamen numero 15. tentat, & ipse aliquam generalem regulam ponere. 6. Modus dicendi.

58 Pro qua notat duo: Primum, quòd intra latitudinem numericam accidentium eiusdem speciei, quædam sunt, quæ penitùs conueniunt, sicut duæ species numero distinctæ, quæ repræsentant idem indiuiduum, vt sunt duæ species eiusdem Petri: Quędam vero, quæ non omnino conueniunt, sed est in eis aliqua maior diuersitas, vt sunt duę species, quę repræsentant duo indiuidua eiusdem speciei, vt sunt duæ species, quarum vna repræsentat Petrum, & alia, quæ repræsentat Paulum. Primum prænotatū Suarij.

59 Notat secūdò, quòd accidentia eiusdē speciei, & solo numero distincta, 2. Prænotatum.

Digitized by Google

cta, possunt ordinari ad idē officiū, vt si ponerentur duæ relationes, quæ referrent Patrem ad eundem filium, & possent ordinari ad diuersa officia, vt duæ relationes, quæ referrent eundem Patrem ad distinctos filios.

60 His prænotatis, dicit: Duo accidentia solo numero distincta, quæ sunt omninò similia, non possunt simùl esse in eodem subiecto, & similiter quæ ad idem penitùs officium sunt destinata: Quæ vero habēt inter se aliqualem diuersitatem, vel quorū ad officia aliqualiter diuersa ordinantur, esse compossibilia in eodem subiecto; Et ratio discriminis est: quia quando sūt penitùs similia, vel ad idem officium destinata, posito vno accidente, superfluum esset alterum: Quia si per vnum potest haberi intentum, frustra aliud additur; frustra enim fit per plura, quod fieri potest per pauciora. At quando aliquam diuersitatem in se seruant, tunc neutrum esset superfluū, quia aliquid præstaret vnum, quod non præstaret alterum.

61 Sed hic modus dicendi nec est sufficiens. Primò, quia si semel admittitur, quòd inter accidentia eiusdem speciei datur aliqua maior, & minor conuenientia, vel destinatio ad idem, vel diuersa officia, non est maior ratio, quare hæc distincto locum habeat in accidentibus intentionalibus, & relatiuis, quàm in accidentibus realibus, & absolutis; puta in lumine, in calore, & alijs similibus accidentibus: ergo etiam possunt duo lumina, & duo calores solo numero distincti esse in eodem subiecto, quæ Suarius non admittit, nec admittere debet propter rationes, quas ibidem adducit.

Primo refellitur sextus modus dicēdi.

62 Nec valet si dicas esse disparē rationem de accidentibus intentionalibus, & relatiuis, ac de realibus, & absolutis: Quia illa sunt repræsentatiua, & relatiua: Et ideò pro diuersitate obiectorum, quæ repræsentant, vel terminorum, ad quos referunt intra latitudinem numericam possunt habere aliquam maiorem, & minorē conuenientiam, vel in repræsentando, vel in referendo: At accidentia realia, & absoluta non sunt capacia istius maioris, & minoris conuenientiæ.

Effugium aduersarij.

63 Non valet, inquam, hæc responsio. Primò, quia sicut absolutè iuxta mentem Suarij indiuiduantur, ità absolutè possunt habere differentiam indiuidualē alteram altera perfectiorem: Sicut & de animabus rationalibus dicit S. Thomas, & Caietanus, quod altera est altera substantialiter perfectior. Vnde & accidentium consequentium ipsas animas alterum est altero indiuidualiter perfectius: Vnus enim habet intellectum altero meliorem, & sic de alijs indiuidualibus accidentibus: igitur nō solum ista inæqualitas potest reperiri in accidentibus intentionalibus, sed etiam in accidentibus realibus; non solum in relatiuis, sed etiam absolutis.

Præcluditur.

S. Th. Caiet.

64 Et sic si duo luminosa vt quatuor haberent lumina indiuidualiter inæqualia, possent producere duo lumina in eodē diaphano, & duo ignes habentes suos calores æqualis intentionis, sed indiuidualiter inæquales, possent in eodem passo inducere duos calores, quod est à philosophia alienum.

65 Secundò improbatur hic dicendi modus: Quia illa diuersitas, quā Suarius ponit inter illas species, & relationes, est specifica, non numerica, vt certò ipse, & alij Aduersarij supponūt: & ratio est manifesta primò de speciebus, quia omnis diuersitas specierum, quæ prouenit ab obiectis, est diuersitas specifica: Quia cum species intentionales specificentur ab obiectis, non ita specificantur ab illis, quod qualem vnitatem habent obiecta in esse Entitatiuo, talem habeant species; vt si obiecta habeant vnitatem, vel diuersitatem genericam sic species genere differāt: Et si illa habeant vnitatem, vel diuersitatem specificam, differant & ipsæ species intētionales diuersitate specifica: & si habeant

Secundo refellitur sextus modus dicēdi.

Digitized by Google

beant numericam, differant numero.

66 Nam & si obiectum sit genus generalissimum (puta substantia) tamẽ species repręsentans substantiam, differt à specie repræsentãte quãtitatem solum specie infima; quia ex vi suæ propriæ repræsentationis species substantiæ non habet repræsentare, nisi communem rationem substantiæ; & species quantitatis non habet repræsentare, nisi quantitatem, & hæc est vltima, & infima sua specificatio.

67 Vnde licèt substantia, & quantitas, *vt entia sunt*, differant genere generalissimo, tamẽ *in ratione obiecti*, solum differunt specie, quia vt sic specificant species intentionales repræsentatiuas ipsarum, quod etiam apparet in potentijs: Non enim, quia obiectũ est ens in quãtum ens intellectus (hoc est in tota sua vniuersalitate) ideò intellectus est potẽtia, cuius vnitas sit vniuersalissima, & analoga, atq; communis ad omnia decẽ sũma genera, ad quæ ens, vt ens habet communissimam vnitatem; sed ex hoc, quod respicit hoc obiectum in tota sua vniuersalitate, intellectus est vna potẽtia vnitate specifica, & atoma: Sic è contra, non quia species repræsentat duo obiecta solo numero distincta in genere entis, propterea solo numero differunt ipsæ species: Cuius signum est, quia species, quæ repræsentant vnum indiuiduum, ita est determinata ad repræsentandũ hoc indiuiduum, vt non possit, nec habeat vim repræsentandi aliud.

Vnde vnitas atoma potentiæ intellectiuæ.

68 Cum ergo tota essentia speciei sit esse repræsentatiua sui proprij obiecti, sequitur, quod si ita repræsentat hoc indiuiduum, vt aliud repræsentare non possit, differat essentialiter à specie repręsentãte aliud indiuiduum: Vnde species repręsentans Socratem differt specie ab illa, quæ repræsentat Platonem; illæ enim species solum differunt numero, quæ repræsentãt vnum, & idem indiuiduum, & istæ non multiplicantur numero ex parte obiecti, sed ex parte subiectorũ in quibus recipiuntur. Et ratio non est alia, nisi quam supra attulimus, quia omnis differentia specierum qualiscumq; sit, quæ sumitur ab obiectis, diuersificat species intentionales diuersitate specifica, non numerica, quia hæc sumitur à subiectis: Sicut etiam quamuis obiecta secundum se differant genere generalissimo, tamen species repræsentantes illas rationes generalissimas, non differunt inter se, nisi specie atoma, vt dictum est.

Species repræsentãtes duo indiuidua differunt specie.

69 Et propterea S. Thomas 1. p. q. 85. a. 4. docet: Omnes species intentionales esse eiusdem proximi generis, & differre solum specie atoma inter se, qualitercumque obiecta inter se differant in essẽ entis, aut genere generalissimo, aut genere subalterno, aut specie, aut numero: generatim enim dicit S. Th. species intentionales inter se solum specificè distingui, quia qualiscumq; sit obiectorum diuersitas, sufficit ad specificandas species intentionales, & ad dandum illis specificam distinctionem. *Omnes*, inquit, *species intelligibiles sunt vnius generis, quia sunt perfectiones vnius intellectiuæ potentiæ, licèt res, quarum sunt species, sint diuersorum generum.* S. Th.

70 Et quamuis S. Thomas loquatur de speciebus intelligibilibus, eadem ratio recurrit de speciebus pertinentibus ad quamlibet aliam potentiam. Quia si ex eo species intelligibiles sunt eiusdem generis, & solùm differunt specie, quia ordinantur ad perficiendam eandem potentiam intellectiuam: ità species sensibiles sunt eiusdem generis, & differunt specie; quia nimirum ordinantur ad perficiẽdam eandem potentiam sensitiuam. Et rursus sicut non maiorem distinctionem, aut diuersitatem causant obiecta in ipsis speciebus, nisi specificam sub eodem proximo genere, etiã si obiecta sint diuersi generis, aut prædicamenti: ità è contra quæcumque diuersitas prouenit illis ab obiectis, etiã si obiecta solo numero differant inter se; nihilominus illa diuersitas est specifica: propterea enim dicitur, quod sicut potentiæ, ita etiam suo

modo

Digitized by Google

modo ſpecies intentionales ſpecificantur ab obiectis.

71 Quod dictum eſt de ſpeciebus, idem dicitur de relationibus: Quia ſicut ſe habent ſpecies ad obiecta, ita relationes ad terminos: Sicut enim ſpecies ſunt repræſentatiuæ obiectorum, ita relationes ſunt relatiuæ ad terminos.

72 Vel ergo dicēdū eſt, quod multiplicitas numerica terminorum ſe habeat de materiali ad rationem terminandi: ideſt, quòd paternitas ſolùm reſpiciat filium à ſe genitum, ſiue hic genitus ſit vnus, ſiue plures: & ſic in vno Patre vnica eſt relatio ad omnes filios à ſe genitos, quia vnica eſt formalis ratio terminandi; & multiplicitas terminorum ſolum ſe habet de materiali, quæ eſt ſententia Sancti Thomæ, vt diximus in de relationibus.

73 Vel ſi illa multiplicatio terminorū pertineat ad rationem formalē, quatenus per vnam reſpicit primogenitum, & per aliam ſecundo genitum, & tunc illa diſtinctio eſt ſpecifica: Quia ità eſt relatiua ad primum filium, *vt primus* eſt, vt non poſsit per illam referri ad ſecundū, & neque per relationem, qua refertur ad ſecūdum, poteſt referri ad primum: ergo illæ duæ relationes reſpiciunt primum, & ſecundum genitum formaliter, vt tales ſunt; & conſequenter inde conſurgens relationum diſtinctio eſt ſpecifica.

74 Igitur illæ plures ſpecies intētionales, & illæ relationes eo ipſo, quod habent diuerſitatem aliquam, Suarius. prout dicit Suarius, non diſtinguūtur numero, ſed ſpecie: Ac proinde modus dicendi huius auctoris demolitur totum ſuum fundamentum, quo ſibi certò perſuadet aliqua accidentia ſolo numero diſtincta eſſe compoſsibilia in eodem ſubiecto: quam ſuam certitudinem fundat maximè in ſpeciebus intentionalibus, & in relationibus: quia reducit illam pluralitatem accidentium ad diſtinctionem ſpecificam, non numericam; admittendo inter illa accidentia aliquam diuerſitatem maiorem in vno, quàm in alijs: Quia, vt oſtenſum eſt, illa non poteſt eſſe numerica, ſed ſpecifica, &c.

Septimus dicendi Modus, ſeu ſeptima Diſcriminis ratio aduerſariorum.

75 SEptimus denique dicendi Modus eſt Niphi 5. Met. diſp. 8. c. 4. vbi initio capitis dicit: De hac diſputatione videtur mihi nihil eſſe certū; eſt enim problema philoſophicum; ex quo patet, quod oppoſita ſententia non eſt ita certa, vt eam reputat Suarius; Conſentit tamen Niphus cum aduerarijs, tenens, quòd quædam accidentia ſolo numero diſtincta non ſint compoſſibilia in eodem numero ſubiecto: quædam vero compoſſibilia ſunt. Vt autem aſſignet, quæ compoſſibilia, & quæ incompoſſibilia ſint; Notat, quod quædam accidentia ſunt, quorum agens vicem gerit ſubiecti, & agentis: Sic ſunt illa accidentia, quæ ab agente pendent in eſſe, & conſeruari, ſeu in fieri, & in facto eſſe: Vt lumen, ſpecies intentionales, phantaſma, actus intelligendi, & ſimilia: hæc enim accidentia nō ſolum pendent ab agente præcisè, vt ab agente, ſed etiam, vt à ſubiecto.

Septimus modus dicendi Niphi.

Suarius. Niphus.

76 Et ratio, inquit, eſt: Quia ſubiectum propriè eſt illud, à quo dependet accidens in eſſe, & conſeruatione: Vnde cum huiuſmodi accidentia talis conditionis ſint, vt ablata actuali influentia agentis, in ſubiecto nō maneant, ſed pendeant ab agente non tantum in ſuo fieri, ſed in conſeruari; ipſum agens ſupplet complementum ſubiecti, ad quod, vt eſſet completum in ratione ſubiecti, requirebatur, vt ab eo in ſua conſeruatione penderēt, taliter quod ablato agente, adhuc in ſubiecto remanerent.

Ratio Niphi.

77 Quædam verò accidentia ſunt, quorum agens ſubit vicem agentis tantum, & nullo pacto ipſius ſubiecti: Vt illa, quæ ab agente dependent in

Digitized by Google

fieri tantum', & non in sua conseruatione: Sic sunt omnia accidentia naturalia, quæ post actionem agentis derelinquuntur in subiecto, vt calor, frigus, albedo, & similia.

78 Quædam denique accidentia sunt, quorum termini subeunt vicem subiecti, vt sunt relationes. Quia quãuis à termino non efficiantur, sed resultent ex ipso fundamento; attamen ita dependent à termino, vt sine illo nec esse, nec conseruari valeant.

79 His prænotatis, tradit generalẽ regulam, quod illa accidentia, quorũ agens subit vicem agentis tantum, & non subiecti, illa in eodem subiecto simùl inesse non possunt, nec in eodem subiecto compossibilia sunt: & ita duo calores, duæ albedines, &c. nõ possũt simùl inhærere eidẽ subiecto: Illa vero, quorum agens, vel terminus gerit non solum vicem agentis, vel puri termini, sed etiam vicem subiecti; illa sũt compossibilia in eodem subiecto; & sic duo lumina, duæ species intentionales, duæ relationes solo numero distinctæ possunt benè inesse eidem indiuisibili subiecto.

80 Imò addit, non modo talia accidentia plura solo numero distincta posse inesse eidem subiecto, sed posse vnum horum accidentium migrare de subiecto in subiectum; ita vt vna species intentionalis, quæ immittitur immediatè ab obiecto, eadem omninò transiens per medium peruenit ad potentiam, & non diffunditur per medium, Ita dicit ad vltimum capite 5. Vbi reijcit solutionem eorum, qui dicunt, quod ista diffunduntur per medium; & concludit: Non est impossibile accidens migrare de subiecto in subiectum, quando respectu illius agens se habet vt subiectum, & agens: Et magis hanc esse mentem istius Auctoris apparet, si solutio cum argumento conferatur.

81 Reddit deinde rationem, quare vnius generis accidentia solo numero distincta sint compossibilia in eodem subiecto; & alterius generis compossibilia non sint: & dicit, quod ratio discriminis est, quia illa accidentia, quorum agens simùl subit vicem agẽtis, & subiecti, sicut accipiunt esse, ita & vnitatem, & indiuiduationem ab agente. Subiectum autem, quod præsupponitur, se habet solum, vt id, *sine quo non*; & ideò si duo luminosa applicentur eidem diaphano, producunt duo lumina. Quia illa lumina non indiuiduantur à diaphano, in quo sunt, sed à luminosis illuminantibus idem diaphanum.

Ratio Niphi.

82 At vero illa accidentia, quorum agens solùm est agens, & non habent vicem subiecti, non sunt solo numero distincta compossibilia in eodem subiecto propter rationem Sancti Thomæ: Quia ista accidentia indiuiduantur à subiecto, in quo recipiuntur. Nam ista accidentia non recipiũtur in subiecto, tanquam, vt sic dicam, in deferente, & per modum transeũtis, sed tanquam in subiecto verè recipiente, & habente illa per modum permanentis, & vt sint quodammodo propria ipsius subiecti; cuius signũ est, quia ablato agẽte, & desinente actuali eius influentia, relinquuntur in subiecto, tanquam illa possidente.

83 Sed hic modus dicendi nõ minus est deficiens, quàm cæteri præcedentes. Et deficit multipliciter: Primò, quia non est constans in puncto quæstionis. Nam iuxta hunc modum dicendi, absolutè illa accidentia non sunt in eodem subiecto, quia subiectum illorum propriè non est illud, in quo recipiuntur, sed sunt ipsa agẽtia, quæ gerunt vices subiectorum, & à quibus indiuiduãtur. Nostra autem quæstio procedit de eodem omninò subiecto; Quod in proposito esset, si in subiecto, in quo sunt, & ab vno agẽte, à quo efficiuntur, & conseruantur per modum vnius adæquati subiecti, possent duo huiusmodi accidentia simùl cohærere; v.g. si duo lumina possent simùl stare in eodem diaphano, & ab eodem luminoso; tunc propriè esset casus iuxta sensum quæstionis: Et certè nec Niphus, nec vllus alius in tali casu affirmatiuam partem teneret.

1. Reijcitur septimus modus dicẽdi.

Niphus.

Digitized by Google

neret. Igitur cuiuscumque generis accidentia, & quomodocumque illis assignetur subiectum, si solo numemero distincta sint, simpliciter dicendū est, esse incompossibilia in eodem subiecto.

84 Deficit secundò in suo fundamento: Est enim fundamentum istius opinionis illa distinctio agentis: Nēpè quod aliud subit vicem āgētis tātum; aliud subit vicem agentis, & subiecti: Quæ distinctio videtur voluntariè excogita; Nullum enim fundamentū habet nec in auctoritate Philosophorū, nec in principijs philosophicis: Quia falsum est, quod omne agens, à quo suus effectus dependet in fieri, & conseruari, gerat vicem agentis, & subiecti; alioquin primum agens, à quo omnis effectus creatus, ne dum omne accidens dependet in fieri, & conseruari, subiret vicem agentis, & subiecti, quod est inauditum. Quod enim Deus efficienter possit supplere defectum subiecti, ficut supplet in accidentibus Eucharisticis, verum est; Sed tunc est specialis ratio supplendi subiectum. Sed cum illa accidentia adhuc cum erant in proprio subiecto, dependerent in fieri, & conseruari à primo agente, non propterea Primum agens subibat vicem agentis, & subiecti, sed solum puri agentis.

2. Reijcitur.

85 Deficit tertiò nā falsū est, quod dicit esse de ratione subiecti, vt accidens ab eo dependeat in fieri, & conseruari. Quod enim accidentium, quæ recipiuntur in subiecto, quædam abscedente agente in eo remaneant; quædam non remaneant, non pertinet ad rationem subiecti, sed ad conditionem accidentium: Nam multoties subiecto repugnat, non solum recipere, sed retinere huiusmodi accidentia; vt apparet in aqua, quæ non solum violenter recipit, sed violenter retinet calorem. Vnde conseruatio caloris in aqua amoto calefactiuo, non est ab aqua tanquam à subiecto; imo ipsa ex se sollicitatur ad destruēdum calorem. Igitur non pertinet ad rationem subiecti, quod ab eo depēdeat accidens in fieri, & conseruari; Sed hoc pertinet ad ipsa accidentia, quod hæc sint talis conditionis, vt requirant influentia agentis in fieri, & conseruari; illa talis conditionis, quod solum pendeant in fieri, & nō in conseruari. Ad propriam enim subiecti rationem sufficit recipere accidens, quod ei imprimitur ab agente.

3. Reijcitur.

86 Deficit quartò: Quia falsum est, quod respectu illorum accidentiū, quæ pendent ab agente in fieri, & cōseruari, subiectum requiratur, vt id, sine, quo non fieret: Quia respectu cuiuscumque agentis concurrit, vt vera, & propria causa materialis essentialiter requisita ab accidente: Nam quod accidentia requirant subiectum vt vera causa existentiæ illorum, non prouenit à natura huius, vel illius accidentis, sed ab ipsa ratione accidentis in quantum est accidens. Quia nimirum accidentis esse est inesse, & totum esse suum ordinatur ad subiectū: ergo quodcumque accidens est ordinatum ad inessendum subiecto, & ad existendum per illud, ad discrimen substantiæ, quæ existat per se: igitur tàm accidentia permanentia, quàm transeuntia: tàm quæ pendent in fieri, & conseruari, quàm quæ solum in fieri pendent ab agente, omnia agnoscunt subiectum, vt veram causam sui esse, & existentiæ.

4. Reiicitur.

87 Deficit quintò ex eo, quòd dicit, quod accidentia, quæ pendent in fieri, & conseruari ab agente, indiuiduantur ab illo, non à subiecto; hoc enim præter quamquod supra generatim reiectum est; Nunc, prout spectat ad rem presentem, reijcitur ex eo, quia sequeretur, quod vnius speciei non daretur, nisi vnicum indiuiduum accidens, vt enim dictum est, omnia accidentia multo magis in fieri, & cōseruari dependent à primo agente: Si ergo huiusmodi accidentia indiuiduarentur ab vnitate agentis, sequeretur quod vnius speciei esset vnicum accidens.

5. Reiicitur.

88 Nec valet, si respondeas esse disparem ratione de agente primo, & aduers.

Respōdet

Digitized by Google

de agente proximo: Quia agens Primum concurrit, vt causa vniuersalis; agens proximum, vt causa particularis: Agens primum vt causa æquiuoca; agens proximum, vt causa vniuoca.

Euertitur responsio.

89 Non valet, inquam hæc responsio. Nam Deus & si concurrat, vt causa vniuersalis ad omnes effectus, tamẽ cum ipse in fieri, & conseruari concurrit ad hũc calorem, particularizat suum concursum ad hunc calorem, & conseruat illum, recedente sua proxima causa; ac consequenter perinde se habet, vt causa particularis istius caloris. Vnde si illa accidentia propter nimiam dependentiam, quam habent à suis agentibus (quia nimirum pendent in fieri, & conseruari) indiuiduãtur ab illis; multo magis calor, & similia accidentia indiuiduari debent ab vnitate agentis Primi, quia dependent in fieri, & conseruari, multo magis ab illo, cum saltem quantum ad conseruationem, propter quam Niphus vult illa accidentia indiuiduari à suis agentibus, dependeant à Deo tanquam à proximo, & immediatè agente.

Niphus.

Effugium Niphi diluitur.

90 Quod deinde addebatur discrimen de vniuocatione, & æquiuocatione agentis primi, & secundi; nihil ad rem: Quia obiecta sensibilia, cum immittunt species, sunt illarum causæ æquiuocæ, & nihilominus vult Niphus illas indiuiduari à suis agentibus, quia ab illis pendent in fieri, & conseruari: ergo discrimen allatum nullum profectò est.

Sexto cõfutatur septimus iste modus dicẽdi.

91 Deficit tandem sextò, & multum deficit, cum dicit huiusmodi accidentia, quorum agens subit vicem agentis, & subiecti migrare posse de subiecto in subiectum; hoc enim insana philosophia est inauditum. Sed dimissis alijs rationibus generalibus, quæ ad hoc ostendendum afferri solent, nunc in præsenti materia facilè confutatur.

Ratio cõfutationis.

92 Quia si species visibilis, v. gr. quæ transmittitur ab obiecto ad potentiam visiuam, discederet ab obiecto ad potentiam migrando, & saltãdo per spatium intermedium, non posset talis transmissio fieri in instanti, & per mutationem instantaneam, (quia deberet fieri per motum localẽ, existens priùs in vna parte spatij intermedij, & posteà in altera, vsque dum perueniret ad pupillam oculi:) Sed experientia constat, quod ista transmissio fit per mutationem instãtaneam: Experimur enim, quod Sol vbi primum incipit exurgere in Oriẽte, & ipso momento, quo tantillum eleuatur supra lineam Orizontis, statim videtur.

93 Et Christus Dominus dicit in Euangelio: Fulgur exit ab Oriente, paret vsque in Occidentem; Hoc est vbi primùm exit in Oriente, statim apparet in Occidente; Non est autem verisimile, vt illa eadem species, quæ transmittitur à Sole, illa identicè ad nostram pupillam veniat, quod tàm celeriter possit trãsire intercapedinem, quæ est inter Solem, & nostrum oculum, cum sit pœnè immensa: ergo per mutationem instantaneã illa species diffunditur ab obiecto ad oculum per medium; sicut etiam diffusum lumen videmus, calorem, frigus, & alias consimiles qualitates.

Cõfirmatur ratio nostræ cõfutationis.

94 Et confirmatur, quia quando fulminat, accenditur ignis in ventre nubis, & eam disrumpit; emittit duo, nempe splendorem, & sonitum, & statim videmus splendorem, non statim, si fulmen fuerit in spatio distanti, audimus sonitum; Cuius ratio est: Quia splendor immittit species in in parte distantiori, quàm sonitus. Vnde, quia aër deferens sonitum debet localiter moueri, vt approximet sonitum, non statim sentitur: ergo multo magis species Solis, quæ ab illo trasmittitur celeriter potest ad oculum peruenire, si debeat localiter moueri. Vanum est igitur, quod hic auctor comminiscitur huiusmodi accidentium, quod possint transire de subiecto in subiectum: imo si hoc posset accidens vllum, maximè id possent illa accidẽtia, quę in fieri solũ de-

dependent à suis agentibus, cum habeant solidiorem existentiam. Hic igitur septimus dicendi modus à Nipho excogitatus, vt omninò insufficiens, & multipliciter deficiens, reijciendus est.

Corollarium, quo iterum, & fortius probatur nostra sẽtentia.

95 Ergo iterum resumendo nostrum enthimema, probamus sententiam nostram hoc pacto: Aliqua accidentia solo numero distincta nõ possunt simùl esse in eodem subiecto: ergo nulla. Antecedens est commune cum aduersarijs. Consequentia probatur: Quia nulla potest assignari maior ratio, cur hæc, & non illa accidentia solo numero distincta sint cõpossibilia in eodem subiecto; Nam septem rationes discriminis, quæ allatæ sunt, omnes, vt deficientes deprehensæ, & vt tales confutatæ sunt; Igitur, aut omnia indiscriminatim sunt compossibilia, quod nullus dicit, nec dicere potest: Aut nulla, quod est verissimum, & consonum menti Aristotelis, & S. Thomæ, & consentaneum rationi; Quia omnium accidentium indiuiduatio, & numeralis multiplicatio dependet ab vnitate, & multiplicatione numerica subiectorum: Vnde vni numero subiecto vnum numero accidens est coaptatum, & commensuratum; Et ideò vno posito in subiecto, eo ipso, quod illud informat, & ei inhæret, est incompossibile cum altero: Sicut vnum corpus eo ipso, quod replet capacitatem vnius loci, est incompossibile cum alio corpore in eodem loco, &c.

Dissoluuntur tria principalia argumenta oppositæ sententiæ propositæ pag. 144. à num. 26. vsque ad num. 29.

Respond. ad primũ argum.

96 NEC argumenta, quæ pro aduersa sententia adducta sunt, quicquam probant. Ad primum enim diuersis instantijs coalescens, quod est tota vis, qua nititur prædicta opinio, dicendum nullam ex illis instantijs cogere nos ad concedendum duo accidentia solo numero distincta esse compossibilia in eodem subiecto.

Respondetur ad primã instantiam de duobus luminibus in eodẽ medio.

97 Et ad primam instantiam de duobus luminibus in eodem medio, benè respondet Suarius loc. cit. n. 11. dicens falsum esse in eodem medio dari duo lumina numero distincta, sed esse vnum lumen magis intẽsum. Quia dum duo luminosa illuminant medium ex diuersa parte, pars medij, quæ distat ab vno luminoso, remissiùs ab illo illuminatur, sed fortiùs à luminoso sibi proximo: & ideò lumẽ, quod est remissè ab vno, intẽditur ab altero, & inde per interpositionem corporis opaci impeditur ex vna parte actio intentior unius luminosi, sed non actio remissior alterius; & sic etiã si illa pars sit uicinior luminoso fortiori; quia tamen illius actio ab interposito corpore opaco impeditur, sed non remissè illuminantis, apparet umbra: Non enim est umbra carentia totalis luminis, sicut tenebræ, sed lumen remissum intra partes diaphani circumstantes magis illuminatas. Nõ enim quando totum medium est remissè illuminatum, dicitur umbra, sed quando una pars medij habet lumen remissum, & partes circumstantes intensiùs illuminatæ sunt.

Discrimẽ inter tenebras, & vmbras. Et quid sint.

98 Et quia eadem ratio est, de impedimento alterius luminosi existentis in alterutra parte medij: ideò ex altera parte causatur vmbra. Vnde duæ illæ vmbræ non sunt signa in illo medio esse duo lumina causata à duobus luminosis, sed sunt signa remissionis luminis propter corpus interiectum vtrinque impediens actionem illorum agentium in ea parte spatij, in qua alterutrum illorũ fortiùs ageret, si impedimentum non obstaret: Sicut fortiùs illuminat partes circumstantes, quæ non impediuntur per intensiùs lumen. Cuius euidens signum est, quòd si corpus impediens ponatur propiùs vni luminoso, quàm alteri, in partibus vicinioribus alteri luminoso non impedito, non causat vmbram.

99 Et ratio est: Quia cum partes illæ

illæ propinquiores luminoſo non impedito, fortiùs illuminãtur à ſuo propinquo luminoſo (ità vt per actionem alterius luminoſi non adiuuetur, aut augeatur lumen in illis partibus, vnde æquè illuminatæ remanerent, etiã ſi alterum luminoſum non adeſſet) tunc in illis partibus vmbra non procreatur, quæ ſine dubio procrearetur, ſi ibi eſſent duo lumina: ergo in tantum in alijs partibus vmbra procreatur; in quantum impedita actione alterius luminoſi, lumen remittitur.

Euaſio aduerſatii.

100 Nec valet ſi dicas, quòd ideò in illis partibus non cauſat vmbram, quia ſunt extra ſpheram illius luminoſi impediti, quod ſi impeditum nõ foret, nihilominus, nec ibi lumen cauſaret.

Præcluditur.

101 Non valet, inquam, hæc euaſio, quia ablato illo luminoſo, quod vehementer illas partes illuminabat, & remanente luminoſo impedito, & remoueatur impedimentum, vtiq; illuminabit illas partes; ergo non ſunt extra ſpheram actiuitatis illius: Sed ideò vmbram non efficit; quia in illis partibus eſt lumen ità intenſum, vt etiam ſi amoto impedimento luminoſum agere poſſet circa illas partes, nihil tamen efficeret, quia quidquid ipſum confert, totum acceperunt à ſuo viciniori lumine.

Reſpond. ad ſecundã inſtãtiam primi arg. de ſpeciebus impreſſis, & expreſſis numericis in eod. medio.

102 Ad ſecundam inſtantiam de ſpeciebus vel impreſſis, vel expreſſis repræſentãtibus duo indiuidua eiuſdẽ ſpeciei, quæ recipiuntur in eodem medio, vel in eadem potentia: Dico quod illæ ſpecies non differunt ſolo numero, ſed differunt ſpecie, vt ſupra impugnando ſextum modum dicendi oſtenſum eſt. Non enim talis eſt diſtinctio ſpecierum, qualis eſt diſtinctio obiectorum in genere entis; alioquin ſpecies intelligibilis repræsẽtãs ſubſtantiam, & ſpecies repræſentans quantitatem eſſent ſe totis diuerſæ, ſicut ſunt iſta ſumma genera, & non eſſent omnes ſpecies intelligibiles in eodem prædicamẽto qualitatis, quod eſt falsũ: Et ideò dixit S.Th. loco ibidem cit. nempè 1. p. q. 86. a. 4. Quod omnes ſpecies intelligibiles conueniunt in proximo genere, & differunt inter ſe ſpecie atoma, cuiuſcumque generis fuerint obiecta. Igitur non eſt eadem ratio de diſtinctione ſpecierũ, & obiectorum in ratione obiecti, & in ratione entis.

S.Th.

103 Sicut ergo ſubſtantia, & quãtitas licèt in ratione entis ſint genera generaliſſima, & ſe totis diuerſa, diſtinguanturq; inter ſe tanquam ſumma genera: Attamen in genere obiecti repræſentabilis per ſpecies intentionales ſolum differunt ſpecie: ità etiã ſi Petrus, & Paulus in ratione entis differant numero, in genere tamen obiecti differunt ſpecie, & ſic ſpecies illos repræſentantes ſpecie differunt.

Effugium aduerſarii.

104 Vrgebis, quia poſſunt dari duo oua penitùs ſimilia: Sed uidetur incredibile, quod ſpecies utriuſque differant ſpecie inter ſe; Quia nil amplius repræſentat peculiare ſpecies unius oui, quam alterius.

Euertitur.

105 Dico, quod illæ ſpecies repręſentantes adhuc ſpecie inter ſe differunt: Cuius ſignum eſt, quod ſpecies repræſentãs unũ ouũ non eſt indifferens, ſeu apta ad repræſentandũ aliud ouum: Quod ſi ita eſſet, non eſſent neceſſariæ duæ ſpecies diſtinctæ, ſed una, & eadem ſufficeret. Sed quia, ut dixi, non eſt indifferens, ſed una eſt determinata ad repræſentandum vnũ ouum, & altera ad repræſentandum alterum; (taliter quod vna non poteſt eſſe repræſentatiua alterius) ideò aliquam differentiam habent in repræſentando, ac proinde in ratione eſſẽtiali: Et quamuis ſint ſimilia, tamen vnumquodq; habet ſuam indiuidualem figuram diuiſam à figura alterius, & ſuam determinationem, per quam diſtinguuntur omninò inter ſe. Et hęc ſufficiunt ad diuerſificandas illas ſpecies repræſentatiuas ſpecificè.

106 Ad tertiam inſtantiam de relationibus iam ſupra dictum eſt: Quòd in Patre ad plures filios non dantur plures paternitates, ſed vna: Quia Pater refertur ad illos ſub vna ratione for-

Digitized by Google

Respondetur ad tertiã instantiam primi argum. de relationibus.

formali, nempè ad filium à se genitũ, siue vnus fuerit, siue multi, hoc enim de materiali se habet ad terminum relationis: Et certè ponere tot relationes numero distinctas in vno fundamento, quot sunt numero distincti termini, sequeretur, quòd in vno fundamẽto relatiuo darentur incomputabiles miriades relationum: Quia vna superficies alba haberet tot relationes similitudinis, quot sunt alba in vniuerso. Quòd si velis in vno Patre esse tot relationes, quot sunt Filij; Dico quod illæ relationes differunt specie.

107 Et ratio est eadem, quæ dicta est de speciebus intentionalibus: Nam sicut se habet obiectum ad species repræsentatiuas, ità se habet terminus ad relationes; quia sicut illæ specificantur ab obiectis, ità & relationes à terminis: Sicut ergo diuersitas formalis obiectorum diuersificat species illas, ità diuersitas formalis terminorũ diuersificat species relationes: Si ergo in vno Patre sunt plures paternitates, oportet, quod quælibet relatio respiciat suum terminum sub diuersa ratione formali, ac respicit altera: Nam vnaquæq; esset determinata ad suum proprium terminum, & non esset indifferens ad quemcumque terminum, aliàs sufficeret vna paternitas, vt docet S. Thomas.

S. Th.

108 Oporteret ergo iuxta hanc sententiam dicere, quod vna paternitas respiceret vnum filium sub ista ratione formali, v.gr. vt primogenitũ: & altera, vt secundo genitum, & sic differrẽt specie: Non ergo hæc instãtia de relationibus, quam magnopere extollunt aduersarij (sicut de speciebus) cõuincit plura accidentia solo numero distincta esse compossibilia in eodem subiecto, &c.

Respondetur ad quartã instantiam primi argum. de sonis.

109 Ad quartam instantiam de sonis dicit Suarez n. 14. hanc instantiam non esse adeo conuincentem, vt hinc appareat non esse tanti momenti quãti faciunt aduersarij. Vnde primò Dico, quod si soni sũt diuersi, nempè grauis, acutus, & consimiles, quòd differunt specie: nam nõ est maior ratio de alijs qualitatibus sensibilibus, ac de sonis. Sicut enim non omnes sapores sunt eiusdem speciei, ita nec omnes soni. Quando ergo auditur cõcentus musicalis ex diuersis uocibus, (dato quod illi soni sint in eodẽ medio) non per hoc cogimur asserere in eodem subiecto esse plura accidentia solo numero distincta.

110 Deinde admisso, quòd plures soni essent eiusdem speciei, tamen non possunt esse omnino in eodem subiecto. Quia, v.gr. cum duo canunt uoce pari, nempe acuta; Quilibet emittit uocem suam per aërẽ, quem respirat: Vnde pars aëris deferens uocem unius, non est illa eadem, quæ defert uocem alterius: Et cum istæ qualitates non migrent de subiecto in subiectum; quando istæ uoces uidentur resonare in eodem loco, non ideò est, quia sint simùl in eodem subiecto, sed quia diuersæ partes aëris deferentes vocem permiscentur in eodẽ loco: Et ita audiuntur, ac si omnes residerent in eodem aere, tanquam in subiecto. Quòd si sermo sit de speciebus, quæ repræsentant prædictas voces, quæ in eodem medio simùl diffunduntur, & simùl ad auditum perueniunt; iam dictum est, Non per hoc, quòd illi soni differrent solo numero, propterea species differrent numero, sed specie; & maximè loquendo de speciebus repræsentantibus voces: quia experimur, quod quilibet emittit vocem cum quadam indiuiduali proprietate; Vnde sæpè numero sola voce discernimus vnũ, quĩ loquitur, quod scilicet sit, Petrus, vel Paulus. Sicut etiã apparet in scripturis, quòd quilibet habet, nescio, quid peculiare in scribendo, vnde diiudicamus, hæc est manus Socratis, hæc Platonis.

111 Et hoc si obseruetur, est vnũ mirabile in natura, quod in tanta hominum multitudine indiuiduali, sicut non inueniuntur duo ita consimiles, vt vnus non habeat aliquid peculiare diuersum, quo discernatur ab alio; ita etiam vox, & modus scribendi vnius non est ita consimilis, ut non ha-

Digitized by Google

habeat quid ab alio discriminis. Vnde cum species repræsentant huiusmodi obiecta cum suis distinctis proprietatibus, efficitur, ut ipsæ species repræsentantes specie inter se discrimentur.

Hactenus satis responsum est quatuor instantijs principalibus contentis in primo argumento aduersariorum: Reponuntur modo aliæ tres instantiæ contra nostram sententiam, & Responsiones ad illas.

112 QVamuis autem istis instantijs, quæ sunt principaliores, quæ ab aduersarijs afferuntur, & propter quas in oppositam abiere sententiam, satis luculenter responsum sit; nihilominus aliæ afferuntur à Suario illo n. 14. in fine, ad quas iam consequenter respondebimus.

Prima instãtia aduersarii de durat. & continuat. duorum motuum.

113 Prima est de continuationibus, & durationibus duorum motuũ, qui simùl in eodem fieri possunt, u.gr. potest idem lignum simùl calefieri, & exiccari: Isti duo motus licèt sint specie diuersi, tamen continuationes, & durationes istorum motuum solo numero inter se differunt: ergo duo accidentia solo numero differentia possunt simùl esse in eodem subiecto.

Prima respõsio ad primã instantiam.

114 Ad hanc instantiam benè respondet idem Suarez: Primò, quia nõ est certum, continuationem, & durationẽ, nõ esse modos ex natura rei distinctos ab existentia, & entitate ipsius continui; sed probabile est durationem identificari cum existentia, & continuationem cum entitate rei continuæ; Et ideò non sunt accidentia solo numero, sed specie distincta, sicut sunt entitates ipsorum motuum, & existentiæ illorum: Nam existentia pertinet ad eandem speciem, ad quã pertinet entitas existens: Vnde sicut entitates prædictorum motuum differunt specie inter se, ita & ipsorum existentiæ, & quidquid identificatur cum illis.

Secunda responsio.

115 Secundò: Dato quòd essent distincti modi ex natura rei, non sumus tamen in statu quæstionis, quia illi modi subiectarentur nõ in ipso ligno immediatè, sed in motibus ipsis specie diuersis.

Tertia responsio.

116 Tertiò tandem dico, quod & si essent modi distincti, essent tamen inter se specie diuersi, quia accessorium sequitur principale: Sicut enim motus calefactionis, & exiccationis sunt motus specie distincti, ita & isti modi, quatenus modificant prædictos motus, specie distinguuntur inter se. Sicut idem subiectum, quod habet duas qualitates specie distinctas, per quas est similis multis alijs habentibus consimiles qualitates, habet duas relationes non numero, sed specie distinctas propter distinctas qualitates, in quibus fundantur similitudines: Ita illi modi essent specie distincti propter distincta specie modificata: sicut etiam subsistentia hominis, & subsistentia equi differunt specie propter distinctas specie naturas, quas modificant.

Secunda instantia de potentia, & actibus.

117 Secunda instantia est, quam affert Suarez, & illi probatur. Quia potest vna potentia habere plures actus numero distinctos simùl; Vt si, v.gr. quis amaret duos homines, vel filios: tunc isti actus essent numero distincti, & simùl essent in eadem potentia.

Prima respõsio ad secundam instantiã.

118 Sed huic instantiæ respondetur primò, Vel illi duo, aut plures filij amarentur per modum vnius; & sic non essent tot actus distincti, quot sunt filij, quos diligit: Sed esset vnus actus, qui haberet pro obiecto illam plurimã collectionem sub vna ratione amandi. Vel diligeret illos per modum plurium; Et tũc dico, quod sicut intellectus non potest simùl plura intelligere per modum plurium; Ità voluntas nõ potest amare plura per modum plurium; Tùm quia in hoc eadem ratio est de intellectu, & voluntate: Tùm etiam, quia non potest voluntas amare, nisi quod illi ab intellectu proponitur: Si ergo non potest intel-

Digitized by Google

intellectus, vt plura proponere, neque poterit voluntas vt plura diligere.

Secunda responsio ad secundã instãtiam.

119 Secundò respondetur, dato casu, quòd illos diligeret per modum plurium, & per plures actus distinctos; illi actus non essent solo numero distincti, sed etiam specie; Et ratio est eadem, quæ dicta est de relationibus, & speciebus intentionalibus. Quia, nimirum, omnis distinctio, quæ prouenit ab obiecto, est specifica. Nã vel illos diligeret ex vnico motiuo diligendi omnibus communi, & tunc vnicus sufficiens actus esset, sicut dictum est de relationibus: Nam si pater refertur ad plures filios sub vna ratione omnibus communi, & indifferenti, nempè *filij à se geniti*, tunc vnica sufficit paternitas ad omnes filios: sin autem tot sunt paternitates in vno patre, quot sunt filij à se geniti; tunc necesse est, vt quelibet relatio respiciat singulos filios speciali ratione, nimirum primò, secundò, aut tertiò geniti, & sic paternitates illæ differunt specie: Ita similiter si quis diligeret plures homines pluribus actibus, necesse est, vt illos diligeret ex proprio motiuo cuique particulari, taliter, quod proprium motiuum diligendi vnum, non esset proprium motiuum diligendi alterum; & sic illi actus distinguerentur specie à diuerso motiuo vnicuique proprio, à quo moueretur voluntas ad eos diligendos; Et sic patet neque hanc secundam instantiam vrgere.

Tertia instãtia de duplici charitate Beatorum in Patria.

120 Tertia instantia est. Multi volunt, quòd Beati in Patria simùl diligunt Deũ ex charitate duobus actibus, actu necessario, & actu libero, qui duo actus solo numero differunt: ergo in eadem potentia possunt simùl esse duo actus solo numero distincti, ac proinde duo huiusmodi accidentia in eodem subiecto.

121 Hæc instantia tangit difficultatem valdè Theologicã, & loquuntur de potentia, nimirum, eleuata ad esse supernaturale, ubi non consideratur commensuratio accidentis ad potentiam naturalem subiecti, sed obedientialem, quæ non pertinet ad præsens institutum. Nam quid fieri poterit supernaturaliter, postea dicemus. Nè tamen insolutam difficultatem relinquamus.

Prima respõsio ad tertiã instant.

122 In primis dico, quod illa sententia non est communiter recepta, & spectata natura rei, in uia S. Tho. non esset admittenda. Quia dicit S. Th. quod sicut unum corpus non potest simùl figurari duabus figuris, ita neq; una potentia potest terminari simùl duobus actibus: Nam sicut se habet figura ad corpus in hoc, quod est ultimus terminus eius in ratione corporis: ita se habet actus ad potentiam, in quantum est ultimus terminus potentiæ; Non potest autem corpus terminari simùl duobus terminis; nec potest una potentia simùl terminari duobus actibus.

Secunda responsio ad tertiã instant.

123 Dico secundò, quòd dato casu, quod Beatus diligeret Deum amore necessario, & libero, non tamen essent duo actus, sed unus, & idem. Et sic defendit hanc sententiam Aluarez in materia de Incarnatione. Qualiter autem possit voluntas vnico actu simùl Deum diligere amore necessario, & libero, potest hac hypothesi explicari. Volo amplecti Doctrinam Sancti Thomæ, quia sic à lege mihi iubente necessitor: Et quando hoc mihi lex non iuberet, volo eam à me ipso amplecti propter ipsius doctrinæ grauitatem, securitatem, & maiestatem: Ità Beatus viso illo summo bono, statim ex innata inclinatione charitatis rapitur voluntas ad Deum amandum, & quando raperetur necessariò ad amandum, adhuc diceret Beatus: à me ipsomet ipsum ad amandum mouerem; Et sic vnico, & eodem actu potest Deum necessariò, & liberè amare.

Tertia respõsio ad tertiã instant.

124 Dico tertiò, dato etiam, quòd illi actus essent re ipsa distincti, non tamen essent distincti solo numero, sed specie: Quòd probatur: Quia vel illi actus essent regulati ab eodem lumine, nimirùm, à lumine gloriæ: & sic non posset esse actus liber, quia ex

Digitized by Google

vi luminis,& visionis necessitatur voluntas ad Deum diligendum? Vel ex diuerso lumine, nimirum à lumine gloriæ, & à lumine scientiæ inditæ,& tunc illi actus differrent specie, prout ipsa lumina, quibus regulantur differunt specie inter se.

Actus charitatis regulatus lumine fidei, & regulatus lumine gloriæ est eiusdem speciei.

125 Hæc ratio. Fateor non habere locum in omnium opinione. Quia multi dicunt, quod actus charitatis regulatus lumine fidei, & regulatus lumine gloriæ est eiusdem speciei: Vnde actus charitatis viæ potest continuari in Patria: & ità dicunt contigisse Sereniſſimæ, & Beatiſſimæ Virgini Dominæ Nostræ.

126 Attamen locum habet in sententia illorum, qui dicunt actum voluntatis specificari nō solùm ab obiecto cognito, sed etiam ab actu ipso cognitionis. Vnde illi, qui admittunt hunc duplicem actum dilectionis Dei ex charitate in Beatis, ferè omnes ità discurrunt.

127 Ex quibus apparet, quod ab ista tertia instantia non potest sumi solidum fundamentum; tùm quia est hæc instantia petita à re valdè supernaturali: tùm quia non est res certa: tùm quia vnico actu potest vterque amor saluari: tùm denique dato, quod essent distincti, distinguerentur specie.

128 Vnde, vt tandem hanc primi argumenti responsionem concludamus; ex tot, & tàm multis instantijs, quibus oppositа sententia maximè fulcitur, nihil re vera concluditur.

Reponuntur responsiones ad secundum, & tertium principale argumentum aduersariorum propositum pag.144.& 145.n.27.& 28.

Respōdetur ad secundum principale argum.

129 AD secundum respōdetur, quòd casu,quo eidem passo applicarentur duo agentia, v.g.eidem ligno duo ignes: Vel applicarentur simùl; Et tunc dico, quòd ambo simùl agerent, & calefacerent lignum secundum eam proportionē, qua applicarentur, at non producerent duos calores, sed ab vtrisque esset vnus calor tanquam communis vtriusque effectus. Vel applicarentur successiuè,& tunc si secundum nō habeat maiorem virtutem agendi,quàm primum,& primum egit quantum potuit, secundum aduenies nihil aget circa tale passum: Quia cum passum iam habeat in se tantum caloris, quātum à secundo dari potest,iam est illi perfectè assimilatum, & actuatum, & ideò non habet quid agat circa illud: quod si secundum facit fortiùs, &c. aut primum non perficit effectum suum; tunc secundum habebit quid agat, nempè perficere effectum primi, v. gr. intendendo magis præexistentem calorem: & hoc habet locum non solum in illis effectibus, qui solum in fieri, sed etiam in illis, qui in fieri, & conseruari pendent à suis agentibus.

Quid agūt duo agentia eiusdem virtutis applicata successiuè eidem passo?

Respōdetur ad tertiū princip.arg.

130 Ad tertium respondetur, admisso antecedente, negando consequentiā: Et ratio disparitatis est, quia indiuiduum substantiale habet capacitatem,vt perficiatur pluribus perfectionibus accidentalibus specie diuersis,non tamen habet capacitatem, vt perficiatur nisi vnico indiuiduali accidente cuiuscumque speciei: Quia sicut indiuiduum est unum singulare, ita capacitas ipsius est una singularis ad recipiendum unum accidens singulare cuiuscumque speciei; Quo singulari accidente recepto,eius capacitas remanet expleta. Sicut capacitas uasis expleta per unam aquam, non est ampliùs capax ad recipiendam aliam aquam.

131 Dixi *admisso antecedente*: Quia non est uniuersaliter uerum: Duo enim accidentia eiusdem generis,& sola specie inter se distincta nō possunt simùl recipi in eodem subiecto: Eadem enim superficies non potest colorari diuersis coloribus in eadem parte: Nō enim potest in eadem parte esse simùl rubra, & uiridis: Nec idem corpus potest terminari diuersis figuris: Nam idem corpus non potest simùl esse quadrum,& rotundum. Vnde

Digitized by Google

de potest argumentum retorqueri in oppositum, arguendo sic: Duo accidentia eiusdem generis, & inter se specie diuersa, non possunt recipi simùl in eodem subiecto: ergo multo minùs duo accidentia eiusdem speciei, & solo numero distincta.

132 Cæterum, quia hac occasione solet hoc loco tractari comparatio: Num sit eadem ratio de duobus accidentibus specie differentibus, & duobus accidentibus differentibus solo numero; num, scilicet, sicut ista, ita & illa sint incompossibilia in eodem subiecto? Vt uideri potest apud Niphum in allegata disp. 8. a. 2. & Suarez allegata disp. 5. Met. sect. 8. dicit resolutionem huius dubitationis pertinere ad complementum præsentis doctrinæ, ideò sit.

Niphus. Suarez.

DIFFICVLTAS III.

Vtrum duo accidentia eiusdem generis, specie inter se differentia, possint simùl esse in eodem subiecto?

133 IN hac difficultate omnes cõueniũt, vel cõuenire debent, non omnia accidẽtia sub eodem proximo genere esse compossibilia in eodem subiecto: nam accidentia contraria mutuò se expellunt ab eodem subiecto. Similiter duo colores non sunt compossibiles in eadem parte subiecti: Duæ figuræ in eodem corpore, & sic de nonnullis alijs: Similitèr è contra plura accidentia specie inter se diuersa possunt esse in eodem subiecto.

134 Vnde Niphus vbi supra dicit; Primò quod plura huiusmodi accidẽtia possunt esse in eodem subiecto, si sint intentionalia; vt duæ species diuersorum obiectorum specie differentium. Secundò si sint accidentia realia habitualia, vt duæ scientiæ speciè differentes in eodem intellectu. Tertio si vnum est in actu, & alterũ in potentia; sicut eadem superficies est actu alba, in potentia nigra. Quarto si sint in motu, ut calor in fieri, & frigus in corrumpi. Quinto denique, si in quiete sumantur, sed non sub esse cõpleto; sicut calor vt quatuor, & frigus vt quatuor. Igitur nec omnia accidẽtia specie differentia sunt compossibilia, nec omnia incompossibilia in eodem subiecto.

Niphus.

135 Sed quare hæc sint compossibilia, illa incompossibilia, huius regulam generalem; & causam compossibilitatis, vel incompossibilitatis diuersimodè Scotus, & S. Thomas assignant.

Scotus. S. Th.

136 Nam Scotus dicit solam causam incompossibilitatis esse contrarietatem. Vnde accidentia specie differentia, quæ sunt inter se contraria, eo modo, quo contraria sunt, incompossibilia sunt. Vnde quæ habent cõtrarietatem immediatam, simpliciter sunt incompossibilia; Vt scientia, & error circa idem: Quæ vero habent cõtrarietatem mediatam, sunt in gradu intenso incompossibilia; non autẽ in gradu medio, sicut dictum est de calore, & frigore in gradu remisso.

137 Et ideò dicit, quòd duos colores sunt incompossibiles in eadem parte superficiei, quia includunt contrarietatem; nam semper colores medij accedunt ad alterutrum extremũ; vel enim plus habent de albo, quàm de nigro; vel è contra plus de nigro, quàm de albo. Quod si detur vnus color, qui æqualitèr contineat tantum de albo, quantum de nigro; Hic non non potest esse, nisi vnius speciei, quia eius mistio consistit in indiuisibili æqualitate: omnis ergo color alterius speciei habebit excessum alterutrius coloris, & sic semper oppositionem inuoluit: Similitèr figuræ includunt repugnantiam in situ, aut in rectitudine, & obliquitate; quapropter impossibile est, quod eadem virga sit simùl recta, & curua. Cæterum accidentia,

Ratio Scoti.

Digitized by Google

quæ contrarietatem non habent, omnia sunt compossibilia in eodem subiecto.

138 At hæc ratio Scoti nõ est sufficiens, quia si solum illa accidentia sola essent incompossibilia in eodem subiecto, quæ includunt oppositionem; sequeretur, quod nulla accidentia eiusdem generis, & specie differentia inter se, essent compossibilia, quia omnia accidentia distinguuntur specie inter se per oppositas differentias: Nam ideò differentiæ diuidunt genus, & diuersificant illud in diuersas species, quia differentiæ diuidentes sunt primo diuersæ, & oppositæ inter se, quarum vna excludit alteram: ergo si propter oppositionem sunt incompossibilia, omnia sunt incompossibilia.

Ratio Scoti impugnatur.

139 Sed dices: Quòd oppositio differentiarum excludit, vt vnum accidens non sit aliud, non autem excludit vt vnum accidens non sit cum alio: Quia differentiæ habent contrarietatem respectu generis, & ideò diuidunt illud; non autem respectu subiecti, quòd se excludant à subiecto; nam hanc oppositionem habent quędam accidentia specialia, quæ præter illam generalem, quæ est inter differentias diuidentes genus, habent aliã specialem in ordine ad subiectum, à quo mutuò se expellunt.

Euasio Scoti.

140 Sed contra hanc respõsionem vrgetur. Quia totum esse accidentis est in ordine ad subiectum, cum omne accidens secundum omnem sui rationem ordinatur ad dãdum aliquod esse formale subiecto: si ergo accidẽtia eiusdem generis, & diuersæ speciei inter se distinguuntur oppositis differentijs, tribuent subiecto oppositos effectus formales: Et hæc est causa quare eadem superficies non possit colorari duobus coloribus specie differẽtibus: Si enim esset propter solam contrarietatem extremorum colorum, quos in se includunt, sequeretur, quod sicut duo extrema contraria sunt compossibilia in gradu remisso: ita etiam, & multo magis essent compossibiles illi colores medij: Quia nõ habent extremam oppositionem.

Euasio Scoti prẽcluditur.

141 Nam sicut eadem aqua continens in se temperatum calorem, & temperatam frigiditatem, verè est formaliter calida, & formaliter frigida (quia in isto gradu non habent extremam oppositionem, in quo gradu sũt incompossibilia) ita etiam eadem superficies poterit esse simùl formaliter rubra, & formaliter viridis, quia non habent extremam, sed valdè modicam oppositionem: Aliundè igitur prouenit, quare eadem superficies nõ possit esse simùl formaliter rubra, & formaliter viridis; nempe propter oppositum effectum formalem, quem tribuunt subiecto, prouenientem ab oppositis differentijs.

142 Et ideò S. Thomas altiùs penetrando finem, quare natura instituit accidentia; reddit vniuersalem rationem, quare duo, aut plura accidentia sub eodem genere specie inter se distincta sint compossibilia, vel incompossibilia in eodem subiecto: & dicit, quod non est sola contrarietas: Vnde 1.p.q.85.a.4.ad 2. Non solum oppositæ formæ non possunt esse in eodem subiecto, sed nec quæcumq; formæ eiusdem generis, licèt non sint oppositæ: Sed quod sunt compossibilia, quando perficiunt subiectum actu incompleto: Sunt autem incompossibilia, quando perficiunt subiectum actu completo.

Ratio vniuersalis cur plura accidẽtia specie distincta possint, vel non possint esse in eodẽ subiecto.

143 Hanc suam mentem insinuauit S. Doctor 1.p.q.85.a.4. Vbi, *Impossibile*, inquit, *idem subiectum perfici simùl pluribus formis vnius generis, & diuersarum specierũ, sicut impossibile est, quod idẽ corpus secundũ idẽ simùl coloretur diuersis coloribus, vel figuretur diuersis figuris.* Sed q.8.de veritate fusiùs hanc suam sententiam declarauit. Sic enim ibidem scribit: *Formæ, quæ sunt vnius generis, vnã potentiam respiciunt, siue sint contrariæ, vt albedo, & nigredo, siue non, vt triangulus, & quadratum; Hæ igitur formæ in subiecto tripliciter esse dicuntur: vno modo in potentia tantum, & sic sunt simùl, quia* S.Th.

Digitized by Google

quia vna potentia est contrariorum, & diuersarum formarum vnius generis. Alio modo secundum quòd sunt in actu imperfecto, vt cum sunt in fieri, & sic etiam simùl esse possunt, vt patet, cum aliquis dealbatur, tunc enim toto dealbationis tempore albedo est vt in fieri, nigredo vero, ut in corrumpi. Tertio modo vt in actu perfecto, vt cum iam albedo est in termino dealbationis, & sic impossibile est duas formas vnius generis esse simùl in eodem subiecto: Oportet enim eandem potẽtiam ad diuersos actus terminari, quod est impossibile, sicut & vnam lineam ex una parte terminari ad diuersa puncta.

144 Et ità hanc Diui Thomæ sententiam sequuntur Capreolus in 2. dist. 3. q. 2. a. 5. Aureoli contra 9. conclus. primo loco: Vbi adducit allatam Diui Thomæ doctrinam. Caietanus 1. p. q. 85. a. 4. Bergonunsis in concordant. dub. 10. & omnes Thomistæ.

Capreol. Caiet. Bergogn.

145 Sed vt intelligatur mẽs S. Th. & quid apud ipsum sit accidens esse in actu perfecto, vel imperfecto. Notandum est, quod quamuis omne accidens respiciat subiectum in ratione causæ materialis, tanquam id, à quo recipit suum sustentamentum, vt dicit S. Doctor q. 1. de Virtut. a. 5. Attamen non eodem modo respicit, quantum ad rationem finalem.

1. Animaduersio.

146 Nam quãdoque accidens respicit subiectum, vt finem, aliquando respicit, vt medium ad finem: Quia aliquod accidens ordinatur ad subiectum, vt sit perfectio illius; Et sic subiectum est finis accidentis. Aliquod accidens est, quod in tantum respicit subiectum, in quantum indiget substentamento illius, vt perficiat aliud subiectum: Sic lumen aliter est in corpore diaphano, & transparenti; & in corpore terminato: Nam est in corpore transparenti tanquam in deferente: & ideò in corpore puro trãsparenti, quale est Cælum, non lucet, & illuminat quasi per se habens lumẽ, sed solum lumen per ipsum transit, vt non tàm sit perfectio illius, sed alterius. At in corpore terminato lumen recipitur, vt sit perfectio ipsius corporis illuminati; & ideò aliter lumen est in partibus Cæli transparentibus, quia ibi nõ apparet; aliter in stellis, & astris, in quibus apparet; & aliter habet luminis operationes in medio, & est in stellis. Est enim in corpore medio nõ vt sit perfectio medij, non enim primaria intẽtio Solis illuminatis mediũ est perficere ipsum mediũ, sed intentio Solis est illuminare Stellas, in quibus lumen habet esse perfectũ: Sed Sol in tantum vtitur corpore intermedio, in quantum non potest transmittere lumen suum ad Stellas, nisi diffundat suum lumen per medium: Et ideò dicitur, quòd lumen est in medio intentionaliter, & per modum transeuntis, atque deferentis.

Duplici modo accidens respicit subiectum.

147 Rursus notandum est, quòd quamuis accidens ordinetur ad perficiendum subiectum, dupliciter tamen potest illud perficere: Vno modo vt perficiat subiectum secundum vltimã perfectionem, quam potest habere subiectum in illo genere perfectionis, in quo est illud accidens: Vnde albedo dicitur perficere superficiem actu cõpleto, quando est in tali statu, quod tribuit subiecto totam perfectionem, qua in genere colorati est ab albedine perfectibile: Dicitur esse in actu incõpleto, quando accidens ita perficit subiectum, vt non tribuat illi ultimum complementum, sed relinquit illud in dispositione ad ultimum complementum: Sic albedo in fieri dicitur perficere superficiẽ actu imperfecto, quia in tali statu ità perficit superficiem, & ponat illam in uia ad ulteriorem perfectionem in dicto genere. Ex quo apparet, quod dupliciter subiectum potest habere aliquando accidens actu imperfecto. Vno modo quando accidens est in subiecto tanquam in medio deferente: Alio modo quando est ità in subiecto tanquam perfectio illius, taliter tamen ut disponat ad ultimam perfectionem, quam illud accidens in genere suo tribuere potest subiecto; Vnde tunc est in actu perfecto, quando & perficit subiectum, & ulti-

2. Animaduersio.

Dupliciter accidens perficit subiectum; & quomodo?

ultimatè perficit illud, ità ut iam capacitas ſubiecti eſt in vltimo termino perfectionis, quam in genere illo habere poteſt. His prænotatis.

Prima ſententia S. Thomæ, & noſtra, qua firmatur eſſe compoſſibilia in eodem ſubiecto plura accidentia eiuſdem generis, & diuerſa ſpeciei in actu imperfecto: ſecus vero in actu perfecto.

148 EST ergo ſententia S. Th. quòd plura accidentia eiuſdem generis, & diuerſæ ſpeciei in actu imperfecto, ſiue ſint in eo per modũ deferẽtis ad aliud, ſiue per modum tendentis ad vlteriorem perfectionem ipſius ſubiecti, ſunt compoſſibilia in eodem ſubiecto; & ità in intellectu ſunt plures ſcientiæ, & plures ſpecies intelligibiles, & in medio plures ſpecies ſenſibiles; In voluntate, & appetitu ſenſitiuo ſunt plures virtutes, vel vitia. At vero in actu perfecto talia accidentia non ſunt compoſſibilia in eodem ſubiecto. Probat S. Tho. loc. allegato hanc ſecundam partem, in qua eſt difficultas ſequenti ratione.

Ratio S.Th.

149 Impoſſibile eſt eandem potentiam ad diuerſos actus terminari: Sicut vna linea non poteſt ab eadẽ parte terminari ad diuerſa puncta; Quamuis enim linea terminetur duobus punctis, tamen iſta puncta terminant lineam ex diuerſa parte: Nam vnum terminat ex latere A; Alteram ex latere B. Sed quod ex latere A, vel ex latere B, habeat duo puncta terminatiua hoc fieri non poteſt: Sed accidens in actu perfecto terminat potentiam. (Quia vbi potẽtia ſubiecti participat accidẽs alicuius generis in actu perfecto, iam hæc potentia eſt in termino ſuæ perfectibilitatis:) ergo non poteſt in eo genere habere duo accidentia in actu perfecto; & ideò ſuperficies non poteſt colorari pluribus coloribus in eadem parte actu perfecto: Sed vnum tantum poteſt habere colorem; & ſimilis ratio eſt de figuris.

Eadẽ potentia nõ poteſt terminari ad diuerſos actus.

150 Pro euidentia maioris propoſitionis, in qua eſt tota vis rationis S.Th. Notandum eſt primo ex eodem S. Doctore ibidem. Quòd formarum, quædam ſunt diuerſorum generum, vt albedo, & dulcedo. Quædam eiuſdem generis, vt albedo, & nigredo. Notandum ſecundò, quod vnitas potentiæ fundat vnitatem generis accidentium: Nam genus eſt vnum, quatenus eſt in potentia ad diuerſas differentias, vnde ſicut vnum genus, & vna potentialitas eius, Logice, aut Metaphyſicè loquendo, eſt determinabile, & perfectibile per plures differentias illius generis: ità Phyſicè loquendo ſubiectum in quantum eſt receptiuum accidentium eiuſdem generis debet illa reſpicere per vnicam potentiam. Vnde ad perfectionem accidentariam vnius generis ordinatur ſubiectum per vnicam potentiam: ad perfectionem vero accidentariam diuerſorum generum ordinatur ſubiectum per diuerſas potentias: Et ideò cũ idem ſubiectum eſt album, & dulce, recipit iſtas qualitates ſecundũ quod participat naturam diuerſam, ad quas pertinent fundamenta prædictorum accidentium. Nam albedo ineſt ei ſecundum quod participat de natura diaphani; dulcedo autem ſecũdum naturam humidi.

1. Animaduerſio.

2. Animaduerſio.

Vnitas potentiæ fũdat vnitatem generis accidentium.

151 Cum enim inter perfectibile, & perfectiuum debeat eſſe aliqua cõnaturalis proportio: Non quodlibet accidens receptum in ſubiecto, eſt perfectiuũ illius; vt apparet in aqua, quæ recipit calorem non vt perfectiuum ipſius aquæ, ſed potiùs vt deſtructiuum, quia non habet proportionem cum natura aquæ. Vnde, non eſt idem, accidens recipi in ſubiecto, & accidens recipi, vt perfectio ſubiecti: Quia accidens poteſt recipi in ſubiecto tanquam in deferente, vel alio titulo, vt patet de calore recepto in aqua: Sed non propterea recipitur vt perfectiuum ſubiecti: Nam accidens perfectiuum ſubiecti, ſiue reſultet ex principijs eiuſdem ſubiecti, ſiue illi imprimatur ab extrinſeco, requirit proportionem ad naturam ſubiecti.

Non eſt idem accidens recipi in ſubiecto; & recipi vt perfectio ſubiecti.

152 Et

Digitized by Google

152 Et ideò accidẽtia diuerſorum generum requirunt in ſubiecto quandam virtualem ſaltem diuerſitatem potentialitatis, vt dicebamus de dulcedine, & albedine, quæ habent proportionem ad ſubiectum ſecundum quod participat diuerſam naturam humidi, & diaphani.

153 Conſtat ergo, quod ad formas, vel accidentia eiuſdem generis debet in ſubiecto eſſe capacitas proportionata ad recipiendam perfectionem, quæ ab accidentibus illius generis tribui poteſt. Nam de ratione potentiæ eſt indifferentia ad diuerſos actus, quæ ſub eodem genere, à quo ſpecificatur, continentur, & ſic ad perfectiones vnius generis vna potentia deſtinatur, qua ſubiectum indifferens eſt ad recipiendas illos actus comprehenſos ſub illo genere.

De ratione potentiæ eſt indifferẽtia ad diuerſos actus.

154 His prænotatis probatur maior illa propoſitio S. Thomæ. Potentia determinatur per actum: ergo ſi actus fuerit vltimus, ad quem tendit potentia, erit vltimò terminata: Sed actus perfectus dicitur is, qui vltimus eſt, & dat vltimum complementum potentiæ: ergo actus perfectus vltimo terminat potentiam: Ergo impoſsibile eſt eãdem potentiam ad plures actus ſimùl terminari. Probatur hæc vltima conſequentia. Quia ſi plures actus terminarent ſimùl eadẽ potentiã, iam quilibet actus eſſet terminus incompletus, & non compleret potentiam actu perfecto, quia inſufficienter determinaret illam: ergo cum ſit terminus vltimus, vt ſupponimus, ac proinde completus, non poſſunt plures actus eandem potentiam terminare.

Maior propoſitio S. Th. probatur.

155 Nihilominùs ad rationem S. Thomæ reſpondet Suarius illa diſp. 5. ſect. 8. num. 3. diſtinguendo propoſitionem aſſumptam: Impoſſibile eſt eãdem potentiam ſimùl pluribus actibus terminari; ſi intelligatur de actu adæquato, vel adæquante potentiam, verum eſt: Quia hoc ipſo, quod potentia habet actum, qui adæquat totam illius potentialitatem, non habet capacitatem recipiendi aliũ actũ, nam ille actus eſſet extra extenſionẽ illius potentiæ: Sin autem intelligatur de actu inadæquato, ſic non repugnat eandem potentiã poſſe pluribus actibus terminari, quia quilibet illorum actuum inadæquatè terminat, & quilibet illorum eſt actus partialis reſpectu actus totalis: & ità etiã ſi in eodẽ ſubiecto ponatur vnũ accidens vnius ſpeciei quantumuis perfectum, adhuc remanet potentia ſubiecti capax, & poteſt ſimùl recipere aliud accidens alterius ſpeciei, & eiuſdem generis.

Reſpõdet Suarius rationi D. Th.

156 Sed contra hanc reſponſionẽ vrgetur. Quia indifferentia potentiæ quanto magis accedit ad actum vltimum, tanto magis determinatur: ergo Vbi peruenerit ad actum vltimum, quem reſpicit illa potentia, erit vltimò determinata: Sed quod eſt in vltima determinatione non expectat vlterioré determinationẽ, quia ſi eſt vltimò determinata, non eſt indifferens ad vltimam determinationem: ergo non poteſt potentia per vnum actum vltimum vltimò determinari, & per alium actum vltimum vlterius vltimò determinari; Sed in tantum poteſt, in quantum abiecto vno, poteſt alium actum vltimum recipere; ſicut ſuperficies in quantum eſt colorabilis, & eſt indifferens de ſe ad plures colores, ſi hæc indifferentia determinetur vltimò per vnum colorem, non poteſt ſimùl alio colore determinari, ſecluſa quacumque oppoſitione inter ipſos colores.

Reſpõſio Suarii impugnatur.

157 Primum Antecedens patet, Quia ſicut proprium eſt potentiæ eſſe indifferentem, ità proprium eſt actus determinare indifferentiam potentiæ: ergo quanto magis potentia reducitur ad actum, tanto magis determinatur. Et ſic videmus, quod magis indifferens eſt potentia, quàm habitus: & magis indifferens habitus, quàm actus. Et è contra actus magis determinat potentiam, quàm habitus, & habitus eſt magis determinatus, & determinans, quàm potentia.


Quid ſit de ratione potentiæ, & de ratione actus?

158 Et poſſumus imaginari pro-

por-

Digitized by Google

portionem inter potentiam, habitum, & actum, similẽ triangulo pyramidali, cuius basis sit indifferentia potentiæ. Medium sit habitus, qui quodammodo determinat, & quodammodo relinquit potentiam indifferentem. Angulus vero acutus terminans triangulum sit vltimus actus.



Talis enim videtur proportio inter naturalem tendentiam potentiæ ad actum vltimum, qualis est proportio basis in hoc triangulo tendentiæ, vt sic dicam, ad angulum acutum. Sicut ergo spatium basis non potest terminari, nisi ad vnum angulũ acutum: ità indifferentia potentiæ non potest terminari, nisi ad vnum actum vltimum.

159 Prętereà ipsa distinctio, quod spectat ad rem præsentem, est inepta: Quia quando dicit, quòd potentia nõ potest terminari ad plures actus adęquatos, benè tamen ad plures actus inadęquatos: Vel ille actus adęquatus terminans potentiam esset unus singularis actus sufficiens ad explendam totam capacitatem potentiæ: Et hoc est impossibile, quia actus adæquans potentiam, non est unus singularis: impossibile est enim dari unum actũ singularẽ adæquantẽ totam potentiã uisiuam: Quia sub actu adæquato cõtinentur plures actus particulares, vt sub actu uidendi continentur uisio albi, uisio nigri, & alij actus specie differentes.

Sub actu adæquato vnius potẽtiæ plures continẽtur actus particulares.

160 Vel pro actu adæquato intelligit plures actus particulares, quatenus sub una communi ratione adunãtur: Et hic actus adæquatus determinat potentiam, ut non sit capax actus alterius generis, sed tamen quilibet actus particularis intra latitudinem potentiæ particularis determinat indifferentiam potentiæ ad se: ergo quandiù ipse actus particularis, & vltimus determinat ultimò potentiam, non admittit consortium alterius actus: Sed solum illi actus sunt inadæquati ex hoc, quod excluso uno, indifferentia potentiæ potest determinari per alium actum; non uero, quod simùl possint illam determinare, quia uterq; actus secum afferret ultimam determinationem.

Potentia actu adæquato determinata est incapax actus alteriùs generis.

161 Nam si duo actus simùl determinarent potẽtiam: Vel oporteret diuidere, & multiplicare subiectum; Sicut natura generis multiplicatur per differẽtias, ex eo, quia vna, & indiuisibilis potentialitas naturæ genericæ non potest simùl determinari pluribus differentijs, quæ comparentur ad naturam generis, ut actus ad potentiam: Vel si subiectum non diuiditur, posito uno, alterum est incompossibile: Sicut in eadem potentialitate materiæ non possunt recipi plures formę substãtiales, ut actus ultimi (quidquid sit de formis substãtialibus, quæ non habent rationẽ actus vltimi, vt est forma corporeitatis apud Scotum: uel tot formæ substantiales, quot ponit Iandunus: uel ut sunt gradus Metaphysici apud illos, qui ponunt eos ex natura rei distinctos.) Isti enim dicunt, quod materia non potest recipere simùl plures formas substantiales ut actus ultimos, quia per actum ultimũ ità potentialitas, & indifferentia materiæ determinatur ad illum, & per illum unum actum, ut incompossibilis sit cum illo alius actus ultimus: quãuis plures actus non ultimi possint esse simùl. Sic igitur patet, propositionem à S. Thoma assumptam esse uerisimam, nimirùm: Impossibile est eandem potentiam pluribus actibus terminari, ideſt, pluribus ultimis actibus, & consequentèr nec idem subiectum plura accidentia specie diuersa sub eodem genere in actu perfecto simùl posse recipere.

Scotus. Iãdunus.

Vnica potẽtia pluribus actibus vltimis terminari nequit.

S. Th.

Se-

Digitized by Google

Secunda sententia Scoti, & Durandi opposita D. Thomæ.

1. Fũdam. 162 CONtrariam nihilominùs sententiam tenent Scotus, Durandus, quos refert, & sequitur Suarius loc. cit. & totum fundamentũ ipsorum est instantia, quæ sumitur à speciebus, quæ sunt in medio, repræsentantibus obiecta specie diuersa; De speciebus intelligibilibus in intellectu: De habitibus sciẽtiarum, & uirtutum in intellectu, & uoluntate: & de consimilibus alijs accidentibus.

Prima respõsio nostra, & eius euersio. 163 Nec valet si respondeas, quod ista plura accidentia non perficiunt subiectum actu perfecto, sed præparant ad ulteriorem perfectionem; Nõ valet, inquam, hæc respõsio. Quia ut accidens dicatur inesse subiecto actu perfecto, sufficit, quod habeat circa subiectum perfectum actum informandi subiectum: sed omnia illa accidentia habent actum perfectum informandi: ergo, &c.

2. Fũdam. 164 Secundò Quia si aliquãdo accidens informat subiectum actu perfecto, maximè, quando est ualdè intẽsum: & ideò duo contraria, quia gradu remisso possunt esse in eodem subiecto, dicitur quod sunt compossibilia actu imperfecto: Sed omnia illa commemorata accidentia possunt simùl esse in gradu intenso, & valdè perfecto: ergo plura accidentia huiusmodi possunt simùl esse in eodem subiecto actu perfecto.

3. Fundamentum. 165 Tertiò: Quia ista distinctio de accidentibus simùl cõpossibilibus in actu perfecto, & imperfecto supra à nobis fuit reiecta impugnando modũ dicendi Iauelli, dicentis, quod plura accidentia solo numero distincta sunt compossibilia in eodem subiecto in actu imperfecto, & incompleto, non tamen in actu completo: Ergo etiam reijcienda est in præsenti, vbi agimus de pluribus accidentibus specie distinctis.

Resp. ad 1. fũdam. aduers. 166 Ad primum dicendum, quòd ad omnes illas instantias respondet S. Th. illa q. 8. de Verit. a. 14. Nam ad instantiam de speciebus in medio respondet ad 8. dicens: *Formæ illæ*, scilicet species, *non sunt in aere, nisi, vt in fieri: Sunt enim in eo, vt in medio deferente.* Respõsio S. Th. de speciebus in medio.

167 Ad instantiam de speciebus, respondet primò in corp. art. dicens: *Omnes formæ intelligibiles sunt vnius generis, quantumcumque res, quarum sunt, sint generum diuersorum: omnes enim eandem potentiam intellectiuam respiciunt: & ideò omnes simùl esse possunt in intellectu, & similiter in actu incompleto, qui est medius inter potentiam, & actum perfectum, & hoc est species esse in habitu, qui medius inter potentiam, & operationem. Sed in actu perfecto plurium specierum intellectus simùl esse non potest, &c.* & in solutione ad 9. dicit: *Quod species multæ sunt simùl in intellectu Angeli, sed non vt in actu perfecto.* Respõsio S. Tho. ad instãtiam de speciebus.

168 Ad instantiam de habitibus respondet in solutione ad 15. dicens: *Quòd Musica, & Grammatica, cum sint habitus, non sunt actus completi, sed formæ quædam mediæ inter potentiam, & actum.* Vbi licèt speciatim loquatur de habitu Musicæ, & Grammaticæ, reddit tamen rationem quare sint cõpossibiles ex generali ratione habitus, quia est actus incompletus, & sic ratio communis est ad omnes habitus. Itaque responsio S. Thomæ est, quod omnia illa accidentia sunt compossibilia in eodem subiecto, etiam si specie differant sub eodem genere, quia sunt actus incompleti, nec perficiunt subiectum actu completo. Respõsio S. Tho. ad instant. de habitibus

169 Ad improbationem huius respõsionis, quã affert Suarius ex Durãdo, negatur assumptũ, nimirum, quòd vt Accidens dicatur esse in subiecto actu perfecto, sufficit si habeat perfectũ actum informandi subiectũ. Nam calor habet actum perfectum informandi aquam, & tamen non perficit aquam, imò destruit illam. Prædictæ respõsionis improbatio præcluditur.

170 Et hoc est, quod decepit aduersarios, qui solum considerarunt habitudinem præcisam accidentis ad subiectum, tanquam ad id, à quo accipit

Digitized by Google

cipit ſuum ſubſtentamentum, ſeu conſiderarunt habitudinem accidentis ad ſubiectum, tanquam ad cauſam materialem *in qua*: Non vero habitudinē ad ſubiectum tanquam ad finem, ſeu ad quod perficiendum ordinatur.

Quando accidens dicitur eſſe in ſubiecto in actu perfecto, vel imperfecto.

171 Accidens ergo dicitur eſſe in ſubiecto actu perfecto, non ſolum quia informat ſubiectum, ſed quia informando ſubiectum, confert illi vltimam perfectionem, iuxta quam in illa linea accidentis eſt perfectibile: Et quia ſpecies tranſeuntes in medio, non ſunt propter perfectionem ſubiecti, ſed vt etiam tranſeant per illud, ideò prædictæ ſpecies non ſunt in medio in actu perfecto. Species verò intelligibiles, quæ ſunt in intellectu, licèt non ſint in eo per modum tranſeuntis, ſed permanentis, in quo multum excellunt ſpecies trāſeuntes; Tamen non perficiunt intellectum vltima perfectione, qua poteſt in iſta linea perfici intellectus: Nam intellectus perficitur in actuali cognitione obiecti; Hæc eſt enim vltima perfectio intellectus *in quantum intellectus*: per ſpecies autem intelligibiles, quāuis aliquo modo perficiatur, tamen per ipſas ponitur in via ad vltimam perfectionem. Et ideò non perficiunt intellectum actu completo, & perfecto, niſi, quando habet actum intelligendi coniunctum, & ſimilis ratio eſt de habitibus, qui diſponunt potentiam ad actum vltimum.

Vltima perfectio intellectus eſt actualis cognitio obiecti.

172 Et ideò Ariſtoteles definiens virtutem dixit, quod *eſt diſpoſitio perfecti ad optimum*. Ideſt ita perficit ſubiectum, vt non ipſa virtus ſit vltima perfectio, ſed ſit diſpoſitio ad actum vltimum, qui in hac linea ſicut habet rationem vltimi, ita & optimi.

173 Et ſic patet quam veriſſima ſit ſententia S. Thomæ, & vniuerſalis ratio, quare accidentium ſub eodem genere, ſed ſpecie differentium, quędam ſit compoſsibilia, quędam incompoſsibilia in eodem ſubiecto; Et quare non poſsit idē ſubiectum perfici ſimùl pluribus formis vnius generis, & diuerſarum ſpecierum, vt docuit 1. p. quæſt. 85. art. 4.

Reſpondetur ad ſecūdum fundamētum aduerſariorum.

174 Ad ſecundum reſpondetur, quod intenſio perficit accidens in ſuo ordine: Vnde ſi accidens ſit medium inter ſubiectum, & vltimum actum, intenſio perficiet accidens medium, quatenus medium eſt, v. g. habitus medius eſt inter potentiam, & actum, intenſio habitus perficit illum in ratione habitus. Sed tamen quantumcumque habitus intendatur, ſemper relinquit potentiam in via ad vltimum actum recipiendum, imò quātò eſt intenſior, tantò magis diſponit: Et ideò decipiūtur aduerſarij, qui putant, quod accidens tunc dicatur eſſe à S. Thoma in actu perfecto, quando eſt in ſummo intenſionis. Quia S. Thomas non conſiderat perfectionem accidentis ab intentione illius; Sed conſiderat ex natura accidentis; Quia quædam accidentia ſunt, quæ in aliquo genere perficiūt ſubiectum, non tamen vltimatè, ſed præparant ſubiectum ad vlteriorem perfectionē: Quędam vero ſunt, quę dāt vltimam perfectionē: & cum ex ſuo genere tribuant vltimam perfectionem, ſi tunc hæc ſint talia, vt ſuſcipiant intentionem, quantò fuerint magis intenſa, tantò magis perficiunt ſubiectum, habita tamen commenſuratione ad ipsū ſubiectum.

S.Th.

Ex intentione poteſt explicari perfectio accidentis.

175 Verum eſt, quod ad ſimilitudinem intētionis poteſt explicari perfectio, & imperfectio actus accidentalis: Nam ſicut reſpectu accidentis ſuſcipientis intentionem, quando eſt in gradu remiſſo dicitur eſſe in gradu imperfecto, & quando eſt in gradu intenſo, dicitur eſſe in gradu perfecto, eo quia gradus remiſſus ità perficit accidens, vt ponat in via, & diſpoſitione ad vltimum gradum: At quando eſt in gradu intenſo, & vltimo completur, & perficitur, nec ad vlteriorem gradum diſponitur: ità etiam accidentia cum vi ſuæ naturæ quædam ſic perficiant ſubiectum, vt non præbeant vltimum complementum in illo genere, & linea perfectionis, in quo ordinantur ad perficien-

Digitized by Google

ciendum subiectum, sed præparent in via ad vlteriorem perfectionem: Quædam vero vltimò perficiant in illo ordine, & linea perfectionis.

Regula generalis cur aliqua accidētia possint esse in eodem subiecto: & quædā vero nequeant.

176 Ideò quędam accidentia eiusdem generis, & differentia specie inter se sunt compossibilia in eodem subiecto: Quædam vero incompossibilia: Quia illa perficiunt subiectum actu imperfecto: ista complent actu perfecto: Et hæc est regula generalis, non illa, quam aduersarij afferrunt à contrarietate petita, quia hæc non est sufficiens, vt supra ostensum est, &c.

Respōdetur ad tertium fundamētum aduersariorum.

177 Ad tertium respōdetur, quod aliunde prouenit, quare accidentia specie diuersa sub eodem genere sint incompossibilia, & quare accidentia solo numero distincta sub eadē specie non possint esse in eodem subiecto. Nam incompossibilitas istorum prouenit ex parte subiecti, in quantum ab vnitate illius indiuiduantur, & ideò siue sint in actu imperfecto, siue perfecto, sunt incompossibilia. At accidentia specie differentia sub eodem genere, quod aliqua sint compossibilia, aliqua incompossibilia prouenit ex diuerso modo perficiendi subiectum, vt dictum est; & ideò aliqua sunt compossibilia, aliqua incompossibilia.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrum plura accidentia solo numero distincta possint esse in eodem subiecto successiuè?

178 DIcuntur accidētia solo numero distincta esse successiuè in eodem subiecto, quando subiectum habet in se aliquod accidens, & illo amoto iterum suscipit aliud accidens eiusdē speciei cum illo præcedenti: Quod secundum accidens cum sit eiusdē speciei cum illo præcedenti, sine dubio ab illo si distinguitur, solo numero distinguitur, v.gr. aqua calida abiecto calore redit ad pristinam frigiditatē, sed deinde iterum igni applicata, videmus iterum calefieri. Est modo difficultas: an iste nouus calor sit idem numero cum illo præexistente calore: an verò sit duplex calor, qui successiuè introducitur in idem subiectum, quatenus vnus calor introducitur in subiectum post illum calorem, qui præcesserat? In qua difficultate sunt tres sententiæ.

Prima sententia quorundam asserentium id esse impossibile saltem vi naturæ.

Prima sēntia.

179 PRima sententia est, saltem vi naturæ id esse impossibile, nimirum, plura accidentia solo numero distincta successiuè recipi posse in eodem numero subiecto, & hæc sententia id negat vniuersaliter. Ita quidam innominati apud Suarium disp. 5. Met. sect. 9. n. 1.

1. Argum.

180 Hæc sententia fundatur in principio indiuiduationis: Quia hoc accidens est indiuiduum propter hoc numero subiectum: ergo quoties cōtingit subiectum recipere aliquod accidens eiusdē speciei, toties reproducetur illud numero accidens, quod fuit priùs; aliàs si plura accidentia solo numero distincta possent esse successiuè in eodem subiecto, non indiuiduarentur à subiecto: nam sicut sēper est vnum numero subiectum, ita non potest per ordinē ad illud indiuiduari, nisi vnum numero accidens: & sicut subiectum non mutat suam numericam vnitatem, ita neque per ordinem ad illud potest plurificari vnitas numerica accidentis. Impossibile est enim, vt vnum, & idem sit principium numericæ vnitatis, & multiplicationis.

Confirmat.

181 Confirmatur, quia multiplicatio numerica accidentium est propter multiplicationem numericam subiectorum: ergo vnitas numerica

vnius accidentis respicit vnum numero subiectum, & ideò vnum subiectum non potest recipere plura numero accidentia, &c.

2. Argum. 182 Secundò, quia si in ordine ad idem subiectum possent successiuè recipi plura accidentia numero distincta, possent etiam recipi simùl: Sed hoc esse non potest ex eo, quia subiectum est principium indiuiduãs accidens, quod in se recipit: ergo neque successiuè. Sequela maioris probatur. Sequela maioris probatur: Quia si simùl unum numero subiectum potest recipere plura accidentia solo numero distincta, per accidens est; quod illa recipiat aut simùl, aut successiuè; Nam semel uno introducto, & existente in subiecto, nulla potest assignari ratio, quare nõ possit introduci, & aliud. Nam supponimus ista accidentia non esse essentialiter successiua, sicut motus, & tempus, sed aliqua accidentia permanentia, sicut duo calores, quibus successio est merè accidentaria: ergo si potest unum introduci post aliud, possent, & simùl introduci, quia cum sint entia petmanentia, per accidens conuenit illis simultas, & successio. Sequitur ergo, si possunt inesse successiuè, possunt inesse simùl: Sed simùl inesse non possunt: ergo neque successiuè: & ideò quoties idem subiectum recipit accidens unius speciei, toties reproducitur, & recipit idem numero accidens. Vnde quando aqua olim calida, deinde frigida, & postea de nouo fit calida, non producitur nouus calor ab illo priore distinctus numero; Sed ille idem numero calor iterum reproducitur.

Secunda sententia Scoti absolutè affirmantis id non repugnare; Sed tantum repugnare in actu particulari, quando, scilicet, est idem numero subiectum, & idem numero agens.

Secunda sententia Scoti. 183 SEcunda sentẽtia docet, absolutè loquendo, non repugnare duo, aut plura numero accidentia successiuè recipi posse in eodẽ subiecto, quia indiuiduatio accidentis non depẽdet à subiecto: Repugnare tamen in casu particulari; Quando, nimirum, est idem numero subiectum, & idem numero agens, quod imprimit accidens subiecto; v.g. si sit eadẽ numero aqua, & idem numero ignis, qui antea calefecit aquam, & deinde iterum calefacit, in hoc casu non producitur alius numero calor, qui illi priori succedat, sed ille idem numero iterum reproducitur: Et similiter si sit idem numero sigillum, & eadem numero cera, quoties contingit idem sigillum applicari eidem ceræ, resultabit eadem numero figura.

1. Fũdam. 184 Est ista sententia Scoti apud Suarium loco citato. Cuius fundamẽtum est: Quia idem agens circa idem subiectum semper est natum facere idem, & sumitur hoc fundamentum ex Arist. 8. Met. t. 11. Vbi Philosophus reddit causam, quare vna existente materia fiant diuersi effectus; & dicit hoc prouenire quando agẽtia sunt diuersa. *Contingit*, inquit, *vna existente materia diuersa fieri propter mouentem causam.* Similiter dicit, quòd existente eodem agente, & diuersa materia pariter effectus diuersi procreantur. Vnde subdit: *Si autem idem contingat ex alia materia facere.* Itaque sicuti diuersitas effectuũ prouenit ex diuersitate, aut agentis, aut materiæ: ità si fuerit idem agens, & eadem materia, hoc est idem passum, erit semper idem effectus. Arist.

2. Fũdam. 185 Et ideò in prædictum locum scribit Commentator: *Cum materia fuerit vna, & motor fuerit vnus, de necessitate generatum erit vnum: Quemadmodum si materia fuerit diuersa, & motor diuersus, generata erunt diuersa.*

186 Itaque ex sententia Scoti in casu proposito reproducitur idẽ numero accidens, non semper, vt dicebat prima sententia; quia iuxta sententiam Scoti accidentia non indiuiduantur à subiecto, sed ex alio fundamento, nempè propter identitatem agentis, & patientis, &c.

Tertia

Digitized by Google

Tertia sententia Durandi, & aliorum differentium contra primam sententiam, & contra secundam partem secundæ sententiæ Scoti.

Tertia sẽtentia.

187 TErtia sententia docet nõ solum plura accidentia solo numero distincta successiuè esse posse in eodem subiecto, contra primam sententiam: Sed necessario semper, quòd idem subiectum recipit accidens eiusdem speciei, idem subiectum recipit plura accidentia solo numero distincta, contra secundam sententiam. Quia nunquam idem numero accidens reproducitur virtute agẽtis naturalis, sed semper nouum accidens procreatur, numero distinctũ à præcedenti. Dixi *Virtute agentis naturalis*, nam de potentia Dei, quid fieri possit, difficultate sequenti expendemus.

Durand. Marsil. Suarez.

188 Hæc est communis sententia Durandi, Marsilij, & aliorum, quare quoad ordinem naturalem sequitur Suarius tom. 2. in 3. p. disp. 44. sect. 6. & disp. 5. Met. sect. 9. n. 4. De hac re tractant Philosophi 5. Physic. c. 4. & 2. de Gen. c. vltimo. Theologi in 4. dist. 43. & 44. & 3. p. 1.

Pro clarificatione huius tertiæ sententiæ, ostenditur vnde proueniat non posse agentia naturalia reproducere eundem numero effectum, sed tantum posse procreare effectuum numero à præcedenti distinctum: Ponuntur quatuor modi dicendi pro decisione, qui omnes ordinatè reijciuntur.

Noua difficultas. vnde proueniat quod agẽtia naturalia nequeãt reproducere eundẽ num. effectum.

189 AD probãdam hanc sententiam oportet ostendere, vnde proueniat, quod agentia naturalia non possint reproducere eundem numero effectuum, etiam si sit idem numero agens, & passum, sed semper nouum aliquem effectum, numero à præcedenti distinctum, procreare debere?

Primus Modus dicendi aliquorum, & eius impugnatio.

190 PRimò id aliqui putãt prouenire ex eo, quia cum agens naturale semel produxerit aliquem effectum, eius vis agendi ad illum numero effectum exhauritur, & sic non potest amplius illum eundem numero effectũ reproducere. Indeq; prouenire, vt ad præteritum non detur posse. Ratio primi modi dicendi.

191 Sed hæc ratio est insufficiens, nam in agente semper manet eadem vis producendi effectum in specie: Sicut in Sole ad producendum lumen: in igne ad producendum calorem. Quod ergo Sol non possit hodie reproducere illum idem lumẽ diei præteritæ: vel hoc prouenit ex eo, quod Sol aliquid cum productione illius luminis perdidit: vel ex eo, quòd aliquod impedimẽtum acquisiuit; Quod vtrumq; dicere fictitium est; quia non potest explicari, quid sit, quod deperdidit; quid sit illud, quod acquisiuit, impediens nè vis illuminatiua Solis possit reproducere lumen antea productum. Impugnatur primò.

192 Deinde vrgetur argumento Scoti: Quia si visus figitur circa aliquod obiectum, & eliciat actum visionis, conseruatque illum semper intuendo idem obiectum per vnam horam, deinde claudantur oculi quãtum est ictus oculi, & iterum videat idem obiectũ per aliam horam; quid prohibet, nè ille idem actus de nouo producatur, qui priùs erat, vt necesse sit nouum actum elicere, cum iam illum ipsum conseruari posset per duas horas. Quid enim deperdidit potentia visiua, aut quid illi appositum est impedimenti nè illum eundem actum reproducat, & continuat per alteram horam, cum posset illum duobus horis continuare? ergo non est sufficiens ratio adducta. Secundò impugnatur Scoti 1. argum.

Secun-

Digitized by Google

Secundus Modus dicendi Nominalium, & aliorum; qui & multipliciter reijcitur.

Secundus Modus dicēdi, & eius confutatio.

193 SEcūdo assignant alij causam istius, esse ipsam dispositionem Primi agentis, qui sic sua voluntate disposuit, vt semper agentia naturalia, quotiescumque de nouo agere incipiunt, nouum effectum producant, & non reproducant præteritum: & hinc est, quod ad præteritū non datur posse; non quia agens de se non possit illum reproducere, sed quia dispositio Primi agētis dirigētis causas secundas semper illas dirigit ad nouos effectus. Pro cuius rationis intelligentia supponēdum est, quòd isti asserunt, quòd cum ab agente naturali possint produci distincti numero effectus, & de se agens naturali sit indifferens ad producendum hunc, vel illum effectum numero, oportet vt determinatur ad hunc potiùs, quam illum effectum. Nam agens de se indifferens indiget determinari, & nihil potest assignari intrinsecum, vel extrinsecum, quòd illud determinet numero, nisi voluntas Primi agentis, qui concursu suo determinat causam secundam ad hunc numero effectum potiùs, quàm alterum. Et ideò à Voluntate Diuina prouenire dicūt, quod vis agētis creati determinatur semper ad nouum effectum, cum sit indifferens ad producendum nouum, & antiquum.

Animaduersio.

194 Et rursus cum sit indifferens inter nouos effectus ad producendum hunc, vel illum, ab eadem dispositione, & voluntate Primi agentis determinatur ad hunc, vel alium effectum.

Nominales.

Fonseca.

195 Istum modum dicendi docent Nominales, præsertim Greg. in 1. dist. 17. q. 4. a. 2. ad 7. & dist. 35. q. 1. a. 1. Sequitur Fonseca 1. Met. c. 2. q. 3. sect. 8. & lib. 5. cap. 2. q. 9. sect. 2. rat. 6. Vnde probat necessitatem diuini concursus ad omnem actionē causæ secundæ, &c. Approbat Suarez disput. 5. Met. sect. 9. n. 7. Quamuis tom. 2. in 3. p. loc. sup. cit. tanquam minus

Surrius.

Philosophicum reprobauerit: Et potissimum fundamentum inclinandi in hanc sententiam est, tum, quia moderni auctores grauissimi hanc sententiam amplectuntur.

196 Tum etiam, quia videtur cedere in gloriam Primi agentis; hinc enim, & summa eius libertas ostenditur, quòd pro sola voluntate sua determinat causas secundas ad indiuiduos effectus, vt colligit Toletus 8. Phys. q. 3. concl. 2. Hinc etiam ostenditur necessaria dependentia secundorum agentium à concursu agentis Primi, quia cum omnis actio causæ secundæ debeat terminari ad effectum singularem, & de se sit indifferens, necesse est, vt per concursum primæ causæ determinetur ad hunc singularem effectum.

Toletus.

Reiicitur primo iste secundus modus dicendi.

197 Hic modus dicendi reddentis pro causa huius successionis, nouorū scilicet effectuum, constans esse non potest. Primùm quia nititur voluntario fundamento: Quia vnde constat talis voluntas primi agentis? Cū enim non appareat ex parte secundorum agentium vestigium, quare semper quoties agunt, deberent producere nouos effectus, talis Diuina Voluntas non potest innotescere, nisi per diuinam reuelationem; huius autem Diuinæ Voluntatis nullum extat monumentum.

Effugium aduers.

198 Dices primo, quòd ista Diuina Voluntas innotescit per ipsos effectus: Quia vt dicit S. Th. 1. p. q. 19. a. . Voluntas Diuina dupliciter nobis innotescit, vel per diuinam reuelationem, vel per ipsam effectuum exhibitionem.

S. Th.

Præcluditur prædictum effugium.

199 Sed hæc responsio supponit id, quod est in quæstione: supponit enim, quod quotiescumque agēs circa eandem materiam de nouo agit, quòd semper producat nouum effectum. Quod si constans esset, facilè assignari posset, pro causa Diuina Voluntas, dicendo: In causis naturalibus non apparet ratio, cur agentia semper nouos effundant effectus: ergo recurrendum est ad Diuinam Voluntatem.

Digitized by Google

tem. Sed punctus difficultatis est, quia id, quod supponitur, est illud ipsum, quod in quæstionem vocatur: Et auctores primæ, & secundæ sententiæ illud reijciunt. Vnde ex hac parte non potest assignari indicium Diuinæ Voluntatis.

200 Dices secundo cum Suario num. 10. Quòd hoc non procedit sic à Diuina Voluntate, vt non habeat aliquod fundamentum in ipsa agentium natura: Nam cum virtus agentium naturalium sit ordinata ad indiuiduorum multiplicationem, illamq; intendat, hinc fit, vt semper à Deo accipiant concursum ad nouos effectus.

Secunda euasio Suarij.

201 Sed hæc euasio in primis destruit istum dicendi modum. Quia iuxta hanc responsionem esset verum dicere, quòd ideò Deus præbet concursum ad nouos effectus, quia id exigit natura agentium secundorum: non autem è contra, ideò agentia secunda semper producunt nouos effectus, quia ad nouos effectus diuino concursu determinantur.

Euasio diluitur primò.

202 Secundo, quia agentia secunda non per se primo ordinantur, & intendunt indiuiduorum multiplicationem, sed secundario, & per accidens; In quantum species in vno indiuiduo corruptibili conseruari non potest: Vel in quantum in vno indiuiduo tota perfectio speciei haberi non potest, & ideò vbi istæ rationes locũ non habẽt, nec habet locum ipsa indiuiduorum multiplicatio; vt apparet in Sole, Luna, & in Astris: & istę rationes saluari possunt, si agentia præteritos effectus reproducerent. Cæterum magis agentia naturalia videntur inclinati ad conseruandum id, quod ab ipsis productum est, & reparandum si possit, quàm ad nouum effectum producendum.

Secundò diluitur.

203 Et ideò nõ solũ fuit opus mirãdum, sed etiam magnũ beneficium cum Christus Dominus rediuiuum restituit Filium Vnicũ Matri suæ: ergo ex hac parte non redditur ratio sufficiens ex parte ipsorum naturalium agentium. Et laudatur Pater familias, qui de thesauro suo profert noua, & vetera: ergo etiam agentia naturalia essent commendatione digna, si de thesauro suæ virtutis proferrent effectus nouos, & veteres. Non ergo pertinet ad perfectionem, & inclinationem agentium naturaliũ si semper producunt nouos effectus, nisi aliqua maior ratio assignetur.

Nõ est de perfectione agentis naturalis efficere sæpe nouos effectus.

204 Et propterea Pater Suarez loc. cit. ingenuè fatetur, quidquid in hac re dici potest, non satisfacere animo, dicitque esse rem valdè obscurã, causamq; istius esse nobis occultam: cui libenter subscribo, Vt ingenij nostri breuitatem fateamur. Nam in re, quã incunctãter præ manibus experimur, adeò cæcuti mus. Vt hinc verum appareat illud sapientis: Si quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore, quæ in Cælis sunt, quis inuestigabit?

205 Secundò reijcitur hic dicendi modus: Quia si ex sola ordinatione Diuinæ Voluntatis proueniret, quòd agentia naturalia non reproducerent effectum semel corruptum, sequeretur quòd reproductio corrupti non esset opus simpliciter supernaturale, & miraculosum: Quia de se agentia naturalia haberent sufficientem virtutem ad reproducendos effectus semel corruptos: Vt Sol ad producendum idẽ ipsũ lumen numero, quod præterita die diffudit: Et fortasse ad id haberẽt innatam inclinationem, vt dictum est, & solùm ideò non reproducerẽt, quia diuino concursu prohiberentur, quod non sufficit, vt opus sit simpliciter supernaturale, quia de se esset opus connaturale agentibus naturalibus, & ab extrinseco solum impedirentur. Hoc autem est falsum: Quia reproductio corrupti est opus simpliciter miraculosum, & supernaturale apud auctores huius tertiæ sententiæ: ergo, &c.

Secundò reijcitur idem secundus modus dicendi.

Reproductio corrupti est opus simpliciter supernaturale.

206 Tertiò, quia hic modus dicẽdi non cohæret cum modo, quo præfati auctores dicunt Deum concurre re cum causis secundis ad omnes illorum

Tertiò reijcitur secundus hic modus.

Digitized by Google

lorum effectus, & operationes: Quia isti nõ ponunt Deum præuio concursu concurrere cũ actione causæ secũdæ, sed concursu simultaneo: & non ità simultaneè, vt concursus causæ secundæ saltem ratione non præcedat concursum causę primæ: Volunt enim isti, quod concursus causæ secundæ saltem liberæ ad minus ratione præcedat concursum causæ primæ. Vnde Gregor. Gregorius concedit hanc propositionem: Ideò causa prima agit, quia agit causa secunda, & non è contra. Imò dicunt, quod concursus causæ secundæ determinat concursum causæ primæ: & ideò vsque ad Cælum efferunt illam propositionem S. Thomæ 3. cõtra Gent. c. 66. Quod, nimirum, agentia secunda sunt particulantia concursũ causæ primæ; ex quo fit, vt concursus causæ secundæ comparatus ad cõcursum causæ primæ, non solum habeat rationis præcedentiam, sed se habet, vt determinans ad determinatum: ergo non potest Deus suo concursu determinare concursum causæ secundæ ad hunc, vel illum indiuidualem effectum.

Probatur consequẽtia. 207 Probatur consequentia. Quia in illo priori præintelligitur concursus, seu actio causæ secundæ iam determinata in genere, specie, & numero; quia non potest intelligi actio existere, nisi sit, & intelligatur singularis: ergo ante diuinum cõcursum iam præintelligitur, & est determinata in indiuiduo.

208 Et quod dicimus de concursu, & actione, idem omninò dicendum est de effectu, secundum quod est terminus actionis. Quia prout actio causæ secundæ præintelligitur attingere effectum, non præintelligitur illum attingere, nisi vt singularem: Et non solum hoc manifeste sequitur ex precedentia, sed multo magis ex determinatione. Quia si concursus causæ secundæ particulat, & determinat cõcursum causæ Primæ, potiùs concursus diuinus trahitur ad hunc numero effectum à concursu causæ secundæ, quàm è contra. Igitur nullo modo potest agens naturale determinari ad producẽdum hunc potiùs numero effectum, quam illum; sed potiùs è conuerso; Causa secunda concursu suo trahit ad id concursum causæ primæ, vt nimirùm spectato modo, quo ijdem ipsi auctores dicunt Deum cõcurrere ad omnem effectum, & actionem causæ creatæ.

Cõfirmatio. Martinus Ruiz. 209 Cõfirmatur. Quia prout Martinus Ruiz tom. 2. in 1. p. de Voluntate Dei: agens de Diuino Concursu, explicat de mente istorum, quomodo causæ secundæ sunt particulãtes concursum causę primę: Et dicit, quòd cũ in effectu sint rationes communes, & propriæ: causa prima inchoat actionem secundum rationes communes, & causa secunda concursu suo determinat, & particularizat influentiam Diuinam ad rationes proprias, & peculiares ipsius effectus: Sed nil magis proprium, & particulare in actione, & effectu, quàm ipsa ratio indiuidualis: Igitur potiùs causa secunda determinat causam primam ad hunc determinatum effectum, quàm è contra, &c.

Impugnatur fundamentum oppositæ sententiæ. 210 Neq; quod adducebatur pro fundamento oppositæ sententiæ est alicuius momenti: Nam quod primò dicebatur, quia hic modus dicendi videtur cedere in gloriam Primi agẽtis: Nam hinc manifestatur summa libertas Diuinæ Voluntatis, non vrget: Quia non minùs Deus sua libera Voluntate præsiniuit effectus secundum rationes proprias specificas, quàm secundum proprias rationes indiuiduales: sed ex hoc, quòd præsiniuit liberè effectus in specie, non propterea Deus suo actuali concursu determinat effectus in specie, sed præparauit causas proximas ad illos effectus in specie, quæ secundum propriam virtutem illos producunt: Nam, vt dicit S. Th. 1. p. q. 19. a. . Quia voluit istos effectus, aptauit has causas: ergo, quia voluit istos indiuiduales effectus aptauit causas primas, quæ ex propria virtute producerent hos determinatos, & indiuiduales effectus. S. Th.

211 Nec

Digitized by Google

212 Non valet, quod dicebatur secundò: quia hinc maximè probatur necessitas diuini cõcursus ad omnem actionem creati agentis: quia ex principijs aduersariorum colligitur oppositum, vt modo ostensum est: tũ etiam, quia necessitas diuini concursus non oritur ex ista determinatione, sed aliunde, vt in opusc. nostro de Concursu primæ causæ ostendemus. Nam etiam si causæ secundæ non indigerent ista determinatione, adhuc indigerent concursu diuino, &c.

Tertius Modus dicendi Durandi, & Vasquez confutatur.

213 TErtiò assignant alij pro causa ipsam actionem. Dicunt enim, quod agens non potest de nouo agere in passum, nisi per nouam actionem: sed noua actio requirit nouum terminum: ergo non potest agens reproducere effectum præteritum, sed semper nouum, & nouum, & vnum numero distinctum ab alio.

Tertius modus dicendi, & eius reiectio.

214 Et si dicas, quod eadem difficultas recurrit de actione: Quare scilicet agens debeat elicere nouã actionem, & non possit elicere præteritam actionem: Dicunt, quòd hoc ideò est, quia ad indiuiduationem actionis requiritur vnitas temporis; & quia tempus est successiuum, & successiua non possunt reproduci, vnde tempus præteritum nunquam instauratur, ideò nec actio eadem instaurari potest, & sic ex actione procedit, quòd semper agẽs producat nouum effectum, quoties de nouo incipit operatio, etiam si circa idem passum operetur.

215 Hunc modum dicendi, seu hanc rationem tradidit Durandus, Henric. quodlib. 7. q. 16. & vsque adeò extenditur Durand. vt nè de potentia quidem Dei fieri possit, quòd agens creatum de nouo agat, & effectum præteritum reproducat. Quia per ipsũ actio præterita non potest instaurari, sicut nec tempus; & actio est idem cum termino apud ipsum, seu est ipse effectus in fieri, Vnde nec effectus præteritus instaurari potest ab agente creato.

Durand. Henricus. Vasquez.

216 Sed hìc modus dicendi non satisfacit. Primũ, quia esto, quòd agẽs creatum agat noua actione, non propterea sequitur, quòd debeat nouum effectum producere, sed potest effectum præteritum reproducere: illa enim noua actio non esset simpliciter productio, sed esset reproductio: Imò hoc est de ratione reproductionis, vt sit noua actio, & terminus eius fuerit aliàs productus: Est enim reproductio iterata productio.

Tertius modus iste dicẽdi reiicitur.

217 Nec quod dicit, actionem idẽtificari cum termino, est vniuersaliter verum, vt aliàs ostendimus. Secundò, quia eadem ratio recurrit de actione, quare noua actione semper agens naturale agere debeat: Nam vel actio est idem cum termino, & effectu producto: vel est distincta à termino: si est idem cum effectu; iam eadem difficultas est de effectu, & de actione: si est distincta à termino, quare illa entitas actionis semel præterita non potest iterum poni in esse?

218 Nec valet si dicas, quòd actio indiuiduatur à tempore. Quia vel istud tempus est ipsa duratio extrinseca, & ab hac indiuiduari non potest: Vel est ipsa duratio intrinseca, & hæc potiùs indiuiduatur ab actione, quia est consequens rem durantem, & præsupponit illam singularem. Tertiò denique dato, quòd indiuiduatur non per tempus extrinsecum, sed per ordinem ad tempus extrinsecum: falsum est, quod tempus, & successiua non possint reproduci, quantum ad id, quod huiusmodi entia habent entitatis realis. Quid enim prohibet, vt non sit eadem latio Cæli hodierna, quæ fuit esterna: & idem numero circularis motus, qui fuit heri, non sit hodie?

Effugium aduersar. & eius præclusio.

Digitized by Google

Quartus Modus dicendi Suarÿ, & eius insufficientia.

Quartus modus dicendi.

219 QVartò alij assignant pro causa ipsum ordinem naturæ: est enim natura ordinatissima, & ideò quamuis agens de se habeat virtutem indifferentem ad producendum varios numero effectus, tamen quando descendit ad exercitium actionis, ab ipsa natura determinatur ad hunc potiùs effectum, quàm ad alterum. Hunc modum dicendi tradidit Suarius disp. 5. Met. sect. 9. n. 10. & tom. 2. 3. p. loc. sup. cit. Dicit enim Suarius, quòd in re obscurissima nihil occurrit, quod satisfaciat.

Suarius.

Reiicitur quartus hic modus dicendi.

220 Sed hic dicendi modus est omninò insufficiens. Quia ad ordinem naturæ saluandum sufficit, si agens producat vnum effectum post alium: Sed quod producat hunc, & non illum, non apparet in natura agentis aliquod determinans virtutem agentis ad producendum hunc potiùs, quàm illum. Præterea quare natura agentis semper determinat ad nouum effectum, si aliàs virtus agentis est sufficiens ad reproducendum effectum præteritum: maximè, quia, vt supra dixi, agens non minùs videtur inclinare ad producẽdum nouum effectum, quàm ad reproducendum, & instaurandum id, quod perdiderat: Sicut enim agens inclinat non solum ad producendum, sed etiam conseruandum effectum à se productum, quare non etiam ad reparandum, & instaurandum?

Quæ sit in hac difficultate nostra sententia, hìc firmatur, & pro sua explicatione duplici quæstioni, quæ inquiritur, duplici conclusione, & responsione satisfit.

121 CVM ergo nihil inuenerimus, quòd in ista difficultate possit assignari pro causa, quare agens naturale non possit reproducere effectum præteritum, sed semper debeat producere alium de nouo: superest, vt recurramus ad ipsum subiectum.

Prima Quæstio.

222 Pro qua re explicãda supponendũ est, quòd hic inuoluuntur duæ inquisitiones: Prima inquirit: Quare agens naturale non possit reproducere effectum præteritum, sed semper alium, & alium nouum, v.gr. quare Sol indefinenter rotando cum Cælo semper producat nouum, & nouum lumen, & non possit præteritum lumen reproducere?

Secunda Quæstio.

223 Secunda inquisitio est: Supposito, quòd agens de se est indifferẽs ad producendos nouos effectus numero distinctos, à quo determinatur, vt hunc nouum producat, & non aliũ?

Prima Concluſ. & respõs. ad primã Quæstionem.

224 Quod spectat ad primam quęstionem, dico quod subiectum quatenus est principium indiuiduationis, est principium cur agens naturale sẽper debeat nouum, & nouum effectũ à præcedenti numero distinctum producere. Et quidem, quòd quando subiecta sunt inter se naturaliter distincta, agens naturale debeat producere effectus realiter distinctos, perspicuum est.

Prima animaduersio.

225 Ambiguum autem est, quando est idem numero subiectum, & supponendum est, quod omnis effectus agentis naturalis præsupponit subiectum; solius enim agentis primi est agere independenter à subiecto: Ac proinde omnis effectus agentis naturalis habet rationem formæ informantis. Supponendum est vlteriùs, quòd omnis forma indiuiduatur per materiã *in qua*, vt supra ostensum est; Ac proinde ipsum subiectum non est principium intrinsecum indiuiduationis formarum, sed indiuiduantur per ordinem ad subiectum: Sicut potentiæ cum specificantur ab obiectis, non ita specificantur ab illis, tanquam à principijs intrinsecis, sed extrinsecis: Principia autem intrinseca sunt ipsi ordines ab obiecta: Ità paritèr formæ indiuiduantur per ordines ad subiecta. In hoc enim posuimus

Secunda animaduersio.

Digitized by Google

ſuimus diſcrimen ſupra inter ea, quæ diuiduantur à materia *ex qua*, vt ſunt compoſita, ab ijs, quæ indiuiduantur à materia *in qua*. Quod materia eſt principium indiuiduationis illis intrinſecum, iſtis extrinſecum.

226 Dico igitur, quod principium multiplicationis numericæ accidentium circa idem ſubiectum, eſt ipſum ſubiectum quatenus eſt multoties receptiuum accidentis eiuſdem ſpeciei. Nam licèt ſubiectum ſecundum rem vnum numero ſit, virtualiter tamen eſt multiplex, quatenus repetitis vicibus poteſt recipere accidens eiuſdem ſpeciei. Sicut enim diſtinctio realis ſubiectorum eſt principium diſtinctionis accidentium, ità etiam diſtinctio virtualis.

Diſtinctio realis, vel virtualis ſubiectorum facit diſtinctionis accidentium.

227 Et ideò ſi ſemèl recipit accidens vnius ſpeciei, & deinde iterum recipiat; hoc accidens, quod recipit de nouo, non poteſt eſſe illud ipſum, quod primo recepit. Quia licèt materialiter ſit idem ſubiectum, formaliter tamen, & quatenus eſt terminus ordinis indiuidualis accidentis non eſt idem ſubiectum, ſed virtualiter eſt alterum; ac proinde accidentia indiuiduantur, & multiplicantur numero per ordinem ad ſubiecta, non ſolum realiter, ſed ſufficit ſi fuerint virtualiter diſtincta.

228 Et poteſt ſumi proportio à menſura ſenſibili: poteſt enim vnum vas eſſe principium multiplicationis ſenſibilis alicuius liquoris, v.g. vini; poteſt enim quis aſſumere vnam amphoram ad diſtribuendum multis vnũ vini dolium, quatenus repetitis vicibus poteſt illam implere, & ſingulis recepturis cuique menſuram vini diſpenſare: Ità etiam per ordinem ad eandem capacitatem ſubiecti poſſunt multiplicari numero plura accidentia, quatenus idem ſubiectum ſua capacitate poteſt pluries recipere accidens eiuſdem ſpeciei, vt ipſum ſubiectum ſua capacitate ſit veluti menſura diuidens vnum accidens ab alio diuiſione numerica, ſicut amphora eſt principium multiplicationis ſenſibilis eiuſdem liquoris.

229 Et ità ex conſtitutis principijs de indiuiduatione accidentium colligo, quod ſubiectum eſt radicale principium multiplicationis numericæ accidentium non ſolum quatenus ipſum eſt realiter, ſed etiam quatenus eſt virtualiter multiplex; Et hinc prouenit, quod in ordine ad idem ſubiectum quatenus eſt pluries receptiuũ, ordinantur plura numero accidentia, & ipſum ſubiectum exigit ſemper accidens nouum, quoties recipit accidens eiuſdem ſpeciei, quia ipſum eſt principium multiplicationis illorum. Corollarium.

230 Quod vero ſpectat ad alteram quæſtionem, quamuis propriè non pertinet ad præſens inſtitutum. Sufficit enim nobis oſtendiſſe accidentia indiuiduari per ordinem ad ſubiectũ, non verò per actualem coniunctionẽ ad illud; & quod ex parte ſubiecti quatenus eſt indiuiduationis principium, ſemper in eodẽ ſubiecto debeat nouus effectus produci, vel noua forma, quoties ſucceſſiuè contingeret idem ſubiectum recipere accidens eiuſdem ſpeciei: Sed quod deinde in exercitio agens introducat potiùs vnum, quam alterum, nihil noſtra intereſt: Nihilominus dico, quod huius potioris rationis cauſa, ſi nõ ſimpliciter, magna tamẽ ex parte petẽda eſt à ſubiecto: Et quidem ſi loquamur de illis effectibus, qui requirunt ſubiectũ diſpoſitum, manifeſtum eſt, quod ex parte ſubiecti determinatur agens ad introducendam hanc formam potiùs, quàm alteram; Quia forma debet coaptari ſubiecto diſpoſito, & illius capacitati. Secunda Cõcluſio, & reſpõſio ad ſecundam Quæſtionem.

231 Et hinc diximus animas rationales eſſe ſubſtantialiter inæquales. Quia pro capacitate materiæ diſpoſitæ infunditur anima illis proportionata.

233 Sed difficultas eſt de illis formis, quæ ſunt primę diſpoſitiones, vel non requirunt ſubiectum diſpoſitum, vel ſaltem poteſt dari æquè diſpoſitum. Difficultas incidens, & eius reſponſio.

234 Sed ad hoc dico, quod cum iſta diuiſio numerica ſit homogenea,

Digitized by Google

vt numerica est, ac proinde omnia indiuidua sint æqualia: Dico, quòd non oportet quærere aliam causam, nisi ipsum agens, quod intendit assimilare sibi passum secundum speciem; & ipsum subiectum quatenus eo ipso, quòd in eo recipitur singularizatur; sicut dolium de se habet communicata vinum, sed quod in amphora recipiatur tantum vini, & diuidatur ab alio, hoc est ex parte amphoræ recipientis, & haurientis vinum, propter quamquod potest assignari continuus motus superiorum causarum, quæ vel determinant agens, vel passum ad efficiendum, vel recipiendum hunc numero effectum potiùs, quàm alium.

235 Vnde non est necesse recurrere ad immediatum Dei concursum cum omni agente creato, nisi solum in illis agentibus creatis, quæ in suis operationibus non dependent ab alijs causis superioribus, vt sunt Angeli, & liberum hominis arbitriũ. Ex quo patet, vt obliter dicam, nõ ex hoc probari generalem Dei concursũ ad omnem actionem cuiuscumque agentis creati, sed ad operationes solum illorum agentium, quæ immediatè subijciuntur Deo; & non agentium corporalium, quæ aliàs causas superiores agnoscunt.

Corollarium.

236 Concludendum est igitur ex dictis, quòd plura entia numero distincta successiuè esse possunt in eodem subiecto, etiam si sit idem agens, idemque passum. Quòd magis confirmabitur euertendo fundamenta aduersariorum.

Diluuntur argumenta, & fundamenta prima, & secunda sententiæ contrariæ propositæ pag. 171. *&* 172. *num.* 180. *vsque ad num.* 186.

Ad primũ argum. respondet primo Suarez.

237 AD primum dicit Suarez, quòd si subiectum est principiem indiuiduationis, necessario sequitur, vnum subiectum non posse successiuè recipere plura accidẽtia numero distincta, sed illud ipsũ toties reproduci, quoties subiectum recipit accidens illius speciei.

Sequela Suarez est nulla.

238 Sed hæc sequela est nulla, quia potiùs, vt declaratũ est, quia subiectum est principium indiuiduationis, sequitur, quod potest, & debet recipere successiuè plura accidentia numero distincta. Decipitur enim auctor illius sententiæ, & Suarius cum eo, quia credunt, quòd subiectum, & generatim materia *in qua* sit principium intrinsecum indiuiduationis, quod toties negat Capreolus locis supra citatis, adductus ad negandum ex multis S. Th. testimonijs. Satis enim supra assignauimus discrimẽ inter materiã *ex qua*, & materiam *in qua*, quatenus est indiuiduationis principium, quòd materia *ex qua* est principium intrinsecum. Quia indiuiduum compositum intrinsecè constat ex hac materia, & hac forma: Sed materia *in qua* est principium extrinsecum, & ordo ad ipsũ subiectum est principium intrinsecum ipsius formæ, & accidentis.

Capreol.

239 Et ideò diximus cum S. Thoma, quòd duæ albedines si existerent separatæ (quod Deum posse facere docet S. Th. quodlib. 7. a. 10.) Nihilominus illæ albedines essent inter se numero distinctæ.

S. Th.

Effugium aduersar. euertitur.

240 Nec valet, quod aliqui adducunt, vt credunt S. Thomam fuisse oppositæ sententiæ. Quia 1. p. q. 58. a. 4. & pluries dicit, si daretur albedo separata esset vna numero, quia non haberet subiecta, quibus numero distingueretur. Quia S. Th. loquitur de separatione Platonica, nempè si albedo esset forma separata, quæ nec haberet subiectum, nec haberet ordinem ad subiectum.

241 Itaque subiectum nõ est principium indiuiduationis intrinsecum, sed extrinsecum, & ideò non est incõueniens in ordine ad idem subiectum posse plura accidentia numero distingui, quatenus pluries potest accidens illius speciei recipere, & vt est virtualiter multiplex.

Ad secundum arg.

242 Ad secundum respondetur esset disparem rationem de receptione suc-

Digitized by Google

primæ sẽtentiæ. successiua, & simultanea. Quia naturali capacitati vnius subiecti est commensuratum hìc, & nunc vnum accidens numero, & ideò non potest duo simùl recipere; Sed non repugnat successiuè: Sicut in vno loco non possunt esse simùl duo corpora, possunt tamen esse successiuè, &c.

Respõdetur ad fũdamẽtum secundæ sententiæ.

243 Ad fundamẽtum secundæ sẽtentiæ, quæ erat Scoti. Respondetur, quod quamuis apud Arist. ibi inueniatur, quòd si mouẽs fuerit idẽ, & materia diuersa; vel si eadem materia, & agens diuersum, sequitur effectus diuersus: Non tamen inuenitur hæc propositio; si agens fuerit vnum, & materia vna, sequitur vnus effectus. Nam quamuis alterutrius diuersitas sit sufficiens causa diuersitatis effectus, non tamen sequitur, quod vtriusque identitas sit sufficiens causa identitatis effectus; Quia aliquid amplius requiri posset ad identitatem, quod non requiritur ad diuersitatem; maximè si ad identitatem effectus requiritur idẽtitas temporis, vt multi volunt. Secundò respondetur, quòd si agens fuerit vnum, & vna materia, sequitur idem vnus effectus secũdum speciem; non secundum numerum, vt bene ex S. Tho. exponunt N. Compl. de Gen. disp. 13. n. 7. &c.

N. Complut.

DIFFICVLTAS V.

Vtrum tanta sit essentialis dependentia accidentis in sua indiuiduatione ab vnitate subiecti, vt implicet contradictionem idem subiectum posse simùl recipere duo, aut plura accidentia solo numero distincta: aut idem numero accidens posse successiuè recipi in eodem subiecto?

244 HActenus egimus, tractando propositas difficultates, spectata rerũ natura: Nunc videndum est, quid fieri possit absoluta Dei potestate, quæ legibus naturæ subiecta non est, sed potest illas arbitrio voluntatis suæ immutare.

Titulus istius difficultatis duas difficultates complectitur.

245 Duas difficultates titulus cõplectitur: Prima est de duobus accidentibus: an sint compossibilia respectu Diuinæ Potentiæ in eodem subiecto: an vero nõ solum naturaliter, sed etiam essentialiter sint incompossibilia? Si enim essentialiter sunt incompossibilia, sine dubio neque diuinitus fieri poterit, vt simùl eidem inhæreãt subiecto; Quia quæ implicant, seu inuoluunt contradictionem, factibilia non sunt: Si autem solum naturaliter sunt incompossibilia, sine dubio fieri poterit Diuina Virtute, vt duo, aut plura accidentia solo numero distincta inesse possint simùl eidem subiecto: Sicut quia duo corpora naturaliter solum sunt incompossibilia in eodem loco, potest Virtute Diuina fieri, vt compossibilia sint per intentionem penetratiuam.

1. Difficultas.

246 Secũda difficultas est, de vno numero accidente, an succeisiuè possit informare idem numero subiectũ. Quod cum naturaliter fieri non posse ostẽ-

2. Difficultas.

Digitized by Google

oſtenſum ſit; videndum eſt, an id fieri poſsit Diuina Virtute, & duobus modis poteſt intelligi hoc fieri poſſe: Vno modo ſi Deus vnum numero accidens, quod iam inhæret ſubiecto, illud aliquandiù ſeparatum conſeruaret, & deinde iterum ſuo ſubiecto reſtitueret: Alio modo, ſi vnum accidens, puta lumen ſemèl à luminoſo productum, & deinde extinctum, iterum reproduceretur in eodem ſubiecto.

246 Quoad propoſitas difficultates eſt multa opinionũ varietas: nam circa vtranque non deſunt, qui negãtem ſententiam teneant. Sed aliunde mouentur, quàm ex principio indiuiduationis. Vnde iſtæ quæſtiones tractari poſſunt, vel cum extraneis, vel Thomiſtis. Prius videbimus, quid sẽtiunt extranei, poſteà cum noſtratibus erit concertatio.

Sententia aliquorũ circa primam difficultatẽ.

247 Circa primum punctum difficultatis dicunt aliqui apud Suarez diſp. 5. Met. ſect. 8. n. 20. Quòd quidem poteſt Deus ponere in eodem ſubiecto duo accidentia ſolo numero diſtincta, cum hac tamen limitatione, niſi ſint talia accidentia, quæ intentionem, & remiſsionem ſuſcipiunt.

248 Fundamentum iſtorum eſt: Quia ſi illæ qualitates ſuſciperẽt magis, & minùs, ſequeretur, quod ſtatim ac inhęrerẽt eidem ſubiecto, ex illis fieret vnum magis intenſum; Vt ſi Deus poneret duo lumina in eodem ſubiecto, ſtatim coaleſcerẽt in vnum lumen magis intenſum: ergo impoſſibile eſt duo huiuſmodi accidentia recipi in eodem ſubiecto.

Sententia Durandi circa ſecundam difficultatem.

249 Circa ſecũdũ punctũ ſententia Durãdi eſt: Implicare contradictionẽ, idem accidens ſucceſsiuè poſſe ineſſe eidem ſubiecto per reproductionem illius. Fundamentum Durandi eſt, quia omnis actio noua requirit nouũ terminum: Sed illa reproductio eſſet actio noua: ergo deberet producere nouum terminum; ac proinde eſſet noua productio, non reproductio; Quia non eſſet idem accidens reproductum, ſed nouum, & de nouo productum.

250 Sed vtraque hæc limitatio eſt falſa. Si enim aliunde non repugnet, ex illis capitibus non aſsignatur ſufficiens repugnantię ratio. Et prima quidem friuola eſt, etiam dato, quod intẽſio qualitatis fieret per partes eiuſdem qualitatis, & per gradus omninò conſimiles (quod quàm falſum ſit aliàs oſtendimus.) Quid enim prohiberet Diuinã Potentiam, vt ſi aſſumeret duo huiuſmodi accidentia diſtincta à diſtinctis ſubiectis, ſic diſtincta illa inter ſe ponere, & conſeruare in eodem ſubiecto? Nam eadem ratio eſt de continuatione extenſiua, & intenſiua: Sed Deus poteſt duo corpora vnibilia conſeruare abſque eo, quod extẽſiuè continuentur, vt ſi vni vaſi capaci infunderet duas aquas, & cõſeruaret illas inter ſe diuiſas, abſq; continuatione extenſiua; hoc enim Deum poſſe facere non apparet contradictio: ergo etiam poteſt duo huiuſmodi accidentia infundere eidem ſubiecto remanentibus inter ſe diuiſis abſque intenſiua continuatione. Prima sẽtẽtia reijcitur.

151 Confirmatur: Quia ſi illa accidentia in tantum eſſent diſtincta inter ſe, in quantũ eſſent in diſtinctis ſubiectis, & poſita in vno ſubiecto eſset vnum accidens, ſequeretur, quod ipſi maximè effugere nituntur: nẽpè, quòd vnitas, & multiplicatio prædictorum accidentiũ dependeret ab vnitate, & diſtinctione ſubiectorũ, vt patet. Confirmat.

252 Friuola quoque eſt ratio repugnantiæ, quam aſsignat Durandus. Nam idem omninò, qui fuit terminus generationis, idem erit terminus regenerationis, hoc eſt reſurrectionis: ergo benè poteſt idem accidens eſſe terminus productionis, & reproductionis. Nec poteſt Durandus vllam afferre diſparitatis rationem, quæ habeat apparentiam. Itaque ex his principijs nulla apparet ratio ſufficiens, quare non poſsit Deus, generatim loquendo, plura accidentia ſolo numero diſtincta reponere ſimùl in eodem ſubiecto; aut vnum eidem ſucceſsiuè quouis modo velit, imprimere. Poteſt quidem aſsignari aliqua ratio implicantiæ Sententia Durandi, & eius ratio impugnatur.

Digitized by Google

cantiæ proueniens à propria natura alicuius accidentis particularis, sed illam considerare non pertinet ad præsentem generalem speculationem: Sed in proprijs materijs expendi solet.

Expenduntur de mente S. Thomæ prædictæ duæ difficultates.

253 SVpereſt vt dictas difficultates expẽdamus de mente S.Thomæ, & iuxta illius principia de dependentia accidentium, cum indiuiduantur à subiecto: Et quidem quantum ad successiuam informationem, non inuenio dissidium inter meliores, & grauiores Thomistas. Imò aliqui excesserũt, vt illi, qui dixerunt, etiam hoc fieri naturaliter; putantes quoties idem subiectum recipit accidẽs eiusdem speciei, illud ipsũ numero accidens toties reproduci. Igitur siue per reproductionem, siue per iteratam inhęsionem, potest Deus successiuè introducere idem numero accidens in idem subiectum. Sola cõtrouersia remanet de duobus, aut pluribus accidentibus solo numero distinctis: An Diuina Virtute sint cõpossibilia in eodem subiecto?

Punctus difficultatis.

Prima sẽtentia.

254 Et prima sententia simpliciter dicit implicare contradictionem, ac proinde non esse factibile Diuina Potentia, vt plura accidentia eiusdẽ speciei, & solo numero inter se distincta simùl existant in eodem subiecto. Hæc censetur magis communis opinio Thomistarum, tribuitur Capreol. in 1.dist.7.q.2. art.2. ad argumentum Vgonis de Castro contra secundam conclusionem 3.loco. Atque illam ex animo amplexantur, N. Salm. tract. de Principio Indiuid. disp. 2. dub. 3. Caiet. 3.p.q.35.a.5. Soncin. 7. Met. q.4.Flandriæ 5.Met.q.9.a.7. & alijs recentioribus Thomistis exponentibus S.Th.1.p.q.3. ad art.3. Quamuis nonnulli ex istis solum naturaliter loqui videantur, & non respectu Diuinæ Omnipotentiæ.

Capreol.

N.Salmãtic.

Caiet. Soncin. Flandr.

255 Probatur primo de mente S. Th. Qui locis innumeris docet esse impossibile plura accidentia solo numero distincta simùl inesse posse vni, eidemque subiecto: Quia essent plura, vt supponitur, & non essent plura: Nam vnitas numerica subiecti confert vnitatem numèricam accidenti, & ideò si subiectum est vnum numero, & accidens in eo non potest esse, nisi vnũ numero. Testimonia S.Th. cumulare superfluũ est: Sufficeret illud celebre, & quod communiter affertur ex 3.p.q.35.a.5. Vbi ex eo, quod plures formę solo numero distinctę non possunt esse in eodem subiecto, infert nõ posse in vno patre esse plures paternitates solo numero distinctas. *Quia* inquit, *plures formæ eiusdem speciei non possunt simùl inesse eidem subiecto, non est possibile, quòd sint plures paternitates in eo, qui est pater plurium filiorum generatione naturali: Secus autem esset, si esset pater vnius generatione naturali, & alterius per adoptionem.*

Hæc prima sentẽtia probatur primò de mente S.Th.

1.Argum.

256 Nec valet, si quis interpretetur S. Tho. de possibilitate naturali, quod scilicet naturaliter casus sit impossibilis, non autem de possibilitate spectata Diuina potentia absoluta. Multa enim sunt impossibilia naturaliter, quæ supernaturaliter possibilia sunt. Impossibile est, quod accidens naturaliter existat sine subiecto, non est autem impossibile supernaturaliter, eo quod plus potest Diuina Potentia, quàm natura: & ideò licèt naturaliter duo accidentia solo numero distincta sint incompossibilia in eodem subiecto, non sunt tamen supernaturaliter incompossibilia.

Respõsio, & effugiũ aduersariorum.

257 Hæc, inquam, interpretatio non satisfacit menti S.Th. Quia non solùm S. Doctor dicit casum esse naturaliter, sed simpliciter impossibilẽ, quia dicit casum inuoluere contradictionem; Quia essent plura, & non plura accidentia. Vnde in 4. dist. 12. q.1. a.1. quæstiuncula 3. Impugnans positionem illorum, qui dicebant in instanti consecrationis accidentia panis, & vini non remanere sine subiecto, sed subiectari in aëre circumstante.

Prædicta responsio euertitur.

Digitized by Google

ſtante. Quæ poſitio ſine dubio loquebatur ſupernaturaliter.

258 Et iſtam poſitionem ex eo impugnat, quia ſequeretur, quod duæ dimenſiones ſolo numero diſtinctæ eſſent in eodem numero ſubiecto; quod Diuus Thomas exiſtimat ſimpliciter impoſsibile; nam ſi non ita ſentiret, ratio illius nil ageret, nec eſſet inconueniens, quia diceret aduerſarius, quod illæ dimenſiones de proprio ſubiecto tranſirent in alterum diſtinctum, nempè de ſubſtantia panis, & vini in ſubſtantiam aéris non virtute naturali, ſed operatione Diuina. D. Th.

258 Vt ergo ratio S. Th. ſit conueniens, debet intelligi de impoſsibili ſimpliciter: & patet hoc, nam affert implicantiam, quia ſequeretur, quòd illæ dimenſiones eſſent plures numero, & non eſſent, accipe verba S. Th. *Cum ergo omnes dimenſiones ſint eiuſdem ſpeciei, in quacumque materia ſint, quia materia non intrat in definitionem eorum, ſi dimenſiones panis iterum ſint ſicut in ſubiecto in aere, ſequitur, quòd duo accidentia eiuſdem ſpeciei ſunt in eodem ſubiecto, quod eſt contradictoria eſſe ſimùl, quia accidentium eiuſdem ſpeciei numeratio non eſt, niſi ex ſubiecto. Vnde ſi ſubiectum ſit vnum, ſequitur illa accidentia eſſe plura, & non plura. Hæc S. Thomas. Quid clariùs dici poterit?*

Prædicta prima ſententia probatur deinceps ex rationibus.

259 SEcundò probatur ratione, quã inſinuat Caiet. loc. cit. Si aliquod accidens ſingulare, vt ſingulare eſt, deberet definiri, in definitione eius deberet poni hoc numero ſubiectum: Vt ſi deberet definiri hæc ſimitas, deberet dici, quod eſt curuitas huius naſi, ità per ordinẽ ad hoc ſubiectum determinaretur illius ſingularitas: ergo vnitas ſubiecti eſſẽtialiter pertinet ad vnitatẽ numericã accidẽtis, taliter vt per ipsũ ſit diſtinctum numero ab omni alio accidẽte: ergo non poteſt idem ſubiectũ ſimùl recipere plura accidẽtia ſolo numerò diſtincta, quia habent eſſentialẽ incõpoſsibilitatem: Eſſent enim plura, & non plura. Vide Capreolum, vbi ſup. Secũdum argum. Caiet.

260 Tertiò: Duæ formæ ſubſtantiales numero diſtinctæ etiam de potentia Dei ſunt incompoſsibiles in eadem materia, vt dictum ſuppono in phyſicis: ergo etiam duæ formæ accidentales ſolo numero diſtinctæ etiã Diuina Virtute ſunt incompoſsibiles in eodem ſubiecto. Antecedens patet ex phyſicis. Tertium argum.

261 Et Cõſequẽtia probatur: quia vna ex rationibus, qua oſtenditur vnã numero materiam non poſſe ſimùl informari duabus, aut pluribus formis ſubſtantialibus, illa eſt: Quia ſequeretur, quod materia eſſet vna ſingularis in eſſe entis, & multiplex in ratione ſubiecti: Nam cum de ratione illius ſit eſſe ſubiectũ primum, ſi eſt vna materia, neceſſe eſt, vt non ſit multiplex ſubiectum: Sed ſi reciperet plures formas eſſet. multiplex ſubiectum: ergo eſſet implicantia eſſe vnam in ratione entis, & multiplicem in ratione ſubiecti: at eadem ratio currit de ſubiecto formæ accidẽtalis, vt facilè applicari poteſt: ergo, &c. Probatur conſ.

262 Quartò arguitur ex Noſtris Salmanticenſibus, & eſt potiſsima ratio, quæ pro hac ſententia afferri poteſt: Si plura accidentia ſolo numero diſtincta eſſent ſimùl compoſsibilia in eodem ſubiecto, ſequeretur, quòd illa accidentia eſſent plura, & non eſſent plura: Eſſent quidem plura, vt ſupponitur: Non eſſent plura, & probatur: Quia ſi eſſent plura numero, deberent habere principia numericæ diſtinctionis: Nam non poteſt intelligi pluralitas, niſi intelligantur principia, quibus illa plura diſtinguuntur inter ſe in eo, quod plura: Sed principia numericæ pluralitatis ſunt ſubiecta, vt dictum eſt: ergo non poſſunt accidentia ſolo numero diſtincta eſſe à parte rei plura, niſi ſtante ſubiectorum pluralitate: Ergo eſſe plura, & ſimùl in vno ſubiecto, eſt idem, ac dicere eſſe plura, & non eſſe plura. Quartum argum. N. Salmãticenſiũ.

263 Quòd

Digitized by Google

Prima respõsio ad prædictũ quartum argum.

263 Quòd si respondeat quis, & dicat: Subiectum non esse principium proximum, & formale distinctiuum vnius accidentis ab alio; sed esse principium primum, & radicale: at accidẽtia suis entitatibus distingui per ordinẽ ad subiecta distincta: Vnde benè potest Deus ponere duo accidentia in eodem subiecto suis entitatibus distincta per ordinem ad distincta subiecta, v.gr. albedinem niuis, & lactis in vno coruo; In hoc enim, quæ fingi potest repugnantia? ergo etiam si accidentia distinguantur ad distinctionem subiectorum nulla est repugnantia, quin possint esse in eodem subiecto.

Euertitur prædicta responsio.

264 Sed contra. Quia sicut materia est principium radicale vnitatis, & multiplicationis numericæ, ità forma est principium radicale vnitatis, & multiplicationis specificæ: Sed vna forma non potest esse principium radicale multiplicationis specificę; Nam ex hoc, quod est principium radicale specificæ multiplicationis, necesse est, vt tot sint formæ essentialiter inter se distinctæ, quot sunt species constitutę, & oppositum implicat contradictionem: ergo neque vna numero materia potest esse principium distinctiuum plurium formarum, sed oportet, vt tot sint numero materiæ, quot sunt numero formæ: ergo etiam si subiectum sit principium radicale indiuiduationis accidentium, non per hoc tollitur, quia in actu sint duo simùl accidentia in subiecto, quod debeant esse simul duo subiecta: Et implicat cõtradictionem in eodem subiecto esse simùl duo, aut plura accidentia eiusdem speciei, sicut implicat ab vna forma tanquam à principio radicali simùl constitui plures species, &c.

V. Arg. N. Salmãticens.

265 Quintò arguitur ex eisdem Salmanticensibus. Quia si duo accidentia eiusdem speciei possent recipi in eodem subiecto, v.g. albedo Petri, & albedo Pauli in Ioanne, non possent recipi per vnam, & eandem receptionem, seu vnionem, sed distinctis receptionibus, & vnitatibus, & tot, quot essent accidentia recepta in eodem subiecto; (Quia receptio vnius accidentis non esset receptio alterius, sicut inhærentia vnius non esset inhærentia alterius; & hoc maximè si receptio, & vnio accidentis ad subiectum non distinguatur secundum rem ab ipsius accidentis inhærentia; Quatenus eadem modalis entitas, vt se tenet ex parte subiecti est actualis receptio, & vt se tenet ex parte accidẽtis est actualis inhæsio, tanquam reciprocum vinculum vniẽs vtrumque.) Sed impossibile est, quòd ab eodem vno subiecto, nempè à Ioanne, resultent simùl duæ, aut plures receptiones, quibus recipiantur duo, aut plura accidentia eiusdem speciei, & solo numero inter se distincta: ergo impossibile est, quòd in eodem subiecto plura numero accidentia recipiantur simùl.

Minor subsumpta probatur.

266 Minor subsumpta probatur. Quia non possent illa accidentia recipi per illas receptiones actuales, quibus recipiuntur in suis connaturalibus subiectis; nam cum istæ receptiones sint entitates modales, sunt essentialiter inseparabiles à suis connaturalibus modificatis, taliter, quòd non possunt transire ad modificandum extraneum modificatum: Non potest enim sessio Petri auferri à Petro, & modificare Paulum; quia hæc est natura entitatis modalis, & in hoc fundatur distinctio formæ modalis à forma reali, quòd forma realis potest solùm diuinitus existere separata à subiecto, & transferi saltem per Diuinam Potentiam ab vno subiecto ad alterum: at forma modalis, quamuis sit separabilis à subiecto, in quantum subiectum potest esse sine illa, attamen ipsa non potest esse sine suo proproprio, & connaturali subiecto, nec potest transferri de subiecto in subiectum.

267 Oportet ergo, vt si plura accidentia simùl inhærerent eidẽ subiecto, quod ab ipso vno subiecto simùl resultarẽt tot receptiones, quot essent ipsa accidentia. Sed impossibile est,

Digitized by Google

quòd ab vno ſubiecto poſsēt illę plures receptiones ſimùl reſultare: Quia illæ receptiones indiuiduarentur ab ipſo ſubiecto, à quo reſultarent: Sed impoſſibile eſt, ſuppoſito, quod ſubiectum ſit radicale principium indiuiduntionis, quod ab vno ſubiecto ſimùl, & ſemèl indiuiduetur plura ſolo numero diſtincta; Quia ſic idem ſubiectum, & ſecundum idem, ſimùl eſſet principium vnitatis, & multiplicationis, quod implicat contradictionem.

Implicat, quod idē ſubiectū ſit principiū vnitatis, & multiplicationis accidentium.

268 Nam quod idem ſubiectum ſimùl indiuiduet duo accidentia ſpecie diuerſa, vt albedinem, & dulcedinem, facilè intelligitur: quia licèt ſecundum rem ſit idem ſubiectum, tamen formaliter eſt diuerſum ſecundū aliam, & aliam potentiam: Nam indiuiduat albedinem ſecundum quod participat naturā diaphani: at indiuiduat dulcedinem ſecundum quod participat naturā humidi, vt diximus ex S.Th.q.8.de Verit.a.14. Sed quod ſecundum eandem potentiam ſimùl indiuiduet plura accidentia eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtincta, hoc eſt impoſſibile propter dictam rationem, quia idem ſubiectum ſimùl eſſet principium vnitatis, & multiplicationis, ſecundum idem; quod, vt patet, manifeſtam contradictionem inuoluit.

269 Rurſus, quòd idem ſubiectum poſſit indiuiduare plura accidentia ſucceſſiuè, benè poteſt intelligi, quia ad indiuiduationem accidentis non ſolum requiritur vnitas ſubiecti, ſed vnitas temporis; & ideò, vt eſt principium indiuiduationis plurium accidentium ſucceſſiuè, ſubiectū formaliter eſt multiplex per differentias temporis, quas connotat: At vero cum recipit plura accidentia, vel plures illos modos vnionis ſimùl, realiter, & formaliter eſt idem ſubiectum: ergo impoſſibile eſt, quod vnum, & idem ſubiectum poſſit ſimùl indiuiduare plura accidētia, vel plures modos receptionum prædictorum accidentium, quia idem ſubiectū in quantum idem eſſet principium vnitatis, & multitudinis: & ſic patet, quod implicat contradictionem poſſe plura accidentia eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero inter ſe diſtincta ſimùl recipi in eodem ſubiecto.

Probatur etiam prafata prima ſententia alijs duabus rationibus N.PP. Salmanticenſium.

Sextum argumētū N.Salmātic.

270 SExtò arguitur ex eiſdem Salmāticenſibus, & præcedēs ratio corroboratur. Quia ſi idē ſubiectum poſſet ſimùl recipere plura accidentia eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtincta, maximè poſſet illa recipere, quæ poteſt recipere ſucceſſiuè: (Nam ex hoc habemus, quod ſimpliciter idem ſubiectum poteſt recipere plura eadem accidētia, & ſolū diſcrimē eſt in modo recipiēdi, quòd non poteſt ſimùl, ſed ſucceſſiuè; qui modus ſolū videtur eſſe naturalis, & ſecundum curſum naturæ, ſed non eſſentialis, ac proinde Diuina Virtute variabilis:) Sed neque iſta poteſt ſimùl recipere propter contradictionis implicantiam: ergo ſimpliciter idem ſubiectum non poteſt eſſe.

Minor probatur.

271 Probatur iſta Minor. Quia illa accidentia, quæ indiuiduantur per ordinem ad idem ſubiectum, non reſpiciunt ſolum vnitatem ſubiecti, ſed etiam vnitatem temporis, ſeu quatenus vnitas ſubiecti ſtat ſub vnitate temporis.

272 Et ideò diximus, quod illud ſubiectum eſt materialiter idem, ſed formaliter, & virtualiter multiplex; quatenus pluries poteſt recipere accidēs eiuſdem ſpeciei: eſſe autem pluries receptiuum dicit quandam ſucceſſionem prioris, & poſterioris in recipiendo: Vbi autem intelligitur priùs, & poſteriùs ſecundum exiſtentiam realem, non poteſt intelligi ſine connotatione ad tempus, vel reale, vel imaginarium.

273 Vndè non poteſt illud ſubiectum eſſe principium indiuiduationis, & pluralitatis plurium accidentium, niſi vt connotat priùs, & poſte-

Digitized by Google

posteriùs temporis, ac proinde diuersum tempus reale, vel imaginarium: Ergo ex parte accidentium, vt respiciunt idem subiectum tanquam principium vnitatum eorum, essentialiter respiciunt illud secundum ordinem prioris, & posterioris, ac proinde, vt receptibilia in vno vno subiecto successiuè, & in distinctis, temporibus: Sed quæ essentialiter requirunt successiuè recipi, implicat quòd simùl recipiantur; Sicut implicat partes motus successiui esse simùl: Quia simultas contradicit successioni, & successio simultati: ergo implicat cõtradictionem, quòd huiusmodi accidentia, quæ successiuè recipiuntur in eodem subiecto, & ab eo successiuè indiuiduantur, recipiantur simùl; quia essent successiua, & non successiua, vt per se patet.

Prima respons. ad prædictũ sextũ arg.

274 Quòd si respondeas: & dicas, quòd & si subiectum, & principium radicale indiuiduans, & distinguens numero illa accidentia connotat diuersum tempus, quo est receptiuum illorum, & ipsa accidentia ex vi suæ indiuiduationis petant diuersis recipi temporibus, tamen benè possunt recipi simùl remanente tàm ex parte subiecti, quàm ex parte accidentium connotatione ad distincta tempora, in quibus subiectum est receptiuum, & illa sunt receptibilia; Nam illa connotatio nec aufertur à subiecto, nec ab ipsis accidentibus: Quamuis enim & subiectum simùl recipiat, & illa simùl recipiantur, tamen quia hoc non fit connaturali modo, nec subiectum recipit, nec illa recipiuntur iuxta naturalem exigentiam ipsorum: & hoc tantum illa connotatio ex parte subiecti, & ex parte accidentium operatur, vt illa simultas receptionis non sit connaturalis, sed connaturalis sit receptio successiua; at illa connotatio non inducit repugnantiam contradictionis, si simùl diuinitùs reciperentur; Nam benè potest subiectum remanere cum sua connotatione ad diuersa tempora, in quantum pluries potest recipere accidens eiusdem speciei, & similiter cum eadem connotatione possunt manere illa accidentia, quatenus successiuè vi suæ indiuiduationis possunt recipi in eodem subiecto.

N. Salmã-tic.

275 Contra hanc rationem vrgẽt Nostri Salm. loc. cit. n. 64. Quia si subiectum simùl recipit duo, aut plura accidentia prædicta, necessario debet recipere non formaliter vt vnum, sed formaliter vt multiplex subiectum: Nam quodlibet illorum accidentium recipitur in eo, vt actus adæquatus, & cõpletiuus capacitatis subiecti: Aliàs si non reciperetur, vt actus adæquatus, posset naturaliter recipere simùl plura accidentia eiusdem speciei solo numero inter se distincta, quod saltem in accidentibus absolutis communiter negatur, & experientiæ repugnat, vt supra dictum est.

Sequela probatur.

276 Sequela probatur; Quia si nõ reciperetur singulare accidens, vt actus adæquatus explens capacitatem subiecti, adhuc remaneret naturalis capacitas ad recipiendum aliud consimile accidens: & sic in eodem ligno possent recipi plures numero calores, quod supra improbatum fuit cum cõmuniori sententia: Oportet ergo, vt licèt sit idẽ subiectũ in esse rei, in esse tamen subiecti formaliter debet esse multiplex: Sed implicat contradictionem, vt illud sit multiplex subiectum simùl; Quia vt sit simùl multiplex subiectum, & non successiuè, deberet connotare illa tempora, ex quibus habet rationem multiplicis subiecti, simùl, & non successiuè: Quod est dicere, sicut accidentia, quæ vi suæ naturæ petunt successiuè recipi, reciperet simùl; Ità illa tempora, quorum vnum est priùs, alterum posteriùs, connotant simùl per modum vnius temporis: Hoc autem est impossibile: tum quia implicat duo tempora, quorum vnum succedit alteri, esse simùl; sicut implicat diem hodiernum, & externum esse simùl: Tum etiã quia vt subiectum connotet illa tempora, à quibus habet rationem multiplicis subiecti, esse simùl non habet

Digitized by Google

vi ſuæ naturæ: Quia vi ſuæ naturæ connotat illa vt ſibi ſuccedentia: ergo debet connotare ex aliquo ſuperaddito.

277 Hoc autem ſuperadditum in primis explicari non poteſt, quid ſit: Deinde etiã admiſſo aliquo ſuperaddito, non habetur intentum: Quia ſubiectum, vt ſit principium vnitatis, & multiplicationis numeralis accidentium, non habet ab aliquo ſuperaddito, ſed ex vi ſuæ naturæ, in quantum eſt ſucceſsiuè pluries receptiuum accidẽtis eiuſdem ſpeciei: ergo quidquid addatur, non immutat ſuam radicalem rationẽ principij indiuiduationis, & ſic à nullo ſuperaddito poteſt immutari eius connotatio temporum, faciens, vt tempora, quæ ſubiectum connotat vt ſibi ſuccedentia, connotet vt exiſtentia ſimùl: Relinquitur ergo eſſe impoſsibile, & implicare contradictionem, vt duo accidentia ſolo numero diſtincta ſimùl ſint in eodem ſubiecto.

Septimũ argumẽtum.

278 Septimò arguitur. Quia vel illa plura accidentia ſimùl diuinitus recepta in eodem ſubiecto eſſent indiuidua per ordinem ad diuerſa ſubiecta, vel per ordinem ad idem ſubiectum. Nulla ex his ſunt compoſsibilia in eodem ſubiecto: ergo: Nõ hæc poſteriora, quia vt probatum eſt in argum. præcedẽte, vnum ſubiectum in tantum poteſt indiuiduare plura accidentia, & ea numero multiplicare, in quantum poteſt ea ſucceſsiuè recipere; ex quo principio oſtendimus implicare contradictionem, vt iſta ſimùl recipere poſsit: Neque illa priora, quia implicat contradictionem, vt accidentia indiuiduata per ordinem ad vnum diſtinctum ſubiectum, recipiantur in alio ſubiecto, à quo non ſumant ſuam indiuiduationem.

Maior confirmatio huius ſeptimi argum.

279 Quod probatur à ſimili de cauſa efficiente; Quia duo agentia eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero inter ſe diſtincta non poſſunt indifferẽter producere quemlibet effectũ eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero ab alio diſtinctum: Sed cuilibet agenti ſingulari aſsignanda eſt propria ſeries effectuum ſyncathegorematicè infinita; ita vt nec Diuina Potentia effectus proprius vnius agentis operantis ſecundum propriam virtutem indiuidualem poſsit ab altero produci (v.g. duo homines generant filios, quilibet ſingularis homo habet quandam ſeriem filiorum, quæ ità pertinet ad hunc patrem, vt non poſsint ab alio patre produci, vt oſtendit ipſa filiorũ ſimilitudo ad ſuum patrem; Quod nos, & N. Complutenſes docent in Phyſicis diſp. 15. n. 50.) ergo ſimiliter ex duobus ſubiectis quodlibet illorũ habet quandam ſeriem propriam indiuiduorum accidentium, quæ ità indiuiduantur per ordinem ad vnum ſubiectum, vt non poſsint per aliud ſubiectum indiuiduari: ergo nec ſimùl recipi in vno, & eodem ſubiecto, à quo non indiuiduantur.

N. Complutenſes.

Probatur Conſequentiæ.

280 Conſequentia probatur à paritate rationis. Quia ſicut hoc agens in quantum eſt hoc agens, non poteſt egredi limites ſuæ propriæ ſeriei, & producere effectum indiuidualem pertinentem ad ſeriem alterius agentis; Quia vnaquæque virtus indiuidualis huius, vel illius agentis habet ſuam propriam ſeriem tanquam adæquatum obiectum, extra quam egredi eſt impoſsibile; ſicut impoſsibile eſt viſum percipere ſonum, quia eſt extra obiectum ſuum adæquatum; Ità etiam hoc ſubiectum in recipiendo habet ſuam ſeriem accidentiũ, tãquam adæquatum obiectum ſuæ indiuidualis potentiæ receptiuæ; ac proinde implicat contradictionem, vt poſsit recipere accidens pertinens ad ſeriem alterius ſubiecti: Sicut enim ſe habet agens in agendo, ita ſubiectum in recipiendo: ergo implicat contradictionem, quod vnum ſubiectũ poſsit recipere duo, aut plura accidentia ſolo numero diſtincta, ſiue ſint ex ijs, quæ per idem ſubiectum indiuiduantur, ſiue ſint ex ijs, quæ indiuiduantur per aliud ſubiectum.

Euaſio.

281 Nec valet ſi dicas, quod aliud eſt indiuiduare, aliud eſt recipere; Benè

Digitized by Google

nè quidem potest vnum numero subiectum habere suam seriem accidẽtiũ, quæ indiuiduat, & quæ ità indiuiduantur ab hoc, ut non possint indiuiduari ab alio: tamen quid prohibet, quod accidens indiuiduatum ab vno subiecto recipi saltem diuinitus possit ab alio subiecto?

282 Non valet inquã hæc euasio. Quia subiectum in tantum est principium indiuiduans seriem suorum accidentium, in quantum est receptiuum illorum: & accidentia in tantum indiuiduantur per ordinem ad hoc subiectum, in quantum sunt receptibilia in illo: ergo si sunt determinata ad hanc seriem quoad indiuiduationem, sunt etiam determinata quoad receptionem: & ideò sicut non possũt indiuiduari per ordinem ad aliud subiectum, ita neque possunt recipi in alieno subiecto.

Præcluditur.

Secunda sententia simpliciter docet fieri posse plura accidentia eiusdem speciei, & solo numero distincta, Diuina Virtute inhærere eidem subiecto.

283 SEcunda sententia extremè contraria simpliciter docet fieri posse, vt plura accidentia eiusdem speciei, & solo numero distincta Diuina Virtute inhæreãt eidem subiecto: hanc sententiam sequitur Suarez disp. 5. Met. sect. 8. & eam tribuit Greg. in 1. dist. 17. q. 1. de nat. q. 7. Ægid. Quodlib. 4. q. 1. Nulla enim in hoc apparet contradictionis implicantia: Et potissimũ fundamentum est: Quia principium indiuiduationis accidentium non est ipsum subiectum, sed vel propria entitas illorum, vel modus hæcceitatis, vel aliquid simile absolutum ab omni respectu ad subiectum: Et iuxta hoc eorum fundamentum soluunt omnes implicantias contradictionis, quas coaceruant Thomistæ.

Suarez. Gregor. Aegid.

284 In hac grauissima difficultate: & dico grauissimam: tum quia in ea agitur de Diuina potentia: tum etiam quia hæc difficultas valdè affinis est cum illa: An Deus possit accidentia separare à subiecto, quæ pertinet ad vnum ex præcipuis Mysterijs nostræ fidei, nempè de Eucharistiæ Sacramento: ibi enim agitur de separatione à subiecto; hìc agitur de collocatione in subiecto; quid scilicet Deus possit circa hoc operarì?

Tertia nostra sententia, qua, prænotata quadam celebri distinctione, triplici conclusione respondemus præsenti V. Difficultati.

285 IN hac ergo grauissima difficultate media via nobis incedendum est, & partim negandum est posse plura huiusmodi accidentia simùl recipi in eodem subiecto: partim concedendum est.

286 Pro cuius nostræ sententiæ explicatione notandum est. Quod accidens dupliciter potest respicere subiectum: Vno modo sub ratione *simplicis inhærentiæ*: Alio modo sub quodam *speciali modo inhærentiæ*. Id cernimus in calore, qui in quantum respicit subiectum sub ratione *simplicis inhærentiæ*, non solum Virtute Diuina, sed naturaliter potest esse in subiecto connaturali, & non connaturali; imò, & in subiecto violento, sicut in aqua: At vero in quantum respicit subiectum sub *speciali modo inhærentiæ*, nempè sub ratione subiecti connaturalis, sic non potest esse in omni subiecto, sed solum in igne.

Anima-uersio.

287 Vnde si sit quæstio: An calor indifferenter possit esse in omni subiecto, distinguendum est. Si attẽdamus *simplicem illius inhærentiam*, quatenus præcisè subsistentamentum accipit à subiecto; Sic indifferenter potest esse in subiecto proprio, & extraneo. Si attendamus *specialem modũ inhærentiæ*, nempè connaturalis; sic non potest esse etiam Diuina Virtute, nisi in igne; Quia hic modus inhærendi nec esse, nec intelligi potest sine connaturalitate, & essentiali dependentia,

Digitized by Google

dentia, quam habet à ſuo connaturali ſubiecto. Cuius ſignum eſt, quod & ſi calor ſit in extraneo ſubiecto, sẽper tamen machinatur trahere illud ſubiectum ad naturam ſui principij, vnde primo effluxit.

Efficax diſtinctio ſubiecti.

288 Sic ſimiliter poſſumus diſtinguere ex parte ſubiecti: quia duplex eſt ſubiectum accidentis; aliud *ſimplicis inhærentiæ*, in quãtũ à ſubiecto ſolum recipit ſubſtentamentum; aliud *ſpecialis inhærentiæ*, quatenus ab eo non ſolùm ſubſtentamentum accipit, ſed etiam eſt in eo tanquam in ſuo principio radicali.

289 Dico ergo, quod dupliciter poſſumus loqui de pluralitate numerica accidentium; an ſimùl poſsint eſſe in eodem ſubiecto: vel tanquam in ſubiecto *ſimplicis inhærentiæ*: vel tanquam in *principio radicali numericæ diſtinctionis* eorum.

Effugium aduerſariorum.

290 Sed dices: hæc diſtinctio in præſenti locum non habet: quia idem eſt eſſe ſubiectum *ſimplicis inhærentiæ*, & eſſe *radicale principium indiuiduationis*: Quia non aliter ſubiectum eſt *radicale principium indiuiduationis*, niſi in quantum eſt receptiuum accidentis: Sed idem eſt eſſe ſubiectum *ſimplicis inhærentiæ*, ac eſſe ſubiectum receptiuum accidentis: ergo idem eſt eſſe *ſubiectum ſimplicis inhærentiæ*, ac eſſe *principium radicale indiuiduationis* illius.

Præcluſio.

291 Sed hæc reſponſio èſt falſa. Quia ſicut ſubiectũ eſt radicale principium indiuiduationis accidentis, quod in ſe recipit; ità ſubiectum connaturale alicuius accidentis eſt radicale principium entitatis, & exiſtentię ipſius accidentis, quod in ſe recipit, quatenus ab eodem ſubiecto reſultat. Imò, & multò magis ratio principij radicalis conuenit ſubiecto reſpectu illorum accidentium, quæ ab ipſo reſultant, quàm reſpectu illorum, quæ ab ipſo ſubiecto indiuiduãtur, & maior eſt dependentia: Sed non propterea, quia aliquod ſubiectum eſt receptiuum alicuius accidentis, ſequitur quod ſit radicale principium illius accidentis, vt patet de calore exiſtente in aqua: ergo neq; ex ipſo, quod aliquod vnum accidens recipitur in aliquo vno ſubiecto ſequitur per locum ab intrinſeco, quod ſit in illo tanquam in principio intrinſeco ſuæ numericæ vnitatis.

Ratio præcluſionis.

292 Et ratio eſt: Quia omne accidens dupliciter poteſt pendere à ſubiecto: Vno modo independentia generali quantum ad ſubſtentationem in ſuo eſſe; & ſecundum iſtam dependentiam propriè non dicitur ſolum radicale principium accidentis: Alio modo quantum ad aliquid ſpeciale, quod habet accidens à tali determinato ſubiecto, quod non poteſt habere indifferenter ab omnibus; & ſic habet dependenter ab illo tanquam à proprio principio, vt ſi illud ſubiectũ non eſſet, ipſum accidens illam conditionem non haberet: Et ſic accidentia habent eſſe proprietates aliquorum ſubiectorum, à quibus habẽt propriam naturam, & propriam ſpeciem; Calor enim ideò habet hanc naturam in genere qualitatis, quia eſt propria paſſio ignis.

Dupliciter recipitur in ſubiecto accidens.

293 Dico igitur, quòd dupliciter poteſt accidens recipi in ſubiecto: Vno modo præcisè tanquam in puro ſubiecto: Alio modo tanquam in ſubiecto ſimùl, & principio radicali ſuæ entitatis: Quamuis ergo ſubiectum in tantum eſt principium radicale indiuiduationis accidentis, in quantum eſt receptiuum illius: Quia eſſe hoc modo radicale principium non conuenit illi, vt actiuo, ſed receptiuo: Attamen non valet è contra, eſt receptiuum accidentis: ergo eſt indiuiduatiuum illius. Vnde prædicta diſtinctio ſubiecti, quod aliud eſt purum ſubiectum, aliud eſt radicale ſubiectum, ſeu quod aliud eſt *ſubiectum ſimplicis inhærentiæ*, aliud *ſpecialis inhærentiæ*, etiam habet locum in accidentibus, quoad indiuiduationem illorum. Quod infra efficaciùs oſtendetur.

Digitized by Google

Prima Conclusio, qua firmamus, plura accidentia eiusdem speciei, & solo numero distincta, implicare contradictionem, posse simul inesse eidem subiecto tanquam principio suæ indiuiduationis.

Prima Conclusio.

294 IVxta hanc præmissam distinctionem. Dico primò: Quod plura accidentia eiusdem speciei, & solo numero distincta possint simùl inesse eidem subiecto tanquam in radicali principio suæ indiuiduationis, implicat contradictionem. Hæc assertio mihi videtur intenta à Capreolo, Caiet. & alijs Thomistis: Quia hanc efficaciter probant rationes illorum, quæ supra adductæ sunt.

Capreol. Caiet. & alij Thomistæ.

Ratio Cõclusionis.

295 Nam implicat contradictionem, vt vnum, & idem subiectum, in quantum vnum, & idem sit principiũ vnitatis, & multiplicationis numericæ accidentium; Sicut implicat, vt vnũ, & idem obiectum sit principium vnitatis, & multiplicationis specificæ potentiarum: Nam ex quo est principiũ vnitatis vnius accidentis, non potest esse principium vnitatis alterius, ac proinde in quantum vnum non potest multiplicare numero ipsa accidentia; Quia in tãtum subiectum potest multiplicare numero accidentia, in quantum diuidit vnum ab alio diuisione homogenea.

296 Et ideò accidentia multiplicantur numero, in quantum sunt receptibilia in distinctis subiectis; Vel in eodem, in quantum successiuè potest recipere vnũ post aliud, ac proinde vt est saltem virtualiter multiplex, vt dictum est, quia vt sic potest diuidere, & multiplicare accidentia diuersæ speciei.

297 At si in eodem subiecto tanquam in principio radicali indiuiduationis eorum, reciperentur simul plura accidentia eiusdem speciei, & solo numero distincta, sequeretur, quòd vnum, & idem subiectum, in quantum vnum, & idem, esset principium vnitatis, & multiplicationis accidentiũ: Nã esset principiũ vnitatis, quia quodlibet accidẽtium, acciperet indiuiduationem ab vnitate illius subiecti: Et esset etiam principiũ multiplicationis, quia simùl indiuiduaret illa accidentia, eo quod vnum esset compossibile cum alio in eodẽ subiecto tanquam in radice indiuiduationis suæ: seu ab vnitate illius subiecti, tanquam à radice, oriretur simùl indiuiduatio plurium accidẽtium; Quia omnia dicerẽt ordinem indiuidualem ad simùl inhęrendum eidem subiecto: & sic potiùs subiectum redigeret in vnum illa plura accidentia, quàm plurificaret: ergo impossibile est, quòd in vno, & eodem subiecto sint plura accidentia eiusdem speciei, & solo numero inter se distincta: Nam vnitas, & distinctio numerica accidentium sequitur ad vnitatem, & distinctionem subiectorum eorundem accidentium: Sicut vnitas, & distinctio potentiarum sequitur ad vnitatem, & distinctionem obiectorum.

Secunda Conclusio, qua instruimur, plura accidentia eiusdem speciei, & solo numero distincta simul inesse posse eidem subiecto per modum simplicis inhærentiæ, non implicare contradictionem.

Secunda Conclusio, & eius ratio.

298 DIco secundò: Plura accidentia eiusdem speciei, & solo numero inter se distincta simùl inesse posse eidem subiecto per modum *simplicis inhærentiæ*, non implicat contradictionem, ac proinde id posse à Deo fieri non repugnare.

1. Ratio.

299 Probatur primo. Quia potest Deus Diuina sua Potentia vnum numero accidens auferre à suo connaturali subiecto, ac proinde ab eo, cui inest tanquam radicali principio suæ indiuiduationis, & ponere in alio subiecto non sibi connaturali, nec quod sit illud, ad quod dicit ordinem tanquam ad principium suæ indiuiduationis. (Exempli gratia, potest albedinem existentem in Petro ponere in Ioãne:) Sed qua ratione potest ponere

Digitized by Google

re vnum, potest ponere plura: ergo potest Deus plura accidentia solo numero distincta ponere simùl in eodem subiecto.

N. Complut. N. Salmãtic.

300 Maiorem propositionem admittunt nostri Complut. de Gen. disp. 15. n. 50. Sed dicunt Salm. disp. 2. de Principio Indiuiduationis dub. 3. n. 62. Quòd quamuis illa propositio sit probabilis, tamen opposita est probabilior. Sed quidquid sit in opinione aliorum, attamen non potest hoc dici de mente S. Thomæ. Quia in via Sancti Thomæ non solum Deus potest transferre vnam albedinem ab vno subiecto corporeo ad aliud corporeũ: Sed quod longè amplius & mirabilius est, à subiecto corporali ad subiectum spirituale: nempe potest auferre albedinem ab homine, & ponere in Angelo.

Deus potest auferre albedinẽ ab homine, & ponere in Angelo.

301 Hoc enim habetur expressè apud S. Th. Quodlib. 7. a. 10. Vbi quęrens: An Deus possit facere, quod albedo, aut alia qualitas corporalis sit sine quãtitate? Arguit tertiò loco pro parte negatiua in hunc modum. *Magis est remotum à natura, quòd qualitas corporalis sit sine subiecto, quàm quòd sit in subiecto spirituali: Quia esse in subiecto spirituali est qualitatis spiritualis, quæ est in prædicamento eodem cum qualitate corporali: Sed esse omninò sine subiecto est substantiæ, quæ est aliud prædicamentum: sed non posset miraculosè fieri, quòd qualitas corporalis esset in subiecto spirituali, vt albedo in Angelo: ergo multò minùs potest fieri, quòd qualitas corporalis non habeat subiectum, ad minùs quantitatem.* Audisti argumentum, audi responsionem. *Ad tertium dicendum, quòd cum substantia spiritualis quantitate careat, non potest fieri, quòd qualitas corporalis sit in substantia spirituali NISI PER MODVM ILLVM, quo potest esse sine quantitate, vt dictum est.*

An qualitas corporalis possit esse sine quãtitate.

S. Th.

302 Vbi vides, quòd S. Thomas concedit qualitatem corpoream posse miraculosè poni in subiecto spirituali: Cum hac tamen limitatione, quòd non esset extensa, & sensibilis, sicut cum est in subiecto quanto, sed inextensa, & intelligibilis. Sic etiam esset, si existeret separata ab omni subiecto, sicut dicit in corpore art. ad quem locum se refert; Quia tunc esset ad modum formarum separatarum, sicut ponebat Plato: Potest igitur Deus auferre vnam numero qualitatem ab vno subiecto saltem corporeo, & in alio similiter corporeo collocare; Quod sufficit ad vim argumenti, vt assumptum fuit in maiore.

Si à Deo poneretur in subiecto spirituali qualitas corpor. nõ esset sensibilis, nec extensa.

303 Sed nũc probatur minor. Quia si Deus separaret vnum numero accidens à suo connaturali, & radicali subiecto, & poneret in alieno subiecto, tunc illud accidens in secundo subiecto non esset tanquam in principio radicali suæ indiuiduationis; Non enim ex hoc, quod transiret de subiecto in subiectum, mutaret radicale principium indiuiduationis suæ, taliter, quod nouum subiectum fieret nouum principium suæ indiuiduationis: Nam cum indiuiduatio accidentis sit ordo ad suum subiectum connaturale, qui ordo est identificatus cum ipsa entitate accidentis, sequitur, quod illud accidens ita esset in secundo subiecto, vt semper respiceret primum tanquam proprium, & connaturale subiectum, atque radicale principium indiuiduationis suæ: ergo esset in secundo subiecto tanquam in *subiecto simplicis inhærentiæ.*

Minor probatur.

Indiuiduatio accidẽtis est ordo ad suum cõnaturale subiectũ, identificatus cum ipso accidente.

304 Sed qua ratione in illo vno *subiecto simplicis inhærentiæ* potest ponere vnum, eadem ratione potest ponere duo, & plura: Quia non haberẽt ex parte subiecti impossibilitatem: Nam quodlibet illorum, ità per *simplicem inhærentiam* esset in illo vno subiecto, vt quodlibet respiceret suũ connaturale subiectum, à quo penderet sua indiuiduatio; Tota enim ratio incompossibilitatis prouenit ex eo, quia vnum subiectum non potest esse radix multiplicationis plurium accidentium simùl; quæ ratio in casu nostro locum non haberet, quia non esset subiectum per modum radicis, sed per modum *simplicis inhærentiæ*: ergo

Digitized by Google

go si hoc modo non implicat poni vnum; duo, aut plura diuinitùs collocari posse non implicabit: vel vt minimum potest dari casus, vt subiectum habeat vnum accidens tanquam à se indiuiduatum, & alterum, aut plura indiuiduata per ordinem ad alia subiecta.

2. Ratio nostræ secundæ assertionis.

305 Secundò principaliter probatur assertio. Potest Deus duo, aut plura accidentia solo numero distincta separare à suis subiectis, & sic separata conseruare: ergo etiam potest in vno subiecto omnia simùm collocare. Antecedens patet in speciebus Sacramẽtalibus, quę remanent separatæ à substantia panis, & vini post consecrationem.

Effugium aduersariorum.

306 Dices, quòd illa accidentia non remanent separata à suis subiectis, quia proximè subiectantur in quantitate, à qua habent inter se numeralem diuisionem. Ipsa vero quantitas, quamuis sit accidens, ac proinde ex hac parte indiuiduetur à subiecto, attamen non totaliter indiuiduatio sua dependet à subiecto, sed ex se est quodammodo indiuidua, & potest ex se numero multiplicari, quia ex se est diuisibilis, ratione situs partium, quem in sua ratione includit, quatenus vna est extra aliam, ut sæpe docet S. Thomas. Attamen non est eadem ratio de alijs accidentibus, & nominatim de qualitate, cuius tota indiuiduatio pendet à quantitate, & à subiecto.

S. Th.

Præcluditur.

307 Sed contra. Quia non minus quantitas dependet à subiecto, quàm qualitas; solum est discrimen, quòd quantitas dependet immediatè, qualitas mediante quantitate; Cæterum omnia accidentia dependent à subiecto substantiali.

S. Th.

308 Et ideò dicit S. Thomas, quod nullum accidens potest esse subiectum alterius accidentis, quia de ratione subiecti est, vt ipsum substentet omnia accidentia, ipsum vero substentetur à nullo; Omne autem accidens non potest esse huiusmodi, quamuis vnum sit ratio recipiendi aliud, sicut quantitas est ratio recipiẽdi qualitatem, & potentia recipiendi actum suũ; propriè tamen nullum accidens potest dici subiectum, quia omnia à subiecto dependent: Sed non obstante quod quantitas depẽdeat à subiecto, potest miraculosè separari à subiecto, & separata conseruari: ergo poterit quoque Deus qualitatem à subiecto, & à quantitate separare, & separatam conseruare; Non enim potest assignari maior ratio implicantiæ de quantitate, & qualitate.

Nullum accidens potest verè esse subiectũ alterius accidentis.

Euasio aduersariorum.

309 Sed fortasse dices, quòd si si Deus separaret duas qualitates, v.g. duas albedines sine quantitate, sequeretur hæc implicantia, quòd illæ albedines essent duæ, & non essent duæ: Essent duæ, vt supponitur: Non essent duæ, quia non haberent, quo distinguerentur; Vnde si Deus separaret duas albedines, remaneret ipsa ratio albedinis per se subsistens, sicut Idęa Platonis, nempè Idæa albedinis, & nõ autem duæ albedines. Et ideò Sanctus Thomas Quodlib. 7. art. 10. nuper allegato, loquens in casu, quo Deus separarẽt duas albedines à subiecto, & à quantitate, hæc habet: *Possibile est imaginari duas lineas separatas eiusdem speciei numero diuersas secundum diuersum situm, aliàs linea non esset diuisibilis ex ipsa ratione sui generis: Non enim diuiditur linea, nisi in lineas. Plures autem albedines eiusdẽ speciei sine subiecto imaginari est impossibile; Et sic patet, quòd albedo non indiuiduatur, nisi ex subiecto, & propter hoc nõ possit esse indiuidua, nisi esset in aliquo subiecto ad minus in quantitate.*

D. Th.

310 Vides ergo quomodo S. Thomas docet, quod plures albedines separatas à subiecto, aut à quantitate nec est possibile imaginari; Et ratio est, quia non haberent subiecta, aut saltem quantitates, à quibus indiuiduarentur, & sic solum in prædicto casu remaneret ipsa ratio albedinis separata, & non esset hæc aut illa; neq; hæc, & illa. Vnde paulò superiùs in eodem articuli corpore. *In albedine*, inquit, *& qualibet alia qualitate cor-*

Digitized by Google

porali est duo considerare scilicet ipsam naturam albedinis, per quam speciem sortitur, & indiuiduationem eius secũdum quod est hæc albedo sensibilis ab alia albedine sensibili distincta. Posset ergo fieri miraculosè, vt natura albedinis subsisteret absque omni quantitate, tamen illa albedo non esset sicut hæc albedo sensibilis, sed esset quædam forma intelligibilis ad modum formarum separatarum, quas Plato posuit.

311 Sed hæc responsio,& sua confirmatio ab auctoritate S. Thomæ petita nullius momenti est: Quia si illa sententia esset vera, sequeretur, quod Deus non posset separare duo accidentia spiritualia solo numero inter se distincta, v.g. duo lumina gloriæ è duobus Angelis, & sic separata conseruare, quia illa nec haberent subiectũ;nec quantitatem;Quod non videtur dicendum : Quia si potest accidentia corporea separare à suo substantiali subiecto, multò magis potuit separare accidentia spiritualia, cum sint maioris entitatis, & perfectionis. Præcluditur.

312 Et quamuis nonnulli superficie tenus legentes S.Thomam, crediderint illum fuisse huius mentis, nimirum non posse Deum separare plures albedines à suis subiectis, & quãtitatibus, quia non haberent quo in indiuiduarentur ;tamen multum decepti sunt, non considerantes de qua nam indiuiduatione Sanctus Thomas locutus sit: Nam non est locutus de indiuiduatione entitatiua, vt sic dicam, quæ conuenit accidenti, & cuilibet formæ secundum se per ordinem ad subiectum:Sed locutus est de indiuiduatione sensibili , & quoad nos, vt in ipso textu apparet. S.Th. S.Th.

313 Et voluit S.Thomas assignare discrimen inter albedines separatas à subiectis, & à quantitatibus ;& ipsas quantitates separatas: Quod quantitates separatę adhuc remanẽt sensibiles sensibus externis, si sint affectæ qualitatibus sensibilibus, & remanet sensibilis illarum diuisio , vt apparet in speciebus Sacramẽtalibus: Vel saltem remanent sensibiles sensu interno si sine sensibilibus qualitatibus existerent cum fundamento in ipsa quantitate; quia quantitas secundum se cadit sub imaginationem; & ideò Mathematicæ disciplinæ dicuntur abstrahere à materia sensibili,quia considerant quantitatem abstrahendo à sensibilibus accidentibus , secundum quam rationem est imaginabilis: Imaginamur enim circulum diuisibilem in duos semicirculos, vel in quatuor quadrantes.

314 At vero albedo separata à subiecto,& à quantitate nullo modo remaneret sẽsibilis: Nec distinctio plurium albedinum separatarum sensibilis esset, nec sensu externo, nec interno, sed subsisterent illæ albedines ad instar spiritualium accidentium, & tàm ipsæ, quàm distinctio illarum solo intellectu percipi posset,& propterea dixit S.Th. *Illa albedo*, scilicet separata, *non esset sicut hæc albedo sensibilis; Sed esset quædam forma intelligibilis.* Quia nimirum non sensu, sed intellectu sic existens esset perceptibilis. S.Th.

315 Et ideò Capreolus in 2. dist. 3.q.4.a.3. Ad secundum Scoti contra secundam conclusionem,adducens,& per extensum recitans textum S.Thomæ in prædicto Quodlib. hæc tradit: *Et sciendum, quòd cum dicit,quòd albedo existens sine quaneitate non esset indiuidua, non est intelligendum, quòd nullo modo esset indiuidua, sed quod nõ esset indiuidua illo modo,quo hæc albedo sensibilis demonstrata,& determinata ad hìc,& nunc.* Capreol. S.Th.

316 Quod hæc sit ipsa mens S.Th. patet ex duobus, quæ attribuit illi albedini separatæ. Primum, quòd per miraculum fieri potest, vt illa albedo subsisteret separata ab omni subiecto, & ab omni quãtitate, & nihil à parte rei subsistẽs potest non esse singulare; Et ideò Arist. 7.Met.improbat Idæas Platonicas, quia ex vno capite, vt ponebat Plato, fuissent vniuersales in prædicando,& ex alio capite eo,quod essent subsistentes,fuissent singulares: Deinde si S. Tho. non loqueretur de albe- S.Th. Arist. Plato.

Digitized by Google

albedine corporali, sed de quidditate præcisa albedinis, cuius Plato posuit Idæas, non diceret id fieri posse per miraculum *poſſet ergo*, inquit, *fieri miraculo vt natura albedinis ſubſiſteret abſque omni quantitate*. Quia miraculum est cum fit aliquid circa rem supra naturam rei; At Idæa albedinis, si daretur, non esset subsistens miraculo, sed suapte natura: Præter quamquod nec miraculosè, nec naturaliter dari potest talis species subsistēs, nisi indiuidua, & singularis: ergo S. Th. loquitur de albedine, quæ est qualitas corporalis, quod potest à Deo separari à subiecto, & quantitate, quæ tamen secūdum se esset indiuidua, nō autem quoad nos, quia nullo modo remaneret sensibilis; & non loquitur de ipsa specie albedinis abstracta, vt posuit Plato.

Miraculū est cū fit aliquid supra naturam rei.

S.Tho.

317 Alterum, quod illi attribuit, est in solutione ad tertium: Quod eo modo, quo subsisteret separata à quātitate, posset poni in subiecto spirituali: At si loqueretur S. Thomas de albedine Platonica separata, illa nec naturaliter, nec miraculosè possit poni in subiecto nec spirituali, nec corporali: Quia albedo Platonica si daretur, nec vi naturæ, nec miraculosè posset poni in subiecto, quia suapte natura, & ab intrinseco esset subsistēs. Id autem quod suapte natura subsistens est, non potest in suo esse pendere à subiecto, sicuti substantia.

S.Th.

318 Quamuis enim accidenti possit tribui miraculosè modus existendi substantiæ, quia potest eleuari accidens ad modum essendi altioris ordinis, non tamen potest substantiæ nec vi naturæ, nec miraculosè tribui modus existendi accidentis; Cum enim in eo consistat ratio substantię, vt existat independenter à subiecto, esset contra rationem substantiæ existere dependenter ab illo, cum ad id habet intrinsecam repugnantiam.

Accidens potest eleuari ad modum existendi substātiæ, non verò è contra.

319 Vnde quando dicit de illa albedine à subiecto, & quantitate abstracta, *Quod esset quædam forma intelligibilis ad modum formarum ſeparatarum, quas Plato posuit*, non loquitur cum omnimoda proprietate, sed cum quadam proportione, quia subsisteret separata ab omni corporeitate, & non esset obiectum sensus, sed intellectus, vt Plato aiebat de Idæis suis.

320 Nec obstat, quod S.Th. 1. p. q. 50. a. 4. & sæpè aliàs dicat, quod si daretur albedo separata, illa non posset esse, nisi vna, quia non haberet subiectum, quo posset multiplicari.

Obiectio.

321 Quia duplex apud S. Th. est separatio albedinis à subiecto: Altera miraculosa, altera naturalis: Miraculosa est illa, de qua in prædicto quodlib. loquitur: Vt si Deus separaret albedinem panis ab eius substantia, & quantitate. Naturalis esset illa, quæ attribuebat Plato Idæis suis.

Enodatio.

322 Est autem hoc discrimen inter miraculosam, & naturalem separationem: quod miraculosa, & si tolleret actualem inhærentiam ad subiectum, non tolleret tamen aptitudinalem, & sic semper remaneret cum ordine ad subiectum, & per talem ordinem esset indiuidua; Dicit enim S.Th. quod accidentia indiuiduantur, non per subiectum, sed per ordinem ad subiectum, & sic haberet, vnde illa albedo separata posset multiplicari. Si daretur vero albedo naturaliter separata, vt albedo Platonica; illa nec actualem, nec aptitudinalem inhærētiam haberet ad subiectum, quia esset naturaliter subsistens, & ideò nullum ordinem diceret ad subiectum, ac proinde esset absolutè vna, quia non haberet, vnde multiplicari posset, & de albedine hoc posteriori modo separata loquitur S. Tho. 1. p. & vbicumq; habet consimilem illam propositionem.

Discrimē inter miraculosā, & naturalem separationem accidens à subiecto.

S.Th.

323 Itaque verissimum est illud dictum, quod Deus potest separare plura accidentia solo numero distincta; & sic separata conseruare, & non solū quātitates, & qualitates in eo existentes, de qua separatione apud Catholicos non potest esse dubitatio, vt apparet in speciebus consecratis, sed

Digitized by Google

ipſas qualitates ab omni quantitate, vt duas, aut plures albedines non ſolum à ſubſtantia panis, tum etiam ab omni quantitate abſtractas; Nec ideò longiùs, quam par erat, in illo antecedente probãdo immoratus ſum, quaſi vero apud Theologos de hoc ſit magna dubitatio, ſed vt germanam mẽtem, & acutum iudicium S. Thomæ perperam à multis, præſertim ab extraneis, & qui illius doctrinæ parum affecti ſunt, intellectum explicarem.

Probatur Cõſequẽtia.

324 Nunc probanda eſt conſequẽtia, & probatur; Quia magis eſt alienũ à natura accidentis, quod plura accidentia exiſtant ſeparata ab omni ſubiecto, & inter ſe numero diſtincta, quàm quòd illa plura exiſtant in vno ſubiecto. (Nam quòd exiſterent in vno ſubiecto, ſolum repugnat ex parte diſtinctionis eorum, quia nimirum in vno ſubiecto non poteſt eſſe, niſi vnum numero accidens, & non plura eiuſdem ſpeciei: At quòd plura accidentia eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtincta exiſtant ſeparata ab omni ſubiecto, non ſolum repugnat eorũ pluralitati, quam habent ex pluralitate ſubiectorum, ſed etiam repugnat communiſſimæ rationi accidentis, cuius *eſſe* eſt *ineſſe*, hoc eſt, exiſtere dependenter à ſubiecto, per quod primò diuerſificatur accidens à ſubſtantia:) Sed poteſt Deus facere, vt plura accidentia eiuſdem ſpeciei exiſtant ſeparata, vt in probatione antecedentis oſtenſum eſt: ergo multò faciliùs poteſt efficere, vt plura accidentia eiuſdẽ ſpeciei inſint ſimùl eidem ſubiecto; quia in hoc nihil fieret alienũ à natura accidentis, qua accidens eſt.

An magis eſt alienũ à natura accidẽtiũ plura ineſſe eidẽ ſubiecto; aut exiſtere ſine ſubiecto?

Secunda ratio ſecundæ cõcluſionis.

325 Secundò, quia ſi qua eſſet ratio implicantiæ, maxima eſſet illa, quia illa plura accidentia in vno ſubiecto eſsent, & per alia ſubiecta diſtinguerentur numero inter ſe, quod repugnat vnitati, & pluralitati indiuiduali accidentium, quæ petunt indiuiduari, & diſtingui numero ad vnitatem, & pluralitatem numericam ſubiectorum, in quibus recipiuntur: Sed hæc ratio non vrget: Quia ſic ſeparata retinẽt ſuas indiuiduationes per ſolas habitudines ad plura ſubiecta: ergo etiam ſi eſſent in eodẽ ſubiecto retinere poſsũt ſuã numericã pluralitatẽ per ordinẽ ad plura ſubiecta; Non enim facilè aſſignari poteſt adæquata diſparitatis ratio.

Tertia ratio ſecundæ cõcluſionis.

326 Tertiò probatur aſſertio principaliter, & præcedens probatio conſequentiæ magis corroboratur. Quia ſubiectum non eſt intrinſecum principium indiuiduatiuum accidentis: Tum quia ſubiectum non pertinet intrinſecè ad entitatem accidentis, ſicut materia prima pertinet intrinſecè ad entitatem indiuidui ſubſtãtialis: Quia accidentia ſunt formæ ſimplices; non compoſitæ ex actu, & potentia: & in ſuo genere ſunt indiuidua completa; vt hæc ſingularis albedo eſt indiuiduum completum in genere qualitatis, in quo differt ſingulare accidens à ſingulari forma ſubſtantiali, quod quamuis vtraque ſit forma receptibilis, attamen forma ſubſtantialis eſt pars indiuidui, non ipſa eſt completum indiuiduum in genere ſubſtantię: At forma accidentalis in ſuo genere eſt indiuiduum completum.

Singulare accidens eſt cõpletum indiuid. in ſuo genere, ſecus ſingul. forma ſubſtãtialis.

327 Vnde ſi daretur albedo per ſe ſubſiſtens, eſſet completum indiuiduũ in genere qualitatis: Tum etiam quia neque eſt intrinſecum principium taliter, quòd non indiuiduatur accidẽs, niſi in quantum eſt actu inhærens ſubiecto; Quia, vt dictum eſt, etiam ſeparatum retinet ſuam indiuiduationem, ſicut anima rationalis ſeparata à corporè adhuc remanet indiuidua; Solum eſt quo ad hoc differentia inter animam rationalem, & cæteras formas ſubſtantiales, vel accidentales: Quod anima rationalis eſt naturaliter ſeparabilis à ſua materia, forma vero ſubſtantialis, vel accidentalis eſt ſupernaturaliter ſeparabilis.

Eſt naturaliter ſeparabilis anima rationalis à ſua materia, cæteræ aliæ formæ ſupernaturaliter tãtum.

328 Cæterum quantum ad retinendam ſuam indiuiduationem, quouis modo ſeparentur, ſiue naturaliter, ſiue ſupernaturaliter conueniunt. Et ratio eſt, quia ita ſubiectum eſt indiuiduatiuum formarum, ſicut obiectũ

eſt

Digitized by Google

Specificatiuum intrinsecum potentiarū est ordo ad obiectū : at formarū est ordo ad subiectum.

est specificatiuum potentiarum: Sicut ergo obiectum nō est specificatiuum intrinsecum, sed extrinsecum potentiarum: intrinsecè autem specificantur per ordinem ad obiectum, in quātum vi suæ essentiæ ad illud tendunt; Ita etiam formæ indiuiduantur per materiam *in qua*, seu per subiectum, non tanquam à principio intrinseco, sed in quantum dicunt ordinem ad subiectum: Consistit autem hic ordo in quadam coaptatione ad ipsum subiectum, ex qua coaptatione habent, quod sicut vnum subiectum est materialiter distinctū ab alio, ita forma vni subiecto coaptata eo ipso est distincta numero ab alia forma coaptata alteri subiecto, vel eidem secundum connotationem alterius, vel alterius temporis veri, vel imaginarij.

Capreol.

329 Vnde Capreolus in 1. dist. 7. q. 2. a. 2. ad 2. Aureoli primo loco contra secundam conclusionem: *Ad secūdum*, inquit, *dicitur. Quod procedit ex falso intellectu, ac si S. Thomas ponat, quod materia*, scilicet in qua, *sit formale distinctiuum formarum vnius speciei, vel habitudo aliqua, seu relatio ad materiam*. Loquitur de relatione prædicamentali, de qua procedebat argumentum Aureoli.

S.Th.

Hoc enim S. Thomas non intelligit, sed solum, quòd materia est vnum de necessario requisitis ad initiandam indiuiduationem formarum, & distinctionem earum secundum numerum, loquendo de formis receptibilibus in materia: formale vero indiuiduatiuum, & distinctiuum formarum vnius speciei est commensuratio ad diuersa susceptiua, &c.

330 Itaque sicut potentiæ sumunt vnitatem, & multiplicationem specificam ab obiectis; ita formæ sumunt vnitatem, & multiplicationem numericam à subiectis: & sicut obiecta sunt specificatiua; ita subiecta sunt indiuiduatiua: Vnde sicut potentiæ retinent suam specificationem etiam si hìc, & nunc non extant à parte rei ipsa obiecta: ità etiam formæ siue substantiales, siue accidentales retinent suam indiuiduationem, etiam si existerent extra sua subiecta: ergo etiam si plura eiusdem speciei miraculosè existerent in eodem subiecto remanerent inter se distincta, quia haberent vnde distinguerentur, nempè à coaptationibus ad diuersa subiecta: quę coaptationes sunt inseparabiles ab entitatibus eorundem accidentium: Nam in illo vno subiecto ineessent non tanquam id, ad quod habent suam indiuidualem coaptationem, sed solum præcisè per *simplicem inhærentiam*.

Obiecta sunt specificatiua; Subiecta sunt indiuiduatiua.

Simplex inhærentia accidētium non dat indiuiduationem ipsis.

Tertia Conclusio, qua edocemur, quod si plura accidentia eiusdem speciei miraculosè inhæreant eidem subiecto, illorum pluralitas non esset sensibilis.

331 DIco tertiò, si plura accidentia eiusdem speciei miraculosè inhærerent eidem subiecto, illorum pluralitas non esset sensibilis, v.g. si in eadem superficie ponerentur plures albedines, non possent discerni per sensum esse plures.

Ratio cōclusionis.

332 Ratio est, quia pluralitas accidentium eiusdem speciei est sensibilis ex sensibili diuisione subiectorum, vt experimur: Sed in casu posito solum appareret sensibus vnum subiectum, & non plura: ergo illorum accidentium pluralitas non esset sensibilis: Ex quo apparet discrimen inter pluralitatem numericam, & specificam accidentium; Nam pluralitas accidentium specie diuersorum percipitur sensu independenter à subiecto: Sensit enim, quod eidem pomo ineest color, sapor, & odor: At vero pluralitas numerica est sensibilis dependenter à pluralitate subiectorum: Et ratio discriminis est: quia pluralitas numerica accidentium est materialis dependens à subiectis: Sed pluralitas specifica est formalis, ac proinde non dependens ab vnitate, & pluralitate subiectorum, sed ex diuersitate formali, quam inter se habent.

Discrimē inter pluralitatem numericā, & specificam accidentium.

333 Sed obijcies: Quia ex quo plures albedines essent in eadem superficie

Obiectio.

Digitized by Google

perficie extensæ, quælibet illarum haberet sufficientem virtutẽ immutandi visum immutatione intentionali: ergo quælibet esset per se visibilis.

Diluitur prædicta obiectio.

334 Respõdetur quod licèt in casu proposito quælibet haberet de se sufficientem virtutem immutandi visum; Attamen vt simùl coniunctæ non quælibet seorsum visum immutaret, sed omnes simùl per modum vnius, & per vnicam speciem immutarent visum; sicut si plures calores essent in eadem aqua; vel plura corpora calida simùl penetrarentur, non plus calefacerent, quàm si esset vnus calor, vel vnum tantùm corpus calidum, dummodò esset cæteris calidius, vel calor esset magis intensus.

Quarta Conclusio, qua differitur idem accidens successiuè posse inesse eidem subiecto.

335 DIco quartò, qua ratione plura accidentia solo numero distincta possunt esse in eodẽ subiecto, eadem ratione idem accidens successiuè potest inesse eidem subiecto, patet ex dictis.

Enodantur contraria argumenta primæ sententiæ N. Salmanticensium, Caietani, & aliorum Thomistarum; & primò dissoluitur primum ex testimonijs D. Th. petitum, propositum pag. 183. & 184. num. 254. vsque ad num. 258.

336 IAM vero superest, vt respõdeamus argumentis pro prima sententia adductis: Quæ quidẽ simpliciter probant primam nostram sententiam; tamen quatenus videntur aduersari nostræ assertioni secundæ, satisfactione indigent, & ex illorum solutione assertio nostra magis confirmata remanebit.

Respõsio ad 1. arg.

337 Ad primum ergo desumptum ex varijs testimonijs S. Thomæ, facilè respondetur, quòd Sanctus Thomas in loco 3. p. & in omnibus cõsimilibus loquitur via naturali; vnde plures paternitates so o numero distinctæ non possunt esse in eodem Patre: Et hoc, quia relatio non potest inhærere alicui subiecto per *simplicem inhærentiam*, sed debet inhærere tanquam in radicali principio indiuiduationis suæ: Nam cum munus relationis sit referre suum fundamentum ad terminum, debet in subiecto illius inesse propria ratio fundandi; & sic relatio non potest poni in extraneo subiecto ab illo, quod est sibi connaturale, ac proinde indiuiduationis suæ principium radicale.

Relatio nequit poni in aliquo subiecto, quod non sit principium indiuiduationis suæ.

338 Hoc autẽ non prouenit ex generali ratione, quia nullum accidens potest poni in extraneo subiecto, sed ex ratione speciali, & propria talis accidentis: Sicut qui negãt actum vitalem, v.g. visionem posse poni in lapide, nõ id negant, quia nullum accidẽs potest ab vno subiecto miraculosè transferri in aliud subiectum, v.g. albedo cigni in coruum; sed negant ex quadam ratione implicantiæ, quã in eiusmodi accidentium natura reperiunt. Ad locum ex 4. sententiarum dico, quòd S. Thomas ibi non demonstrat dimensiones accidentium Sacramentalium non posse neq; supernaturaliter, siue miraculosè recipi in aëre, sed solum via naturali: Vnde improbat sentẽtiam tum ibi in 4. tum 3. p. q. 77. a. 1. multis rationibus ex principijs naturalibus, & philosophicis desumptis: & reddit rationem loc. cit. 3. p. quare non sit recurrendum ad miraculum, quia verba consecrationis tale miraculum non sonant, quod scilicet illa accidentia migrent à substantia panis ad substantiam aëris.

Respõsio ad locum ex 4. sentẽt. S. Th.

339 Et ideò postquam rationibus philosophicis (quarum vna est eadem cum illa adducta ex 4. sententiarum) prædictam sententiam reiècisset, affert responsionem, quæ suis rationibus adhiberi posset. Quod scilicet id fieri naturaliter nõ possit, posset tamẽ fieri miraculo, & hanc responsionem reijcit ratione sequenti. *Nec potest dici*, inquit, *quòd hoc fiat miraculosè virtute,*

Digitized by Google

tute consecrationis, quia verba consecrationis hoc non significant, quæ tum non efficiunt nisi suum significatum, quibus verbis apertè dat intelligere S. Thomas, quòd illa ratio quod plura accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem subiecto, & quòd accidens non migrat de subiecto in subiectum, sicut, & alię rationis, non sunt nisi philosophicæ, & non probant, nisi naturaliter.

S.Th.

340 Nec vrget, quod in illo testimonio ex quarto sententiarum dicat. *Duo accidentia eiusdem speciei esse in eodem subiecto, est contradictoria esse simùl.* Quia loquitur S.Thomas iuxta tertiam assertionem nostram, nempè quòd in eodem subiecto sint plura accidentia eiusdem speciei, & solo numero distincta, & illa sint sensibiliter numerabilia, implicat contradictionem propter rationem ibidem assignatam: quia plura accidentia solo numero distincta non sunt numerabilia, nisi ad numerationem subiectorũ; quæ est ipsamet ratio, quam & in 4. & 3.p. assignauit S.Doctor, dicens: *Accidens numerum accipit à subiecto*, ad discrimen pluralitatis specificæ accidentium, quæ non accipit numerum à subiecto tanquam à materia, sed ab ipsa ratione formali ipsorum accidẽtium, vt in dicta assertione declaratum fuit.

Euasio aduersariorum euertitur.

S.Th.

341 Si ergo dimensiones panis, & vini essent in aëre cum proprijs aëris dimensionibus, earum distinctio non esset sensibilis: Non enim si in eodem subiecto essent plures lineæ, vel plures superficies, possent illæ plures sensu discerni; At in Sacramento discernimus sensibiliter dimensiones panis, & vini non minus esse distinctas à dimensionibus aëris post, ac ante consecrationem, maximè quia aer non suscipit illa accidentia, quæ apparent in hostia consecrata, vt ibidem in 4. addit dicens: *Constat etiam, quòd aër non est susceptiuum talium accidentium, scilicet duritiei, figuræ determinatæ, & aliorum huiusmodi, quæ ibi apparent*. Per quæ accidentia sensibiliter apparent, quod dimensiones hostiæ consecratæ non sunt dimensiones aëris, sed distinctæ ab illis.

342 Vnde impossibile est, quod illæ dimensiones sint in aere cum dimensionibus proprijs; Quia quòd deprehendantur sensu esse plures dimẽsiones, & quod sint in eodem subiecto, est impossibile, & implicãt cõtradictionem propter dictam rationem: Nam pluralitas numerica accidentium non deprehenditur sensu, nisi ad numericam pluralitatem subiectorum, &c.

Pluralitas numer. accidẽtiũ nõ est sẽsibilis, nisi per subiecta.

Dissoluuntur alia argumenta eiusdem dem prima oppositæ sententiæ educta ex ratione, proposita pag. 184. & 185. & 186. num. 259. vsque ad num. 269.

343 AD secundum respondetur, quòd ratio illa Caietani efficaciter probat primã assertionem nostram, quòd nimirum omne accidens singulare respicit singulare subiectũ tanquam radicale principiũ indiuiduationis suæ, & quòd in nullo alio subiecto potest recipi tanquam in principio proprio indiuiduante: Sed non per hoc tollitur quin per modum *simplices inhærentiæ* non possit diuinitus poni in alio subiecto, à quo non indiuiduatur: Nam si potest illud conseruare separatum ab omni subiecto remanens cum sua singularitate, quæ est ordo transcendentalis ad proprium subiectum, quare non posit Deus ponere in alieno subiecto?

Respõdetur ad secundũ argum.

344 Ad tertium respondetur concesso antecedente, negando consequentiam. (Quidquid enim sit de illa ratione, conuincat, an non?) Ratio disparitatis à priori propria est, quia aliter facit vnum materia prima cum forma substantiali; aliter subiectum cum forma accidentali: Nam forma substantialis cum materia, quia sunt essentialiter partes substantiæ, faciunt vnum simpliciter, de cuius ratione

Respõdetur ad tertium argum.

Digitized by Google

tione est, vt totaliter sit indiuisum in se, & totaliter diuisum ab omni alio, tàm secundum materiam, quàm secundum formam: At si in eadem materia inesse possent plures formæ substantiales, ex illa vna materia, & illis formis non fieret *vnum simpliciter*, vt, verbi gratia.

Si plures formæ subst. essent in vna materia quodnam cõpositũ resultaret?

345 Si Deus in eadem materia poneret formam substantialem ignis, & formam substantialem aquæ, compositum nec esset totaliter vnus ignis, nec totaliter vna aqua, sed secundum quid vnus ignis, & secũdum quid vna aqua; Vnde illa sententia, quæ dicit, quòd duæ formæ substantiales diuinitus possunt informare eandem numero materiam; esset vera si tota quidditas esset forma, & materia solum esset deferens quidditatem (vt nonnulli volunt) quia tunc vnitas materiæ non pertineret ad vnitatem quidditatis: Sed supposito, quod ad vnitatem quidditatis requiritur essẽtialiter materia, & forma, igitur sicut quidditas vnius speciei, vel indiuidui est totaliter diuisa ab altera quidditate, necessario vna essentia composita debet esse ab altera diuisa, & secundum materiam, & secundum formam, & oppositum implicat contradictionem. Et eadem ratio est de vna forma informante duplicem materiam.

Incõpossibilitas plurium formarũ substant. in eadem materia est essentialis.

346 Vnde incompossibilitas formarum substantialium in eadem materia, taliter quod adueniente vna altera expellatur, est incompossibilitas non solum naturalis, sed etiam essentialis, quæ non prouenit ex oppositione contraria, quam habeant inter se; sed quia ex hoc, quod componit *vnum substantiale* cum materia, quod est *vnum simpliciter*, ideò in vna materia plures substantiales formæ sunt essentialiter incompossibiles. Quòd si saltem diuinitus essent compossibiles, iam non essent formæ substantiales, sed accidentales, quæ cum subiecto non faciunt *vnum simpliciter*, sed *vnum secundum quid*.

347 Nam forma accidẽtalis secũdum se habet suam integram quidditatem in suo genere, & ideò quælibet forma accidentalis habet vnitatem simpliciter, & completam, vt albedo: Vnde si Deus separaret albedinem à subiecto, & sic separatam substistere faceret, sine dubio illa albedo esset indiuiduũ completum in genere qualitatis, vnde quando inest subiecto, non facit vnum per se: Quia cum vtrumque sit ens completum in suo genere; subiectum, & ipsum accidens, seu illa forma accidentalis, non possunt facere *per se vnum*, sed faciũt *vnum secundum quid*, *& per accidens*, nam subiectum se habet, vt deferens quidditatem accidentis, non vt pars componens quidditatem.

Ratio cur plures formæ accidentales possint esse in eodem subiecto, secus formæ substantiales.

348 Et hæc est ratio à priori, quare in vno indiuiduo substantiali composito ex materia, & forma non datur nisi vna forma substantialis; *vna* inquam, *& specie*, *& numero*; in subiecto autem dantur plures formæ accidentales saltem distinctæ specie; vt in vno pomo datur color, sapor, & odor. Ratio, inquam, est, quia vnitas indiuidui substantialis est vnitas simpliciter: Sed vnitas, quam habẽt indiuidua accidentalia in subiecto, & ex parte subiecti, est vnitas secundum quid. Patet ergo, quòd non est similis ratio de forma substantiali, & accidentali.

Ratio aduersariorũ euertitur.

349 Et ratio illa, quæ afferebatur, quare materia non potest simùl informari pluribus formis substantialibus non potest applicari ad subiectum accidentium: Nam si ex eo materia prima nõ potest informari pluribus substantialibus formis, quia cum esset vna materia, deberet esse multiplex subiectum: ita similiter si subiectum esset vnum, & reciperet plura accidẽntia simùl, esset vnum, & multiplex subiectum.

350 Si inquam hæc implicantiæ ratio pari passu curreret de materia prima, & de subiecto accidentium, sequeretur, quòd sicut ob illam rationem materia non potest simùl informari pluribus formis nec numero, nec specie differentibus, ità etiam sequere-

Digitized by Google

queretur, quod vnum numero subiectum, seu vnum indiuiduum substantiæ non possit informari, & affici pluribus formis accidentalibus nec numero, nec specie differentibus, quod est manifestè falsum: Dicēdum estergo, quod aut illa ratio non conuincit de incompossibilitate plurium formarum substantialium in vna numero materia (vt ego existimo sic præcisè sumptā non cōuincere; (Sed ratio cōueniens est, quā attulimus desumptā à perfecta vnitate compositi substantialis, & substantialis essentiæ. Vel si illa ratio conuincit de impossibilitate plurium formarum substantialium in eadem materia, non conuincit de incompossibilitate plurium formarum accidentalium in eodem subiecto: Quia, vt dictū est, propter illam rationem plures formæ substantiales (nec numero, nec specie differentes) sunt compossibiles in vna materia: At plures accidentales formæ specie saltem differentes compossibiles sunt in eodem subiecto, & insunt de facto.

Respōdetur ad 4. argum.

351 Ad quartum respondetur, quòd responsio ibi allata est sufficientissima: Et ad improbationem respōdemus, quòd licèt forma sit principium radicale vnitatis, & multiplicationis specificæ, est tamen simùl principium intrinsecum eius, quod specificat, quia est pars intrinseca quidditatis compositæ; Sed subiectum est principium radicale quidem, sed extrinsecum indiuiduationis accidentis; Non enim subiectum pertinet ad entitatem illius, sed illud est forma simplex; vt dictum est in præcedenti solutione.

Subiectū est principiū extrinsecum indiuiduationis accidētis.

352 Et ideò oportet quidem, vt quot sunt species constitutæ, tot sint formæ substantiales constituentes: non autem oportet, vt quot sunt accidentia numero distincta, tot sint subiecta; sed in vno possunt inesse plura: Quia vnumquodque accidens habet suam indiuiduam entitatē per ordinem tamen ad aliquod subiectum. Vel dicendum, quod illa ratio probat, quod non possint plura accidentia simùl inesse eidem subiecto tanquam radicali principio suæ indiuiduationis; non vero quod non possint inesse eidem, vt subiecto *simplicis inhæsionis*.

Respōdetur primò ad V. arg.

353 Ad quintum respondetur, primò, quòd argumentum supponit in primis, vt certum vnum valdè dubium, nempè, quòd inter accidens, & subiectum detur aliquis modus vnionis distinctus secundum rem, & à subiecto recipiēte, & ab accidente, quod recipitur, qui modus, vt se tenet ex parte subiecti est receptio, & vt se tenet ex parte accidentis est actualis inhæsio, vel inhærentia.

Nō datur vnio distincta inter subiectum, & accidens.

354 Dixi *hoc esse valdè dubium*: nam nos in tractatu de vniune ostendimus talem entitatem modalem inter formam substantialem, & materiam, aut inter subiectum, & accidens non esse necessariam, sed penitùs superfluam; sicut ex communi sententia admittitur nō esse necessariam inter modū, & suum modificatum, sed vniuntur se ipsis per hoc quod sibi inuicem suas communicant entitates, & quatenus forma inexistit materiæ, vel subiecto; & subiectum, aut materia existit sub forma.

Respōdetur 2.

355 Respondetur 2. admisso hoc vnionis modo, seu modali entitate, nō esse inconueniens, quod ad pluralitatem accidentium in eodem subiecto, plurificentur istæ entitates modales: Nam subiectū immediatum istius modalis entitatis non est præcisum subiectum, sed est etiam ipsum accidens, quod recipitur in subiecto: Quia cum sit vnio vtriusque debet afficere vtrumque, vt dicunt Nostri Complutenses in physica admittentes hunc modum vnionis: Imò magis se tenet ex parte accidentis, quàm ex parte subiecti, quia propriè accidens vnitur subiecto, non subiectū accidenti; In hoc enim est aliqua disparitas inter vnionem materiæ primæ, & formæ substantialis, quòd quia istæ faciunt vnum per se, æquè vnio se tenet ex parte amborum compoēntium: At

N. Cōplutens. dant vnionem distinctā inter subiect. & accidens.

Digitized by Google

quia ex ſubiecto, & accidente componitur vnum per accidens; & accidens potiùs dependet in ſuo eſſe à ſubiecto, quàm ſubiectum ab accidente: Ac ſubiectum concurrit per modum ſubſtentantis, ſed accidens ſe habet per modum alteri adiacentis; ideò vnio, ſicut & inhærentia potiùs ſe tenet ex parte accidentis, quàm ſubiecti; Vnde quod in vno ſubiecto ſubſtantiali, cui dicimus ineſſe plura accidentia ſolo numero diſtincta, multiplicentur plures vniones non eſt inconueniens, quia, vt dictum eſt, ſubiectum iſtarum vnionum non eſt præciſum ſubiectũ ſubſtantię, ſed eſt ipſum cum diſtinctis accidentibus: & ità non eſt idem ſubiectum formaliter, ſed formaliter multiplex pro multiplicitate accidentium, & ſolum materialiter eſt idem.

Vnio, & inhærentia, qua accidens vnitur ſubiecto magis ſe tenet ex parte accidentis, qua ſubiecti.

356 Reſpõdetur tertiò, quòd in caſu, quo Deus poneret plura accidentia in eodem ſubiecto, vniones, quibus iſta accidentia vnirentur illi vni ſubiecto, non eſſent ex illis modis connaturalibus, quibus vnirentur proprijs ſubiectis, à quibus indiuiduantur. Vt v.gr. ſi albedo Petri poneretur in Ioanne, vnio illa, qua accidens Petri vniretur Ioanni, non eſſet connaturalis illi accidenti, ſed eſſet modus ſupernaturalis, quia illa unio ad tale ſubiectum non eſſet connaturalis illi accidenti, ſed ſupernaturalis; & ideò quot accidentia ſupernaturaliter vnirentur illi vni ſubiecto, tot eſſent ſupernaturales vniones: Sicut vnio humanitatis ad perſonam Verbi eſt vnio ſupernaturalis: Et ſi Verbum Diuinũ plures aſſumpſiſſet humanitates, tot eſſent ſupernaturales vniones, quot eſſent aſſumptæ humanitates, ſuppoſito, quod vnio illa ſit modalis entitas vniens humanitatem ad perſonam Verbi Diuini.

3. Reſpõſio.

Si albedo niuis poneretur in coruo, vnio, qua vniretur, eſſet ſupernaturalis.

357 Vnde ſi Deus transferret plura accidentia à ſuis connaturalibus ſubiectis, eaque in vno ſolum ſubiecto reponeret, non eſſet neceſſarium ea transferre cum illis vnionibus, ſeu inhærentijs, quas habuiſſent antea ad ſua ſubiecta connaturalia, ſed nouos, & ſupernaturales vnionis, & inhærentiæ modos illis tribueret, & tot, quot eſſent accidẽtia translata; Sicut tot ſupernaturales modos ſubſiſtentiæ tribuit accidentibus Euchariſticis, quot in dies à ſuis ſubiectis ſeparantur.

358 Illa autem probatio, quæ in prædicto argumento aſſumebatur, quòd ſcilicet vnum, & idem ſubiectum non poteſt eſſe principium indiuiduans ſimùl plura accidentia: quia ſimùl eſſet principium vnitatis, & pluralitatis numericæ, optima eſt, & eſt fundamentalis ratio primæ noſtræ aſſertionis; ſed prout applicatur ad illas entitates modales, non habet efficaciam: Quia pluralitas illorum modalium entitatum nõ eſt à ſubiecto principali, ſed ab ipſis accidentibus, quæ ſunt aut totalia, aut partialia ſaltem ſubiecta immediata, quæ partialitas ſubiectiua ſufficit ad plurificandas illas modales entitates; Quia ſubiectum principale indiuiduaret illas, non vt materialiter, & formaliter idem, ſed vt materialiter idem, formaliter, & virtualiter multiplex.

Idem nequit eſſe principiũ indiuiduãs, vnitatis, & pluralitatis rei.

Diluuntur alia duo argumenta eiuſdem primæ ſententiæ (quæ ſunt duæ rationes N.PP. Salmanticenſium) oppoſitæ pag. 186. *&* 187. *&* 188. *num.* 270. *vſq; ad n.* 282.

359 AD ſextum reſpondetur, quòd optimè conuincit, & probat noſtram primam aſſertionem: Quod ſcilicet illa plura accidentia non poſſunt recipi in illo ſubiecto ſecundum quod eſt radicale principium indiuiduationis per ſucceſſionem receptionem eorum. Non autem probat, quòd illa non poſſit recipere, vt ſubiectum *ſimplicis inhærentiæ*, & per Virtutem Diuinam.

Reſpõdetur ſextũ argum.

360 Nam ponemus caſum poſſibilem: Quòd vnum ſubiectum hodie recipiat vnum accidens, verbi gratia: quod ſpeculum recipiat hodie lumen à Sole, & Deus ſeparet iſtud lumen à ſpeculo, & ſeparatum conſeruet: Cras iterum

Digitized by Google

iterum ſpeculum recipiat lumen à Sole, & iterum Deus ſeparet, & ſeparatum conſeruet, & ſic poſtridie, ac deinceps per decẽ dies; Tunc poſt decimũ diẽ, quo erunt ſimùl decẽ lumina conſeruata à Deo ſeparata à ſubiecto, Velit Deus omnia hæc decem lumina infundere eidem ſpeculo; Quid prohibet, vt ſicut ſimùl conſeruarentur à Deo poſt decimum diem ſeparata, ità ſimùl poſſit Deus dependenter ab illo eodem ſpeculo, quo ſucceſſiuè fuerunt indiuiduata, conſeruare? Certè non video repugnantiam: Iam enim illa priùs fuerunt indiuiduata à ſpeculo per ſucceſſiuam receptionem, ac proinde, vt à multiplici ſubiecto per connotationem diuerſorum temporum; Semel autem indiuiduata, & ſeparata adhuc retinerent ſuas indiuiduationes, & determinationes entitatiuas, quibus inter ſe numero diſtinguerentur: ergo eaſdem retinere poſſunt inhærentia eidem ſubiecto.

Decẽ lumina Solis recepta per decẽ dies à ſpeculo poteſt Deus conſeruare in ſpeculo, vel ſeparata.

361 Itaque argumentum ſolum probat, quod non poſſunt ſimùl ineſſe eidem ſubiecto, quatenus eſt principium indiuiduationis illorum, quia ſub iſta ratione eſſentialiter petit illa recipere ſucceſſiuè, in quantum per connotationem ad diuerſa tempora poteſt habere rationem multiplicis ſubiecti; Sed non probat quòd non poſſint recipi in illo tanquam in ſubiecto *ſimplicis inhærentiæ*.

362 Vnde reſponſio adhibita prędicto argumento optima eſt: Quòd ſcilicet illa ratio probat ſolum, vi naturæ non poſſe fieri, vt plura illa accidentia eiuſdem ſpeciei ſimùl recipiãtur in ſubiecto; non autem probat id fieri vi Diuina non poſſe: Et ad improbationem dicimus, vt dictum eſt ad ipſum argumentum, quod probat ſolum idem non poſſe eſſe, & ſubiectum, & principium ſimùl indiuiduans plura accidentia: nõ tamẽ probat non poſſe eſſe ſimplex ſubiectum in ſe plura illa accidentia recipiens.

1. Reſpõſio ad VI. argum. eſt optima.

363 Ad ſeptimum reſpondetur, quòd illa plura numero accidentia ſiue indiuiduarẽtur per ordinem ad diſtincta numero ſubiecta, ſiue per ordinem ad idem ſubiectum, quatenus ſucceſſiuè poteſt illa recipere, indifferenter Deus poteſt illa adunare, & collocare in vno numero ſubiecto: Et quidem, quòd non repugnet poſſe ponere in eodem ſubiecto illa, quæ in ordine ad ipſum indiuiduantur, iam declaratum eſt in ſolutione præcedẽtis argumenti: Quòd etiam poſſit adunare illa, quæ indiuiduantur per ordinem ad diſtincta ſubiecta, etiam aſſerimus: Quia ſicut in illis, ita & in his nulla apparet contradictionis repugnantia, & de vtriſque eadem currit paritatis ratio. Et ad huius improbationem deſumptam à paritate cauſę efficientis, dicimus admittendo totam paritatem: Nam ſicut quælibet cauſa efficiens numero habet ſeriem ſuorum effectuum, quæ non poteſt effici ab alio agente eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero ab alio agente diſtincto: ità etiam vnum numero ſubiectum in quantum eſt principium indiuiduationis habet ſuam ſeriem accidentiũ, quæ non poſſunt ab alio etiam numero diſtincto ſubiecto indiuiduari: Et ſic optimè argumentum, & paritas ibidem aſſumpta probat noſtram primam aſſertionem, quòd illa plura accidentia non poſſunt ineſſe, & correſpondere vni ſubiecto tanquam principio indiuiduationis eorum cum indiuiduentur per ordinem ad alia ſubiecta.

Reſpõd. ad 7. arg.

Determinatam ſeriem effectuum habet cauſa efficiens, ſic etiam ſubiectũ.

364 Sed hinc non colligitur, quod illa accidentia non poſſint miraculosè poni in vno ſubiecto, non tanquam in principio indiuiduante, ſed tanquã in puro ſubiecto ſubſtentante: Nam idem numero effectus procedens ab vna cauſa efficiente poteſt ab alia cauſa efficiente conſeruari: Vt lumen productum ab vna candela conſeruari poteſt ab alia; & calor productus ab vno igne, poteſt in ſubiecto conſeruari ab alio igne ſuccedente.

Vnus calor ab vno igne producto poteſt cõſeruari in ſubiecto ab alio igne.

365 Quamuis enim de lumine dici poſſit, quòd non eſt idem lumen, quod ab vna candela producitur, & ab alia conſeruatur. Quia recedente

Digitized by Google

prima candela recedit cum ſuo lumine, & noua candela aduenientè, aduenit nouum lumen, quod ipſum à noua candela conſeruatur, etſi videatur eſſe idem lumen ab vna productum, ab alia conſeruatum, & quòd illa luminum tranſmutatio ſit ſenſu imperceptibilis; Nihilominùs hoc non poteſt dici de calore, quia calor non ſtatim à ſubiecto recedit, remoto calefactiuo; Vnde recedente vno igne, & alio ſuccedente, idem numero eſt calor.

366 Dico igitur, ſi vnum accidens productum ab vno agente illo recedente, poteſt ab alio in ſubiecto conſeruari, & hoc vi naturæ, vt experimur; Quare non poterit Deus vnũ, & idem accidens indiuiduatum ab vno ſubiecto, ab illo auferre, & in alio ſubiecto collocare? Aliud enim eſt, quod ſubiectum ſit receptiuum, & indiuiduatiuum accidentis: Aliud eſt, quòd ſit purum accidentis receptiuum, vt ſupra declaratum fuit.

Diſcrimẽ inter ſubiectum purè receptiuum, & indiuiduatiuum accidẽtis.

367 Dixi à principio huius reſpõſionis admittendam eſſe paritatem, vt ſic videatur (quod ſpectat ad efficaciã probationis allatæ) adhuc admiſſa illa paritate, non obſtare noſtræ ſententiæ: Attamen in illa paritate tangitur non diſſimulanda difficultas, quam nunc breuiter expediemus.

DIFFICVLTAS VI.

Num cuilibet indiuiduo Agenti reſpondeat ſua ſeries indiuiduorum effectuum; ità vt hic numero effectus, ità petat fieri ab hac numero agente, vt non poſsit produci ab alio?

368 Difficultas incidens.

HÆC Difficultas eſt incidens, nam habet originem ex reſpõſione præcedentis VII. argum. & duas inuoluit difficultates; inquirit enim vtrũ ſicut cuilibet agẽti indiuiduo reſpondet ſua ſeries indiuiduorum effectuum: ità vt ſicut hic numero effectus ita petit fieri ab hoc numero agente, vt non poſſit ab alio produci: Ita hoc numero ſubiectum habeat ita ſeriem ſuorum accidentiũ, quorum eſt principium indiuiduationis, vt accidens pertinens ad hanc ſeriem non poſſit reſpicere pro principio indiuiduationis aliud ſubiectum, ſed hoc determinatum accidẽs reſpiciat hoc determinatum ſubiectum: An ſufficiat, vt hoc determinatum accidens reſpiciat pro principio ſuę indiuiduationis vnũ ſubiectum, ſed vagè ſumptum? Et hæc difficultas æquè procedit de indiuiduatione formarum accidentalium, ac ſubſtantialium; Quia omnes indiuiduantur ſuo modo per materiam *in qua*: Subſtantiales per materiam primam: Accidentales per materiam ſecundam, ſeu per ſubiectum.

Formæ ſubſtãtiales indiuiduantur per materiam primam, at accidẽtales per ſubiectum.

369 Vt autem hæc difficultas magis eluceat, priùs in hac præſenti difficultate videndum eſt de agente: Et poſtea in ſequenti difficultate ſeptima determinandum eſt de ſubiecto.

370 Dico igitur, quòd re vera vnum numero agens ita habet ſeriem ſuorum effectuum, quos ſucceſſiuè plures numero producere poteſt, ut quilibet illorum neque ex ordinatione Diuina poſſit produci ab alio agẽte ſolo numero diſtincto operante ſecundum propriam, & naturalem virtutem: v.gr. Sophronici filius nõ poſſit generari ab alio patre, etiã ſi Deus ordinaret alium patrem ad generandum illum numero filium, qui de facto eſt filius Sophronici; Sed ille ſi debet produci in rerum natura ex virtute naturali, neceſſario debet à Sophronico generari.

Concluſio vnica.

371 Dixi: *operante ſecundũ propriã virtutem*, ſecundum quam poteſt agẽs generare effectum eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtinctum: Nam ſi loquamur de potentia Dei utente alio agente tanquam inſtrumento, poterit filius Sophronici generari ab altero Patre, nõ tamẽ in virtute propria, ſed in Virtute Diuina, & tanquam inſtrumentum

Filius Petri poteſt generari à Paulo, vt inſtrumẽto Diuinæ Potentiæ.

Digitized by Google

mentum Diuinæ Potentiæ: Sicut enim Deus immediatè, & se solo potest producere quemlibet singularem hominem, ita potest assumere quemlibet hominem ad generandum quemlibet filium: At tunc, vt dixi, non attinget hunc filium, in quantum hunc filium, virtute sua sicut proprius pater eius, sed posset per virtutem à Deo in se receptam instrumentalem, vnde propriè non posset ille genitus dici filius huius patris, sed filius illius, à quo debebat connaturaliter generari.

372 Vnde in hoc sensu potest quidem vnum numero agens producere effectum pertinentem ad aliud agens solo numero à se distinctum, quia non ageret quantum ad indiuidualem cõditionem effectus propria virtute, sed ageret in quantum Deus virtute, quã illi conferret, suppleret propriam virtutem cõnaturalis agentis. Sed quod vnum numero agens possit propria virtute, & nulla facta in eo immutatione virtutis, indifferenter producere quẽlibet effectum eiusdem speciei siue ad se, siue ad aliud agens pertineat, v. gr. Quod Socrates possit producere quemlibet filiũ siue ipsius Socratis, siue Platonis, hoc est impossibile.

373 Et probatur: Quia experientia videmus, quòd & si effectus inter se differant solo numero, tamen qui producuntur ab vno numero agente, trahunt ab hoc agente aliquam indiuidualem similitudinem cum suo agente, quàm non trahunt effectus alterius agentis; sed isti assimilantur alteri agenti, à quo producti sunt; & sic videmus, quod effectus duorum agẽtium, & si numero, & agentia, & effectus inter se differant, nihilominùs quilibet assimilatur agenti suo proptio: ergo aliquod specialiter confert quodlibet agens effectui suo, quod aliud agens conferre non potest.

Probatur conclusio.

374 Antecedens patet in filijs diuersorum patrum: Quia quilibet assimilatur patri suo. Quod si videmus duos pueros inter se similes, statim ad eundem patrem referimus, & dicimus: isti sunt fratres, & filij eiusdem patris: Ex quo principio probabat Plato, dari vnum primum ens, à quo procederent omnia entia: Quia quãdo uidemus plura esse inter se similia, statim reducimus ad unum principiũ illorum; Sicut cum uidemus duos filios similes, statim ad eundem patrem reducimus: Sed omnia, quæ sunt in vniuerso assimilantur in ente: ergo omnia sunt ab vno principio totius entis; Et in hoc fundatur regula Arist. 2. physic. reducendi effectus in suas causas; ut effectus in specie ad causam in specie: & effectus in numero ad causam in numero; ut statua ad statuarium, & hæc statua ad hunc statuarium.

Probatur antecedens.

Plato.

Effectus in specie ad causas in specie, effectus in numero ad causas in numero reducendi sunt ex Arist.

375 Sic igitur patet, quod unum agens numero, qui potest plures effectus numero producere, habet propriam seriem effectuum distinctam à serie alterius agentis, etiam si numero differant.

376 Sed dices, quòd hoc est uerũ in indiuiduis effectibus perfectis, in quibus uidemus hanc similitudinem, & dissimilitudinem; non tamen hoc extendendum est ad omnes huiusmodi effectus, in quibus hanc similitudinem, & dissimilitudinem non uidemus.

Respõdet aduersarius.

377 Sed contra: Quia cum scientia nostra sit imperfecta, non potest omnes rerum differentias penetrare, & ideò quando eadem ratio currit, ex manifestis debemus etiam iudicare de occultis, & ex notis deuenire ad ignota. Et certè, quæ possunt esse indiuidua magis imperfecta, quàm motus progressiuus, quàm uox, quàm scriptura? Et nihilominùs ita sũt propria unius agentis, ut ex solo modo ambulandi, aut progrediendi, aut ex sola uoce, aut ex sola scriptura deuenimus in cognitionem, quis nam sit efficiens illorum: Igitur concedenda est unicuique singulari agenti sua propria series indiuidualium effectuum.

Euertitur prædicta responsio.

DIFFI-

Digitized by Google

DIFFICVLTAS VII.

An cuilibet ſubiecto, vt eſt principium indiuiduationis accidẽtium eiuſdem ſpeciei, reſpondeat propria ſeries indiuiduorum accidentium, ità vt non poſsint indiuiduari ab alio ſubiecto?

Difficultas ſeptima, in qua tres ſunt ſententiæ.

378 NVnc uidẽdum eſt an etiam eodem modo cuilibet ſubiecto, ut eſt principium indiuiduationis accidentium eiuſdem ſpeciei reſpondeat propria ſeries indiuiduorum accidẽtium, ita reſpiciẽtium illud unum ſubiectum, ut non poſsint indiuiduari ab alio, & in hac re poteſt eſſe triplex ſententia.

Prima ſententia aſſerens non eſſe neceſſariam talem correſpondentiam, ſed vnum accidens poſſe indiuiduari ab hoc, vel illo ſubiecto vagè ſumpto.

Prima ſẽtentia.

379 PRima ſententia docet non eſſe neceſſariam talẽ correſpondentiam: Sed unum accidens numero etiam ſi determinaſſem accipiatur, ut hæc albedo, indifferens eſt, ut ab hoc, aut illo ſubiecto uagè ſumpto indiuiduetur.

Probatur.

380 Probatur: Sufficit ad unitatem numericã accidẽtis, quòd ſit indiuiſũ in ſe, & diuiſũ à quolibet alio eiuſdẽ ſpeciei: Sed hanc indiuiſionem, & diuiſionem ſufficienter poteſt habere accidens ab hoc, uel ab illo ſubiecto: Quia in quocumque ſubiecto uno ſingulari recipiatur, ſtatim eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum ab omni alio: ergo non eſt neceſſe, ut unum numero accidens, etiam ſi accipiatur determinatum, indiuiduetur per ordinem ad hoc determinatum ſubiectum, ſed ſufficit, ſi indiuiduetur per ordinem ad unum numero ſubiectum uagè ſumptum.

1. Confir.

381 Confirmatur primò: Quia ut de mente S. Thomæ dicit Capreolus in 1. diſt. 7. q. 2. a. 2. ad ſecundum Aureoli contra ſecunda concluſionem. *Materia, in qua* (de hac enim loquitur) *non eſt formale diſtinctiuum formarum vnius ſpeciei, ſed ſolum eſt vnum de neceſſario requiſitis ad initiandum indiuiduationem formarum, & diſtinctionem earum ſecundum numerum.* Quòd initium conſiſtit in hoc, quòd ideò forma unius ſpeciei eſt multiplicabilis numero, quia eſt receptibilis in pluribus ſubiectis inter ſe diſtinctis; vnde ſequitur, ut ad eorũ diſtinctionem illæ formæ multiplicentur numero: Sed ex hoc non ſequitur, ut hoc numero accidens recipiatur in hoc determinato ſubiecto, ut indiuiduetur, ſed ſatis eſt, ſi in uno illorum recipiatur: ergo, &c.

2. Confir.

383 Confirmatur ſecundò: Quia eadem ratio quantum ad hoc eſt de formis accidentibus reſpectu ſubiecti, ac de formis ſubſtantialibus reſpectu materiæ: At hæc forma ſubſtãtialis non indiuiduatur per hanc determinatam materiam, ſed ſufficit per totam materiam, quæcumque fuerit illa: ut apparet in anima rationali; Quia hæc anima rationalis determinata non petit ex ui ſuæ indiuiduationis uniri huic determinatæ materiæ, ſed ſufficit ſi uniatur tantæ materiæ, quæcumque illa fuerit; & ideò etiam ſi toto tempore, quo anima eſt unita corpori ſub ipſa fluat, & refluat materia, attamen ſemper eſt eadem numero anima determinata: ergo, &c.

Euaſio aduerſariorum euertitur.

384 Neque paritas deſumpta à cauſa efficiente vrget: Nam eſt longè diſpar ratio. Quia effectus aliquid accipit ab agente pertinens ad conditionem huius effectus, quod non poteſt accipere alio agente, etiam numero diſtincto: At accidens per hoc, quod indiuiduatur à ſubiecto, nihil

aliud

Digitized by Google

aliud accipit, nisi quod est commune alijs indiuiduis accidentibus, nempè, quod sit indiuisum in se, & diuisum ab omni alio recepto in alio subiecto; hoc autem indifferenter fieri potest à quocumque singulari subiecto vagè sumpto: & ideò non est similis ratio de subiecto, & efficiente.

Secunda sententia N. PP. Salmanticensium firmat quodlibet subiectum habere debere suam propriam seriem indiuidualium accidentium.

385 SEcunda sententia, quam tenere videntur Salm. est, quod sit omnimoda paritas inter efficiens, & subiectum: & ideò non minùs subiectum quàm agens debet habere suam propriam seriem indiuidualium accidentium. N. Salmãtic.

386 Probatur primò: Quia formale, & intrinsecum distinctiuum numero accidentium, licèt non sit subiectum, est tamen coaptatio ipsa ad subiectum, vt loco citato ostendit Capreolus ex multis locis Sancti Thomæ: ergo sicut coaptatio in specie requirit subiectum determinatum in specie; Ità coaptatio secundum numerum requirit hoc subiectum determinatum in numero: ergo quodlibet accidens numero requirit suum subiectum proprium, & determinatum, cui coaptatur. 1. Ratio. Capreol.

387 Quod ipsum confirmat paritas causæ efficientis. Quia sicut se habet agens in agendo, ita subiectum in recipiendo: ergo sicut quodlibet agẽs numero habet suam seriem effectuũ, qui participant quandam indiuidualem similitudinẽ ab illo: ità quodlibet subiectum habet suam seriem, &c. Quia omnia illa habent quandam peculiarẽ coaptationem indiuidualẽ ad suum subiectum, quod alia accidentia etiam si numero distinguantur non habent, sed habent illam proportionatam ad alia sua subiecta. Confir.

388 Secundò, quia hæc sententia potest fundari in S. Thoma in primo dist. 8. q. 5. a. 2. ad 6. Quem locũ refert Capreolus loc. cit. Dicit ergo S. Doctor: *Quamuis indiuiduatio animarum (intellige rationaliũ) dependent à corpore quantũ ad suum principium, nõ autẽ quãtum ad suũ finem: ità scilicet, quod cessantibus corporibus cesset indiuiduatio animarum. Cuius ratio est, quia eum omnis perfectio infundatur materiæ secundum sui capacitatem, natura animæ infunditur diuersis corporibus non secũdum eandem nobilitatem, & puritatem; vnde in vnoquoque corpore habebit esse terminatum secundum mensuram corporis: hoc autem esse terminatum, quamuis acquiratur animæ in corpore, non tamen ex corpore, nec per dependentiam ad corpus: Vnde remotis corporibus adhuc remanebit vnicuique animæ esse suum terminatum secundũ affectiones, vel dispositiones, quæ consequuntur eam prout fuit perfectio talis corporis: & hæc est sententia Auic. & potest manifestari per exemplũ sensibile. Si enim aliquod vnum non retinens figuram distinguatur per diuersa vasa: sicut aqua, quando vasa remouebuntur, non manebunt propriæ figuræ distinctæ: sed remanebit vna tantum aqua: & ita est de formis materialibus, quæ non retinent esse per se. Si autem sit aliquid recipiens figuram, quod distinguatur secundum diuersas figuras per diuersa instrumenta, etiam remotis illis, remanebit distinctio figurarum, vt patet in cera; & ita est de anima, quæ retinet esse suum post corporis destructionẽ, quod etiã manet in ipsa esse indiuiduatũ, & distinctũ.* Capreol. S. Th. 2. Ratio.

389 Vbi S. Doctor quamuis assignet discrimen inter formas independentes in suo esse à subiecta materia (vt est anima rationalis) & inter formas habentes esse dependentes à subiecto (vt sunt formæ substantiales materiales, & generatim omnes formæ accidentales, tàm materiales, quàm spirituales) quòd illæ adhuc separatæ retinent suam indiuiduationem, istæ non retinent; Quod qualiter intelligendum sit, aliàs explicatũ est: Attamen de omnibus dicit, quod indiuiduantur per determinatum subiectum. S. Tho.

Digitized by Google

biectum. Quamuis illud, quòd dicit de anima, quod indiuiduatur per determinatum corpus, & iuxta illius capacitatem, vt ſupra etiam nos diximus, poſſit intelligi de corpore, vt ſubèſt diſpoſitionibus, non de præciſa materia prima: Nam hæc quæcũq; ſit dummodo inueniatur cum talibus diſpoſitionibus, quibus anima eſt indiuidualiter coaptata, poteſt dici eſſe principium indiuiduationis.

3.Ratio. 390 Tertiò probatur, & declarari poteſt ab eo, quod experimur. Nam plus dependet accidens à ſubiecto, quàm indiuiduum ſubſtantiale ab altero ſubſtantiali indiuiduo: Quia accidens non poteſt exiſtere ſine ſubiecto; indiuiduũ autẽ ſubſtãtiale exiſtere poteſt ſine alio indiuiduo: Sed vnũ indiuiduum ſubſtantiale propter dependentiam ab alio eiuſmodi indiuiduo naturali inclinatione ſemper appetit adhærere, non cuilibet indiuiduo vagè ſumpto, ſed indiuiduo determinato; (Nam ſingularis agnus naturali inſtinctu adhæret non cuilibet oui, ſed huic determinatæ, & ſimiliter hæc ouis huic agno: Vnde, & mater inter mille agnos cognoſcit hunc determinatũ eſſe ſuũ filium, & hic agnus inter mille oues cognoſcit hanc determinatã eſſe matrẽ ſuã: Et hæc cognitionis determinatio non prouenit ex obiecto, ſed ex naturali inclinatione, & innato inſtinctu, quo indiuiduaIiter vnum inclinatur ad alterum, vt hæc ouis ad hũc agnum, & hic agnus ad hanc ouem. Quod non contingit in infantulis humanis: Nam vt dicit Ariſt. infantuli à principio omnes homines vocant patres, & omnes fœminas matres: Et hoc ideò eſt, quia naturalis inſtinctus non ita in natura humana determinat cognitionem, ſicut in brutis:) ergo ſi à naturali inclinatione vnum ſubſtantiale indiuiduũ fertur ad aliud determinatum indiuiduum, vt illi adhæreat, quanto magis hoc indiuiduum determinatum accidentis naturali ſua, & indiuiduali inclinatione debet ferri ad hoc determinatum numero ſubiectum, vt illi inhæreat; & ideò vnũ numero accidens non poteſt indiuiduari à quocumque indiuiduali ſubiecto vagè ſumpto, ſed ab indiuiduo ſubiecto determinato.

Ratio, cur ſingularis agnus inter mille oues cognoſcat ſoam propriã matrem, & è contra.

Ariſt. Cur infãtuli humani à principio nequeant cognoſce-re veram matrẽ, & patrẽ, ſed omnes fœminas vocant matres.

Tertia ſententia tenet formas imperfectas (ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales) Indiuiduari non ſolum ab indiuiduo ſubiecto vagè ſumpto, ſed etiam determinato: è contra verò formæ perfectæ.

391 TErtia ſententia eſſe poteſt media inter prædictas: Quòd formæ imperfectæ, ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales, non ſolum ab indiuiduo ſubiecto vagè sũpto, ſed determinato indiuiduantur. At formæ perfectæ (vt anima rationalis, & accidentia ſpiritualia, maximè ſupernaturalia) indiuiduari poſſunt ab vno ſubiecto uagè ſumpto. Concluſio.

392 Ratio diſcriminis eſſe poteſt, quia illæ formæ materiales habent maximam dependentiam à ſubiecto, ſeu à materia *in qua*, & ideò ſunt illis magis affixæ: At uero formæ ſpirituales, quia minus dependent, ut anima rationalis, & accidentia ſpiritualia ſupernaturalia, quæ non recipiuntur in ſubiecto iuxta potentiam naturalem, ſed obedientialem, poſſunt indiuiduari ab unitate ſubiecti uagè ſumpti: Omnes tres iſtæ opiniones poſſunt probabiliter ſubſtineri: Elige quam malueris. Ratio diſcriminis, & cõcluſionis.

PARAGR. VI.

Digitized by Google

PARAGRAPHVS SEXTVS.

De Vnitate numerica substantiarum abstractarum, vt sunt Angeli.

1 HActenùs ostendimus, quòd naturæ specificæ, quæ habent materiam *ex qua*, vel *in qua* sunt multiplicabiles numero: quia huiusmodi materia est vnitatis, & multiplicationis numericæ principium. Eò, quòd omnis huiusmodi natura, aut est receptibilis, vt sunt naturæ accidentales: aut includunt in sua quidditate, aliquid receptibile: Vt naturæ specificæ substantiales compositæ, quæ includunt formas receptibiles in materia, ex qua receptibilitate fit, vt naturæ specificæ sint multiplicabiles multiplicatione homogenea, seu diuisione materiali. Modò pertractare remanet de numerica substantiarum abstractarum vnitate; Quæ plures complectitur difficultates, quarum prima sit.

DIFFICVLTAS I.

An in substantijs abstractis, quæ non habent nec materiam ex qua, *neque materiam* in qua, *Natura specifica sit numero multiplicabilis in plura individua?*

2 IN hac difficultate videndum est: An naturæ specificæ, quæ nec habent materiam *ex qua*, neque materiam *in qua*, vt sunt naturæ abstractæ ab omni materia, vt sunt apud nos naturæ Angelicæ, quæ nec habent materiam *in qua*, quia licèt sint simplices formæ, non tamen sunt informantes, sed per se subsistentes: nec habent materiam *ex qua*, quia sunt quidditates simplices, non compositæ, vt sunt quidditates substantiarum materialium, vnde nec sunt receptibiles, neque includunt aliquid receptibile, num istæ specificæ naturæ sint multiplicabiles numero, vt sic, videamus: An materia *ex qua*, vel *in qua* non solum sit principium numericæ multiplicationis, sed sit adæquatum illius principium. Taliter, vt illæ naturæ, quæ habent huiusmodi materias, sint numero multiplicabiles, quæ verò non habent, nõ sint capaces numericæ multiplicationis. Nam causa adæquata est illa, qua posita, ponitur effectus, & qua ablata, effectus aufertur.

3 Non enim desunt Auctores, qui etsi nobiscum sentiant materiam *ex qua*, vel *in qua* esse principium Indiuiduationis, & multiplicationis numericæ in rebus, quæ habent alterutram materiam; nihilominùs dicunt materiam huiusmodi non esse adæquatũ Indiuiduationis principium, quasi verò naturæ, quæ alterutrã ex dictis materijs non habent, non possint numero multiplicari. Vt Henricus Quodlib. 2. q. 8. Vbi in substantijs materialibus admittit mihi suam materiam *ex qua* esse principium indiuiduationis,

& numericæ multiplicationis prædictarū substantiarum, & per materiam *in qua*, seu per subiectum individuari formas, tàm substantiales, quàm accidentales. Nihilominùs dicit huiusmodi materiam non esse generale & adæquatum principium vnitatis, & multiplicationis numericæ omnium specierum: Sed posse aliūdè multiplicari: & ita in Angelis concedit numeralem multiplicationem individuorum sub eadem specie.

4 Et si quæras ab ipso, quodnam esse potest in Angelis huius numericæ multiplicationis principium? Dicit, id esse suppositum. Quia natura est multiplicabilis secundum quod est receptibilis, vel includit aliquid receptibile, vt dictum est: At naturæ Angelicæ sunt etiam suo modo naturæ receptibiles. Quia sicut aliæ naturæ sunt receptibiles in subiectis, vt accidentia, vel includunt aliquid receptibile in materia prima tanquam in subiecto. Ita naturæ Angelicæ sunt receptibiles in suppositis: Nam ratio suppositi non est illis essentialis, sed aliquid extra essentiam; ergo possunt multiplicari numero ad multiplicationem suppositorum.

Prima inquisitio, & eius respõsio.

5 Sunt etiam nonnulli, vt Suarez, & alij, qui etiam data hypothesi, quòd materia esset individuationis principium, nihilominùs dicunt non hinc haberi substantias abstractas, seu Angelos nõ posse numero multiplicari sub eadem infima specie. Quia potest aliundè prouenire in illis hoc multitudinis genus.

Suarez.

Sententia Aristotelis, S. Thomæ, & aliorum Thomistarum, qua dicitur materiam, ità esse adæquatum huius multiplicationis principium, vt substantiæ huiusmodi materia expertes, nullo modo sub eadem specie sint numero multiplicabiles.

6 AT opposita est sine dubio mẽs Aristotelis, & S. Thomæ. Nimirùm, quòd materia est ita adæquatum huius multiplicationis principiũ, vt substantiæ huiusmodi materia expertes, nullo modo sub eadem specie sunt numero multiplicabiles, sed quot sunt species, tot sunt individuales substantiæ sub illa specie. Vnde singularis Angelus est singula species, nec sub vna natura specifica possunt dari plures Angeli solo numero distincti. Ita Arist. 12. met. Vbi ex eo infert intelligentias cęlestes non esse plures numero, quia non habent materiam; ergo de mente Philosophi vbi materia non est, nec quidditas est numero multiplicabilis.

7 Nec valet Glossa, Scoti, Aureoli apud Capreol. in 1. dist. 7. q. 2. a. 2. in 4. & 5. argum. & aliorum Scotistarum, quod Arist. non loquitur de materia subiecta quantitati, sed de alia materia, quam ipsi Scotistæ vocant hæccitatem. Quia vt ibidem ostendit Capreolus ad 4. & 5. nos supra: illa Glossa est omninò violenta, & aliena à mente Arist.

Euasio Scoti euertitur.

8 Nec Scotistę per hanc glossam effugiunt, quod effugere intendunt, nempè se Aristoteli non contradicere, nam manifestè Aristoteli contradicunt. Nam Aristotelis cõclusio est, substantias abstractas non esse multiplicabiles numero, quia non habent materiam, vnde qualiscumque sit ista materia, de qua loquitur Aristoteles, siue sit materia signata quantitate, siue illa ipsorum hæccitas; verè substantiæ abstractæ nõ sunt multiplicabiles numero: & tamẽ Scotus ideò excogitauit illam hæccitatem, vt in substantijs abstractis, seu in Angelis poneret principium multiplicationis numericæ. Itaque non ambigendum de mente Aristotelis, vt omnis eius interpretes fatentur.

Effugium Scotistarũ præcluditur.

Prima Ratio S. Thomæ, qua sua mens aperitur.

9 EST quoque mens S. Thomæ; nam non solum S. Doctor ex hoc principio affirmatiuò, nempè, quod vbi est materia, infert, quòd est possibilis multiplicatio numerica, sed etiam ex hoc principio negatiuo: Vbi non est materia, infert: non esse possibilem numericã multiplicationem. Et ita 1. p. q. 41. a. 6. vbi vt probet hanc cõclusionem: In Diuinis est tantum vnus Pater, vnus Filius, vnus Spiritus Sãctus, affert quatuor rationes, quarum primam sumit ex immaterialitate diuina-

Prima Ratio D. Th.

S. Tho. ex principio negatiuo, scilicet, vbi non est materia, infert non posse esse multiplicationẽ numericã.

Digitized by Google

uinarum personarum, & relationum, sic enim habet: *Non posset esse plures Patres, vel plures Filij in Diuinis, nisi essent plures Paternitates, & plures Filiationes. Quod quidem esse non posset, nisi secundum materialem earum distinctionem. Forma enim vnius speciei non multiplicantur, nisi secundum materiam, quæ in Diuinis non est; Vnde in Diuinis non potest esse nisi vna tantum Filiatio subsistens, sicut, & albedo subsistens non potest esse, nisi vna.*

Capreolus. 10 Quam rationem latè defendit Capreolus in 1. dist. 7. q. 2. a. 2. refpondendo ad argumenta Aureoli contra secundam conclusionem. Eandem rationem affert S.Tho. S.Th. ex eodem negatiuo principio, nimirùm, quia in Deo non est materia, ad probandum, quod in Deo non sunt plures essentiæ numero distinctæ, nec plures paternitates, aut filiationes, &c. in 1. dist. 7. q. 2. a. 2. & de Potentia Dei q. 9. a. 9. corp. probat vnam solum esse personam Patris: *Quia vna natura potest in pluribus esse ex æquo propter materiæ diuisionem, quæ in Deo locum non habet. Vnde impossibile est ponere in diuinis, nisi vnam personam innascibilem &c.*

11 Et in solutione ad primum: *Nihil vnum*, inquit, *secundum speciem existens, potest secundum numerum multiplicari, nisi ratione materiæ. Et hac ratione in diuinis, non potest esse, nisi vna essentia, quia diuina essentia est immaterialis omninò. Si autem essent plures filij in diuinis, oporteret etiã esse filiationes plures, & ita oportere ens secundum materiam subiectam multiplicari, quod diuinæ immaterialitati non conuenit.* Et idem reperit pluries in argumentorum solutionibus.

S.Th. Ex eodem principio negatiuo, scil. vbi non est materia, infert Angelos non multiplicari numero. 12 Prætereà ex eodẽ negatiuo principio: quod scilicet, quia in Angelis non est materia, infert esse impossibile dari duos Angelos eiusdem speciei. Vnde 1. p. q. 59. a. 54. *Ea, quæ conueniunt*, inquit, *specie, & differunt numero, conueniunt in forma, sed distinguntur materialiter. Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia, & forma, sequitur, quòd impossibile sit esse duos Angelos vnius speciei.*

13 Idem quæst. vnica de spiritualibus creaturis art. 9. ad 2. Assignat rationem discriminis, quare cum rationales animi sint spirituales substantiæ sicut Angeli; illi possunt multiplicari numero, isti non possunt, & rationẽ discriminis his verbis assignat. *Angeli sicut non habent materiam, ex qua sunt, ita non habent materiã, in qua sunt: Anima verò habet materiam, in qua est: & ideò Angeli non possunt esse multi in vna specie, sed anima possunt esse multæ vnius speciei.*

14 Nec valet, quod aliqui respõdẽt, S.Thomam loqui de facto, non de possibili. Nec se moueat, quòd dicat, esse impossibiles duos Angelos eiusdem speciei: Nam *ly impossibile*, non debet accipi pro *impossibili simpliciter*, sicut est *id, quod implicat contradictionem*, sed quod est impossibile spectato ordine naturæ. Non autem quòd Deus de potentia sua absoluta non possit creare duos Angelos eiusdem speciei. Effugium aduersariorum.

15 Non valet, inquam, hæc interpretatio, & expositio, quæ adhibetur testimonijs adductis, & quæ adduci possunt ex S.Thoma, non enim est ad mentem illius. Primum: Quia si materia *ex qua*, vel *in qua* non esset adæquatum principium multiplicationis numericæ de mente S. Doctoris, nõ probasset efficacitèr ex immaterialitate diuinæ essentiæ, personarũ, & relationũ, illas non posse numero multiplicari. Illæ enim sunt simplicitèr numero immultiplicabiles. Si ergo ex immaterialitate probat illas non posse multiplicari, manifestum est, mentem S. Doctoris esse, res immateriales esse simplicitèr numero immultiplicabiles, ac proinde implicare contradictionem res omni materia expertes, seù res, quæ nõ sunt receptibiles, nec constant ex partibus, quarũ vna sit recipiens, altera recepta, posse numero multiplicari. Præcluditur. Ratio efficax, cur materia sit principium multiplicationis numericæ ex S.Th.

Reponitur secunda ratio D. Thomæ.

16 SEcundò, quia quæst. præcitata de spirit. creat. ar. 8. expressè habet, quod quia Angeli sunt immateriales, est impossibile, non solum dari, sed fingere duos Angelos eiusdem speciei. Nam quærens in illo art. Vtrùm omnes Angeli differant specie ab inuicem? Respondendo ad quæstionem, dicit: hæc subsequentia verba.

Digitized by Google

17 *Circa hanc quæstionem diuersimodè aliqui sunt locuti. Quidam enim dixerũt, quòd omnes spirituales substantiæ sunt vnius speciei: Alij verò, quòd omnes Angeli vnius Hierarchiæ, aut etiam vnius ordinis: Alij verò, quòd omnes Angeli ab inuicem specie differunt, quod & mihi videtur propter tres rationes. Prima sumitur ex conditione substantiæ eorum. Necessè est enim dicere, quod vel sunt formæ simplices subsistentes absque materia, vt supra habitum est, vel quod sint formæ cõpositæ ex materia, & forma. Si autem Angelus est forma simplex abstracta à materia. Impossibile est etiam fingere, quod sint plures Angeli vnius speciei: Quia quacũq; forma quantumcumque materialis, & infima si ponatur abstracta, vel secundum esse, vel secundum intellectum, nõ remanet nisi vna in specie vna. Si enim intelligatur albedo absque omni subiecto subsistens, cũ videamus, quòd hæc albedo non differt ab alia, nisi per hoc, quod est in hoc, vel in illo subiecto, & similiter si esset humanitas abstracta, non esset, nisi vna tantum.* Quòd intellige de abstractione Platonica, vt supra sæpiùs declarauimus. Nimirùm de abstractione, qua aliqua forma nec est in subiecto, nec apta est recipi in subiecto; deinde statim S. Doctor subdit, quæ sequuntur.

18 *Si verò Angelus sit substantia ex materia, & forma compositus, necesse est dicere, quòd materiæ diuersorum Angelorum sunt aliquo modo distinctæ. Distinctio autem materiæ à materia non inuenitur, nisi duplex. Vna secundum propriam rationem materiæ, & hæc est secundum latitudinem ad diuersos actus. Cum enim materia secũdum propriam rationem sit in potentia, potentia autem ad actum dicitur, necesse est, quòd secundum ordinem actuum attendatur distinctio in potentijs, & materijs, & hoc modo materia inferiorum corporum, quod est potentia ad esse, differat à materia cælestium corporum, quæ est potentia ad vbi. Secunda distinctio materiæ est secundum diuisionem quantitatis, prout materia existens sub his dimẽsionibus distinguitur ab ea, quæ est sub alijs dimensionibus: & prima quidem materiæ distinctio facit diuersitatem secundum genus. Quia secundum Philosophum 5. met. t. 35. Genera differunt secundum materiam diuersã. Secunda autem distinctio materiæ facit diuersitatem Indiuiduorum in eadem specie. Hæc autem secunda distinctio materiæ non potest esse in diuersis Angelis, cum Angeli sint incorporei, & omninò absque dimensionibus quantitatiuis. Relinquitur ergo, quòd si sint plures Angeli compositi ex materia, & forma, quod sit in eis distinctio materiarum secundum primum modũ, & ita sequitur, quòd non solum specie, sed & genere differunt.*

19 Placuit totum referre discursum S. Doctoris, quem adhibet in hac sua prima ratione, vt perspicua appareat mens illius circa hanc materiam, quòd S. Thomas sentit simplicitèr esse impossibiles plures Angelos sub eadem specie solo numero inter se distinctos, ac proindè implicare contradictionem. Quia Angeli sine dubio nõ sunt formæ receptibiles in aliquo subiecto: Cum sint substantiæ cõpletæ, & vi suæ naturæ subsistentes. Ergo ex hac parte sũt omninò immateriales immaterialitate excludente materiam *in qua*, vt est subiectum. Et hoc supponit S. Tho. in prædicta ratione, quia de hoc nec est, nec potest esse dubitatio apud Theologos, & ex hac parte, vt vidimus supra art. 9. ad 2. assignauit discrimen inter Angelos, & rationales animos, quod isti sunt formæ suo modo receptibiles, illi omni modo irreceptibiles, & penitùs ex hac parte immateriales. Vnde si Angelis concedenda esset materia, illa foret materia *ex qua*. S. Tho.

20 Hoc supposito sic arguit S. Doctor. Vel Angeli sunt omninò immateriales, & formæ simplices, vti reuera sũt; & ex hoc infert S. Thomas non solum esse impossibile dari duos Angelos eiusdem speciei, *sed neque fingi*, ex quo patet, quod non solum loquitur S. Doctor, *de impossibilitate naturaliter*, sed *impossibilitate inuoluente contradictionem*. Nam *multa impossibilia*, etiam, *quæ implicant contradictionem, fingere possumus*. Argumentatur S Th. vno dilemmate, cuius prima pars ostenditur.

21 Vnde cum dicat S. Thomas duos Angelos eiusdem speciei *veros, vel fictos esse impossibiles*, manifestè declarat mentem suam, *scilicèt implicare contradictionem* S. Th.

nem

nem Angelos esse immateriales,& numero multiplicabiles. Existimare enim videtur, quod sicut ad immaterialitatem Angelicam sequitur incorruptio,vt probat 1.p.q.50.a.5. ita ar. 4. præcedenti,ex immaterialitate Angelica probat numericam immultiplicationem. Vnde sicut implicat cõtradictionem Angelos esse immateriales, & esse corruptibiles, ita Angelos esse immateriales, & numero multiplicabiles.

Duo Angeli eiusdem speciei veri, vel ficti. tij sunt impossibiles.

22 Sin autem dixeris Angelos esse substantias compositas ex materia, & forma. Certè materia componens Angelos non potest esse materia corporea, quæ est radix quantitatis, cum Angeli sint incorporei: ergo illa esset materia spiritualis: Vnde materia vnius Angeli esset distincta à materia alterius Angeli,non vt est divisibilis modo quantitatiuo,& homogeneo, sed esset distincta in ratione potentiæ, quomodo poscit Philosophus distingui materiam elementorũ à cælesti. Sed ista distinctio materiæ tantum abest, vt sit principium distinctionis numericæ sub eadem specie, quod priùs est principium distinctionis genericæ. Sicut differunt genere corpora corruptibilia, & incorruptibilia. Ergo de mente S. Tho. ex hoc, quod Angeli sunt immateriales, vel immaterialitate excludente omnem materiam *in qua*,siue corpoream, siue incorpoream, vel immaterialitate excludente materiam corpoream, implicare contradictionem esse sub eadem specie numero multiplicabiles, quia non habent principium numericæ multiplicationis, quæ est multiplicatio materialis,& homogenea.

Secunda pars dilematis demonstratur.

Arist.

Primum Corollarium ex dictis, quo instruimur satis deuiare aliquos Thomistas à mente S. Thomæ asserentes non implicare contradictionem posse Angelos numericè multiplicari, quamuis sint immateriales: Et Diui Thomæ testimonia in eorum fauorem allata enodantur.

23 EX hoc apparet,quàm longè aberrent à mente Sancti Thomæ illi Thomistæ, qui dicunt non implicare contradictionem Angelos, etiam si omninò immateriales, posse multiplicari numero sub eadem specie,ac proinde esse possibiles duos, aut plures Angelos eiusdem speciei tantum numero inter se distinctos.

Coroll.

24 Et multo longiùs recedit à mẽte S. Thomæ Ferrar. qui etiam de facto admittit plures Angelos numero distinctos sub vna infima specie, quia ex locis adductis manifestè constat mentem S Doctoris esse nec de facto, nec de possibili Angelos posse multiplicari numero sub eadem infima specie. Nec testimonia, quæ afferunt ad probãdum oppositum de mẽte S.Thomæ sunt alicuius momenti.

25 Primum enim, & præcipuum testimonium, quod afferunt, est illud, quod refert Capreolus in 2. dist. 3. q.1.a.3.ad 2. Durandi contra 5. conclusionem. Quo vult ostendere Capreolus non esse alienum à mente Sãcti Thomæ asserere plures Angelos solo numero distinctos esse possibiles sub eadem specie de potentia Dei absoluta: & cum S. Thomas dicit id esse totalitèr impossibile, interpretatur Sãctum Thomam, quod est impossibile secundum ordinem rerum nobis cognitum, & exploratum, posset tamen Deus dare rebus alium ordinem, secundum quem posset facere Angelos plures eiusdem speciei.

26 Et quòd iste sensus non discordet multum à mente S. Doctoris probat Capreolus, ex opusc.16. contra Auerroistas,qui probant vnitatem intellectus possibilis,dicentes vnum numero esse intellectum possibilem omnium hominum, quo intelligunt, & sapiunt, nec tot multiplicari numero, quot multiplicãtur numero homines. Talemque intellectum esse quandam substantiam separatam. Contra has inuehitur S. Thomas in illo opuscul. & præcipuè contra quendam Auerroistam pertinacem, vt patet ex fine opusc. Qui cũ Christianus esset, multa indignè de fide sentit in hac materia:& tandem dicit duo incompossibilia,

Capreolus. Primũ Testimonium aduersariorum ex S. Th.

Digitized by Google

lia, nempè, quòd ratio naturalis de necessitate demonstrat intellectum possibilem esse vnum numero omnium hominum, quamuis de fide oppositum sit sentiendum: Sic enim loquitur apud S. Tho. loc. cit. *Per rationē concludo de necessitate, quòd intellectus est vnus numero: firmiter tamen teneo oppositum per fidem.*

27 Hoc dictum optimè redarguit S. Doctor: quia ex eo sequitur, quòd fides sit de falso, & impossibili. *Ergo sentit*, inquit S. Th. *quòd fides sit de aliquibus, quorum contraria de necessitate concludi possunt. Cum autem de necessitate concludi non possit, nisi verū necessarium, cuiuscumque positum est falsum, & impossibile, sequitur secūdum eius dictum, quod fides sit de falso, & impossibili, quod etiam Deus facere non potest: Quod fidelium aures ferre non possunt.*

28 Iste ergo, & alij Auerroistæ putabant se demonstrare, intellectū possibilem esse vnum sensum: hac argumentatione, quia vel intellectus est actus materiæ, & hoc est contra Aristotelem, & veritatem: vel est separatus à materia, & sic non potest numero multiplicari; & eo vsque extendebant hanc, quam putabant demonstrationem, vt hinc inferrent neque de potentia Dei fieri posse, vt intellectus cū sint immateriales, multiplicarentur. Quia inuoluit contradictionem, posse intellectus numero multiplicari. Postquam autem S. Thomas eorum soluit rationes.

28 Ad hoc vltimum respondet §. *Rector autem*, qui est vltimus illius opusc. dicens. *Valdè autem ruditèr argumentantur ad ostendendū, quod Deus facere non possit, quòd sint multi intellectus eiusdem speciei, videntes hoc includere contradictionem. Dato enim, quod non esset de natura intellectus, quod multiplicaretur, non propter hoc oporteret, quòd intellectum multiplicari, includeret contradictionem. Nihil enim prohibet, aliquid non habere in sua natura causam alicuius, quòd tamē habet illud ex alia causa. Sicut graue habet ex sua natura, quòd non sit sursum: tamen graue esse sursum, non includit contradictionem. Sed graue esse sursum, contradictionem inuoluunt. Sic ergo intellectus si naturaliter esset vnus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esset implicatio contradictionis. Quod non dicimus propter propositum, sed magis ne hac argumentandi forma ad alia extēdatur: Sic enim possent concludere, quod Deus non potest facere, quòd mortui resurgant, & quòd caci ad visum reparentur.*

Potest aliquid nō habere in sua natura rem aliquam, quam tamē habet ex alia causa.

29 Ex quo testimonio manifestè constat de mente S. Thomæ non implicare contradictionem, esse multiplicabiles plures numero intellectus, etiā si de facto esset vnus numero intellectus. Dicit enim, *Dato, quod non esset de natura intellectus, quod multiplicaretur, non propter hoc oporteret, quòd intellectum multiplicari, includeret cōtradictionem.*

30 Et vlteriùs: *Intellectus sic esset vnus omniū, quia non haberet naturalē causam multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex superiori causa.*

31 Cæterum istud testimonium nihil vrget contra sententiam, à nobis supra explicatam de mente Sancti Thomæ. Nihil enim ex isto testimonio potest sumi determinatum de mēte illius. Quia illam doctrinam tradidit, vt improbaret argumentandi formam. Quia præfati Auerroistæ tàm pertinaciter sectantes suum Auerroē, videntur credidisse: Deum non posse facere aliquid supra naturam, sed Virtutem Diuinam esse alligatam, & solū determinatam ad opera naturæ: ita vt quidquid naturaliter fieri non potest, neque aliter fieri posse credebant, & si aliquid naturaliter est impossibile, & implicat naturaliter contradictionem, simpliciter esse impossibile, & similitèr contradictionem inuoluere, reputabant, hæc enim fuit sententia omnium Arabum, Auic. Algazelis, Auerrois,

Enodatur primum testimonium S. Tho. ab aduersarijs allatum.

Digitized by Google

rois, & aliorum. Vndè, quia non poterant negare miracula, & prophetias, quæ in libris authenticis Christianorum perleguntur. Auicennas, & alij conati sunt miracula, & prophetias reducere ad dispositiones naturales. Vt etiam Arist. 32. sect. probl. reducit prophetiam ad humorem melancolicum, quod sinè dubio ridiculum est. Arist.

32 Voluit ergo S. Tho. reprehendere istos Auerroistas, qui cum suo Auerroe duo dixisse videntur: primù, quòd intellectus possibilis esset vnus, ab immaterialitate intellectus desumpta ratione: secundum, quod neque de potentia Dei sit possibile multiplicari numero, eo quod implicat contradictionem; credebant autem omne id implicare contradictionem, & à Deo fieri non posse, quod naturalitèr fieri non potest, & ideò meritò reprehenduntur à S. Thoma. S. Th.

33 Et quòd hæc sit mens S. Thomæ, patet primò ex admisso. Dato enim inquit, quod esset de facto vnus omnium intellectus, non propterea ex hoc præcisè sequitur, Deum non posse plures intellectus numero multiplicare. Sicut valdè ruditèr quis argueret, si diceret: De facto datur vnus numero Sol, vna numero Luna: ergo implicat contradictionem esse plures Soles, plures Lunas. Quia licèt Sol ex sua natura nõ habet vndè multiplicetur numero, potest tamen Deus plures Soles sub specie Solis procreare.

34 Vnde patet, quòd S. Thomas postquam directè soluit eorum argumentum, vt ibidem apparet, & infra videbimus: Improbat istud particulare: nempè, quòd non rectè sequitur aliquid est impossibile per naturam: ergo est simpliciter impossibile. Vnde subdit, *Sic ergo intellectus si NATVRALITER esset vnus omnium, quia non haberet NATVRALEM causam multiplicationis: posset tamen fortiri multiplicationẽ ex supernaturali causa: nec esset implicatio contradictionis.*

35 Patet secundò, & magis perspicuè ex verbis, quæ immediatè subnectit. *Quod non tantum dicimus propter propositum, sed magis nè hæc argumentandi forma ad alia extendatur, sic enim possent concludere, quod Deus non potest facere, quòd mortui resurgant, & quòd cæci ad visum reparentur.* Ex quibus verbis manifestè apparet, quod illi sentiebant cum Auerroe, non posse Deum facere sua absoluta potentia, quidquid naturalem causam non habet, seù naturalitèr fieri non potest, & quod fieri naturalitèr est impossibile, esse simpliciter impossibile, & implicare contradictionem.

36 Sed dices: Auerroistæ ex immaterialitate intellectus inferebant intellectum non posse numerò multiplicari. Vt apparet ex ipsorum ratione: & sic arguitur: Vel immaterialitas essentialitèr excludit numericam multiplicationem, vel solum naturalitèr. Si solum naturalitèr: ergo de mente S. Doctoris habetur intentum, quòd substantiæ immateriales solũ naturalitèr non possunt multiplicari numerò, possunt tamen diuinitùs, sicut naturalitèr non possunt esse plures numero Soles, possunt tamen supernaturaliter. Si essentialitèr, ergo malè reprehenduntur à S. Th. & ruditatis arguũtur, cum dicunt implicare contradictionem, & esse etiam diuina potentia impossibile plures numero intellectus multiplicari. Quia quod est contra essentialia principia implicat contradictionem, & est simpliciter impossibile, ac proindè non includuntur in obiecto Diuinæ Omnipotentiæ. Replica aduersariorũ.

37 Sed ad hanc instantiam facilè respondetur ex doctrina eiusdem Sancti Doctoris, quam in prædicta solutione ad primũ argumẽtum Auerroistarũ tradidit. Quòd dupliciter possumus loqui de immaterialitate intellectus, vel possumus loqui de immaterialitate intellectus accidentalis, vel de immaterialitate intellectus substãtialis. Intellectus enim duplex est, alter accidentalis, & est ipsa potentia intellectiua, alter substantialis, & est ipsa substantia intellectualis, cui inest intellectus. Respondet. Duplex est intellectus, alter substãtialis, alter accidẽtalis, & quinam sint?

38 In-

38 Intellectus ergo accidentalis siuè humanus, siuè Angelicus est immaterialis, quia neuter est affixus organo materiali, & ideò ex se non habet causam suæ numericæ multiplicationis, quamuis habere possit aliunde, & propterea dixit S. Thomas: *Dato, quòd non esset de natura intellectus, quod multiplicaretur, non propter hoc oporteret, quod intellectus multiplicari includeret contradictionem. Nihil enim prohibet aliquid non habere in sua natura causam alicuius, quod tamen habet illud ex alia causa.*

Intellectus hominis nõ ratione sui, sed ad multiplicat. animæ cui inest, multiplicatio numericæ.

39 Itaque ex immaterialitate ipsarum potentiarum intellectiuarum præcisè non habetur causa multiplicationis numericæ ipsorum intellectuum: quia nec in homine, nec in Angelo sunt potentiæ affixæ organo materiali: Sed non propterea sequitur, quod aliundè habere non possit, quia possunt habere ex parte intellectus substantialis, in quantum in sua intellectiua substantia, cui inest intellectus, potest numero multiplicari ad multiplicationem materiæ, sicut animæ rationales multiplicantur numero ad multiplicationem corporum, & ideò immaterialitas ab intellectibus humanis non excludit totalitèr multiplicationem. Quia licèt ipsi intellectus non sint actus materiæ: tamen substantia, cui insunt, est actus materiæ, & multiplicatur ad multiplicationẽ materiæ.

Intellectus Angelicus nequit numericè multiplicari, cũ substant. Angel. cui inest, non possit num. multiplicari.

40 Hoc autem non potest extendi ad intellectus Angelicos. Quia nec ipsi intellectus, nec substantiæ, quibus insunt, sunt actus materiæ, & ideò licèt simpliciter ex immaterialitate intellectuum non inferatur implicantia contradictionis, quod possint multiplicari numero, tamẽ ex illa immaterialitate intellectus, & substantiæ intellectualis optimè infertur contradictionis implicantia.

S. Th.

41 S. Thomas ergo', quando dicit, quod etiam si ex parte intellectus non adsit causa multiplicationis, tamen ex hoc non sequitur implicare contradictionem posse multiplicari. Loquitur de intellectu, vt abstrahit ab Angelico, & humano. Quia etsi intellectus cum non sit affixus organo materiali, non sit multiplicabilis per materiam. Attamen ex hac immaterialitate non excluditur, quin ratione substantiæ multiplicari possit, & sic multiplicantur numero intellectus humani per materiam, scilicèt propter animas, quibus insident. At in locis supra citatis pro ipsius sententia, loquitur speciatim de intellectibus Angelicis, seù potiùs de Angelorum substantijs, quia prædictæ substantiæ nec habent materiam *ex qua*, nec *in qua*, & ideò habent intrinsecam, & essentialẽ repugnantiam ad multiplicationem.

Principiũ, seu argum. Auerrois.

42 Et est similis responsio ad hoc Auerroistarum argumentum, quo respondetur ad aliud principiũ Auerroisticum, in quo fundatur tota hæc sententia Auerrois, quàm isti sectantur, de vnitate intellectus possibilis. Qui secundum Auerroem, implicat contradictionem, quod forma spiritualis possit informare materiam, & vniri cum illa in vnitate essendi, ex quo inferebat Auerroes, sed forma intellectiua est forma spiritualis: ergo implicat, quod talis forma possit informare materiam, ac proindè possit multiplicari ad multiplicationem materiæ, & consequentèr vnus numero debet esse intellectus omniũ hominũ.

Dissoluitur tale principium.

43 Ad hoc argumentum respondemus nos Christiani, & Catholici, negando majorem, prout forma spiritualis abstrahit ab anima rationali, & ab Angelica substantia. Quia nimirùm ex præcisa spiritualitate non sequitur implicantia. At si sermo sit de tali forma spirituali, qualis est substantia Angelica, quæ est omninò spiritualis nullum habens ordinem ad materiam *ex qua*, nec *in qua*, implicat contradictionem. Ita similitèr licèt ex immaterialitate intellectuum præcisè sũpta non sequatur implicantia contradictionis, quod intellectus possint multiplicari numero, attamen ex immaterialitate talis intellectus benè sequitur implicantia contradictionis. Quia aliquibus intellectus, nec immedia-

Ex immaterialitate intellectuũ præcisè non sequitur implicatio cõtradictionis eos posse multiplicari numericè.

Digitized by Google

diatè, nèc mediatè dicit ordinem ad materiam, ideſt, nec ratione ſui, nec ratione ſubſtantiæ, cui ineſt. Qualis eſt intellectus Angelicus; cum nec ipſe ſit actus materiæ, nec ſubſtantia, cui ineſt; & ideò reſpectu iſtius ex immaterialitate ſequitur implicantia cõtradictionis: At intellectus, qui ſaltem habet mediatum ordinem ad materiam, vt eſt intellectus humanus, ratione formæ, cui ineſt, ſcilicèt animæ rationalis, quæ eſt actus corporis phyſici, & organici, non ſolum non implicat contradictionem, ſed de facto multiplicatur.

S. Th. 44 Et idcò S. Tho. loquens de immaterialitate intellectus, vt abſtrahit ab humano, & Angelico, benè dicit nõ implicare contradictionem. Dicit tamen implicare contradictionem loquendo de immaterialitate talis intellectus, nempè cuius ſubſtantia, cui ineſt, nec habet materiam *ex qua*, neq; *in qua*. Quia in his ſubſtantijs, vt benè dixit de ſpiritualib. creaturis art. 8. ſupra citato, nec fingi poſſunt duo individua eiuſdem ſpeciei.

Effugium aduerſariorum. 45 Nec valet, quòd dicunt aduerſarij ex Capreolo, quando S. Thomas dicit eſſe penitùs impoſſibile dari duos Angelos eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero inter ſe diſtinctos. Quòd loquitur S. Doctor eſſe impoſſibile ſecundũ ordinem rerum nobis cognitum, non verò ſecundum alium rerum ordinem, quo poſſit Deus res ordinare.

Præcluditur. 46 Nam vèl loquimur de Angelis proùt nunc ſunt formæ ſimplices, & immateriales, hoc eſt nec habẽtes materiam corpoream, nec ad illam ordinem habẽtes. Vel loquimur de alio genere Angelorum, hoc eſt, an Deus poſſit creare Angelos diuerſi generis, & naturæ: ſicut quæri ſolet, an Deus poſſit creare aliã naturam rationalem, conſtantem, ſcilicet ex materia, & forma, & ratione prædita, differentem tamen ſpecie à natura humana: Si loquimur hoc poſteriori modo, quæſtio non eſt ad propoſitum, ſed eſt alterius indaginis, & quidquid ſit de hóc quæſito, tranſeat.

47 Vel loquimur in priori ſenſu, & dico, quod ſi illa interpretatio admittitur, paritèr dici poſſet, quamuis de facto Angelus ſecundum ordinem præſentem nobis cognitum non poſſit eſſe forma corporis, viuificans illud, cum ſecundùm alium ordinem, quo poſſet Deus res ordinare, poſsit Angelus eſſe forma informans, & viuificans corpus.

48 Et ſi dixeris hoc implicare cõtradictionem, quia Angelus dicit naturam, & ſubſtantiam completam, forma verò corporis dicit eſſe ſubſtantiã incompletam. Implicat autem ſub eodem genere aliquid eſſe ſubſtantiam completam, & incompletam, & ideò in nullo ordine poſsibili eſſe, aut intelligi poteſt, Angelum eſſe formam informantem. Ita etiam dico ego de mẽte S. Thomæ, ſi intelligatur quid ſit Angelus, nempè ſubſtantia purè ſpiritualis, & ſi intelligatur, quid ſit multiplicatio numerica, quod eſt multiplicatio homogenea, & materialis, in nullo ordine ſiuè cognito, ſiuè ignoto poſſunt ſub eadem ſpecie plures Angeli multiplicari numero.

Implicat cõtradict. nẽ aliquid ſub eodem genere eſſe ſubſtantiam completã, & incõpletam.

49 Nam ex ipſis terminis habetur implicantia, vt probat ratio S. Thomæ. Quia ſi duo Angeli diſtinguuntur numero inter ſe, deberent habere principia diſtinguendi. Hæc autem principia, aut eſsent formalia (& dico formalia, non formarum, vt malè interpretatur Scotus, de quo infra) ideſt, aut eſſent principia formalitèr primo diuerſa, & ſic natùra diuiſa non eſſet ſpecies, ſed genus, & ipſi Angeli non differrent numero, ſed ſpecie: quia natura diuiſa per differentias ſeipſis primo diuerſas diuerſificantur reipſa, & ſic membra diuidentia eſsent diuerſa inter ſe, nullam habentia inter ſe cõuenientiam, vt ſunt membra diuidentia, ſed ſolum conuenirent in natura diuiſa, quod eſt contra rationem multiplicationis numericæ, & proprium multiplicationis ſpecificæ, vel eſſent principia diuidentia materialitèr, & iſta principia non poſſunt eſſe alia, quàm vèl materia *ex qua*, vel *in qua*.

Scotus.

Diuiſio numerica cum ſit materialis, non poteſt oriri niſi ex materia *in qua*, vel *ex qua*.

Digitized by Google

Non enim materialis diuisio, qualis est numerica potest oriri, nisi ex materialibus principijs: ergo in quouis ordine disponerentur Angeli siuè noto, siuè ignoto, nullo modo possunt numero multiplicari.

50 Nec illam interpretationem adhibuit Capreolus ex determinata sententia: Quia vt apparet ex his, quæ dicit ad argumenta Scoti, Durandi, Henrici, & aliorum contra 5. concluſ. ſemper intelligit, & defendit ſententiã Sancti Doctoris in eo ſtatu, quo à nobis ſupra explicata eſt. Solet enim Capreolus ad labefactãdã vim argumenti, ſæpiùs adhibere plures reſpondendi modos, quamuis eos ipſe nõ ſequatur, nec illos determinet de propria ſententia.

Secundum Teſtimonium D. Th. aliarum ab aduerſarijs, & eius reſponſio.

51 SEcũdum teſtimonium principale, quòd afferũt aduerſarij ad probandum de mente S. Thomæ Angelos eſſe numero multiplicabiles ſub eadem infima ſpecie, deſumunt ex 1. ſent. diſt. 34. q. 1. art. 1. Vbi quærens: An ſuppoſitum, & eſſentia in diuinis ſint idem? quæritq; de identitate reali. Et ad quæſtionem reſpondens, hæc habet: *Perſona, & eſſentia omninò re in diuinis non diſtinguuntur. In illis enim, in quibus aliud eſt eſſentia, quàm hypoſtaſis, vel ſuppoſitum, oportet, quòd ſit aliquid materiale, per quod natura communis indiuiduetur, & determinetur ad hoc ſingulare. Vndè illam determinationem materiæ, vel alicuius, quod loco materiæ ſe habet, addit in creaturis hypoſtaſis ſupra eſſentiam, & naturã. Vnde non omninò eſſe in creaturis idem ſunt. In Deo autem non eſt natura ipſius ſubſiſtens per aliquod, ad quod determinatur ſicut per materiam, ſed per ſeipſam eſt ſubſiſtẽs, & ipſum ſuum eſſe ſubſiſtens eſt. Vnde natura eſt ipſum, quod ſubſiſtit, & eſſe, in quo ſubſiſtit. Et propter hoc in Deo omninò idem eſt, quo eſt, & qui eſt. Vnde oportet, quòd omninò idem ſint re eſſentia, & perſona.*

Secundum Teſtimonium S. Th.

52 Hoc teſtimonium tanquam inſigne affert Bubalus in ſuo opere de Angelis 1. p. q. 50. a. 4. quæſt. 1. difficultate 2. §. 2. & tanquam ad hanc rem à ſe primò ponderatum putat efficaciter conuincere de mente S. Doctoris Angelos eſſe multiplicabiles numero ſub eadem infima ſpecie, non ſecus, ac materiales ſubſtantiæ. Idque euidenter colligi hoc ſyllogiſmo indubitanter exiſtit. Omnis natura, in qua aliud eſt [illegible], & aliud hypoſtaſis, vel ſuppoſitum, eſt multiplicabilis in plura numero indiuidua ſub eadem ſpecie. Sed omnis natura creata etiã Angelica eſt huiuſmodi. Ergo omnis natura creata etiã Angelica eſt multiplicabilis in plura numero indiuidua ſub eadem ſpecie.

Bubali arg.

53 Probat vtramque præmiſſam ex præallegato teſtimonio S. Thomæ, & quidem maiorem probet ex illis verbis, in quibus docet S. Doctor, *quòd in illis, in quibus aliud eſt eſſentia, quam hypoſtaſis, vel ſuppoſitũ, oportet, quòd ſit aliquid materiale, per quod natura communis indiuiduetur, & determinetur ad hoc ſingulare.* Igitur in illis rebus, in quibus aliud eſt eſſentia, aliud ſuppoſitum, natura ipſa ſeù eſſentia eſt quid commune: & per aliquid materiale indiuiduatur, & determinatur; ergo de ſe natura eſt communis, & pluribus communicabilis de mente S. Thomæ, & per aliquid aliud determinatur ad hoc indiuiduum, quod idẽ eſt, ac indiuiduari. Et ita vera maior, nimirùm, omnis natura, &c.

Bubalus maior ſic argumenti probat ex præallato teſtimonio D. Th.

54 Nec refert, quòd dicat S. Thomas id, per quod natura communis determinatur, & indiuiduatur, eſſe materiam: Quod in Angelis non inuenitur, Quia ad hanc obiectionem tacitè reſpondet ipſe S. Th. dicens: hanc determinationem fieri per materiam, vel per aliquid, quod ſe habet loco materiæ. Vt ſic propoſitio ſit generalis omnibus naturis creatis, tàm materialibus, quàm immaterialibus. Igitur omnis natura creata de ſe communis eſt, & conſequentèr in pluribus multiplicabilis per materiam, vel per aliquid, quòd ſe habet loco materiæ, nempè

Obiectio, & eius enodatio.

Digitized by Google

nempè per ipsam suppositationem, per quam determinatur, & indiuiduatur ad hoc numero singulare, & sic patet maior.

Minor sui argumenti etiam probet Bubalus ex testim. D.Th.

55 Minor etiam perspicuè traditur ibidem à S.Th. cum dicit *vndè non omnia ista*, scilicèt natura, & suppositum, *in creaturis idem sunt*, & patet ex consequentia, quam infert. Quia in solo Deo est idem secũdum rem suppositum, & natura: volens, quòd in omni indiuiduo creato, siuè materiali, siuè spirituali, aliud sit suppositum, & aliud natura, & quod suppositum addit aliquid ad naturam. Liquet ergo etiã minor de mente S. Thomæ; conclusio autèm ex præmissis sequitur euidentèr. Igitur de mente S. Th. omnis essentia, & natura creata est multiplicabilis numero intrà eandem speciem infimam comprehensa.

Respondetur ad secũdum testimonium S.Th. allatũ ob aduersarijs.

56 Verum hoc allatum testimoniũ non probat intentum, & ad argumentum in forma propositum, in forma respondetur, negando Maiorem, nil enim minus est de mente S. Doctoris, quàm illa assumpta propositio, & ex illis verbis S. Thomæ nullatenùs probatur.

Animad-uersio primo sensu genuino S.Th.

57 Vt autem intelligatur germanus sensus S. Thomæ in verbis pro probatione adductis, recolendum est id, quod diximus suprà. Quòd indiuiduum in genere substantiæ potest accipi dupliciter: Vno modo pro præcisa natura singulari, sicùt humanitas Christi Domini assumpta à Verbo Diuino. Alio modo pro supposito habẽte singularem naturam. Et ideò in definitione personæ, quæ est speciale suppositum ponitur indiuidua substãtia. Cum dicitur, quòd persona est rationalis natura indiuidua substantia, in qua definitione ly *indiuidua* nõ significat substantiam quomodocumq; indiuiduam, alioquin Verbum assumẽdo indiuiduam naturam humanam, quæ sinè dubio est indiuidua substantia, assumpsisset humanam personam, quod est hæreticum. Igitur ly indiuidua substantia sumitur pro indiuiduo completo, quod est suppositum, & ideò etiam si in Christo sit duplex singularis natura, non tamen Christus dicitur duo indiuidua, sed vnum indiuiduum propter vnitatem suppositi.

Indiuiduũ in genere substantiæ potest accipi dupliciter.

58 Vndè quando in verbis præallegatis dicit S. Doctor, quod in illis, in quibus aliud est essentia, quam hypostasis, vel suppositum, oportet, quod sit aliquid materiale, per quod natura communis indiuiduetur, & determinetur ad hoc singulare; non loquitur de quacumque indiuiduatione, & determinatione. Alioquin dicendum foret, quòd humanitas Christi Domini indiuiduaretur per suppositum diuinum, quod nullus Catholicorum dicit, & hoc videtur fuisse fundamentũ Armenorum ponẽtium in Christo naturarum permixtionem. Quia si suppositum est principium propriè indiuiduationis, suppositum diuinum in Christo sit, non posset simùl indiuiduare duas naturas, quia hoc modo esset principium vnitatis, & multiplicationis, vt suprà de subiecto accidentium dicebamus; ergo vt sit principium indiuiduãs vnam naturam, ex diuinæ, & humanæ naturæ permixtione, facta esset vna natura. Itaque nec de mente S. Thomæ, nec secundum veritatem id, quod addit suppositum naturæ, est principium primariæ indiuiduationis alicuius naturæ. Sed est principium indiuiduationis completiuum, vt dictum est.

S.Th.

Id, quod addit suppositum ipsi naturę non est principium primariæ indiuiduationis, naturæ, sed solum cõpletiuè.

Obiectio, & eius enodatio.

59 Nec te moueat, quòd D. Thomas naturam appellat communem: Quia non loquitur S. Thomas de illa communitate vniuersali, qua aliqua natura est apta esse in pluribus. Sed loquitur de illa communitate, quam intelligitur habere natura antecedentèr priusquam intelligatur esse in hoc, vel illo determinato supposito. Sicut si humanitas Christi Domini antequã assumeretur à verbo, fuisset creata præcisa ab omni supposito; sine dubio illa fuisset singularis in sua entitate, sicuti modo est. Attamèn in illo statu adhùc esset communis, & indeterminata ad hoc, vel illud suppositũ, humanum, vel diuinum. Quamuis

Digitized by Google

Non enim materialis diuisio, qualis est numerica potest oriri, nisi ex materialibus principijs; ergo in quouis ordine disponerentur Angeli siuè noto, siuè ignoto, nullo modo possunt numero multiplicari.

50 Nec illam interpretationem adhibuit Capreolus ex determinata sententia: Quia vt apparet ex his, quæ dicit ad argumenta Scoti, Durandi, Henrici, & aliorum contra 5. concluſ. semper intelligit, & defendit sententiã Sancti Doctoris in eo statu, quo à nobis supra explicata est. Solet enim Capreolus ad labefactãdã vim argumenti, sæpiùs adhibere plures respondendi modos, quamuis eos ipse nõ sequatur, nec illos determinet de propria sententia.

Secundum Testimonium D. Th. allatum ab aduersarijs, & eius responsio.

51 SEcũdum testimonium principale, quòd afferũt aduersarij ad probandum de mente S. Thomæ Angelos esse numero multiplicabiles sub eadem infima specie, desumunt ex 1. sent. dist. 34. q. 1. art. 1. Vbi quærens: An suppositum, & essentia in diuinis sint idem? quæritq; de identitate reali. Et ad quæstionem respondens, hæc habet: *Persona, & essentia omninò re in diuinis non distinguuntur. In illis enim, in quibus aliud est essentia, quàm hypostasis, vel suppositum, oportet, quòd sit aliquid materiale, per quòd natura communis indiuiduetur, & determinetur ad hoc singulare. Vndè illam determinationem materiæ, vel alicuius, quod loco materiæ se habet, addit in creaturis hypostasis supra essentiam, & naturã. Vnde non omninò esse in creaturis idem sunt. In Deo autem non est natura ipsius subsistens per aliquod, ad quod determinatur sicut per materiam, sed per seipsam est subsistẽs, & ipsum suum esse subsistens est. Vnde natura est ipsum, quod subsistit, & esse, in quo subsistit. Et propter hoc in Deo omninò idem est, quo est, & qui est. Vnde oportet, quòd omninò idem sint re essentia, & persona.*

Secundum Testimonium S. Th.

52 Hoc testimonium tanquam insigne affert Bubalus in suo opere de Angelis 1. p. q. 50. a. 4. quæst. 1. difficultate 2. §. 2. & tanquam ad hanc rem à se primò ponderatum putat efficaciter conuincere de mente S. Doctoris Angelos esse multiplicabiles numero sub eadem infima specie, non secus, ac materiales substantiæ. Idque euidenter colligi hoc syllogismo indubitanter existimat. Omnis natura, in qua aliud est essentia, & aliud hypostasis, vel suppositum, est multiplicabilis in plura numero indiuidua sub eadem specie. Sed omnis natura creata etiã Angelica est huiusmodi. Ergo omnis natura creata etiã Angelica est multiplicabilis in plura numero indiuidua sub eadem specie.

Bubali arg.

53 Probat vtramque præmissam ex præallegato testimonio S. Thomæ, & quidem maiorem probet ex illis verbis, in quibus docet S. Doctor, *quòd in illis, in quibus aliud est essentia, quam hypostasis, vel suppositũ, oportet, quòd sit aliquid materiale, per quod natura communis indiuiduetur, & determinetur ad hoc singulare.* Igitur in illis rebus, in quibus aliud est essentia, aliud suppositum, natura ipsa seù essentia est quid commune: & per aliquid materiale indiuiduatur, & determinatur; ergo de se natura est communis, & pluribus communicabilis de mente S. Thomæ, & per aliquid aliud determinatur ad hoc indiuiduum, quod idẽ est, ac indiuiduari. Et ita vera maior, nimirùm, omnis natura, &c.

Bubalus maior sic argumenti probat ex præallato testimonio D. Th.

54 Nec refert, quòd dicat S. Thomas id, per quod natura communis determinatur, & indiuiduatur, esse materiam: Quod in Angelis non inuenitur, Quia ad hanc obiectionem tacitè respondet ipse S. Th. dicens: hanc determinationem fieri per materiam, vel per aliquid, quod se habet loco materiæ. Vt sic propositio sit generalis omnibus naturis creatis, tàm materialibus, quàm immaterialibus. Igitur omnis natura creata de se communis est, & consequentèr in pluribus multiplicabilis per materiam, vel per aliquid, quòd se habet loco materiæ, nempè

Obiectio, & eius enodatio.

Digitized by Google

nempè per ipsam suppositationem, per quam determinatur, & indiuiduatur ad hoc numero singulare, & sic patet maior.

Minor sui argumenti etiam probet Bubalus ex testim. D.Th.

55 Minor etiam perspicuè traditur ibidem à S.Th. cum dicit *vndè non omnia ista*, scilicèt natura, & suppositum, *in creaturis idem sunt*, & patet ex consequentia, quam infert. Quia in solo Deo est idem secũdum rem suppositum, & natura: volens, quòd in omni indiuiduo creato, siuè materiali, siuè spirituali, aliud sit suppositum, & aliud natura, & quod suppositum addit aliquid ad naturam. Liquet ergo etiã minor de mente S. Thomæ; conclusio autèm ex præmissis sequitur euidenter. Igitur de mente S. Th. omnis essentia, & natura creata est multiplicabilis numero intrà eandem speciem infimam comprehensa.

Respondetur ad secũdum testimonium S.Th. allatũ ab aduersarijs.

56 Verum hoc allatum testimoniũ non probat intentum, & ad argumentum in forma propositum, in forma respondetur, negando Maiorem, nil enim minus est de mente S. Doctoris, quàm illa assumpta propositio, & ex illis verbis S. Thomæ nullatenùs probatur.

Animad-uersio primo sensu genuino S.Th.

57 Vt autem intelligatur germanus sensus S. Thomæ in verbis pro probatione adductis, recolendum est id, quod diximus suprà. Quòd indiuiduum in genere substantiæ potest accipi dupliciter: Vno modo pro præcisa natura singulari, sicùt humanitas Christi Domini assumpta à Verbo Diuino. Alio modo pro suppositio habẽte singularem naturam. Et ideò in definitione personæ, quæ est speciale suppositum ponitur indiuidua substãtia. Cum dicitur, quòd persona est rationalis natura indiuidua substantia, in qua definitione ly *indiuidua* nõ significat substantiam quomodocumq; indiuiduam, alioquin Verbum assumẽdo indiuiduam naturam humanam, quæ sinè dubio est indiuidua substantia, assumpsisset humanam personam, quod est hæreticum. Igitur ly indiuidua substantia sumitur pro indiuiduo completo, quod est suppositum, & ideò etiam si in Christo sit duplex singularis natura, non tamen Christus dicitur duo indiuidua, sed vnum indiuiduum propter vnitatem suppositi.

Indiuiduũ in genere substantiæ potest accipi dupliciter.

58 Vndè quando in verbis præallegatis dicit S. Doctor, quod in illis, in quibus aliud est essentia, quam hypostasis, vel suppositum, oportet, quod sit aliquid materiale, per quod natura communis indiuiduetur, & determinetur ad hoc singulare; non loquitur de quacumque indiuiduatione, & determinatione. Alioquin dicendum foret, quòd humanitas Christi Domini indiuiduaretur per suppositum diuinum, quod nullus Catholicorum dicit, & hoc videtur fuisse fundamentũ Armenorum ponẽtium in Christo naturarum permixtionem. Quia si suppositum est principium propriè indiuiduationis, cum suppositum diuinum in Christo sit vnum, non posset simùl indiuiduare duas naturas, quia hoc modo esset principium vnitatis, & multiplicationis, vt suprà de subiecto accidentium dicebamus; ergo vt sit principium indiuiduãs vnam naturam, ex diuinæ, & humanæ naturæ permixtione, facta esset vna natura. Itaque nec de mente S. Thomæ, nec secundum veritatem id, quod addit suppositum naturæ, est principium primariæ indiuiduationis alicuius naturæ. Sed est principium indiuiduationis completiuum, vt dictum est.

S.Th.

Id, quod addit suppositum ipsi naturę non est principium primariæ indiuiduationis, naturæ, sed solum cõpletiuè.

59 Nec te moueat, quòd D. Thomas naturam appellat communem: Quia non loquitur S. Thomas de illa communitate vniuersali, qua aliqua natura est apta esse in pluribus. Sed loquitur de illa communitate, quam intelligitur habere natura antecedentèr priusquam intelligatur esse in hoc, vel illo determinato suppositio. Sicut si humanitas Christi Domini antequã assumeretur à verbo, fuisset creata præcisa ab omni suppositio; sine dubio illa fuisset singularis in sua entitate, sicuti modo est. Attamèn in illo statu adhùc esset communis, & indeterminata ad hoc, vel illud suppositũ, humanum, vel diuinum. Quamuis

Obiectio, & eius enodatio.

Digitized by Google

biectum. Quamuis illud, quòd dicit de anima, quod indiuiduatur per determinatum corpus, & iuxta illius capacitatem, vt ſupra etiam nos diximus, poſſit intelligi de corpore, vt ſubèſt diſpoſitionibus, non de præciſa materia prima: Nam hæc quæcũq; ſit dummodo inueniatur cum talibus diſpoſitionibus, quibus anima eſt indiuidualiter coaptata, poteſt dici eſſe principium indiuiduationis.

3. Ratio. 390 Tertiò probatur, & declarari poteſt ab eo, quod experimur. Nam plus dependet accidens à ſubiecto, quàm indiuiduum ſubſtantiale ab altero ſubſtantiali indiuiduo: Quia accidens non poteſt exiſtere ſine ſubiecto; indiuiduũ autẽ ſubſtãtiale exiſtere poteſt ſine alio indiuiduo: Sed vnũ indiuiduum ſubſtantiale propter dependentiam ab alio eiuſmodi indiuiduo naturali inclinatione ſemper appetit adhærere, non cuilibet indiuiduo vagè ſumpto, ſed indiuiduo determinato; (Nam ſingularis agnus naturali inſtinctu adhæret non cuilibet oui, ſed huic determinatæ, & ſimiliter hæc ouis huic agno: Vnde, & mater inter mille agnos cognoſcit hunc determinatũ eſſe ſuũ filium, & hic agnus inter mille oues cognoſcit hanc determinatã eſſe matrẽ ſuã: Et hæc cognitionis determinatio non prouenit ex obiecto, ſed ex naturali inclinatione, & innato inſtinctu, quo indiuiduaLiter vnum inclinatur ad alterum, vt hæc ouis ad hũc agnum, & hic agnus ad hanc ouem. Quod non contingit in infantulis humanis: Nam vt dicit Ariſt. infantuli à principio omnes homines vocant patres, & omnes fœminas matres: Et hoc ideò eſt, quia naturalis inſtinctus non ita in natura humana determinat cognitionem, ſicut in brutis:) ergo ſi à naturali inclinatione vnum ſubſtantiale indiuiduũ fertur ad aliud determinatum indiuiduum, vt illi adhæreat, quanto magis hoc indiuiduum determinatum accidentis naturali ſua, & indiuiduali inclinatione debet ferri ad hoc determinatum numero ſubiectum, vt illi inhæreat; & ideò vnũ numero accidens non poteſt indiuiduari à quocumque indiuiduali ſubiecto vagè ſumpto, ſed ab indiuiduo ſubiecto determinato.

Ratio, cur ſingularis agnus inter mille oues cognoſcat ſoam propriã matrem, & è contra.

Ariſt. Cur infãtuli humani à principio nequeant cognoſce- re veram matrẽ, & patrẽ, ſed omnes fœminas vocant matres.

Tertia ſententia tenet formas imperfectas (ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales) Indiuiduari non ſolum ab indiuiduo ſubiecto vagè ſumpto, ſed etiam determinato: è contra verò formæ perfectæ.

391 TErtia ſententia eſſe poteſt media inter prædictas: Quòd formæ imperfectæ, ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales, non ſolum ab indiuiduo ſubiecto vagè sũpto, ſed determinato indiuiduantur. At formæ perfectæ (vt anima rationalis, & accidentia ſpiritualia, maximè ſupernaturalia) indiuiduari poſſunt ab vno ſubiecto uagè ſumpto. Concluſio.

392 Ratio diſcriminis eſſe poteſt, quia illæ formæ materiales habent maximam dependentiam à ſubiecto, ſeu à materia *in qua*, & ideò ſunt illis magis affixæ: At uero formæ ſpirituales, quia minus dependent, ut anima rationalis, & accidentia ſpiritualia ſupernaturalia, quæ non recipiuntur in ſubiecto iuxta potentiam naturalem, ſed obedientialem, poſſunt indiuiduari ab unitate ſubiecti uagè ſumpti: Omnes tres iſtæ opiniones poſſunt probabiliter ſubſtineri: Elige quam malueris. Ratio diſcriminis, & cõcluſionis.

PARAGR. VI.

Digitized by Google

PARAGRAPHVS SEXTVS.

De Vnitate numerica substantiarum abstractarum, vt sunt Angeli.

1 HActenùs ostendimus, quòd naturæ specificæ, quæ habent materiam *ex qua*, vel *in qua* sunt multiplicabiles numero: quia huiusmodi materia est vnitatis, & multiplicationis numericæ principium. Eò, quòd omnis huiusmodi natura, aut est receptibilis, vt sunt naturæ accidentales: aut includunt in sua quidditate, aliquid receptibile: Vt naturæ specificæ substantiales compositæ, quæ includunt formas receptibiles in materia, ex qua receptibilitate fit, vt naturæ specificæ sint multiplicabiles multiplicatione homogenea, seu diuisione materiali. Modò pertractare remanet de numerica substantiarum abstractarum vnitate; Quæ plures complectitur difficultates, quarum prima sit.

DIFFICVLTAS I.

An in substantijs abstractis, quæ non habent nec materiam ex qua, *neque materiam* in qua, *Natura specifica sit numero multiplicabilis in plura individua?*

2 IN hac difficultate videndum est: An naturæ specificæ, quæ nec habent materiam *ex qua*, neque materiam *in qua*, vt sunt naturæ abstractæ ab omni materia, vt sunt apud nos naturæ Angelicæ, quæ nec habent materiam *in qua*, quia licèt sint simplices formæ, non tamen sunt informantes, sed per se subsistentes: nec habent materiam *ex qua*, quia sunt quidditates simplices, non compositæ, vt sunt quidditates substantiarum materialium, vnde nec sunt receptibiles, neque includunt aliquid receptibile, num istæ specificæ naturæ sint multiplicabiles numero, vt sic, videamus: An materia *ex qua*, vel *in qua* non solum sit principium numericæ multiplicationis, sed sit adæquatum illius principium. Taliter, vt illæ naturæ, quæ habent huiusmodi materias, sint numero multiplicabiles, quæ verò non habent, nõ sint capaces numericæ multiplicationis. Nam causa adæquata est illa, qua posita, ponitur effectus, & qua ablata, effectus aufertur.

3 Non enim desunt Auctores, qui etsi nobiscum sentiant materiam *ex qua*, vel *in qua* esse principium Indiuiduationis, & multiplicationis numericæ in rebus, quæ habent alterutram materiam; nihilominùs dicunt materiam huiusmodi non esse adæquatũ Indiuiduationis principium, quasi verò naturæ, quæ alterutrã ex dictis materijs non habent, non possint numero multiplicari. Vt Henricus Quodlib. 2. q. 8. Vbi in substantijs materialibus admittit mihi suam materiam *ex qua* esse principium indiuiduationis,

& numericæ multiplicationis prædictarũ substantiarum, & per materiam *in qua*, seu per subiectum indiuiduari formas, tàm substantiales, quàm accidentales. Nihilominùs dicit huiusmodi materiam non esse generale & adæquatum principium vnitatis, & multiplicationis numericæ omnium specierum: Sed posse aliũdè multiplicari: & ita in Angelis conedit numeralem multiplicationem indiuiduorum sub eadem specie.

4 Et si quæras ab ipso, quodnam esse potest in Angelis huius numericæ multiplicationis principium? Dicit, id esse suppositum. Quia natura est multiplicabilis secundum quod est receptibilis, vel includit aliquid receptibile, vt dictum est: At naturæ Angelicæ sunt etiam suo modo naturæ recipibiles. Quia sicut aliæ naturæ sunt receptibiles in subiectis, vt accidentia, vel includunt aliquid receptibile in materia prima tanquam in subiecto. Ita naturæ Angelicæ sunt receptibiles in suppositis: Nam ratio suppositi non est illis essentialis, sed aliquid extra essentiam; ergo possunt multiplicari numero ad multiplicationem suppositorum.

Prima inquisitio, & eius respõsio.

5 Sunt etiam nonnulli, vt Suarez, & alij, qui etiam data hypothesi, quòd materia esset indiuiduationis principium, nihilominùs dicunt non hinc haberi substantias abstractas, seu Angelos nõ posse numero multiplicari sub eadem infima specie. Quia potest aliundè prouenire in illis hoc multitudinis genus.

Suarez.

Sententia Aristotelis, S. Thomæ, & aliorum Thomistarum, qua dicitur materiam, ità esse adæquatum huius multiplicationis principium, vt substantiæ huiusmodi materia expertes, nullo modo sub eadem specie sint numero multiplicabiles.

6 AT opposita est sine dubio mẽs Aristotelis, & S. Thomæ. Nimirùm, quòd materia est ita adæquatum huius multiplicationis principiũ, vt substantiæ huiusmodi materia expertes, nullo modo sub eadem specie sunt numero multiplicabiles, sed quot sunt species, tot sunt indiuiduales substantiæ sub illa specie. Vnde singularis Angelus est singula species, nec sub vna natura specifica possunt dari plures Angeli solo numero distincti. Ita Arist. 12. met. Vbi ex eo infert intelligentias cœlestes non esse plures numero, quia non habent materiam; ergo de mente Philosophi vbi materia non est, nec quidditas est numero multiplicabilis.

7 Nec valet Glossa, Scoti, Aureoli apud Capreol. in 1. dist. 7. q. 2. a. 2. in 4. & 5. argum. & aliorum Scotistarum, quod Arist. non loquitur de materia subiecta quantitati, sed de alia materia, quam ipsi Scotistæ vocant hæccitatem. Quid vt ibidem ostendit Capreolus ad 4. & 5. & nos supra: illa Glossa est omninò violenta, & aliena à mente Arist.

Euasio Scoti euertitur.

8 Nec Scotistæ per hanc glossam effugiunt, quod effugere intendunt, nempè se Aristoteli non contradicere, nam manifestè Aristoteli contradicunt. Nam Aristotelis cõclusio est, substantias abstractas non esse multiplicabiles numero, quia non habent materiam, vnde qualiscumque sit ista materia, de qua loquitur Aristoteles, siue sit materia signata quantitate, siue illa ipsorum hæcceitas; verè substantiæ abstractæ nõ sunt multiplicabiles numero: & tamẽ Scotus ideò excogitauit illam hæccitatem, vt in substantiis abstractis, seu in Angelis poneret principium multiplicationis numericæ. Itaque non ambigendum de mente Aristotelis, vt omnis eius interpretes fatentur.

Effugium Scotistarũ præcluditur.

Prima Ratio S. Thomæ, qua sua mens aperitur.

9 EST quoque mens S. Thomæ, nam non solum S. Doctor ex hoc principio affirmatiuõ, nempè, quod vbi est materia, infert, quòd est possibilis multiplicatio numerica, sed etiam ex hoc principio negatiuo: Vbi non est materia, infert: non esse possibilem numericã multiplicationem. Et ita 1. p. q. 41. a. 6. vbi vt probet hanc cõclusionem: In Diuinis est tantum vnus Pater, vnus Filius, vnus Spiritus Sanctus, affert quatuor rationes, quarum primam sumit ex immaterialitate diuina-

Prima Ratio D. Th.

S. Tho. ex principio negatiuo, scilicet, vbi non est materia, infert non posse esse multiplicationẽ numericã.

Digitized by Google

urinarum personarum, & relationum, sic enim habet: *Non posset esse plures Patres, vel plures Filij in Diuinis, nisi essent plures Paternitates, & plures Filiationes. Quod quidem esse non posset, nisi secundum materialem earum distinctionem. Forma enim vnius speciei non multiplicantur, nisi secundū materiam, quæ in Diuinis non est; Vnde in Diuinis non potest esse nisi vna tantum Filiatio subsistens, sicut, & albedo subsistens non potest esse, nisi vna.*

Capreolus. 10 Quam rationem latè defendit Capreolus in 1. dist. 7. q. 2. a. 2. refpondendo ad argumenta Aureoli contra secundam conclusionem. Eandem rationem affert S.Tho. S.Th. ex eodem negatiuo principio, nimirùm, quia in Deo non est materia, ad probandum, quod in Deo non sunt plures essentiæ numero distinctæ, nec plures paternitates, aut filiationes, &c. in 1. dist. 7. q. 2. a. 2. & de Potentia Dei q. 9. a. 9. corp. probat vnam solum esse personam Patris. *Quia vna natura potest in pluribus esse ex æquo propter materiæ diuisionem, quæ in Deo locum non habet. Vnde impossibile est ponere in diuinis, nisi vnam personam innascibilem &c.*

11 Et in solutione ad primum: *Nihil vnum*, inquit, *secundum speciem existens, potest secundum numerum multiplicari, nisi ratione materiæ. Et hac ratione in diuinis, non potest esse, nisi vna essentia, quia diuina essentia est immaterialis omninò. Si autem essent plures filij in diuinis, oporteret etiā esse filiationes plures, & ita oportere ens secundum materiam subiectam multiplicari, quod diuinæ immaterialitati non conuenit.* Et idem reperit pluries in argumentorum solutionibus.

S.Th. Ex eodem principio negatiuo, scil. vbi non est materia, infert Angelos non multiplicari numero. 12 Præterea ex eodē negatiuo principio: quod scilicet, quia in Angelis non est materia, infert esse impossibile dari duos Angelos eiusdem speciei. Vnde 1. p. q. 59. a. 54. *Ea, quæ conueniunt*, inquit, *specie, & differunt numero, conueniunt in forma, sed distinguntur materialiter. Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia, & forma, sequitur, quòd impossibile sit esse duos Angelos vnius speciei.*

13 Idem quæst. vnica de spiritualibus creaturis art. 9. ad 2. Assignat rationem discriminis, quare cum rationales animi sint spirituales substantiæ sicut Angeli; illi possunt multiplicari numero, isti non possunt, & ratione discriminis his verbis assignat. *Angeli sicut non habent materiam, ex qua sunt, ita non habent materiā, in qua sunt: Anima verò habet materiam, in qua est: & ideò Angeli non possunt esse multi in vna specie, sed animæ possunt esse multæ vnius speciei.*

Effugium aduersariorum. 14 Nec valet, quod aliqui respondet, S. Thomam loqui de facto, non de possibili. Nec se moueat, quòd dicat, esse impossibiles duos Angelos eiusdem speciei: Nam *ly impossibile*, non debet accipi pro *impossibili simpliciter*, sicut est *id, quod implicat contradictionem*, sed quod est impossibile spectato ordine naturæ. Non autem quòd Deus de potentia sua absoluta non possit creare duos Angelos eiusdem speciei.

Præcluditur. 15 Non valet, inquam, hæc interpretatio, & expositio, quæ adhibetur testimonijs adductis, & quæ adduci possunt ex S. Thoma, non enim est ad mentem illius. Primum: Quia si materia *ex qua*, vel *in qua* non esset adæquatum principium multiplicationis numericæ de mente S. Doctoris, nō probasset efficacitèr ex immaterialitate diuinæ essentiæ, personarū, & relationū, illas non posse numero multiplicari. Illæ enim sunt simplicitèr numero immultiplicabiles. Si ergo ex immaterialitate probat illas non posse multiplicari, manifestum est, mentem S. Doctoris esse, res immateriales esse simplicitèr numero immultiplicabiles, ac proinde implicare contradictionem res omni materia expertes, seù res, quæ nō sunt receptibiles, nec constant ex partibus, quarū vna sit recipiens, altera recepta, posse numero multiplicari.

Ratio efficax, cur materia sit principium multiplicationis numericæ ex S.Th.

Reponitur secunda ratio D. Thomæ.

16 SEcundò, quia quæst. præcitata de spirit. creat. ar. 8. expressè habet, quod quia Angeli sunt immateriales, est impossibile, non solum dari, sed fingere duos Angelos eiusdem speciei. Nam quærens in illo art. Vtrùm omnes Angeli differant specie ab inuicem? Respondendo ad quæstionem, dicit: hæc subsequentia verba.

Digitized by Google

17 *Circa hanc quæstionem diuersimodà aliqui sunt locuti. Quidam enim dixerũt, quòd omnes spirituales substantiæ sunt vnius speciei: Alij verò, quòd omnes Angeli vnius Hierarchiæ, aut etiam vnius ordinis: Alij verò, quòd omnes Angeli ab inuicem specie differunt, quod & mihi videtur propter tres rationes. Prima sumitur ex conditione substantiæ eorum. Necessè est enim dicere, quod vel sunt formæ simplices subsistentes absque materia, vt supra habitum est, vel quod sint formæ cõpositæ ex materia, & forma. Si autem Angelus est forma simplex abstracta à materia. Impossibile est etiam fingere, quod sint plures Angeli vnius speciei: Quia quacũq; forma quantumcumque materialis, & infima si ponatur abstracta, vel secundum esse, vel secundum intellectum, nõ remanet nisi vna in specie vna. Si enim intelligatur albedo absque omni subiecto subsistens, cũ videamus, quòd hæc albedo non differt ab alia, nisi per hoc, quod est in hoc, vel in illo subiecto, & similiter si esset humanitas abstracta, non esset, nisi vna tantum.* Quòd intellige de abstractione Platonica, vt supra sæpiùs declarauimus. Nimirùm de abstractione, qua aliqua forma nec est in subiecto, nec apta est recipi in subiecto; deinde statim S. Doctor subdit, quæ sequuntur.

18 *Si verò Angelus sit substantia ex materia, & forma compositus, necesse est dicere, quòd materiæ diuersorum Angelorum sunt aliquo modo distinctæ. Distinctio autem materiæ à materia non inuenitur, nisi duplex. Vna secundum propriam rationem materiæ, & hæc est secundum latitudinem ad diuersos actus. Cum enim materia secũdum propriam rationem sit in potentia, potentia autem ad actum dicitur, necesse est, quòd secundum ordinem actuum attendatur distinctio in potentijs, & materijs, & hoc modo materia inferiorum corporum, quod est potentia ad esse, differat à materia cælestium corporum, quæ est potentia ad vbi. Secunda distinctio materiæ est secundum diuisionem quantitatis, prout materia existens sub his dimẽsionibus distinguitur ab ea, quæ est sub alijs dimensionibus: & prima quidem materiæ distinctio facit diuersitatem secundum genus. Quia secundum Philosophum 5. met. t. 35. Genera differunt secundum materiam diuersã. Secunda autem distinctio materiæ facit diuersitatem Indiuiduorum in eadem specie. Hæc autem secunda distinctio materiæ non potest esse in diuersis Angelis, cum Angeli sint incorporei, & omninò absque dimensionibus quantitatiuis. Relinquitur ergo, quòd si sint plures Angeli compositi ex materia, & forma, quod sit in eis distinctio materiarum secundum primum modũ, & ita sequitur, quòd non solum specie, sed & genere differunt.*

19 Placuit totum referre discursum S. Doctoris, quem adhibet in hac sua prima ratione, vt perspicua appareat mens illius circa hanc materiam, quòd S. Thomas sentit simplicitèr esse impossibiles plures Angelos sub eadem specie solo numero inter se distinctos, ac proindè implicare contradictionem. Quia Angeli sine dubio nõ sunt formæ receptibiles in aliquo subiecto: Cum sint substantiæ cõpletæ, & vi suæ naturæ subsistentes. Ergo ex hac parte sũt omninò immateriales immaterialitate excludente materiam *in qua*, vt est subiectum. Et hoc supponit S. Tho. in prædicta ratione, quia de hoc nec est, nec potest esse dubitatio apud Theologos, & ex hac parte, vt vidimus supra art. 9. ad 2. assignauit discrimen inter Angelos, & rationales animos, quod isti sunt formæ suo modo receptibiles, illi omni modo irreceptibiles, & penitùs ex hac parte immateriales. Vnde si Angelis concedenda esset materia, illa foret materia *ex qua*. S. Tho.

20 Hoc supposito sic arguit S. Doctor. Vel Angeli sunt omninò immateriales, & formæ simplices, vti reuera sũt; & ex hoc infert S. Thomas non solum esse impossibile dari duos Angelos eiusdem speciei, *sed neque fingi*, ex quo patet, quod non solum loquitur S. Doctor, *de impossibilitate naturaliter*, sed *impossibilitate inuoluente contradictionem*. Nam *multa impossibilia*, etiam, *quæ implicant contradictionem, fingere possumus*. Argumentatur S Th. vno dilemmate, cuius prima pars ostenditur.

21 Vnde cum dicat S. Thomas duos Angelos eiusdem speciei *veros, vel fictos esse impossibiles*, manifestè declarat mentem suam, *scilicèt implicare contradictionem* S. Th.

nem

nem Angelos esse immateriales,& numero multiplicabiles. Existimare enim videtur, quod sicut ad immaterialitatem Angelicam sequitur incorruptio,vt probat 1.p.q.50.a.5. ita ar. 4.præcedenti,ex immaterialitate Angelica probat numericam immultiplicationem. Vnde sicut implicat cõtradictionem Angelos esse immateriales, & esse corruptibiles, ita Angelos esse immateriales, & numero multiplicabiles.

Duo Angeli eiusdem speciei veri, vel ficti, sunt impossibiles.

22 Sin autem dixeris Angelos esse substantias compositas ex materia, & forma. Certè materia componens Angelos non potest esse materia corporea, quæ est radix quantitatis, cum Angeli sint incorporei: ergo illa esset materia spiritualis: Vnde materia vnius Angeli esset distincta à materia alterius Angeli,non vt est diuisibilis modo quantitatiuo,& homogeneo, sed esset distincta in ratione potentiæ, quomodo poscit Philosophus distingui materiam elementorũ à cælesti. Sed ista distinctio materiæ tantum abest, vt sit principium distinctionis numericæ sub eadem specie, quod priùs est principium distinctionis genericæ. Sicut differunt genere corpora corruptibilia, & incorruptibilia. Ergo de mente S. Tho. ex hoc, quod Angeli sunt immateriales, vel immaterialitate excludente omnem materiam *in qua*,siue corpoream,siue incorpoream, vel immaterialitate excludente materiam corpoream, implicare contradictionem esse sub eadem specie numero multiplicabiles, quia non habent principium numericæ multiplicationis, quæ est multiplicatio materialis,& homogenea.

Secunda pars dilematis demonstratur.

Arist.

Primum Corollarium ex dictis, quo instruimur satis deuiare aliquos Thomistas à mente S. Thomæ asserentes non implicare contradictionem posse Angelos numericè multiplicari, quamuis sint immateriales: Et Diui Thomæ testimonia in eorum fauorem allata enodantur.

23 EX hoc apparet,quàm longè aberrent à mente Sancti Thomæ illi Thomistæ, qui dicunt non implicare contradictionem Angelos, etiam si omninò immateriales, posse multiplicari numero sub eadem specie,ac proinde esse possibiles duos, aut plures Angelos eiusdem speciei tantum numero inter se distinctos.

Coroll.

24 Et multo longiùs recedit à mẽte S. Thomæ Ferrar. qui etiam de facto admittit plures Angelos numero distinctos sub vna infima specie, quia ex locis adductis manifestè constat mentem S Doctoris esse nec de facto, nec de possibili Angelos posse multiplicari numero sub eadem infima specie. Nec testimonia, quæ afferunt ad probãdum oppositum de mẽte S.Thomæ sunt alicuius momenti.

25 Primum enim, & præcipuum testimonium, quod afferunt, est illud, quod refert Capreolus in 2. dist. 3. q.1.a.3.ad 2. Durandi contra 5. conclusionem. Quo vult ostendere Capreolus non esse alienum à mente Sãcti Thomæ asserere plures Angelos solo numero distinctos esse possibiles sub eadem specie de potentia Dei absoluta: & cum S. Thomas dicit id esse totalitèr impossibile, interpretatur Sãctum Thomam, quod est impossibile secundum ordinem rerum nobis cognitum, & exploratum, posset tamen Deus dare rebus alium ordinem, secundum quem posset facere Angelos plures eiusdem speciei.

26 Et quòd iste sensus non discordet multum à mente S. Doctoris probat Capreolus, ex opusc.16. contra Auerroistas,qui probant vnitatem intellectus possibilis,dicentes vnum numero esse intellectum possibilem omnium hominum, quo intelligunt, & sapiunt, nec tot multiplicari numero, quot multiplicãtur numero homines. Talemque intellectum esse quandam substantiam separatam. Contra has inuehitur S. Thomas in illo opusculo. & præcipuè contra quendam Auerroistam pertinacem, vt patet ex fine opusc. Qui cũ Christianus esset, multa indignè de fide sentit in hac materia:& tandem dicit duo incompossibilia,

Capreolus. Primũ Testimonium aduersariorum ex S. Th.

Digitized by Google

lia, nempè, quòd ratio naturalis de necessitate demonstrat intellectum possibilem esse vnum numero omnium hominum, quamuis de fide oppositum sit sentiendum: Sic enim loquitur apud S. Tho. loc. cit. *Per rationē concludo de necessitate, quòd intellectus est vnus numero: firmiter tamen teneo oppositum per fidem.*

27 Hoc dictum optimè redarguit S. Doctor: quia ex eo sequitur, quòd fides sit de falso, & impossibili. *Ergo sentit*, inquit S. Th. *quòd fides sit de aliquibus, quorum contraria de necessitate concludi possunt. Cum autem de necessitate concludi non possit, nisi verū necessarium, cuiuscumque positum est falsum, & impossibile, sequitur secūdum eius dictum, quod fides sit de falso, & impossibili, quod etiam Deus facere non potest: Quod fidelium aures ferre non possunt.*

28 Iste ergo, & alij Auerroistæ putabant se demonstrare, intellectū possibilem esse vnum sensum: hac argumentatione, quia vel intellectus est actus materiæ, & hoc est contra Aristotelem, & veritatem: vel est separatus à materia, & sic non potest numero multiplicari; & eo vsque extendebant hanc, quam putabant demonstrationem, vt hinc inferrent neque de potentia Dei fieri posse, vt intellectus cū sint immateriales, multiplicarentur. Quia inuoluit contradictionem, posse intellectus numero multiplicari. Postquam autem S. Thomas eorum soluit rationes.

28 Ad hoc vltimum respondet §. *Rector autem*, qui est vltimus illius opusc. dicens. *Valdè autem ruditèr argumentantur ad ostendendū, quod Deus facere non possit, quòd sint multi intellectus eiusdem speciei, videntes hoc includere contradictionem. Dato enim, quod non esset de natura intellectus, quod multiplicaretur, non propter hoc oporteret, quòd intellectum multiplicari, includeret contradictionem. Nihil enim prohibet, aliquid non habere in sua natura causam alicuius, quòd tamē habet illud ex alia causa. Sicut graue habet ex sua natura, quòd non sit sursum: tamen graue esse sursum, non includit contradictionem. Sed graue esse sursum, conradictionem inuoluunt. Sic ergo intellectus si naturaliter esset vnus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esset implicatio contradictionis. Quod non dicimus propter propositum, sed magis ne hac argumentandi forma ad alia extēdatur: Sic enim possent concludere, quod Deus non potest facere, quòd mortui resurgant, & quòd caci ad visum reparentur.*

Potest aliquid nō habere in sua natura rem aliquam, quam tamē habet ex alia causa.

29 Ex quo testimonio manifestè constat de mente S. Thomæ non implicare contradictionem, esse multiplicabiles plures numero intellectus, etiā si de facto esset vnus numero intellectus. Dicit enim, *Dato, quod non esset de natura intellectus, quod multiplicaretur, non propter hoc oporteret, quòd intellectum multiplicari, includeret cōtradictionem.*

30 Et vlteriùs: *Intellectus sic esset vnus omniū, quia non haberet naturalē causam multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex superiori causa.*

31 Cæterum istùd testimonium nihil vrget contra sententiam, à nobis supra explicatam de mente Sancti Thomæ. Nihil enim ex isto testimonio potest sumi determinatum de mēte illius. Quiaillam doctrinam tradidit, vt improbaret argumentandi formam. Quia præfati Auerroistæ tàm pertinaciter sectantes suum Auerroē, videntur credidisse: Deum non posse facere aliquid supra naturam, sed Virtutem Diuinam esse alligatam, & solū determinatam ad opera naturæ: ita vt quidquid naturaliter fieri non potest, neque aliter fieri posse credebant, & si aliquid naturaliter est impossibile, & implicat naturaliter contradictionem, simpliciter esse impossibile, & similitèr contradictionem inuoluere, reputabant, hæc enim fuit sententia omnium Arabum, Auic. Algazelis, Auerrois,

Enodatur primum testimonium S. Tho. ab aduersarijs allatum.

Digitized by Google

rois, & aliorum. Vndè, quia non poterant negare miracula, & prophetias, quæ in libris authenticis Christianorum perleguntur. Auicennas, & alij conati sunt miracula, & prophetias reducere ad dispositiones naturales. Vt etiam Arist. 32. sect. probl. reducit prophetiam ad humorem melancolicum, quod sinè dubio ridiculum est.

Arist.

32 Voluit ergo S. Tho. reprehendere istos Auerroistas, qui cum suo Auerroe duo dixisse videntur: primù, quòd intellectus possibilis esset vnus, ab immaterialitate intellectus desumpta ratione: secundum, quod neque de potentia Dei sit possibile multiplicari numero, eo quod implicat contradictionem; credebant autem omne id implicare contradictionem, & à Deo fieri non posse, quod naturalitèr fieri non potest, & ideò meritò reprehenduntur à S. Thoma.

S.Th.

33 Et quòd hæc sit mens S. Thomæ, patet primò ex admisso. Dato enim inquit, quod esset de facto vnus omnium intellectus, non propterea ex hoc præcisè sequitur, Deum non posse plures intellectus numero multiplicare. Sicut valdè ruditèr quis argueret, si diceret: De facto datur vnus numero Sol, vna numero Luna: ergo implicat contradictionem esse plures Soles, plures Lunas. Quia licèt Sol ex sua natura nõ habet vndè multiplicetur numero, potest tamen Deus plures Soles sub specie Solis procreare.

34 Vnde patet, quòd S. Thomas postquam directè soluit eorum argumentum, vt ibidem apparet, & infra videbimus: Improbat istud particulare: nempè, quòd non rectè sequitur aliquid est impossibile per naturam: ergo est simpliciter impossibile. Vnde subdit, *Sic ergo intellectus si NATVRALITER esset vnus omnium, quia non haberet NATVRALEM causam multiplicationis: posset tamen sortiri multiplicationẽ ex supernaturali causa: nec esset implicatio contradictionis.*

35 Patet secundò, & magis perspicuè ex verbis, quæ immediatè subnectit. *Quod non tantum dicimus propter propositum, sed magis nè hæc argumentandi forma ad alia extendatur, sic enim possent concludere, quod Deus non potest facere, quòd mortui resurgant, & quòd cæci ad visum reparentur.* Ex quibus verbis manifestè apparet, quod illi sentiebant cum Auerroe, non posse Deum facere sua absoluta potentia, quidquid naturalem causam non habet, seù naturalitèr fieri non potest, & quod fieri naturalitèr est impossibile, esse simpliciter impossibile, & implicare contradictionem.

36 Sed dices: Auerroistæ ex immaterialitate intellectus inferebant intellectum non posse numerò multiplicari. Vt apparet ex ipsorum ratione: & sic arguitur: Vel immaterialitas essentialitèr excludit numericam multiplicationem, vel solum naturalitèr. Si solum naturalitèr: ergo de mente S. Doctoris habetur intentum, quòd substantiæ immateriales solũ naturalitèr non possunt multiplicari numerò, possunt tamen diuinitùs, sicut naturalitèr non possunt esse plures numero Soles, possunt tamen supernaturaliter. Si essentialitèr, ergo malè reprehenduntur à S. Th. & ruditatis arguũtur, cum dicunt implicare contradictionem, & esse etiam diuina potentia impossibile plures numero intellectus multiplicari. Quia quod est contra essentialia principia implicat contradictionem, & est simpliciter impossibile, ac proindè non includuntur in obiecto Diuinæ Omnipotentiæ.

Replica aduersariorũ.

37 Sed ad hanc instantiam facilè respondetur ex doctrina eiusdem Sancti Doctoris, quam in prædicta solutione ad primũ argumẽtum Auerroistarũ tradidit. Quòd dupliciter possumus loqui de immaterialitate intellectus, vel possumus loqui de immaterialitate intellectus accidentalis, vel de immaterialitate intellectus substãtialis. Intellectus enim duplex est, alter accidentalis, & est ipsa potentia intellectiua, alter substantialis, & est ipsa substantia intellectualis, cui inest intellectus.

Respondet.

Duplex est intellectus, alter substãtialis, alter accidẽtalis, & quinam sint?

38 In-

38 Intellectus ergo accidentalis siuè humanus, siuè Angelicus est immaterialis, quia neuter est affixus organo materiali, & ideò ex se non habet causam suæ numericæ multiplicationis, quamuis habere possit aliunde, & propterea dixit S. Thomas: *Dato, quòd non esset de natura intellectus, quod multiplicaretur, non propter hoc oporteret, quod intellectus multiplicari includeret contradictionem. Nihil enim prohibet aliquid non habere in sua natura causam alicuius, quod tamen habet illud ex alia causa.*

39 Itaque ex immaterialitate ipsarum potentiarum intellectiuarum præcisè non habetur causa multiplicationis numericæ ipsorum intellectuum: quia nec in homine, nec in Angelo sunt potentiæ affixæ organo materiali: Sed non propterea sequitur, quod aliundè habere non possit, quia possunt habere ex parte intellectus substantialis, in quantum in sua intellectiua substantia, cui inest intellectus, potest numero multiplicari ad multiplicationem materiæ, sicut animæ rationales multiplicantur numero ad multiplicationem corporum, & ideò immaterialitas ab intellectibus humanis non excludit totalitèr multiplicationem. Quia licèt ipsi intellectus non sint actus materiæ: tamen substantia, cui insunt, est actus materiæ, & multiplicatur ad multiplicationē materiæ.

Intellectus hominis nō ratione sui, sed ad multiplicat. animæ cui inest, multiplicatio numericæ.

40 Hoc autem non potest extendi ad intellectus Angelicos. Quia nec ipsi intellectus, nec substantiæ, quibus insunt, sunt actus materiæ, & ideò licèt simpliciter ex immaterialitate intellectuum non inferatur implicantia contradictionis, quod possint multiplicari numero, tamē ex illa immaterialitate intellectus, & substantiæ intellectualis optimè infertur contradictionis implicantia.

Intellectus Angelicus nequit numericè multiplicari, cū substant. Angel. cui inest, non possit num. multiplicari.

41 S. Thomas ergo, quando dicit, quod etiam si ex parte intellectus non adsit causa multiplicationis, tamen ex hoc non sequitur implicare contradictionem posse multiplicari. Loquitur de intellectu, vt abstrahit ab Angelico, & humano. Quia etsi intellectus cum non sit affixus organo materiali, non sit multiplicabilis per materiam. Attamen ex hac immaterialitate non excluditur, quin ratione substantiæ multiplicari possit, & sic multiplicantur numero intellectus humani per materiam, scilicèt propter animas, quibus insident. At in locis supra citatis pro ipsius sententia, loquitur speciatim de intellectibus Angelicis, seù potiùs de Angelorum substantijs, quia prædictæ substantiæ nec habent materiam *ex qua*, nec *in qua*, & ideò habent intrinsecam, & essentialē repugnantiam ad multiplicationem.

S. Th.

42 Et est similis responsio ad hoc Auerroistarum argumentum, quo respondetur ad aliud principiū Auerroisticum, in quo fundatur tota hæc sententia Auerrois, quàm isti sectantur, de vnitate intellectus possibilis. Qui secundum Auerroem, implicat contradictionem, quod forma spiritualis possit informare materiam, & vniri cum illa in vnitate essendi, ex quo inferebat Auerroes, sed forma intellectiua est forma spiritualis: ergo implicat, quod talis forma possit informare materiam, ac proindè possit multiplicari ad multiplicationem materiæ, & consequentèr vnus numero debet esse intellectus omniū hominū.

Principiū, seu argum. Auerrois.

43 Ad hoc argumentum respondemus nos Christiani, & Catholici, negando maiorem, prout forma spiritualis abstrahit ab anima rationali, & ab Angelica substantia. Quia nimirùm ex præcisa spiritualitate non sequitur implicantia. At si sermo sit de tali forma spirituali, qualis est substantia Angelica, quæ est omninò spiritualis nullum habens ordinem ad materiam *ex qua*, nec *in qua*, implicat contradictionem. Ita similitèr licèt ex immaterialitate intellectuum præcisè sūpta non sequatur implicantia contradictionis, quod intellectus possint multiplicari numero, attamen ex immaterialitate talis intellectus benè sequitur implicantia contradictionis. Quia aliquibus intellectus, nec immedia-

Dissolutur tale principium.

Ex immaterialitate intellectuū præcisè non sequitur implicatio cōtradictionis cos posse multiplicari numericè.

Digitized by Google

diatè, nèc mediatè dicit ordinem ad materiam, ideſt, nec ratione ſui, nec ratione ſubſtantiæ, cui ineſt. Qualis eſt intellectus Angelicus; cum nec ipſe ſit actus materiæ, nec ſubſtantia, cui ineſt; & ideò reſpectu iſtius ex immaterialitate ſequitur implicantia cõtradictionis: At intellectus, qui ſaltem habet mediatum ordinem ad materiam, vt eſt intellectus humanus, ratione formæ, cui ineſt, ſcilicèt animæ rationalis, quæ eſt actus corporis phyſici, & organici, non ſolum non implicat contradictionem, ſed de facto multiplicatur.

S. Th. 44 Et idcò S. Tho. loquens de immaterialitate intellectus, vt abſtrahit ab humano, & Angelico, benè dicit nõ implicare contradictionem. Dicit tamen implicare contradictionem loquendo de immaterialitate talis intellectus, nempè cuius ſubſtantia, cui ineſt, nec habet materiam *ex qua*, neq; *in qua*. Quia in his ſubſtantijs, vt benè dixit de ſpiritualib. creaturis art. 8. ſupra citato, nec fingi poſſunt duo indiuidua eiuſdem ſpeciei.

Effugium aduerſariorum. 45 Nec valet, quòd dicunt aduerſarij ex Capreolo, quando S. Thomas dicit eſſe penitùs impoſſibile dari duos Angelos eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero inter ſe diſtinctos. Quòd loquitur S. Doctor eſſe impoſſibile ſecundũ ordinem rerum nobis cognitum, non verò ſecundum alium rerum ordinem, quo poſſit Deus res ordinare.

Præcluditur. 46 Nam vèl loquimur de Angelis proùt nunc ſunt formæ ſimplices, & immateriales, hoc eſt nec habẽtes materiam corpoream, nec ad illam ordinem habẽtes. Vel loquimur de alio genere Angelorum, hoc eſt, an Deus poſſit creare Angelos diuerſi generis, & naturæ: ſicut quæri ſolet, an Deus poſſit creare aliã naturam rationalem, conſtantem, ſcilicet ex materia, & forma, & ratione prædita, differentem tamen ſpecie à natura humana: Si loquimur hoc poſteriori modo, quæſtio non eſt ad propoſitum, ſed eſt alterius indaginis, & quidquid ſit de hóc quæſito, tranſeat.

47 Vel loquimur in priori ſenſu, & dico, quod ſi illa interpretatio admittitur, paritèr dici poſſet, quamuis de facto Angelus ſecundum ordinem præſentem nobis cognitum non poſſit eſſe forma corporis, viuificans illud, cum ſecundùm alium ordinem, quo poſſet Deus res ordinare, poſsit Angelus eſſe forma informans, & viuificans corpus.

48 Et ſi dixeris hoc implicare cõtradictionem, quia Angelus dicit naturam, & ſubſtantiam completam, forma verò corporis dicit eſſe ſubſtantiã incompletam. Implicat autem ſub eodem genere aliquid eſſe ſubſtantiam completam, & incompletam, & ideò in nullo ordine poſsibili eſſe, aut intelligi poteſt, Angelum eſſe formam informantem. Ita etiam dico ego de mẽte S. Thomæ, ſi intelligatur quid ſit Angelus, nempè ſubſtantia purè ſpiritualis, & ſi intelligatur, quid ſit multiplicatio numerica, quod eſt multiplicatio homogenea, & materialis, in nullo ordine ſiuè cognito, ſiuè ignoto poſſunt ſub eadem ſpecie plures Angeli multiplicari numero.

Implicat cõtradict. nẽ aliquid ſub eodem genere eſſe ſubſtantiam completã, & incõpletam.

49 Nam ex ipſis terminis habetur implicantia, vt probat ratio S. Thomæ. Quia ſi duo Angeli diſtinguuntur numero inter ſe, deberent habere principia diſtinguendi. Hæc autem principia, aut eſsent formalia (& dico formalia, non formarum, vt malè interpretatur Scotus, de quo infra) ideſt, aut eſſent principia formalitèr primo diuerſa, & ſic natura diuiſa non eſſet ſpecies, ſed genus, & ipſi Angeli non differrent numero, ſed ſpecie: quia natura diuiſa per differentias ſeipſis primo diuerſas diuerſificantur reipſa, & ſic membra diuidentia eſsent diuerſa inter ſe, nullam habentia inter ſe cõuenientiam, vt ſunt membra diuidentia, ſed ſolum conuenirent in natura diuiſa, quod eſt contra rationem multiplicationis numericæ, & proprium multiplicationis ſpecificæ, vel eſſent principia diuidentia materialitèr, & iſta principia non poſſunt eſſe alia, quàm vèl materia *ex qua*, vel *in qua*.

Scotus.

Diuiſio numerica cum ſit materialis, non poteſt oriri niſi ex materia *in qua*, vel *ex qua*.

Digitized by Google

Non enim materialis diuisio, qualis est numerica potest oriri, nisi ex materialibus principijs; ergo in quouis ordine disponerentur Angeli siuè noto, siuè ignoto, nullo modo possunt numero multiplicari.

50 Nec illam interpretationem adhibuit Capreolus ex determinata sententia: Quia vt apparet ex his, quæ dicit ad argumenta Scoti, Durandi, Henrici, & aliorum contra 5. concluſ. semper intelligit, & defendit sententiã Sancti Doctoris in eo statu, quo à nobis supra explicata est. Solet enim Capreolus ad labefactãdã vim argumenti, sæpiùs adhibere plures respondendi modos, quamuis eos ipse nõ sequatur, nec illos determinet de propria sententia.

Secundum Testimonium D. Th. allatum ab aduersarijs, & eius responsio.

51 SEcũdum testimonium principale, quòd afferũt aduersarij ad probandum de mente S. Thomæ Angelos esse numero multiplicabiles sub eadem infima specie, desumunt ex 1. sent. dist. 34. q. 1. art. 1. Vbi quærens: An suppositum, & essentia in diuinis sint idem? quæritq; de identitate reali. Et ad quæstionem respondens, hæc habet: *Persona, & essentia omninò re in diuinis non distinguuntur. In illis enim, in quibus aliud est essentia, quàm hypostasis, vel suppositum, oportet, quòd sit aliquid materiale, per quòd natura communis indiuiduetur, & determinetur ad hoc singulare. Vndè illam determinationem materiæ, vel alicuius, quod loco materiæ se habet, addit in creaturis hypostasis supra essentiam, & naturã. Vnde non omninò esse in creaturis idem sunt. In Deo autem non est natura ipsius subsistens per aliquod, ad quod determinatur sicut per materiam, sed per seipsam est subsistẽs, & ipsum suum esse subsistens est. Vnde natura est ipsum, quod subsistit, & esse, in quo subsistit. Et propter hoc in Deo omninò idem est, quo est, & qui est. Vnde oportet, quòd omninò idem sint re essentia, & persona.*

Secundum Testimonium S. Th.

52 Hoc testimonium tanquam insigne affert Bubalus in suo opere de Angelis 1. p. q. 50. a. 4. quæst. 1. difficultate 2. §. 2. & tanquam ad hanc rem à se primò ponderatum putat efficacitèr conuincere de mente S. Doctoris Angelos esse multiplicabiles numero sub eadem infima specie, non secus, ac materiales substantiæ. Idque euidenter colligi hoc syllogismo indubitantèr existimat. Omnis natura, in qua aliud est essentia, & aliud hypostasis, vel suppositum, est multiplicabilis in plura numero indiuidua sub eadem specie. Sed omnis natura creata etiã Angelica est huiusmodi. Ergo omnis natura creata etiã Angelica est multiplicabilis in plura numero indiuidua sub eadem specie.

Bubali arg.

53 Probat vtramque præmissam ex præallegato testimonio S. Thomæ, & quidem maiorem probet ex illis verbis, in quibus docet S. Doctor, *quòd in illis, in quibus aliud est essentia, quam hypostasis, vel suppositũ, oportet, quòd sit aliquid materiale, per quod natura communis indiuiduetur, & determinetur ad hoc singulare.* Igitur in illis rebus, in quibus aliud est essentia, aliud suppositum, natura ipsa seù essentia est quid commune: & per aliquid materiale indiuiduatur, & determinatur; ergo de se natura est communis, & pluribus communicabilis de mente S. Thomæ, & per aliquid aliud determinatur ad hoc indiuiduum, quod idẽ est, ac indiuiduari. Et ita vera maior, nimirùm, omnis natura, &c.

Bubalus maior sic argumenti probat ex præallato testimonio D. Th.

54 Nec refert, quòd dicat S. Thomas id, per quod natura communis determinatur, & indiuiduatur, esse materiam: Quod in Angelis non inuenitur, Quia ad hanc obiectionem tacitè respondet ipse S. Th. dicens: hanc determinationem fieri per materiam, vel per aliquid, quod se habet loco materiæ. Vt sic propositio sit generalis omnibus naturis creatis, tàm materialibus, quàm immaterialibus. Igitur omnis natura creata de se communis est, & consequentèr in pluribus multiplicabilis per materiam, vel per aliquid, quòd se habet loco materiæ, nempè

Obiectio, & eius enodatio.

Digitized by Google

nempè per ipsam suppositationem, per quam determinatur, & indiuiduatur ad hoc numero singulare, & sic patet maior.

Minor sui argumenti etiam probet Bubalus ex testim. D.Th.

55 Minor etiam perspicuè traditur ibidem à S.Th. cum dicit *vndè non omnia ista*, scilicèt natura, & suppositum, *in creaturis idem sunt*, & patet ex consequentia, quam infert. Quia in solo Deo est idem secũdum rem suppositum, & natura: volens, quòd in omni indiuiduo creato, siuè materiali, siuè spirituali, aliud sit suppositum, & aliud natura, & quod suppositum addit aliquid ad naturam. Liquet ergo etiã minor de mente S. Thomæ; conclusio autèm ex præmissis sequitur euidenter. Igitur de mente S. Th. omnis essentia, & natura creata est multiplicabilis numero intrà eandem speciem infimam comprehensa.

Respondetur ad secũdum testimonium S.Th. allatũ ab aduersarijs.

56 Verum hoc allatum testimoniũ non probat intentum, & ad argumentum in forma propositum, in forma respondetur, negando Maiorem, nil enim minus est de mente S. Doctoris, quàm illa assumpta propositio, & ex illis verbis S.Thomæ nullatenùs probatur.

Animaduersio primo sensu genuino S.Th.

57 Vt autem intelligatur germanus sensus S. Thomæ in verbis pro probatione adductis, recolendum est id, quod diximus suprà. Quòd indiuiduum in genere substantiæ potest accipi duplicitèr: Vno modo pro præcisa natura singulari, sicùt humanitas Christi Domini assumpta à Verbo Diuino. Alio modo pro supposito habẽte singularem naturam. Et ideò in definitione personæ, quæ est speciale suppositum ponitur indiuidua substãtia. Cum dicitur, quòd persona est rationalis natura indiuidua substantia, in qua definitione ly *indiuidua* nõ significat substantiam quomodocumq; indiuiduam, alioquin Verbum assumẽdo indiuiduam naturam humanam, quæ sinè dubio est indiuidua substantia, assumpsisset humanam personam, quod est hæreticum. Igitur ly indiuidua substantia sumitur pro indiuiduo completo, quod est suppositum, & ideò etiam si in Christo sit duplex singularis natura, non tamen Christus dicitur duo indiuidua, sed vnum indiuiduum propter vnitatem suppositi.

Indiuiduũ in genere substantiæ potest accipi dupliciter.

58 Vndè quando in verbis præallegatis dicit S. Doctor, quod in illis, in quibus aliud est essentia, quam hypostasis, vel suppositum, oportet, quod sit aliquid materiale, per quod natura communis indiuiduetur, & determinetur ad hoc singulare; non loquitur de quacumque indiuiduatione, & determinatione. Alioquin dicendum foret, quòd humanitas Christi Domini indiuiduaretur per suppositum diuinum, quod nullus Catholicorum dicit, & hoc videtur fuisse fundamentũ Armenorum ponẽtium in Christo naturarum permixtionem. Quia si suppositum est principium propriè indiuiduationis, cum suppositum diuinum in Christo sit vnum, non posset simùl indiuiduare duas naturas, quia hoc modo esset principium vnitatis, & multiplicationis, vt suprà de subiecto accidentium dicebamus; ergo vt sit principium indiuiduãs vnam naturam, ex diuinæ, & humanæ naturæ permixtione, facta esset vna natura. Itaque nec de mente S. Thomæ, nec secundum veritatem id, quod addit suppositum naturæ, est principium primariæ indiuiduationis alicuius naturæ. Sed est principium indiuiduationis completiuum, vt dictum est. S.Th.

Id, quod addit suppositum ipsi naturę non est principium primariæ indiuiduationis, naturæ, sed solum cõpletiuè.

59 Nec te moueat, quòd D. Thomas naturam appellat communem: Quia non loquitur S. Thomas de illa communitate vniuersali, qua aliqua natura est apta esse in pluribus. Sed loquitur de illa communitate, quam intelligitur habere natura antecedentèr priusquam intelligatur esse in hoc, vel illo determinato supposito. Sicut si humanitas Christi Domini antequã assumeretur à verbo, fuisset creata præcisa ab omni supposito; sine dubio illa fuisset singularis in sua entitate, sicuti modo est. Attamèn in illo statu adhùc esset communis, & indeterminata ad hoc, vel illud suppositũ, humanum, vel diuinum. Quamuis

Obiectio, & eius enodatio.

Digitized by Google

enim ex increata inclinatione appeteret proprium ſuppoſitum, ab hac tamẽ inclinatione non eſſet vltimò, & ſufficientèr determinata, & vt ait Sanctus Doctor indiuiduata. Sed per actualem additionem ſuppoſitalitatis, eius communitas, ſeu indeterminatio ad ſubſiſtẽdum in hoc, vel in illo ſuppoſito vltimo determinatur, & fit omni alij ſuppoſito incommunicabilis.

60 Vnde ſuppoſitalitas non aufert à natura illam communitatem, & cõmunicabilitatem, quam natura vniuerſalis habet, vt ſit in pluribus inferioribus, quia aliundè natura amittit hanc communitatem, vel propter materiam, vt dictum eſt in naturis materialibus: Vel ex ſua immaterialitate, vt in Angelis. Sed ſuppoſitalitas aufert à natura alioqui ſingulari illam communitatem, & communicabilitatem, quam habet ad ſubſiſtendum in hoc, vel in illo ſuppoſito. Quomodo ſupra diximus, de formis accidentalibus, quod per actualem inhærentiam ad ſubiectum, earum indiuiduatio completur. Nam ſi daretur aliqua forma accidentalis ſeparata à ſubiecto, eſſet quidem ſingularis, ſed vt ſic exiſtens intelligeretur cum indifferentia ad inhærẽdum huic, vel illi ſubiecto, vel vi naturæ, vt aliqui volunt, vel vi diuina. Sed poſtquam inhæreret actu indeterminato ſubiecto, iam eius indifferentia determinaretur, & nõ poſſet tranſire de ſubiecto in ſubiectum; ſic igitur patet proprius, & germanus ſenſus S. Thomæ, & quod decepti sũt aduerſarij ex æquiuocatione terminorum, non ponderantes mẽtem, & ſenſum verborum Angelici Doctoris.

Suppoſitalitas aufert à natura, à ioqui ſingulari, cõmunicabilitatẽ, quã habet ad ſubſiſtendũ in hoc, vel in illo ſuppoſito.

Reponuntur aliqua notatu digna ad complementum doctrinæ, & pro maiori explicatione teſtimonij D. Thomæ.

61 SED ad complemẽtum doctrinæ, & pro maiori explicatione teſtimonij S. Doctoris. Inquirit aliquis, quarè S. Thomas appellat materiam, vel aliquid ſe habens per modum materiæ, vel eſſe aliquid materiale id, quod addit ſuppoſitum naturæ, cum potiùs ipſa natura ſe habeat, vt quid materiale, & id, quod additur ſe habeat, vt quid formale, & actuale, nam id, quod additur ſemper habet rationem formæ, & actus, maximè ſi ſit quid determinans. Id vero, cui additur, & quod determinatur, ſe habet vt materia, & ſubiectum.

62 Huic quæſito facilè, & breuitèr reſpondetur, quòd quidem id, quod addit ſuppoſitum ſupra naturã ſecundum vnam conſiderationem ſe habet, vt actus, & vt quid formale: ſecũdum aliam rationem verò ſe habet, vt quid materiale. Suppoſitum enim addit naturæ, primum ipſam ſuppoſitalitatem, ſeu ſubſiſtentiam, tanquam modum ſubſtantialem ipſius, per quã natura vltimò determinatur, & fit vltimò incommunicabilis, ex qua ſubſiſtentia, & natura conſtituitur compoſitum, quod dicitur ſuppoſitum, ſeu prima ſubſtantia, & deinde ſuppoſitũ addit naturæ accidentia, quæ prædicantur de prima ſubſtantia, & etiam operationes, quia actiones ſunt ſuppoſitorum.

63 Si verò cõſideretur præciſa ſubſiſtẽtia reſpectu naturæ, ſubſiſtentia ſe habet vt quid formale. Quia eſt formalis terminus terminãs naturã. At ſi cõſideretur ipſa natura comparata ad totum compoſitum, quatenùs ipſa natura diſtinguitur à toto, ſicut incluſum ab includente, ſic natura ſe habet, vt forma, & totum ſe habet vt ſubiectũ. Nam totum compoſitum ſignificat habens naturam, & natura ſignificatur, vt id, quod habetur. Homo enim ſignificat, id, quod habet naturam humanam: Sed humanitas ſignificat ipſã naturam humanã, qua formaliter cõſtituitur, & denominatur homo.

Subſiſtentia præciſa ſe habet, vt quid formale reſpectu naturæ: at natura vt diſtincta à toto compoſito, reſpectu huius ſe habet ut forma.

64 Et propterea dixit Philoſophus, c. de ſubſtantia in prædicamentis, quòd ſecundæ ſubſtantiæ prædicantur de primis *in quale quid*, hoc eſt *tanquam forma in concreto*, ſicut albũ ſignificat albedinem in concreto, prout ſubſiſtit in pariete, & ideò totum

Ariſtot.

Digitized by Google

totum ſuppoſitum, de quo prædicatur natura in concreto ſe habet, quaſi ſubiectum ad formam. Quia ſe habet, vt recipiẽs naturam, & ſubſtentãs illam, reddenſque ſubſiſtentem, & ideò propriè non dicitur ſubiectum, ſed ſuppoſitum, hoc eſt, ſub poſitum: ideſt poſitũ ſub natura, quaſi ſubſtentans illam, reddẽsque erectam in ſe, & per ſe ſtãtem. Sicut lignũ ſubſtentat vitem, reddítque illam per ſe erectam, & in ſe ſtantem. Et hac phraſi vſus eſt Apoſtolus, cum vtramque naturam diuinam, & humanam reſpectu eiuſdem verbi ſuppoſiti formas appellauit, quando loquens de Verbo diuino, ait: cum in forma Dei eſſet, formam ſerui accepit.

65 Itaque iuxta hanc conſiderationem natura ad ſuppoſitum comparatur vt forma, & vt ſuppoſitum includit aliquid, vt ſubſtẽtãs naturam, ſe habet vt materiale, & hæc eſt illa compoſitio, quam Philoſophus, & S. Thomas dicũt, quod in rebus creatis inuenitur compoſitio *ex quo eſt, & quod eſt*. Seù ex natura, & ſuppoſitio.

66 Et ideò loco ſupra cit. in 1. diſt. 34. q. 1. a. 1. poſtquam probauit S. Th. quod in Deo non diſtinguitur realitèr perſona, & eſſentia, concludit dicens: *Et propter hoc in Deo omninò idem eſt, quo eſt, & quod eſt*. Nimirùm idem ſecundum rem eſt natura, & ſuppoſitum, & in ſolutione ad 3. dicit, quòd in diuinis propriè non eſt ſuppoſitum, & ſubſtantia. Quia in diuinis non eſt vnum realitèr ſub alio, non enim eſt ibi nec aliquid ſuppoſitum naturæ, nec aliquid ſubſtẽtãs accidẽtia, quod propriè ſignificat nomen ſuppoſiti, & ſubſtantiæ, ſed vrimur his nominibus in diuinis pro modulo noſtro intelligendi, cũ non habemus propria nomina, quæ res diuinas vt in ſe ſunt ſignificare poſſint. *Non eſt*, inquit, *in diuinis, aliquid ſub alio, & ideò Aug. non recipit nomen ſubſtantia in diuinis. Et etiam Riccardus de S. Victore nomen ſubſiſtentia in nomen exiſtentiæ mutauit. Vnde etiam nec propriè ibi ſuppoſitum dicitur, vt ſuppoſitio ad rem referatur. Sed vtimur talibus nominibus ſecundũ intellectum noſtrũ, qui accipit in diuinis aliquid reſpondens illis duobus in creaturis. Quoniam vnũ alteri ſupponitur. Sicut res per ſe exiſtens ſupponitur formæ communi ſimplici, & intellectus accipit aliquid ſimpliciter in Deo, quod reſpondet formæ, & aliquid ſubſiſtens. Quod idem eſt re, cum ſimplici, & ideò rem ſubſiſtentẽ in diuinis nominat ſuppoſitum naturæ ſimplicis.*

S. Tho.

S. Aug.

Riccardus de S. Victore.

67 Quomodo autèm intelligendus ſit S. Th. quando in præallegato teſtimonio, & alijs locis dicit, quod in ſolo Deo eſt idẽ *quo eſt*, & *quod eſt*. Seù eſt idẽ *ſuppoſitum*, & *natura*: & ex aduerſo pluribus alijs in locis dicit, quod in Angelis eſt idem ſuppoſitum, & natura, & ſolum hæc duo in rebus materialibus diſtinguuntur. Vide Bergomenſem in concordantijs locorum S. Thomæ, qui mouet hanc dubitationem dub. 1081. 417. & diffusè explicat dub. 114.

Quis ſis ſẽſus S. Tho. cũ dicit in ſolo Deo eſſe idẽ quo eſt, & quod eſt. Et in in Angelis eſſe idem ſuppoſitum, & Natura.

Secundum Corollarium, quo ſententia S. Thomæ vindicatur ab omni calumnia, & cenſura, qua notari ſolet ab aduerſarijs.

68 REducendo igitur ad noſtrum inſtitutum, ponderatis, & expenſis hinc, indè teſtimonijs S. Tho. manifeſtè cõſtat de mente illius in ſubſtantijs ab omni materia abſtractis, quæ ſcilicet non habẽt materiam *ex qua*, neque *in qua*: ſeu quarum eſſentia nec eſt receptibilis in aliqua materia, nec includit in ſe formam in materia receptam, non poſſe illarum eſſentiam multiplicari numero ſub eadem infima ſpecie, ſed id inuoluere contradictionis impliçantiã. Hæc autem ſententia S. Thomæ nobis propugnanda eſt, & defendenda contra impetus aduerſariorum, primòque de facto, poſtea de poſſibili: Sed antequam eam defendamus ab aduerſariorum argumentis, quæ vt verum fateor, potiùs mihi vociferationes vidẽtur,

1. Coroll.

Digitized by Google

tur, quã neruosę rationes, quoniã quas efficaciores putãt, aut petũt principiũ, assumentes id, quod est probandum pro probato principio, vt infrà videbimus, aut dilucidè satis diluerit Sanctus Doctor. Priusquam ab argumẽtis, inquam, eam defendamus, vindicanda est ab omni calumnia, & censura, qua hæc perspicua sententia S. Doctoris ab aduersarijs notari solet.

69 Nam in quadam Parisiensi cõdemnatione, tàm ipsa sententia in se, quàm, & fundamentum illius, quo nititur, vt erronea legitur reiecta; est enim fundamẽtum huius Thomisticæ sententiæ, quia materia est principiũ indiuiduationis, & multiplicationis numericæ: At in Angelis nulla est materia: igitur nulla potest esse numerica multiplicatio. Hæc igitur sententia cũ hoc fundamento ter reijcitur in illa condemnatione tanquam erronea. Primò cap. 6. Vbi condemnantur errores contra Deum; eiusque diuinã potentiam, & inter articulos ibi condẽnatos cap. 41. est. *Itẽ, quod Deus non potest indiuidua multiplicare sub vna specie sine materia.* Secundò cap. 7., in quo condemnantur articuli continẽtes errores circa Angelos, & intelligentias, & decimus quintus est: *Item, quia intelligentia non habent materiã, Deus non posset plures eiusdem speciei facere: & quòd materia non est in Angelis: contra Fratrem Thomam.* Tertiò cap. 8. in quo condemnantur errores pertinentes ad animam, & intellectum art. 16. damnat errorem Auerroistarũ de vnitate intellectus, & fundamentũ illorum, quod coincidit cum fundamento S. Thomæ. Quia nimirùm forma non multiplicatur, nisi educatur de potentia materiæ. *Item quod scientia Magistri, & discipuli est vna, & eadẽ numero, & ratio est, quia intellectus vnus est, quia forma non multiplicatur, nisi quia educitur de potentia materia.*

Sententia S. Th. cũ suo fundamẽto (nẽpè Angelus non posse numero multiplicari) ter reiicitur vt erronea in Parisiensi condẽmnatione.

Error Auerroistarum de vnitate intellectus condemnatur.

70 Hanc condemnationem commemorant Henric. Quodlib. 2. q. 8. ante §. *Quod hoc sit error*. Scotus in Quodlib. q. 2. Durandus in 2. dist. 3. q. 2. & alij passim. Et addunt aliqui recentiores hanc sententiam eo ipso, quòd est damnata in vniuersitate Parisiensi, debere esse ab omnibus vniuersitatibus damnatam. Quia *c. ad abolendam* extra de Hæreticis. Propositio in vna vniuersitate dãnata, vbiq; est damnata.

Henric. Durand.

71 Sed propter istam condemnationem nullam erroris censuram promeretur hæc sententia S. Thomæ, & qui illam aliqua censura notare auderet, vt sunt illi Theologi, à Frãcisco Amico disp. 3. de Angelis sect. 5. num. 130. relati, certè non sinè temeritatis nota id præsumunt. Primò, quia doctrina Sancti Thomæ, & diuinis, & apostolicis oraculis approbata tãquã omninò tuta ab omni Theologo haberi debeat. Nam Vrbanus Quintus eam approbuit, & Tholosanæ vniuersitati amplexandum, & certè nonnisi, vt tutam commendauit. Pius V. in quadam bulla dicit, doctrinam Sancti Thomæ tantum abest, vt manifestum errorem contineat, quòd per ipsam confutantur errores. Clemens VIII. In quodam Breui Apostolico ad Neapolitanos, loquẽs de multitudine librorum S. Thomæ. *Quos*, inquit, *breuissimo tempore in omni disciplinarum genere singulari ordine, & mira perspicuitate sinè vlla prorsùs errore conscripsit*. Vbi vides doctrinam S. Doctoris proùt spectat ad doctrinam fidei, eamque concernentem, (de hac enim Põtificis oraculũ, vt minimũ intelligendum est) ab omni erroris labe esse purissimam. Vide M. Grauin. tom. 3. Catholic. lib. 4. cõtrou. 2. Præscript. q. 1. a. 10. & in opere Apologetico, quod Cherubim Paradisi nuncupauit. Vbi doctrinam S. Th. defendit à quorũdam inuidorum latratibus, & ostendit sicùt canes irritos latratus in Lunam instant, ità istos in vacuum latrare in Solem.

Pius V.

Clem. VIII.

72 Secundò ex prædicta condemnatione non potest hæc sententia S. Doctoris, vt erronea notari. Quia prædicta condemnatio proùt tangit doctrinam S. Thomæ fuit reuocata, vt

passim,

Digitized by Google

Capreolus. Greg. passim, referunt Capreolus in 2. dist. 2. q. 11. a. 3. ad 1. Greg. contr. 1. conclusionem. Vbi ex Godofredo Quodlib. 8. q. 5. hæc refert. *Iam dico, quod secundùm Godofredum, isti articuli indigent magna correctione. Quia nonnulli sunt falsi: nonnulli sibi inuicem cõtradicunt, nonnulli derogant veræ doctrinæ, patissimæ Sancti Thomæ, qui secundùm eundẽ Godofredum est Sal terræ, &c. Iam dico, quod Henricus fatetur se non intelligere illos articulos. Ægydius verò, & multi alij dicunt, quòd illi articuli fuerunt facti non conuocatis omnibus Doctoribus Parisiensibus, sed cõ requæstam quorundam capitulorum. Item dico, quod sententia excommunicationis lata contra tuentes damnata in illis articulis reuocata fuit per Dominum Stephanum Episcopum Parisiensem, quatenùs dicti articuli tangunt doctrinam S. Tho. in hoc anno Domini 1344. Iam dico, quod Ecclesia Romana fecerit examinari doctrinã S. Th. ante eius canonizationem, & quia repertum fuit, quod illa nihil continebat contra fidem, aut bonos mores, fuit solemniter approbata per multos Summos Pontifices, puta Ioann. XXII. Vrbanum V. & multos alios, & ideò de illis articulis non est multum curandum.*

Ioann. XXII. Vrb. V.

73 Ecce quanti facienda est illa articulorum condemnatio, vt tangit doctrinam S. Thomæ. Nam & si multi ex illis articulis sint meritò cõdemnati, quia continent positiones contra fidem, quos Auctores illorum palliabãt, dicẽtes, quod quãuis secũdũ fidẽ verè sint falsi, tamen secũdùm philosophiam sunt euidentes. Quasi verò, vt benè dicitur in proœmio illius condemnationis, veritas fidei sit contraria veritati, & euidẽtiæ naturali, quod est erroneum. Attamen nec omnes sunt falsi, nec omnes merentur quasi manifesti erroris censuram. Vnde manifestè errat, si quis dixerit animas rationales in substantiali perfectione omnes esse æquales. Quamuis cum S. Thoma, & Caietano sentiant, quòd animæ sunt substantialiter inæquales in individuali perfectione. Attamen opposita sententia non est erronea, sed valdè probabilis, imò fortè magis communis, & eam sectantur graues Doctores etiã ex illis, qui ex his articulis (quod mirum est) volũt esse condemnatam D. Thomæ sententiam de immultiplicatione numerica Angelorũ. Vt est Fonseca. Imò Toletus dicit sententiam de inæqualitate substantiali animarum esse temerariam.

Fonseca.

74 Præterea ibi condemnatur, vt erronea sententia de vnitate formæ substantialis in vno composito, & tamen hæc sententia est magis communis, & magis verior apparet. Sed quid longiùs immoror: in illo eodem articulo vbi signanter Fratris Thomæ sẽtentia damnatur. Duo ibi vt erronea proferuntur. Primo, quod Angeli non possunt multiplicari numero in eadem specie: Secundo, vt error damnatur sententia S. Thomæ, quia dixit Angelos non esse compositos ex materia, & forma, sed esse formas simplices. Atqui communis hodiè recepta est sententia S. Doctoris, Angelos esse formas simplices, & non compositas substantias ex materia, & forma. Ergo sicut condemnatio est nullius momenti, quoad secũdum, ita etiam neq; quoad primum, & ideò prædicti Doctores etiam si Parisienses meritò dixerunt illam condemnationem indigere magna correctione.

75 Et quamuis Episcopus Parisiẽsis recto, & sancto fidei zelo adductus fuit ad prædictos articulos condemnandos. Quia re vera inter illos multi sunt erronei, maximè quos damnat contra Auerroistas: Attamen, quia collectio articulorum fuit facta à professoribus vniuersitatis, quasi tumultuari modo, nam vt ex Ægydio dicit Capreolus non fuit cum consensu omnium Doctorum. Non mirum si nonnulli articuli fuerunt illis infarcinati, qui erroris notam non merebantur.

Episcopus Parisiensis.

Capreolus.

76 Adde, quod erga doctrinam S. Tho. non defuerunt æmuli in illa vniuersitate, & ipso viuente, & mortuo.

tuo. Nam, quia ipse se opposuit cum S. Bonau. contra impugnantes Religiones: Vterque compulsus est ab illa vniuersitate exulare instigante aduersariorum factione, donec per Sedē Apostolicam magno cū honore eidē vniuersitati restituti fuerunt. Hæc autem condemnatio facta fuit immediatè post mortem S. Doctoris. Nam Sānctus Doctor obijt Anno Dom. 1274. & hæc condemnatio, vt apparet ex fine præfationis fuit facta Anno Domini 1277. tribus scilicet annis post felicissimum Sancti Doctoris obitum. Quo tempore verisimile est interfuisse in illa articulorum collectione erga Doctrinam S. Doctoris malè affectos: Quod mihi argumento est, quia illi articuli cum innumeri sint, nullus illorum author nominatim sigillatur, nisi vnus frater Thomas.

S. Bonauētura.

77 Adde, quod corruptorium Doctrinæ S. Tho. cui se opposuit Ægydius Columna grato animo sicut erga præceptorē suum, & constantèr erga impetus aduersariorum, à multis enim illud extructum fuisse passim significat Ægydius, eodem tempore emanatum. Quia Ægydius fuit auricularis auditor S. Doctoris, & proindè illi vicinus. Ex quo existimo corruptoriū illud ab illis æmulis S. Thomæ compositum fuisse. Quod totum dico, vt intelligatur eo tempore fuisse homines in doctrinā S. Thomæ malè affectōs, à quibus incertos existimo in illa condemnatione prædictos art. cōtra doctrinam S. Thomæ, qui etiam in prædicto corruptorio apparent. Vnde cum non sano, sed liuenti animo inserti fuerint, eorum condemnatio pro nihilo est habenda.

Aegidius Columna.

78 Et certè vide quanti faciat illā Romanus Ægydius, qui alioqui Sorbonicus Doctor fuit, & absque excōmunicationis motu hunc præsertim art. de Angelorum numerica immultiplicatione non solum post illam condemnationem docuit, sed & constantèr defendit, etiam si ab aduersarijs illa condēmnatio in primo argum. statim obiecta illi fuerit. Audi si placet, quomodo ipse loquatur a. 11. sui correctorij corruptorij Doctrinæ S. Thomæ circa primam partem §. Responsio ad hæc secundum Thomam. *Ex simplicitate Angeli artic. proximo declarato manifestum est, quod impossibile est duos Angelos esse eiusdem speciei. Nec est hoc contra FIDEM. Nec derogat POTENTIÆ Diuinæ. Cum enim eo ipso, quòd sunt formæ simplices sine materia subsistentes, manifestum sit eos differre sola differentia formali; qua facit diuersitatem in specie. Dicere eos non esse posse eiusdem speciei, non plus derogat Diuinæ Potentiæ, quàm dicere, quacumque differunt specie non posse esse eiusdem speciei. Dicere ergo, quòd canis, & lupus, vel quòd Accipitrer, & Aquila licèt in actu sentiendi, ac multis conueniant actionibus animalis, nullo modo posse in vna specie poni, stāre eorum natura, non est dicere contra fidem, nec derogat Diuinæ Potentiæ, cū includat contradictionem. Similitèr omninò in proposito: licèt Angeli in multis, vt in actu intelligendi, & alijs sint similes; tamen differunt secundum naturæ gradum, vt patet ex dictis: dicere quod possunt esse eiusdem speciei, & per consequens sic non differre, includit contradictionem: & hoc posse fieri, quod huiusmodi est, repugnat omni intellectui. Quòd verò dicunt damnatū per Episcopum, & per Magistros (salua pace eorum) Non dicit VERVM. Omnes enim Doctores in hoc conueniunt, quòd quæ sunt diuersarum specierum, non possunt poni in vna specie, stante natura vtriusque: sicut quod homo, & lapis sint eiusdem speciei, amborum natura remanente. Et per hoc patet responsio ad primum. Quia quod hic dicitur, huic innititur positioni, quod Angeli cum sint formæ simplices, vt videtur secundum Sanctos, & Philosophos, sola differentia formali, & per consequens specifica differre possunt: & hoc posito, non posset Deus facere duos in sua natura, & tali permanentes, eiusdem speciei propter contradictionem inclusam.* hæc Doctor Sorbonicus, ex quo luculenti Ægydij testimonio duo habes:

Aegidius Romanus.

Digitized by Google

bes: & sententiam S. Thomæ explicatam. Solideque confirmatam, & ab illa condemnatione, omnique alia cẽsura vindicatam. Ad illa verò extrauag. respondet Valentia de substantia Angelorum q. 1. p. 3. & Mazziotta q. 1. n. 130. quod loquitur de propositione damnata, quæ non habet graues patronos, in præsenti autem sufficit pro omnibus vnus Thomas.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm substantiæ omninô immateriales, vt sunt Angeli, spectata illorum natura, sint plures numero multiplicabiles sub eadem infima specie?

79 ITaque sententia S. Thomæ, vt supra à nobis explicata, tuta est; & in ea nulla erroris suspicio cadere potest: imò est valdè probabilis, & multum consona veritati, & principijs lumine naturali notis, ab his enim huius controuersiæ decisio maximè pendet; superest, vt illam ab aduersariorum oppugnationibus defendamus. In qua re duplici via incedendum est. Primùm enim explorandum est, quid de facto, & spectato rerum ordine naturali, iudicandum est: Deindè verò, quid de absoluta, & omnipotenti Dei Virtute dicendum sit? Nàm de facto in astris, quos Planetæ appellant, vnum solum extat vnius speciei indiuiduum. Vt vnus Sol, vna Luna, & tamen de potentia Dei creari possunt plures Soles numero distincti, & plures Lunæ. Sed vt clariori tramite quid explorandum sit in hac difficultate perpendamus, primo inuestigandum.

An si darẽtur Angeli solo numero differentes sub eadem specie, darentur multi alij inter se differẽtes non solum specie, imò, & genere?

80 ET vt breuitèr hoc negotium expediamus, suppono, quòd, & si darentur Angeli solo numero differentes sub eadem specie, non tamen omnes differrent solo numero, sicut differunt homines, sed inter ipsos, & in ipsorum ingenti multitudine dantur multi specie, imò, & genere differentes. Hoc suppono aduersus illam sententiam, quam refert S. Th. 1. p. q. 50. a. 4. & de spiritualib. creaturis a. 8., & quam sequũtur Guliel. Paris. lib. de vnit. 1. p. 2. partis, Alb. Mag. in summ. 2. p. tract. 2. q. 8. D. Bonau. in 2. dist. 3. a. 2. q. 1. & speciatim dist. 9. a. 1. q. 1.

81 Nostra autem suppositio non leuitèr indicatur in illa Parabola de centum ouibus, quarum nonaginta nouem pastor reliquit in deserto, & centesimam aberrantem requirens, suis humeris ad aliarum consortium reportauit. Cuius Parabolæ (quidquid dicat Suarez de Angelis lib. 11. n. 10.) communis Patrum expositio est: Quòd per nonaginta nouem oues intelliguntur Angeli, per centesimam humana natura; ergo vt sit sensus parabolæ congruens: Quælibet ouis nõ significat aliquod singulare indiuiduum, sed significat vnam specificam naturam. Alioquin non rectè multitudo hominum tàm innumera per vnã ouem congruè significaretur, oportet ergo intelligere parabolam, quòd illa centenaria multitudine, significantur plures specificæ naturæ Angelicæ, quibus addita humana natura, perindè se habet, ac si nonaginta nouẽ ouibus ouis centesima adderetur. Igitur esto in Angelis detur multitudo numerica, attamen in eis adhue datur multitudo specifica. Et ita non omnes Angeli differunt solo numero, sed etiam in specie.

Digitized by Google

Agydij exẽplum optimum.

82 Et ſatis optimo exemplo explicauit Ægydius ſupra. Quia ſicut omnia animalia conueniunt in cognitione ſenſitiua, & tamen inter multitudinem animalium dantur plurima, quæ & ſpecie, & genere differunt inter ſe. Primum enim diſtinguuntur in Terreſtria, Aquatilia, & Volatilia: & deindè quodlibet genus iſtorum in multa alia genera, & ſpecies animantium, & multa ſunt, quæ ſunt media inter iſta genera. Sunt multa Terreſtria, & Volatilia,& multa Terreſtria, & Aquatilia,& è contra. Ita, & ſi omnes Angeli conueniunt in cognitione intellectuali, tamen ſub iſta communiſſima ratione credendum eſt, dari Angelos & ſpecie, & genere inter ſe diſtinctos.

Omnia animalia cõueniunt in cognitione ſenſitiua, & rameu inter ipſa sũt plurima, quæ ſpecie, & genere differunt inter ſe,

Confir.

83 Confirmatur hoc, nam in tanta Angelorum multitudine, quãta in Sacris Scripturis nobis declaratur, quod non dantur Angeli numero,& ſpecie differentes,aut ideò eſt,quia Deus nõ potuit creare duos, aut plures Angelos ſpecie differentes: aut quia noluit, quia nimirùm non exiſtimauit expediens ad ordinem vniuerſi. Sicut dicimus,quod & ſi Deus potuiſſet creare plures Soles, vnum tamen creauit, quia vnus eſt ſufficiens in hoc viſibili vniuerſo. Neutrum dici poteſt; ergo in Angelis eſt concedenda multitudo ſpecifica.

Confir. maior probatur.

84 Minor probatur, & quidem, quod non poteſt dici primum,patet. Quia nulla poteſt aſſignari ratio implicantiæ,quare in natura intellectuali non poſſint dari gradus perfectionis eſſentialis altiores, & inferiores, ſicut dantur de facto in natura ſenſitiua, & qui iſtam ſententiam teneret, incideret in idem inconueniens, quod improperat ſententiæ Thomiſticæ,dicat, quòd non poſſunt dari duo Angeli ſolo numero diſtincti ſub eadem ſpecie. Nam ſi per iſtos Auctores derogat Diuinæ Potentiæ dicere,non poſſe Deum creare duos Angelos ſolo numero diſtinctos; Multo magis derogaret Diuinæ Potentiæ, ſiquis diceret nõ poſſeDeum creare duos Angelos ſpecie inter ſe differentes.

Magis derogat Diuinæ Potẽtiæ, qui tenet non poſſe dari duos Angelos ſpecie diſtinctos, quam dicẽs non poſſe dari duos Angelos numero diſtinctos.

85 Imò magis in prædictum abſurdum incideret. Quia cum multitudo numerica ſit materialis,benè Thomiſtæ aſſignant rationem implicantiæ. Suppoſito, quod Angeli ſunt penitùs immateriales,non habentes materiam, nec *ex qua*, neque *in qua*: quam materiam ſi haberent,poſſent numero multiplicari. At cum multitudo ſpecifica ſit formalis, & Angeli ſint ſimplices formæ ſubſiſtentes,non repugnat illis multitudo ſpecifica, ſed potiùs illam requirunt. Non ergo implicat contradictionem, Angelos poſſe multiplicari ſpecie: & ideò non poteſt dici primum dilemmatis membrum: nempè, quòd ideò Deus non creauit plures Angelos ſpecie differentes, quia nõ potuit: cum in hoc nulla appareat, vt dictum eſt,contradictionis implicantia.

Ratio maioris ſupradictæ derogationis.

86 Nec poteſt dici ſecundum. Primò, quia pulchritudo vniuerſi, quã Deus præcipuè in illius creatione intendebat,ad oſtenſionem potentiæ,ſapientiæ, & perfectionis, ac pulchritudinis ſuæ (iuxta illud Boet. *Mundum mente gerens pulchrum Pulcherrimus ipſe*)magis conſurgit ex varietate ſpecierum, quàm ex multitudine indiuiduorum, plus enim delectat pratum varietate ſpecifica, quam numericaflorum: & ideò dicunt Philoſophi, quod natura per ſe primò intendit conſeruare multitudinem ſpecierum, & propter ſpecies conſeruandas intendit numericam multitudinem. Nã multitudo numerica eſt materialis, ſpecifica eſt formalis,quæ ideò dicitur ſpecifica,& formalis, quia in illa conſiſtit ſpecies, & formoſitas vniuerſi: Si ergo Deus potuit creare plures Angelos ſpecie differentes,credẽdum eſt, de facto plurimos concreaſſe, ad mundi intelligibilis pulchritudinem, & perfectionem.

Boetius.

Multitudo ſpecifica eſt, & dicitur ſpecifica,& formalis, quia in illa conſiſtit ſpecies, formalitas pulchritudo vniuerſi.

87 Secundò. Quia id, quòd maximè perficit illam innumerabilem Angelorum multitudinem, eſt ordo, quem ſeruant, inter ſe: quòd alij ſunt ſuperiores,inferiores alij. Si ergo hæc ordinatio inter ipſos potuit eſſe non ſolum ſecundum gratiam, ſed etiam

2. Noſtra ratio.

ſe-

Digitized by Google

ſecundùm naturam: quare negandum eſt, Deum non creaſſe plures Angelos altiores, & inferiores in natura? Et ideò nulla ratione negari poteſt in ſubſtantijs Angelicis dari plures ſpecie differentes.

Secunda ſententia eſt aduerſariorum, in qua proponuntur varia eorum argumenta expetita partim ex ratione, partim ex auctoritate Sanctorum Patrum.

88 CONtra iſtam poſitionem noſtram multa congerũt argumenta aduerſarij, volentes probare omnes Angelos eſſe eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero inter ſe differre, quæ omnia affert, & ſoluit S. Thomas quæſt. vnic. de ſpiritualibus creaturis a. 8. quamuis enim non omnia argumenta ibi poſita excludant ab Angelis diſtinctionem ſpecificam, ſed nonnulla ſolum probent adhùc admiſſa ſpecifica diſtinctione; concedẽdã eſſe quoque diſtinctionem numericam inter illos, nihilominùs multa ſunt, quæ ad hoc tendunt, vt ſolam numericam, & nullam ſpecificam diſtinctionem ponant.

1. Arguim. 89 Primum ergo argumentum deſumitur ex propinquitate Angeli ad Deum. Quia quanto aliqua ſunt Deo propinquiora, tanto magis ſunt vniformia, & minùs diuerſa, nam in Deo nulla eſt diuerſitas, ſed multitudo Angelica eſt propinquiſſima Deo: vnde dicebat Aug. *Duo fecisti Domine, alterum propè te, ſcilicet Angelum, alterum propè nihil, ideſt primam materiam*: ergo multitudo Angelica eſt maximè vniformis. Sed multitudo numerica eſt magis vniformis, quam ſpecifica; ergo multitudo Angelorum eſt ſolum numerica, non ſpecifica, &c.

2. Argum. 90 Secundò, conuenientia in formali principio facit aliqua eſſe idem ſpecie: Differentia in principio materiali, facit differre ſolum numero. Sed Angeli omnes conueniunt in principio formali, & differunt in principio materiali: ergo Angeli conueniũt ſpecie, & differunt ſolo numero. Maior eſt fundamentum noſtræ ſentẽtiæ: Minor probatur: Quia in Angelis non eſt alia compoſitio, quam ex eſſe, & eſſentia: in qua compoſitione, eſſe ſe habet vt formale, cũ ſit maximè actuale, eſſentia recipiens eſſe ſe habet, vt materiale, eſſentia enim dicitur quaſi eſſendi potentia. Sed Angeli conueniunt in eſſe, ac proindè in principio formali, & differunt ratione eſſentiarũ, & conſequentèr differunt in principio materiali; ergo Angeli ſolo numero, & non ſpecie inter ſe differunt.

91 Tertiò. Quia quæcumque in definitione conueniunt, videntur in ſpecie conuenire: Nam ſola ſpecies eſt, quæ definitur, vt dicit Boet. & Ariſtot. 7. metaphyſicorum. Sed omnes Angeli conueniunt in vna definitione. Nam Dam. 3. de fide ſic definit Angelum: Angelus eſt ſubſtantia intellectualis ſemper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo miniſtrans ſecundum gratiam, non naturam, immortalitatem ſuſcipiens: quæ definitio conuenit omnibus Angelis; ergo omnes Angeli ſunt vnius ſpeciei. 3. Argum.

92 Quartò. Quia magis, & minùs non diuerſificant ſpeciem: non enim differt ſpecie calor magis, & calor minùs intenſus, ſed differentia, quæ eſt inter Angelos, eſt ſecundùm magis, & minùs. Nam dicit Greg. Homil. 34. in Euang. *In illa Cæleſti Patria, vbi plenitudo boni eſt, licèt quidam dati ſint excellentèr, nihil tamen poſſidetur ſingulariter. Omnia enim in omnibus ſunt. Non quidem ÆQVALITER, quia aliqui alijs SVBLIMIVS, poſſident, quæ tamen omnes habent.* Ergo Angeli non differunt ſpecie, &c. 4. Argum.

93 Quintò. Quia quæcumq; cõueniũt in nobiliſſimo, cõueniũt in ſpecie: Sed omnes Angeli cõueniũt in nobiliſſimo, quod in eis eſt, ſcilicet in natura intellectuali; ergo omnes Angeli conueniũt ſpecie. Min. eſt perſpicua, & maior probatur. Quia nobiliũ eſt, quod ponitur ſub ſpecie, quã quod ponitur ſub genere, eſt enim differẽtia ſpecifica 5. Argum.

formalis respectu generis, & ideò cũ genere componit speciem quæ est perfectior ipso genere, sub quo ponitur, perfectior est enim homo, quàm animal; ergo quæcumque conueniunt in eo, quod est in pluribus nobilissimum, conueniunt specie, & hæc est maior. Minor, vt dixi, perspicua est. Sequitur ergo conclusio.

94 Sextò. Quia substantia spiritualis vnibilis corpori non multiplicatur specie, sed numero; ergo multò minùs multiplicatur specie substantia spiritualis corpori non vnibilis, qualis est Angelus. Antecedens patet in animis rationalibus, qui solo numero, nõ specie, multiplicantur: cõsequẽtia probatur. Quia quando aliquod genus diuiditur per duas oppositas differentias, magis est multiplicabilis in plures species differentia imperfectior, quàm differentia perfectior. Vt patet, cum animal diuiditur per rationale, & irrationale. Rationale non multiplicatur specie: benè tamen irrationale per species innumeras. Sed substantia spiritualis diuiditur per vnibile, & non vnibile. Animus enim rationalis est vnibilis corpori, Angelus non est corpori vnibilis, perfectior autem est substantia non vnibilis, quam substãtia vnibilis; ergo si alterutra substantia spiritualis deberet multiplicari specie, magis deberet multiplicari specie substantia vnibilis, quàm substantia non vnibilis. Sed illa non multiplicatur specie, sed solo numero: Non enim rationales animæ differunt specie, sed numero tantum, vt dictum est; ergo multò minùs est multiplicabilis specie substantia non vnibilis, qualis est Angelica, & sic inter Angelos sola reperitur multitudo numerica non specifica. 6. Argum.

95 Septimò: Quia ministrationes in Ecclesia militanti sunt ad exemplar Cœlestis Militiæ, in qua Angeli differunt in ordine, & potestate. Vt Papa Bonifacius dicit: sed in Ecclesia Militanti differentia ordinis, & potestatis non facit differre specie; ergo neque in Cœlesti Militia Angeli specie differunt, etiam si sint diuersorum ordinũ, vel Hierarchiarum. 7. Argum.

96 Confir. Quia si qua esset ratio multiplicandi specie Angelos, maximè propterea, quia distinguuntur in Hierarchias, & ordines. Sed hæc ordinatio non est necessè, vt si essentialis, sed satis est, si sit accidentalis, sicut ordinantur homines; ergo &c.

97 Octauò. Quia si qua esset ratio, quare oporteret ponere plures species Angelorũ, ea esset maximè, vt in eis magis splenderet Diuina Bonitas. Nam creaturæ à Deo sunt conditæ, vt in eis Diuina Bonitas repræsentetur. Sed propter hanc rationem non oportet ponere plures species Angelorum, sed sufficit pluralitas secundùm numerum; & probatur: Quia in vna specie Angelica repræsentatur Diuina Bonitas perfectiùs, quàm in vna specie humana. Ergo sicut homines non multiplicantur specie, ita nec oportet ponere plures species Angelorum. 8. Argum.

98 Nonò. Quia si inter Angelos daretur distinctio specifica, & alij alijs essent essentialiter superiores, & inferiores in natura; sequeretur, quòd Angelus inferior non posset saltem quidditatiuè cognoscere Angelum superiorem. Consequens est falsum, vt habetur in materia de Angelis; ergo & antecedens, sequela probatur, quia per species inferioris ordinis nõ possunt quidditatiuè cognosci res superioris ordinis; per species enim rerũ corporalium non possunt quidditatiuè, & vt sunt in se, cognosci res spirituales. Sed species Angeli inferioris comparata ad Angelos superiores in natura, se haberet, vt species inferioris ordinis ad res ordinis superioris. Quia species Angeli inferioris essent magis materiales, quàm esset natura, & quidditas Angelorum superiorum. Quia quanto Angeli forent superiores, tãto magis elongantur à materialitate, & essent spiritualiores; & è cõtrà, quãto forent inferioris ordinis, tantò minùs spirituales, & materialiores, ac proindè species proportionatæ intellectibus eorum. Ergo Angelus inferior 9. Argum.

Digitized by Google

rior non posset quidditatiuè, & vt in se est, cognoscere Angelum superiorem, quod est contra communem opinionem; ergo Angeli secundùm naturam sunt pares, ac proindè solo numero distincti, vnde ordo superioris, & inferioris in illis est accidentarius non essentialis.

10. Argum. 99 Decimò. Arguitur ab auctoritate Patrum, sunt enim multi Patres, qui significant omnes Angelos esse eiusdem speciei, & solo numero inter se differentes, sicuti omnes homines. In primis hoc indicat Basil. lib. 3. contra Eunomium: Vbi dicit, quod sicut Angeli habent vnũ commune nomen, ita habent vnam communem naturã: & quod loquatur de vna natura in specie atoma, patet ex eo, quod infert: Quia & si Angeli Dignitate, & Principatu differant *non ideò*, inquit, *naturam alteram habent.*

100 Secundò. Niss. de opif. hominis c. 17. dicit, quod licèt inter Angelos nõ sit propagatio vnius ab alio, sicut est inter homines: Nihilominùs, *ad infinita prope millia sic esse diffusos, vt in vna natura, & multi esse NVMERO possint*, & lib. de orat. Domin. ad illa verba: *Fiat voluntas tua*, loquitur de natura Humana, & Angelica, tanquam de duabus naturis inter se specie distinctis. Tertiò. Athan. orat. & in illud Ioann. *Omnia mihi tradita sunt*. Dicit Angelos per omnia esse eiusdem naturæ, & in quæst. ad Antioch. q. 3. dicit, quod *Damon ab Angelo essentia nõ differt, sed voluntate*, & q. 4. dicit, quod *Angelorum, Archangelorum, &c. vna est essentia, sicut vna est essentia hominis*. Quartò. Damasc. quilicèt lib. 2. de Fide cap. 3. dicat ignotum esse: Vtrùm Angeli sint essentia dispares, vel æquales. Attamen de decretis, & Placitis c. 1. dicit: *Omnium Angelorum vna est natura, & omnium hominum*, & cap. 7. *Incorporeã essentiã appello, Animum, Angelum, Damonem, vnusquisque enim istorum specie est infima*. Quintò. Denique Anselm. lib. 2. cur Deus homo cap. 21. dicit, quod Angeli sunt eiusdem naturæ sicut homines, quamuis non sicut homines. Hæc sunt argumenta, quæ contra nostram suppositionem fieri possunt pro illa sententia, quæ tenet omnes Angelos solo numero inter se, & nullos specie differre: quæ argumenta proponit, vt dixi, & dissoluit S. Th. loc. sup. cit. quæst. de spirit. creat. art. 3.

Diluuntur predicta argumenta aduersariorum, & primo dissoluitur duplici solutione.

101 AD primum ergo respõdeo dupliciter, primò ad mentem S. Th. cõcedendo maiorẽ, & negando minorem. Nam multitudo Angelica non est secundùm se totam Deo propinquissima, sed est propinquissima Deo ratione alicuius Angeli singularis, cuius natura supereminet alijs, in qua natura ex propinquitate ad Deum nec est multitudo specifica, nec numerica. Audi S. Thomam ad secundum sic respondentem. *Cum inquiritur de differentia, vel conuenientia specierum, est consideratio de rebus secundùm naturam ipsarum; & secũdùm hoc non est loquendum de omnibus Angelis, sicut de natura vna Deo propinquissima. Sed solus primus Angelus erat secundùm hoc natura Deo propinquissima, in qua quidem natura est minima diuersitas, quia nec secundùm speciem, nec secundùm numerum.*

102 Secundò respondetur negando maiorem, quia si ex propinquitate ad Deum res essent magis vniformes, & minùs diuersæ, sequeretur, quòd materia prima esset propinquissima Deo, quia vt sæpè dicit Commentator ex Aristotele, in fundamento naturæ, quod est materia, nulla est diuersitas: vnde quamuis in Deo nulla sit diuersitas formalis, est tamen magna diuersitas virtualis, in quantum in vna simplici omnipotentia habet virtutem producendi diuersas creaturas. Vnde ex hoc, quod multitudo Angelica est Deo propinquissima, sequitur, quod sit maximè diuersa, vtpotè in primo ordine rerum à Deo creatarum. 2. Respõsio.

Digitized by Google

rum. Nam cum multitudo creaturarũ sit ordinata ad ostensionem Diuinæ Omnipotentiæ, & multiplicis virtutis illius: hæc autem manifestatio magis splendet in multitudine specifica effectuum, quam numerica: Nam videmus agentia imperfectissima generare simùl innumeram multitudinem indiuiduorum effectuum, nec per hoc in magno pretio habentur: Sed illa agentia ostendunt excellentiam suæ virtutis, quæ possunt producere multiplices effectus specie differentes: & ratio à priori est, quia multitudo numerica est materialis, specifica est formalis: perfectior autem est multitudo formalis, quàm materialis. Vnde cum in natura Angelica, tanquam in natura supremi ordinis maximè splendeat Diuina Potentia, & Virtus illius: ibi multitudo debet esse formalis, & specifica, non materialis, & numerica. Hæc solutio sumitur ex S. Tho. loc. cit. de spirit. creat. art. 8. ad 10. Vbi: *Dionysius*, inquit, *Platonicis contrariam sententiam præferre videtur. Dicunt enim Platonici, quod substantiæ, quo sunt primo vni propinquiores, eo sunt minoris numeri. Dionys. verò dicit 14. Angelica Hierarchia, quòd Angeli omnem materialem multitudinem transcendunt. Vtrumque autem verum esse aliquis potest ex rebus corporalibus percipere, in quibus quanto corpus aliquod venitur superius, tanto minùs habet de materia, sed in maiorem quantitatem extenditur, ita est etiam in tota rerum vniuersitate, quòd quanto aliqua sunt superiora in entibus, tanto plus habent de formali multitudine, quæ attenditur secundùm distinctionem specierum, & in hoc saluatur dictum Dionysij. Minùs autem de multitudine materiali, quæ attenditur secundùm distinctionem indiuiduorum in eadem specie, in quo saluatur dictum Platonicorum.* Ad argum. ergo neganda est maior, & illa admissa, neganda est minor, iuxta duas datas responsiones.

Resp. ad 2. argum.

103 Ad secundum respõdetur negando minorem, non enim Angeli cõueniunt in principio formali, & differunt in principio materiali; & ad probationem adhuc secundo respondetur: primò vt respondet S. Tho. ad 3. ibidem, negando ipsum esse habere rationem principij formalis specificatiui, seu facientis differre specie, sed hoc principium in substantijs compositis est forma; in simplicibus est differentia specifica. Esse autem aduenit essentiæ in sua specie iam constitutæ. *Ipsum esse*, inquit S. Tho. *se habet vt actus tàm ad naturas compositas, quàm ad naturas simplices. Sicut ergo in naturis compositis species non sumitur ab ipso esse, sed à forma, quia species prædicatur in quid est: esse autem pertinere videtur ad quæstionem an est. Sic nec in substantijs Angelicis species sumitur secundùm ipsum esse, sed secundùm formas simplices subsistentes, quarum differentia est secundùm ordinem perfectionis, vt dictum est* in corp. art.

104 Secundò respondetur adhùc admisso, quod principium formale specificatiuum sit ipsum esse: Attamen Angeli non cõueniunt in ipso esse secũdùm proprias rationes. Sed solum secundùm rationem communem essendi, cæterum vnumquodque habet esse proportionatum suæ naturæ. Sicut non propter hoc, quod substantia, & accidens, vel substantia corporea, & incorporea conueniunt in esse, propterea accidens, & substantia, aut substantia materialis, & spiritualis conueniunt in principio formali proprio; sed in communi ratione generica, vel Analoga; cum hoc tamen stat, quòd vnumquodque habet suum esse proprium, & proportionatum. Alioquin sequeretur, quod omnes substantiæ compositæ essent eiusdem speciei, quia omnes conueniunt in vna communissima ratione principij formalis. Quia respectu omniũ forma est principium formale constitutiuum illarũ. Sicut ergo non per hoc, quod omnes substantiæ compositæ conueniunt cõuenientia communissima in principio formali, propterea sunt eiusdem speciei, quia sub illa communissima ratione

2. Resp. ad 2. argum. prædictum.

ne

ne sunt plures formæ specie differentes: ita etiam sub communi ratione ipsius esse sunt plura esse specie differentia proportionata diuersis gradibus perfectionis pertinentibus ad diuersas Angelicas naturas.

Respons. ad 3. argum.

105 Ad tertium respondetur distinguendo maiorem, quæ conueniunt definitione, conueniunt specie; si intelligatur vniuersaliter de specie specialissima, & negatur maior: si intelligatur de specie, abstrahendo à specie infima, vel subalterna conceditur: & ad probationem, qua dicitur, quòd sola species definitur; intelligendum est de specie, vt abstrahit à specie infima, & subalterna, quia vt supra diximus ex S. Thoma in 7. met. lect. 11. part. 15. Genus in quantum genus propriè nõ definitur. Vnde genera generalissima, cum sint prima genera, definitionem non habent, quia in eorum definitione non potest poni aliud genus superiùs. Vnde si genus subalternum definitur, non definitur, vt genus, quatenus est prædicabile de pluribus differentibus specie: sed definitur, in quãtum est species subijcibilis, vt sic enim componitur ex superiori genere, & ex superaddita differentia. Vnde quando Boet. & Arist. dicunt, quod species est, quæ definitur, intelligitur de specie, vt abstrahit à specie infima, & subalterna: quia definitio conuenit alicui prædicato communi, in quantum est subijcibile, non prædicabile.

Quæ conueniunt definitione conueniunt specie, quis sit sensus illius dicti.

106 Modo ad minorem: Cũ enim dicitur, quod Angeli conueniunt definitione, distinguo, conueniunt definitione explicante rationem speciei subalternam, concedo, speciei infimæ, nego. Definitio enim tradita à Damasceno, non est definitio, explicans infimam speciem Angelicam, sed speciem subalternam, & valde communem, & ideò non sequitur, quòd omnes Angeli sint eiusdem infimæ speciei. Sic respondet S. Th. q. cit. de spirit. creat. a. 8. ad 6. *Dicendum*, inquit, *quòd substantias separatas non potest* [*anima*] *nostra corpori vnita secundùm essentias earum intelligere, vt sciat de eis quid sunt: quia earum essentiæ excedunt genus sensibilium naturarum, & earum proportionem, ex quibus intellectus noster cognitionem capit. Et ideò substantiæ separatæ non possunt definiri à nobis propriè, sed solum per remotionem, vel aliquam operationem ipsarũ. Et hoc modo Damas. definit Angelum, non definitione pertinente ad speciem specialissimam, sed ad genus subalternum, quod est genus, & species: Vnde definiri potest.* Itaque illa definitio Dam. explicat naturam Angeli in communi, quia pro statu, vt minimum, præsenti non possumus cognoscere determinatas, & vltimas differentias specificas ipsorum.

S. Tho.

Respons. ad 4. argum.

107 Ad quartum iam sæpiùs in Philosophia, & Theologia explicatum est illud proloquium, quod magis, & minùs non diuersificant speciem: Nam intelligitur quando magis, & minùs accidunt formæ, nõ verò quando magis, & minùs pertinent ad substantiam formæ. Nam quando magis, & minùs accidunt formæ, potest eadem forma augeri, & minui secundum magis, & minùs: idem enim calor potest esse intensior, & remissior. At quando est de substantia formæ, nõ potest eadem forma suscipere magis, & minùs, sed oportet, vt sit respectu diuersarum formarum, quarum vna sit magis perfecta, altera minùs perfecta. Vnde ad minorem, cum dicitur Angeli diuersificantur secundùm magis, & minùs, distinguo, diuersificantur accidentalitèr, nego: Substantialitèr, concedo. Et ideò negatur consequentia. Solutio est S. Th. loc. cit. ad 8. Vbi *Magis, & minùs*, inquit, *duplicitèr accipitur: Vno modo secundùm diuersum modum participationis vnius, & eiusdem formæ: Sicut magis album dicitur magis clarum, quàm minùs album: & sic magis, & minùs non diuersificant speciem. Alio modo dicitur magis, & minùs secundùm gradum diuersarum formarũ: Sicut album dicitur magis clarum, quam rubrum, aut viride, & sic magis, & minùs diuersificant speciem, & hoc modo Angeli differunt in donis naturali-*

Magis, & minùs quãdo diuersificant specie, & quando illam non diuersificãt.

Digitized by Google

ralibus ſecundùm magis , & minùs .

108 Ad quintum, vt reſpõdeamus, notãdum eſt , quòd dupliciter aliquid poteſt dici nobiliſſimũ. Vno modo ex genere, alio modo ex differentia: illud dicitur nobiliſſimum ex differentia, quòd non ſolum determinat genus ad aliquã ſpeciem compræhensã ſub illo genere, ſed eleuat genus ad altiorem naturæ gradum, ſicut rationale non ſolum determinat animal in quantum eſt principium ſentiendi , perficiens hominem in quantum eſt ſpeciale animal, ſed vlteriùs eleuat ad altiorem naturæ gradum, vt non ſolum homo habeat ſenſum, ſed intellectum, & non ſolum ſit ſenſitiuus, ſed & rationalis , quam perfectionem non conferunt differentiæ ſpecificæ determinantes animal ad diuerſas ſpecies animaliũ , & eadem ratio eſt de vegetatiuo reſpectu ſenſitiui.

Reſpõſ. ad 5. argum.

Animaduerſio quãdo dupliciter aliquid poteſt dici nobiliſſimũ.

109 Alio modo aliquid poteſt dici nobiliſſimũ ſui generis, in quãtum ex ſuo genere importat aliquid altioris generis ſupra alia rerum genera , quod tamen completur per differentias ſpecificas determinantes illud ad diuerſas ſpecies , & ſic eſſe intellectuale dicitur nobiliſſimum, quia inter rerum genera obtinet principatum , tamen , vt ſic, adhuc expectat compleri, & determinari per varias differentias, & varios intellectualitatis modos. Sicut ſenſitiuum eſt nobiliſſimum genus reſpectu inſenſibilium generum . Sed adhùc eſt determinabile per varios ſentiendi modos. Vnde differentiæ complẽtes ſenſitiuum , & determinantes illud in varios ſentiendi modos , dicuntur perficere nobiliſſimum, non ſimplicitèr , ſed ſecundùm quid , quia non egrediuntur nobilitatem ſui generis , nec eleuant illud ad gradum altiorem. Hoc poſito.

110 Ad argumentum in forma reſpondetur , diſtinguendo maiorem : Quæcumque conueniunt in nobiliſſimo, conueniunt in ſpecie : in nobiliſſimo ex propria differẽtia admitto maiorem : in nobiliſſimo ex proprio genere, nego maiorem, & ſub eadem diſtinctione reſpondetur ad minorem . Quod Angeli conueniunt in nobiliſſimo ex genere, hoc eſt, in eſſe intellectuali genericè ſumpto , non ex eo , quod eſt nobiliſſimum ex differentia ſuperaddita . Quia non eſt altior gradus naturæ ſupra eſſe intellectuale : Vnde differentiæ ſpecificæ Angelorũ non eleuant intellectuale ad altiorem gradum naturæ , ſed diuerſimodè determinant intra eundem gradum . Sicut tot , & tam variæ differentiæ animalium non eleùant ſenſitiuum ad altiorem naturæ gradum, id enim ſolũ differentia luminis præſtat , ſed intra latitudinem generis determinant ſenſitiuum ad varios ſentiendi modos, vt patet.

Reſponſ. in forma ad 5. argum.

111 Ad probationem maioris dico, quod quidem omnis ſpecies eſt perfectior genere, quia differẽtia ſpecifica addit aliquid generi , & eſt formalis reſpectu illius. Sed hæc non nobilitat ſimplicitèr genus , ſicut nobilitat illa differentia, quæ eleuat genus ad altiorem gradum naturæ , ſed perficit genus intra latitudinem nobilitatis ſuæ: & ideò hæc addunt nobilitatẽ generi ſecundùm quid , & ſecundùm magis, & minùs in eodem genere , ac proindè ex his genus ſimplicitèr non nobilitatur . Hic eſt ſenſus ſolutionis S. Thomæ, quam adhibet huic arg. loc. cit. ad 9. Vbi dicit: *Illud, quod conſtituit in ſpecie eſt nobilius eo, quod conſtituitur in genere, ſicut determinatum indeterminato; Habet enim ſe determinatũ ad indeterminatum, vt actus ad potentiam. Non autem ita, quòd ſemper illud, quod conſtituit in ſpecie ad nobiliorem naturam , pertinet, vt patet in ſpecie animalium irrationalium . Non enim conſtituũtur huiuſmodi ſpecies per additionem alterius naturæ nobilioris ſupra naturam ſenſitiuam, quæ eſt nobiliſſima in eis, ſed per determinationem ad diuerſos gradus in illa natura . Et ſimiliter dicendum eſt de intellectuali, quod eſt commune in Angelis.* Pro vberiori ſolutione huius argumenti videãtur noſtri Salm. in tract. de Angelis diſp. 1. à num. 79. & ſequentibus.

Quæ differentia eleuat genus ad vlteriorẽ gradũ naturæ, & ſic ſimpliciter nobilitat genus.

N.P. Salm.

112 Ad

Digitized by Google

112 Ad sextũ concesso Antecedẽti, negatur consequentia, & ad probationem consequentiæ negatur maior vniuersaliter sumpta. Nam vt dicit S.Tho. loc.cit. ad 10. Vbi soluit prædictum argumentum: *Non videtur esse vniuersaliter verum, quòd imperfectior differentia generis in plures species multiplicetur. Corpus enim diuiditur per animatum, & inanimatum, plures tamen videntur esse species animatorũ corporum, quàm inanimatorum, præcipuè si corpora Cælestia sint animata, & omnes Stellæ ad inuicem specie differãt, sed & in plantis, & in animalibus est maxima diuersitas specierum.*

Respõsio ad 6.argum.

113 Cur autem rationale nõ multiplicetur specie, irrationale verò specie multiplicetur, subdit ibidem Sanctus Doctor optimam rationem dicẽs: *Quod autem est vna sola species animalis rationalis, multis existentibus speciebus irrationalium ex hoc prouenit, quòd animal rationale constituitur ex hoc, quòd natura corporea, attingit in sui supremo naturam substantiarum spiritualium in suo gradu infimo, supremus autẽ gradus alicuius naturæ, vel etiam infimus est vnus tantum. Quamuis posset dici, plures esse species rationalium animalium, si aliquis poneret corpora cœlestia animata.*

Ratio, cur rationale non multiplicata specie; irrationale vero specie multiplicatur.

114 Ex quo patet, quod multiplicatio specifica magis habet locum in substantia spirituali non vnibili, quàm in substantia spirituali vnibili, & hinc etiam patet, quare rationale non multiplicatur specie, intellectuale multiplicatur specie. Quia nimirùm rationale est in medietate substantiarum corporalium, & spiritualium. Medium autem consistit in indiuisibili discernens, & coniungens spirituales, & corporeas creaturas. Præterea, quia simùl est supremum, & infimum. Supremum corporalium, infimum spiritualium: Infimum autem, & supremum respectu diuersorum oportet esse vnũ, & idem: & ideò rationale non multiplicatur specie: multiplicantur autem extrema, quæ connectuntur.

115 Ad septimum respondetur, distinguendo maiorem. Si intelligatur de omnimoda similitudine, negatur, si de aliqua similitudine proportionali, conceditur. Cur autem ordinatio inter homines sit accidentaria: ex accidenti enim est, quòd hic homo sit superior, ille inferior; ille habeat potestatem, ille sit subditus potestati: Inter Angelos verò sit ordinatio naturalis proueniens ab altiori, vel inferiori natura illorum, quæ ordinatio diuersificat speciem; reddit optimam rationem S. Thomas soluens hoc argumentum loc.cit. ad 11. sic fatus: *Homines continentur inter creaturas corruptibiles, quæ sunt infima pars vniuersi, in qua inueniuntur aliqua ordinata non solum per se, sed etiam per accidens. Et ideò in Ecclesia Militanti diuersitas secundum potentiam, & ordinem non diuersificat speciem, secus autem est in Angelis, qui sunt suprema pars vniuersi. Est autem in hominibus Angelorum similitudo non perfecta, sed qualem esse contingit.* Et ex his patet ad confirmationem.

Respõsio ad 7.argum. & ad eius cõfirmationẽ.

116 Ad octauum respondetur, quòd illa ratio est optima, vnde argumento concessa maiori, negatur minor, in qua dicitur non esse propter illam rationem ponendam multiplicationem specificam in Angelis; & ad probationem dicitur, quòd & si vna species Angelica perfectiùs repræsentat Diuinam Bonitatem, quam species humana; nihilominùs ex multitudine specificarum naturarum multò splendidiùs Diuina Bonitas elucet. Alioquin ex hoc, quod Diuina Bonitas plus eluceret in vna specie corporali; quàm in altera, non oporteret multiplicari plures species rerum corporalium perfectiores sub eodem genere. Solutio sumitur ex S. Tho. quæst. cit. de spirit. creat. ad 17. Vbi. *Qualibet*, inquit, *natura creata, cum sit finita, non ita perfectè repræsentat Diuinam Bonitatem sicut multitudo naturarum; Quia quod in multis naturis multipliciter continetur, comprehenditur in Deo vnitè, & ideò oportuit esse plures naturas in vniuerso, & etiam*

Respõsio ad 8.argum.

Digitized by Google

in substantijs Angelicis, &c.

117 Ad 9. antequam respondeamus, obseruandum est, nonnullos recentiores eo vti argumento ad probãdam numericam multiplicationẽ Angelorum, supponentes, nihilominùs etiam inter Angelos dari multiplicationem specificam, ita vt in illa multitudine Angelorum dentur aliqui differentes specie, vt Angeli vnius Hierarchiæ, vel ordinis ab Angelis alterius ordinis, vel Hierarchiæ, & aliqui differentes solo numero; ex qua suppositione æquè procedit argumentũ, siuè omnes differant tantùm specie, siuè aliqui specie, aliqui numero, quia si argumentum haberet vim, sequeretur, quod Angeli inferioris speciei nõ possent quidditatiuè cognoscere Angelos speciei superioris. Vnde cum magis recepta sententia sit non tãtùm numero Angelos differre inter se, sed etiam nonnullos specie etiam; hinc liquet argumentum esse nullius roboris, & propterea hoc argumentum, quòd tanti faciunt auctores illius, posui contra hanc nostram suppositionem ad probandum, quòd omnes differunt solo numero, & sic habet quandam faciem difficultatis.

Respõsio ad 9. argum.

Animaduersio pro solutione prædicti argum.

118 Ad argumentum ergo nego sequelam maioris, nimirùm, quòd Angelus inferior non posset cognoscere quidditatiuè Angelum superiorem, si differunt specie; & ad probationem concedo maiorem, nimirùm, quòd per species inferioris ordinis non possunt cognosci quidditatiuè res superioris ordinis, hæc enim propositio est fundamentum S. Tho. 1. p. q. 12. a. 2. ad probandum nec dari, nec posse dari speciem creatam Diuinæ Essentiæ. Sed nego minorem, videlicet, quòd species Angeli inferioris essent inferioris ordinis ad repræsentandum Angelum superiorem. Aliud enim est esse inferioris ordinis, aliud est esse inferioris gradus. Nam non omnis inæqualitas graduum constituit diuersum ordinem, benè tamen omnis inæqualitas ordinum includit inæqualitatem graduum, & non solum comparando vnum ordinem ad alterum, sed intra latitudinem eiusdem ordinis. Nam impossibile est intelligere aliquam multitudinem in se benè ordinatam, & non intelligere in illa priùs, & posteriùs, seu quod in ea aliqui sint primi, alij medij, alij infimi. Vt apparet in ijs, quæ accidentaliter ordinantur. Vt in Exercitu, in Ciuitate, & in Ecclesiastica Hierarchia.

Per species inferioris ordinis nequeunt cognosci quidditatiuè res superioris ordinis.

Nõ omnes inæqualitas graduum constituit diuersum ordinem.

119 Dico ergo, quod omnes Angeli quantum ad immaterialitatem sunt eiusdem ordinis, sed non eiusdẽ gradus. Omnes enim sunt spirituales substãtiæ, ac proindè habẽtes simplicẽ essentiam, absolutam ab ista corporali materia, & à proprietatibus illam consequẽtibus. Sed tamẽ non sunt ita immateriales, vt nõ sit in omnibus aliqua communis compositio ex aliquo materiali, & formali: sunt enim omnes compositi ex esse, & essentia, ex natura, & supposito: ex subiecto, & accidẽti ex operante, & operatione. Vnde solus Deus, & Diuina Essentia, quãtũ ad hoc est superioris ordinis ad naturã Angelicã. Quia non solum Deus, & Essentia Diuina est simplex, & expers omni corporea materia, sed est expers omni potentialitate, absolutaque ab omni compositione: Quia est purissimus actus. In eo enim non solum nõ est compositio ex esse, & essentia, ex natura, & supposito, ex subiecto, & accidenti, sed neque ex operante, & operatione. Quia idem ipse est operans, & sua operatio. Igitur quantum spectat ad ordinem immaterialitatis, omnes Angeli sunt in eodem ordine: & solum est inter ipsos quædam inæqualitas graduum immaterialitatis, quam inæqualitatem cum in præsenti nos videre nõ possimus, explicamus, vt possumus, & ideò S. Th. illam explicauit per inæqualitatem specierum intelligibilium, & per inæqualem modum cognoscendi. Quod Angeli superiores habent species vniuersaliores, inferiores verò minùs vniuersales.

Quæ, & quibus cõpositionib. sunt omnes Angeli cõpositi.

Omnes Angeli sunt in eodem ordine immaterialitatis, & solũ inter ipsos est quædam inæqualitas graduũ immaterialitatis.

120 Rursus, quòd Angeli superiores vnico intellectionis actu multo plu-

Digitized by Google

plura intelligunt, quàm Angeli inferiores multis actibus. Cæterùm ista inæqualitas graduum immaterialitatis non tollit, quin Angelus inferior non possit quidditatiuè cognoscere Angelum superiorem. Sed solum potest efficere, quòd non vnico simplici actu illum cognoscat. Sicuti nos cognoscimus quidditates rerum, sed distinctis actibus generis,& differentiæ, quam distinctionem actuum non facit intellectus Angelicus saltem circa res inferiores; & sic patet, quod ex inæqualitate specifica inter Angelos, nõ sequitur, quod Angelus inferior non possit quidditatiuè cognoscere Angelum superiorem,sed solum,quòd non possit cognoscere cum tanta simplicitate, & spiritualitate, quantam ille habet in se. Hoc argumentum prolixè soluunt nostri Salm. de visione Dei disp.2.à num.165. & de Angelis disp.1.à num.78.Vide illos,si libet.

121 Ad 10. ab auctoritate Patrum desumptum respondebimus infra. Vt clariùs procedamus, secundò inuestigandum:

An in ingenti illa multitudine Angelorum dentur Angeli inter se non solum specie, sed & solo numero distincti?

122 SVpposito pro constanti, inter Angelos reperiri distinctionem specificam, imò non solum specificam specie atoma, sed & subalterna,quod probãt Theologi in materia de Angelis, quia in hoc fundant distinctionem in Hierarchias, & ordines. Quatenùs Angelis ad proportionem naturalium concessa sunt supernaturalia dona.Et proportio allata à S. Thoma inter sensitiuum, & intellectiuum hoc satis indicare videtur. Sicut enim sensitiuum distribuitur per plures species subalternas, & infimas; ita etiam genus intellectiui,quod est commune Angelis, creditur distribuendũ in plures subalternas, & infimas species. Hoc igitur supposito, videndum est,an etiam inter Angelos sit distinctio numerica, ita vt in illa innumerabili Angelorũ multitudine dentur Angeli inter se nõ solum specie, sed & solo numero distincti.

123 In hac difficultate prima sententia affirmat. Dicit enim,quòd sicut in genere sensitiui datur distinctio specifica, & numerica: Nam non solũ distinguitur Bucefalus à Boricello,quia ille equus, hic Asinus,sed etiã in eadem specie equina duo equi inter se distinguuntur, ita etiam in genere intellectiui,non solum distinguuntur duo Angeli in specie, quia, v. gr. vnus est Seraphim, alter Cherubim. Sed etiam in eadem infima specie distinguuntur duo, vel plures Angeli solo numero, vt duo Seraphim, duo Cherubim.

124 Auctores pro hac sententia, quæ spectat ad factum,non solum illi sunt, quos supra retulimus,credentes omnes solo numero distingui, sed sũt etiam nonnulli ex illis, qui admittunt inter Angelos distinctionem specificam, & ita hanc sententiam sequitur Scotus,Durãd.,Gabriel.,Marsil.,Molina,Valentia,Suarez in tract. de Angelis c.15.num.15.,Vasquez dicit esse rem dubiam. Pesantius 1.p.q.50. a.4. dicit vtrumque esse probabile.,Ferrar. dicit valdè probabile esse, Angelos multos solo numero differre, in quo fine dubio recedit à sententia S. Tho. Probant primò auctoritate Patrum. Qui vel expresè admittunt multiplicationem numericam inter Angelos, vel illam non existimant Angelicæ naturæ repugnare. Et licèt aliqui dubitent qualis sit Angelorum distinctio, vt Aug.,& Damasc.;Nihilominùs hæc istorum dubitatio significat esse verisimilis hæc numerica Angelorum multiplicatio. 1. Argum. petitur ex plurib. auctoritatibus multorum SS.PP.

125 Secundò, quia si omnes Angeli differrẽt specie, sequeretur quod tot naturæ Angelicæ irreparabilitèr perijssent,quot Angeli ceciderunt.Sed hoc non patitur Diuina Prouidentia, & Misericordia,vt tota aliqua specifica natura finalitèr dãnetur: Imò dicit 2. Argum. ex ratione.

Digitized by Google

S. Aug. Aug. in Enchir. c. 29. Quod quia natura humana tota in primo parente perierat, & æternorum suppliciorum rea facta fuit, meruit misericorditèr à Deo ex parte reparari. Ergo Angeli non omnes differunt specie. Sed aliqui in eadem specie differunt solo numero.

126 Confir. ex Suario dicente valdè verisimile esse, cum Deus præsciuisset per scientiam conditionatam ex multis speciebus Angelicis multos esse casuros, creasse etiam multos, quos præsciebat non esse peccaturos: vt sic tota aliqua natura specifica non periret. Confir.

127 Tertiò; Quia in Angelis est perfecta dilectio. Sed dari plures vnius speciei, pertinet ad perfectionẽ dilectionis, quia omnia animalia vnius speciei naturalitèr se inuicem diligunt, secũdùm illud Eccl. 13. *Omne animal diligit simile sibi:* Ergo in Angelis sunt plures vnius speciei, &c. 3. Argum.

128 Confirmatur, quia ad perfectionem amicitiæ, & societatis pertinet habere socios eiusdem gradus, & ordinis. Vnde si Angelorum multitudo in puris naturalibus consideretur ad modũ vnius Reipubl., vel societatis, cõuenientissimũ videtur, vt singuli habeant socios sibi perfectè similes in natura specifica, cum quibus quadam maiori familiaritate, proportione, & societate coniungi possint. Sicut videmus apud nos, quod & si in Ciuitate sint plurimi Ciues, plus familiaritèr cõueniũt cõsãguinei, quàm extranei: plus professores vnius artis, quàm diuersarũ artium; ergo etiam in Angelis conueniens est, vt sint plures eiusdem speciei, cum quibus sit maior intima communicatio, &c. Confir.

129 Quartò. In hominibus sunt plures personæ vnius naturæ secundùm speciem: ergo multò magis hoc est in Angelis. Antecedens patet, & consequentia probatur. Quia homines in eo, quod sunt plures personæ in vna natura specifica, assimilantur Deo, in quo est vna natura, & plures personæ, sed Angeli magis assimilantur Deo, quam homines: ergo multò magis in Angelis sunt plures personæ, seu indiuidua in vna specifica natura. 4. Argum.

130 Quintò arguitur à perfectione, & pulchritudine vniuersi, quia sicut inferiora elementa sunt ornata plantis, & animalibus, & cœlum Sydereum Stellis, & Sole, & Luna, ita etiam Cœlum Empyreum ornatum est Angelis, sed in plantis, & animalibus inueniuntur multa eiusdem speciei: similitèr etiam videtur, quod omnes Stellæ sunt eiusdem speciei, quia communicant in vna forma nobilissima, quæ est lux: ergo pari ratione in Angelis non solum debet reperiri multitudo specifica sub genere, sed & multitudo numerica sub specie. 5. Argum.

131 Confirmatur primo, quia ad pulchritudinem, & perfectionem vniuersi conducit non solum multiplicatio specierum sub aliquo genere, sed etiam multiplicatio indiuiduorum sub aliqua specie. Vt sit in vniuerso omnis modus distinctionis, & multitudinis; ergo etiam in multitudine Angelorũ tam immensa reperiri debet omnis multiplicationis modus, vt non minor sit pulchritudo, & perfectio in mundo inuisibili, qui constat ex substantijs spiritualibus, quàm in mundo visibili, qui constat ex substantijs corporalibus. Nam sicut si in mundo visibili sola esset multitudo specifica, & non numerica, multum detraheretur illius pulchritudini, & perfectioni. Nimirùm, si in qualibet specie esset vnum tantum indiuiduum: Vnus homo, vnus equus, vnus leo, &c. Ita etiam multum pulchritudinis, & perfectionis detraheretur mundo inuisibili, si in eo vnũ esset tantum indiuiduum vnius speciei, &c. 1. Confir.

132 Confirmatur secundò, quia ad ornatum aulæ Principis pertinet, vt in quouis ordine, seu gradu personarum sint plures æqualis officij. Vt plures Ephebi, plures cubicularij, & consimiles; sed Angeli pertinent ad aulam Summi Principis vniuersi; ergo pro tantæ Aulæ Maiestate debent 2. Confir.

in

Digitized by Google

in Angelis in quolibet ministerio dari plures eiusdem naturæ tali ministerio proportionati.

3. Confir. 133 Confirmatur tertiò. Quia ad pulchritudinem, & perfectionem Beatitudinis, non solum Deus ordinauit multos prædestinatos ad gloriã inæqualem, sed etiam ad gloriam æqualem, vt de innocentibus, & infantulis, qui cum solo baptismo recedunt, est certum: ergo etiam ad pulchritudinẽ, & perfectionem Angelicæ naturæ spectat, vt Deus creauerit plurimos in natura dispares, & non multos etiam pares. Et hinc.

6. Argum. 134 Sextò arguitur: Quia homines destinati sunt ad reparandas sedes Angelorum, qui ceciderunt, vt dicunt Patres, & præsertim Aug. in Ench. cap. 29., sed multi homines sunt pares in sedibus, hoc est in gradibus gloriæ: ergo multi Angelorum si stetissent, futuri fuissent in gloria pares. Sed Angelis gratia, & gloria distributa est iuxta gradus naturæ, vt docet S. Tho., & est opinio hodie magis communis: ergo multi Angeli eorum, qui ceciderunt, sunt eiusdem specificæ naturæ, & par ratio est de illis, qui steterunt. Sunt ergo in Angelis differentes non solum specie, sed etiam solo numero.

135 Septimò. Diuersæ species secundùm differentias specificas differunt, quæ ex oppositio diuiduntur. Nõ possunt autem designari tot differentiæ specificæ oppositæ, quanta ponitur multitudo Angelorum. Ergo non omnes Angeli differunt specie, &c.

136 Octauò. Quia multi Angeli dicuntur esse vnius Chori, & multi deputati ad idem officium. Ergo Angeli ad minùs vnius Chori, vel deputati ad idem ministerium sũt eiusdem speciei, nam non apparet ratio, quare omnes pertineant ad eundem Chorum, & quam plures deputentur ad idem officium, nisi quia omnes cõueniunt in eadem specie, & differunt solo numero.

137 Nonò. Quia Aug., Dam., & alij Patres dubitarunt, & reliquerũt quæstionem indecisam, nõ audẽtes determinare hanc quæstionem; ergo non est determinandum, omnes Angelos specie differre, & si esset dicendum alterutrum determinatè, potiùs dicendum esset eos differre solo numero, quàm specie, quia ad hoc magis vidẽtur Patres inclinare. Quia id colligitur de mente Aug., vt arguit Durandus, qui tertiò de lib. arb., vbi dicit potuisse Deũ creare alios Angelos, qui easdem sedes occuparent, à quibus reprobi Angeli ceciderunt.

138 His tamen non obstantibus secunda sententia negat de facto dari plures Angelos sub eadem infima specie solo numero distinctos, sed absolutè asserit omnes Angelos esse specie differentes. Hæc sine dubio est sententia S. Thomæ 1.p.q.50.art.4. & vbicumque de hac re loquitur, vt q. vnic. de spiritualibus creaturis art. 8. & alibi. Hanc vt germanam S. Doctoris mentem sequitur Capreol. in 2. dist. 3. q. 1. art. 1. concluſ. 5. & art. 3. ad argum. contra quintã concluſ., Caiet. ad art. cit. 1. p., & de ente, & essentia cap. 4. qu. 9., Bañez 1.p.q.50. art. 4., Nostri Salmant. tract. de Angelis disp. 1. dub. 5. N. P. Philipp. à SS. Trinitate to. 1. de Angel. dub. 4. & N. P. Gabriel à S. Vincentio. Solus ex Thomistis Ferrar. videtur in contrariam partem declinare. Sed manifestè in hac re deserit sentẽtiam S Th., qui expresè docuit loc. cit. 1.p.q.50. art. 4. Vbi *Si Angeli*, inquit, *nõ sũt cõpositi ex materia, & forma, sequitur, quòd impossibile sit esse duos Angelos vnius speciei.* Vbi, vt vides, non solum de facto, sed etiam de possibili negat duos Angelos eiusdem speciei, & solo numero inter se differentes: ex Exteris à schola D. Thomæ hanc sententiam sequuntur Argentin. in 2. dist. 3. quæst. 2. a. 2., Ægydius Quodlib. 2. q. 7., Bernardus de Gannauo apud Capreol. vbi supra, ex Recẽtioribus, Bubalus in suo opere de Angelis, Granado tract. 1. de essentia, & substantia Angeli disp. 4. n. 4. & alij.

139 Rationes duæ sunt pro hac sẽtentia, quas ponit S. Doctor, q. vnic. de spiri-

ſpiritualibus creaturis art.8.nempè 2. & 3.,quas affert corpore articuli; prima enim non ſolum excludit de facto pluralitatem numericam ab Angelis, ſed etiam de poſſibili, vt videbimus difficultate ſequenti, prædictaſque rationes optimè ponderant Salmant. Noſtri, vbi ſupra: quarum prima ſumitur ex fine numericæ multiplicationis, qui finis non habet locum in Angelis. Secunda procedit ab excellentia Angelicæ naturæ, quæ ob ſui excellentiam talem numericam multiplicationem excludit.

1. Ratio multiplicationis indiuiduorũ eſt propter cõſeruationẽ ſpecierũ in vniuerſo.

140 Sit igitur probatio prima. Quia tota ratio, quare datur multiplicatio indiuiduorum ſub eadem ſpecie infima; prima, & maximè eſt propter conſeruationem ſpecierum in vniuerſo. Vnde hoc fuit diſſidium inter Platonem, & Ariſtotelem, vnde ſcilicet proueniat, quod ſpecies rerum corruptibilium ſint perpetuæ in vniuerſo, cum indiuidua illarum ſint corruptioni obnoxia, & Plato quidem vt ſaluaret perpetuitatem ſpecierum in vniuerſo, poſuit naturas ſpecificas ſubſiſtentes, & abſtractas à ſingularibus: Ariſtoteles verò poſuit ſpecies in ipſis ſingularibus exiſtentes, quæ ſententia Ariſt. eſt ſimplicitèr vera, & ideò dixit, deſtructis primis ſubſtãtijs, impoſſibile eſt aliquid aliud remanere. Quia deſtructis indiuiduis omnibus alicuius ſpeciei, & natura ipſa ſpecifica interiret, & omnia accidentia, quæ illam ſpecificam naturam conſequuntur, & ideò prouiſum eſt à natura, vt per continuam corruptionem, & generationem indiuiduorum ſpecies in eſſe conſeruaretur. Ex quo fit, vt vbi indiuidua ſunt incorruptibilia, non multiplicantur plura ſub eadem ſpecie, ſed ſolum vnum extat in rerum natura vnius ſpeciei. Vt vnus Sol, vna Luna, &c.

2. Ratio multiplicationis indiuiduorum eſt, vt ipſa natura ſpecifica poſsit exercere totã ſuã perfectionem,

141 Secunda ratio finalis numericæ multiplicationis eſt illa, quã affert Commentator lib.1.de Cœlo tom.4. ſup.à nobis dicta. Nimirùm, quia natura ſpecifica, & ſi tota exiſtat in vno indiuiduo, non tamen, vt ſic dicam, totalitèr: Quia in vno indiuiduo non poteſt exercere totam illam perfectionem, quam ſecum affert propter materiæ indiſpoſitionẽ. Sicut apparet in indiuiduis humanis, quòd quamuis ex vi ſpeciei ſit quilibet homo capax omni diſciplinæ pertinentis tàm ad practicum, quàm ſpeculatiuum intellectum. Attamen, quia ad eas comparandas, & exercendas requiritur diuerſa corporis complexio, & diſpoſitio, fit, vt vnus homo ſit excellens in vna, alter in altera. Alij ſunt benè diſpoſiti ad operationes intellectus ſpeculatiui, & ex hoc ſunt inepti ad operationes intellectus practici, alij è contra. Et ideò, vt natura ſpecifica exerceret omnem operationem perfectam, cuius eſt principium, neceſsè fuit, vt multiplicaretur in multis indiuiduis: vt ſic in pluribus haberet, quod in vno ſolo habere non potuit.

142 At propter nullam ex his cauſis neceſſaria eſt multiplicatio numerica in Angelis. Quia ipſi cum ſint ſubſtantiæ ſimplices, & immateriales habent naturam incorruptibilem, & immortalem, vt per ſe patet, prætereà tota plenitudo perfectionis ſpecificæ in vno ſolo inuenitur. Quia non habẽt materiam, per quam illorum naturalis perfectio limitetur. Sicut apparet in indiuiduis humanæ naturæ: ergo in Angelis nõ datur hæc numerica multitudo: Sed omnes Angeli differunt ſpecie.

Ponuntur varia reſponſiones aduerſariorum ad noſtram prædictam rationem, quæ præluduntur omnes ſigillatim.

143 ATT huic rationi multipliciter reſpondẽt aduerſarij. Primum enim dicunt non eſſe vniuerſalitèr verum, quod illa ſola multiplicantur numero in vna ſpecie, quæ ſunt corruptibilia, vt ſaluetur sẽper in eſſe natura ſpeciei. Nam rationales animi ſunt incorruptibiles, & tamẽ multiplicãtur numero in eadem ſpecie. Prætereà, quamuis corpora cæle-

1. Reſp. aduerſariorũ.

Digitized by Google

cœlestia specie differant, & idem verisimiliùs apparet de Planetis, attamẽ de stellis, quæ emicant in firmamento, non est satis exploratum apud Philosophos, sint ne omnes inter se specie differentes, an aliquæ differant solo numero, & tamen omnes stellæ sunt incorruptibiles, & immortales: ergo multiplicatio numerica non solum reperitur in rebus corruptibilibus, sed etiam in rebus incorruptibilibus, & æternis.

144 Deinde esto, quod omnia corpora cœlestia, & omnes Stellæ differrent specie: Non tamen ideò est, quia simpliciter sunt substantiæ incorruptibiles. Sed quia sunt substantiæ indiuisibiles diuisione quãtitatiua. Nã in rebus corporalibus multiplicatio numerica ordinariè fieri solet per diuisionẽ quantitatiuam, salua substãtia rei, quæ diuiditur. Vt cum diuiditur aqua in plures aquas, & lignum in plura ligna. Quæ diuisio, si haberet locum in corporibus cœlestibus, vtiq; possent multiplicari solo numero, vt si Sol diuideretur in plures partes, re vera multiplicarentur numero plures Soles. Sed quia ad illorum corporum perfectionem requiritur, vt sint indiuisibilia, sicut in animalibus perfectis, quia ad illorum integritatem requiritur membrorum continuatio, si fiat diuisio, statim intereunt. Ideò in corporibus cœlestibus non datur indiuiduorum multiplicatio. Sed hoc, vt dixi, non prouenit, quia sunt incorruptibilia, sed quia sunt indiuisibilia. At verò in substantijs spiritualibus distinctio numerica non fit per continui diuisionem, sed suis ipsis entitatibus, vt apparet in distinctione numerica animarum rationalium: ergo multiplicatio numerica non est præcisè propter conseruationem speciei, vt in solis rebus corruptibilibus, sed etiam in rebus incorruptibilibus.

2. Respõsio aduersariorum.

145 Denique dato, quod in corporibus cœlestibus non sint plura indiuidua sub eadem specie: Attamen non est similis ratio de Angelis. Nam cœli non sunt ita propter se creati sicut Angeli. Nam corpora cœlestia sunt creata propter huius vniuersi integritatem, & propter necessitatẽ suorum influxuum in hæc inferiora, & ideò tot sunt creata, quot ad hunc finẽ fuerunt necessaria. At verò Angeli multo aliter sunt intenti, sunt enim creati propter gloriam, & laudem Dei primò, & principaliter, & non principaliter propter aliquem extrinsecum finem vniuersi, sicut intenti sunt cœli, & ideò etiam si cœli non multiplicentur numero sub eadem specie, non propterea similis ratio est de Angelis. Quia ad maiorem Dei gloriam, & laudem benè potuit Deus creare tantum numerum Angelorum, quantum creauit, determinando in illo, & numerum specierum, & numerum indiuiduorũ, quia ex omnibus consurgere potest Dei laus, & obsequium.

3. Respõsio aduersariorum.

146 Confirmatur. Quia numerus indiuiduorum humanæ speciei fuit à Deo per se intentus, quatenus in eo fundatur numerus prædestinatorum hominum, vt docet S. Th. 1. p. q. 23. a. 7. ergo etiam numerus numericus Angelorum potuit à Deo per se intẽdi propter alium finem, etiam si non propter speciei cõseruationẽ, igitur illa non est adæquata ratio, quare sub eadem specie infima datur indiuiduorum sola numerica multiplicatio.

Confir. responsionis aduersariorum.

S. Th.

147 Sed hæc responsio cum omnibus suis instantijs non euacuat vim rationis allatæ. Nam cum primum contendit, quòd multiplicatio numerica non inuenitur solùm in substantijs corruptibilibus, sed etiam incorruptibilibus, afferendo instantiam de animis rationalibus, & de stellis, manifestum est inde nihil concludi.

Præluditur 1. resp. aduersariorum cum omnibus, & eius instantijs.

148 Nam quod spectat ad rationales animos, patet, quòd licèt sint substantiæ incorruptibiles, sunt tamẽ formæ essentiales constituentes indiuidua corruptibilia, & ideò propter corruptibilitatem indiuiduorum eiusdem humanæ speciei multiplicantur numero.

149 Quòd verò spectat ad instantiã de stellis verum est, quòd est de his

his duplex opinio. Prima quidem docet, eas non differre ſpecie. Sed auctores iſtius ſententiæ dicunt, quod Stellæ firmamenti non ſunt indiuidua totalia inter ſe diſtincta ſub eadem ſpecie, ſed quod ſunt partes continuæ cum toto corpore Cœli Syderei, & quod ſunt in eo, tanquam nodus in tabula. Et ſecundùm iſtam ſententiã omnes Stellæ ſunt vnum indiuiduum vnius ſpeciei, & ità ex iſta ſententia potiùs corroboratur ratio noſtra. Secunda opinio dicit, quod Stellæ ſunt indiuidua totalia, & totaliter inter ſe diſtincta, & quod non ſunt partes cõtinuæ cum ipſo ſydereo Cœlo; ſed ſunt in illo affixæ, ſicut gemmæ in auro, & qui hanc ſententiam tenent, dicunt conſequentèr Stellas eſſe ſubſtãtias ſpecie diſtinctas, & ab ipſo Cœlo ſydereo, & eſſe diſtinctas ſpecie inter ſe, in quam ſententiam inclinat S. Th. loco infra referendo. Quod optima ratione confirmat, nempè propter influxuum diuerſitatem, quam in hæc inferiora experimur. Videmus enim, quod cinoſura attrahit ferrũ magnetis qualitate infectum, quod non faciunt aliæ Stellæ, quæ ſi forent eiuſdem naturæ, id ipſum operarentur, vnde etiã ſi nobis videatur multis alijs Stellis aſſimilis, tamen deprehendimus ex hoc eſſe ſpecie diuerſam ab alijs, & ſimilis ratio eſt de alijs Stellis. Igitur prima reſponſio non ſatisfacit cum ſuis inſtantijs.

Diuiditur 2. reſponſio aduerſariorum.

149 Multò minùs ſatisfacit, quòd reſpondetur ſecundò. Nam in ea reſponſione manifeſtè fatentur aduerſarij, & nominatim Suarius lib. 1. de Angelis, cap. 15. n. 19. quòd multiplicatio indiuiduorum fit per diuiſionem continui, & conſequentèr per diuiſionem materiæ. Vnde cum in Angelis non ſit nec materia, nec quantitas, nullo modo in Angelis poteſt cadere multiplicatio numerica.

150 Nec valet inſtantia de multiplicatione numerica animarum rationalium. Quia adhùc multiplicatio numerica animarum rationalium originem trahit à diuiſione materiæ, quatenus diſtinctę portiones materiæ poſſunt diſponi ad diſtinctas hominum generationes, & cuicumque generationi debita eſt ſua anima rationalis, vt forma. Vnde cum Angeli ſint expertes omni materia tàm ex qua, quàm in qua, profectò in Angelis non poteſt huiuſmodi numerica multiplicatio locum habere.

151 Sed dices, quòd illa reſponſio non deſtruit ſe ipſam, vel ſententiam, in qua fundatur. Quia illa reſponſio ſupponit antecedentèr probatum, ſpecies Angelicas poſſe aliundè numero multiplicari.

152 Sed contra, quia multiplicatio numerica cum ſit communis ſpeciebus Angelicis, & materialibus, deberet habere vnum commune principium in vtriſque: ergo ſi in rebus materialibus res multiplicantur numero per diuiſionem materiæ: aut debet poni in Angelis aliqua proportionalis materia, quæ non admittitur: aut non recurrendum in prædicta reſponſione ad diuiſionem continui, quia ſecundùm aduerſarios non eſt prima radix, & indiuiduationis principium.

Diſſoluitur 3. reſponſio aduerſariorum.

153 Denique nec valet, quod tertio loco reſponſum eſt. Nempè eſſe diſparem rationem de Cœlis, & de Angelis. Quòd numerus illorum non eſt ſimpliciter per ſe intentus; at numerus Angelorum eſt intentus per ſe ſimpliciter. Nam numerus ſuperfluus non poteſt eſſe per ſe intentus, ſuperfluum enim, nec Natura, nec Deus per ſe intendit. Sed numerus indiuiduorum ſub eadem ſpecie in Angelis eſſet ſuperfluus. Quia vt dictum eſt, in tantum poteſt eſſe per ſe intentus, in quãtũ intenditur perfectio ſpeciei, quæ cũ in vno indiuiduo non poſsit habere totalem perfectionem, intendit multitudinem indiuiduorum, vt in multis habeat, quod non poteſt habere in vno. Quæ ratio non habet locum in Angelis, quia in vno Angelo natura ſpecifica habet totam ſuam perfectionem. Vnde ponere in Angelis multiplicationem numericam, eſt ponere in

eis

Digitized by Google

eis imperfectionem, seu perfectionem ex suppositа imperfectione, sicut in speciebus corruptibilibus, multiplicatio numerica est perfectio ex suppositа imperfectione: Suppositо enim, quod natura specifica non potuit perfectè participari ab vno indiuiduo modo supra explicato, pertinet ad perfectionem illius, vt indiuidua multiplicentur. Sicut etiam fœcunditas in rebus corruptibilibus est perfectio, ex suppositа imperfectione. Suppositо enim, quod natura specifica non potuit conseruari in vno indiuiduo; prouisum est illi munus fœcunditatis, vt possit aliud consimile indiuiduum procreare. Quæ perfectio nec corporibus cœlestibus, nec Angelicis substantijs concessa est. Igitur in Angelis, nisi aduersarij (dum illis attribuerunt multiplicationem numericam,) velint præsupponere in illis aliquam imperfectionem, quod est derogare dignitati, & præstantiæ naturæ illorum, in vno indiuiduo habetur tota speciei plenitudo, atque perfectio: ergo superflua est multiplicatio indiuiduorũ: & si Deus in vno indiuiduo potest habere totam laudem, quæ haberi potest ab illa specie; superuacua est propter hunc finem illa indiuiduorum multiplicatio. Vnde magis Diuinа laus consurgit ex tot Angelis specie differentibus, quàm si non omnes differrent specie, sed inter eos aliqui differrent solo numero.

Enodatio cõfirmationis aduersariorum.

154 Nec quicquam vrget confirmatio: Quia nos loquimur in præsenti de multiplicatione numerica, prout intenditur à natura, non prout intenditur à gratia: Multitudo numerica hominum fuit intenta à natura propter speciei conseruationem, & perfectionem, vt dictum est: suppositа autẽ indiuiduorum multiplicatione, quod aliqua multitudo hominum sit per se intenta in ordine gratiæ, & gloriæ, quatenus aliquis prædictorum numerus est prædestinatus, hoc non est primaria ratio intendendi multitudinem numericam. Sicut suppositо, quod pro conseruanda, & perficienda specie, multitudo hominum fuerat propagãda, quod Deus deindè ordinauerit propagandam supra vniuersam superficiem terræ, & ordinauit illam ad vniuersi perfectionem, & pulchritudinem, hic finis est secundarius talis multiplicationis, suppositо primario, qui est speciei conseruatio, & perfectio. Sicut finis primarius extruendæ domus est commoda habitatio, à qua necessitantur homines ad domos ædificandas: Sed quod deindè ex suppositione, quod aliquis velit domum ædificare illam, velit ædificare valdè ornatam, hoc est ex suppositione primi finis. Sic similiter in proposito. Deus voluit naturam humanam eleuare ad finem supernaturalem; hæc ex conditione naturæ fuerat multiplicãda in pluribus indiuiduis, & inde Deus plura indiuidua, & determinatum numerum illorum ad gloriam prædestinauit.

155 At non erit superfluum verbis ipsius Angelici Magistri audire propositæ rationis discursum, ad prædictam rationem magis corroborandam, & aduersariorum responsiones efficaciùs confutandas. Sic enim illa quæst. de spiritualibus creaturis a. 8. ad nostram sententiam probandam tertio loco discurrit. *Tertia*, inquit, *ratio sumitur ex perfectione naturæ Angelicæ. Perfectum enim dicitur vnumquodque, quando nihil deest ei eorum, quæ ad ipsum pertinent: Et huius quidem perfectionis gradus ex extremis rerum perpendi potest. Deo enim, qui est in supremo perfectionis, nihil deest eorum, quæ pertinent ad rationem totius esse: prahabet enim in se omnes rerum perfectiones simpliciter, & excellenter, vt Dion. dicit cap. 1. Mystic. Theol. & c. de Diuin. Nom. Indiuidnum autem aliquod in infima parte rerum, quæ continet generabilia, & corruptibilia, perfectum inuenitur ex eo, quod habet quidquid ad se pertinet secũdùm rationem indiuiduationis suæ: non autem quidquid pertinet ad naturam suæ speciei, cum natura suæ speciei etiam in alijs indiuiduis inueniatur. Quod ma-*

nifestè ad imperfectionem pertinere apparet, non solùm in animalibus generabilibus, in quibus vnum indiget alio suæ speciei ad conuictum. Sed etiam in omnibus animalibus ex homine qualẽcumque generatis, quibus mas indiget fœmina suæ speciei ad generationẽ. Et vlterius in omnibus generabilibus, & corruptibilibus, in quibus necessaria est multitudo indiuiduorum vnius speciei, vt natura speciei, quæ non potest perpetuo conseruari in vno indiuiduo propter eius corruptibilitatem, conseruetur in pluribus. In parte autem superiori vniuersi, inuenitur altior gradus perfectionis, vbi vnum indiuiduum, vt Sol sic est perfectum, vt nihil ei desit eorum, quæ ad propriam speciem pertinẽt. Vnde, & tota natura speciei concluditur sub vno indiuiduo, & similiter est de alijs corporibus cœlestibus. Multo ergo magis in suprema parte rerum creatarum, quæ est Deo propinquissima, scilicet in Angelis, hæc perfectio inuenitur, & vni indiuiduo nihil desit eorum, quæ ad totam speciem pertinent, & sic non sint plura indiuidua in vna specie. Hæc S. Thomas: In quo discursu habes primò maiorem rationis nostræ: Quod scilicet tota causa multiplicandi, saltem de facto, & spectato rerum ordine, indiuidua sub eadem specie, duplex est, & propter speciei conseruationem, & propter speciei perfectionem. Primam rationem tangit, cum dicit S. Doctor. *Et vlterius in omnibus generabilibus, & corruptibilibus, in quibus necessaria est multitudo indiuiduorum vnius speciei, vt natura speciei, quæ non potest perpetuo cõseruari in vno indiuiduo propter eius corruptibilitatem conseruetur in pluribus.* Secundam verò rationem, quare sit necessaria indiuiduorum multitudo, nempè propter speciei perfectionem, affert, cum dicit. *Indiuiduum autem aliquod in infima parte rerum, quæ continet generabilia, & corruptibilia, perfectum inuenitur ex eo, quod habet quidquid ad se pertinet secundùm rationem indiuiduationis suæ, non autem quidquid pertinet ad naturam suæ speciei. Cum natura suæ speciei etiam in alijs indiuiduis inueniatur. Quòd manifestè ad imperfectionem pertinere apparet.* Et optimè probat experientia in animalibus, quia, & ad conuictum, & ad generationem vnum indiuiduũ non sufficit, sed requiritur alterius consortium. Quam rationem significauit Deus, cum à principio geminauit humanæ speciei indiuidua, dicens: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Itaque multiplicatio indiuiduorũ est propter speciei perfectionem. Et non solum probat S. Thomas partem affirmatiuam, nempè, quòd de facto in illis specificis naturis inuenitur multitudo numerica indiuiduorum, in quibus hæc duplex ratio, & necessitas multiplicationis locũ habet. Sed probat partem negatiuam, nempè, quòd vbi hæc necessitas non habet locum, nec talis multiplicatio reperitur. Vt apparet in superiori parte vniuersi, nempè in Cœlis, & Stellis. Vnus enim Sol ideò reperitur, quia in eo species semper conseruatur, & in eo species totam plenitudinem habet.

156 Minor autem, nempè, quod in Angelis non habet locum ista necessitas multiplicandi indiuidua sub eadẽ specie, quod spectat ad primum necessitatis caput, patet, quia Angeli sũt immortales. Quod verè spectat ad aliud caput perfectionis, probat S. Th. ex graduatione corporum superiorũ ad longè superiorem naturam Angelicam. Nam si in vno indiuiduo Sole reperitur tota speciei perfectio: multo magis in vno indiuiduo Angelico tota suæ specificæ naturæ perfectio reperiri debet.

157 Dato igitur, quòd in Angelis sit possibilis, potẽtia Dei absoluta, multiplicatio numerica indiuiduorum sub eadem infima specie, tamen cum nullo fundamento potest de facto affirmari talem multiplicationem esse admittendam. Nam quod dicit hoc habere fundamentum in Sanctis Patribus, dico, quod si auctoritates Patrum sunt intelligendæ, vt aduersarij

Digitized by Google

sarij volunt, dicẽdum fore, omnes Angelos de facto differre numero, sicut omnes homines, & nullos differre specie, quod non admittunt aduersarij, cũ quibus disputamus. Qualitèr autem intelligendi sint Sancti Patres infra cum S. Thoma explicabimus.

158 Quòd deinde dicunt non illas solum esse causas finales multiplicandi indiuidua, &c. sed potuisse Deum habere alios fines, hoc solum currit de possibili, & de potentia Dei absoluta. Sed non de facto, & spectato ordine vniuersi, quo Deus omnia in numero, pondere, & mensura constituit. Vnde illud esset supernaturaliter, & miraculosum. Sicut cum Deus separat accidentia à subiecto: quòd ideò miraculum est, quia talem separationem accidentis natura non exigit. Et cum nituntur aduersarij adducere alias causas finales multiplicationis Indiuiduorum sub eadem specie in Angelis, est confingere fines.

Suarez. D.Th.

159 Ex quo apparet non rectè dixisse Suarium loc. sup. cit. n. 17., coniecturas allatas pro parte negatiua, quæ sine dubio sunt S. Thomæ, non esse tanti momenti, quanti sibi videntur illæ à se allatæ. Nam quas ipse affert pro parte affirmatiua, aut sunt propter fines excogitatos, aut fundatæ in leuissimo fundamento, vt in solutionibus argumentorum apparebit, quas etiam sibi S. Thomas obiecit, & nullo negotio dissoluit. At verò quas pro parte negatiua attulit S. Doctor, vt est præcedens, & quam mox subijcimus, sunt fundatæ in ipsa natura rerum, & ordine vniuersi, à qua debemus rerũ diuinarum, & Angelicarum, quæ à nostris sensibus sunt remotæ cognitionẽ accipere; & cum hic agatur de ordine naturæ, non est recurrendum ad id, quod Deus potest dè potentia absoluta, nec dicendum ita de facto esse factum sine expressa reuelatione. Quẽadmodum potest Deus facere, quod mulier Virgo concepit, & virgo pariat: Sed hoc non est dicendum, esse factum in vniuerso, & pro illius pulchritudine sine expressa reuelatione. Nam hoc non est opus iuxta ordinem naturæ, in quo fundatur naturalis pulchritudo, & perfectio vniuersi. Sed est opus supra naturæ ordinem. Et ideò ratio allata Sancti Thomæ efficacissimè probat intentum.

Secunda ratio nostræ sententiæ, quæ affertur à D. Thoma.

160 SVpereſt, vt ad aliam rationem à S. Thoma loc. cit. de spiritualibus creaturis expendendam transeamus. Et vis rationis eius consistit in hoc, quia ordo inter plura indiuidua eiusdem speciei est per accidens: sed in multitudine Angelica non potest cadere ordo per accidens, sed ordo per se: ergo in multitudine Angelica non dantur plura indiuidua eiusdem speciei. Minor propositio patet. Nam cum indiuidua in natura essentiali sint paria, non est in eis prius, & posterius ex natura rei, si inuenitur inter species, quarum vna est altera perfectior, vt dicitur 8. met. Et hoc discrimen ponit Philosophus inter multitudinem specificam, & numericam 3. met. & hoc manifestat experientia. Quia cum aliqua hominum multitudo ordinatur, vt in exercitu, in Ciuitate, &c., manifestum est, quod per accidens ordinantur.

Inter plura indiuidua eiusdẽ speciei est ordo per accidens, qui nequit esse in Angelis, sed tantum ordo per se.

161 Minor autem probatur, supponẽdo, quòd ordo est maximum bonum positiuum vniuersi. Duplex enim est bonum vniuersi: quoddam separatum, vt Deus, qui est vltimus, & optimus finis illius: & quoddam in ipsis rebus, & hoc est ordo partium vniuersi, & de hoc bono debent magis participare superiores vniuersi partes.

Duplex est bonum vniuersi: & quodnã sit?

162 Hoc supposito, Minor probatur. Quia perfectius de ordine vniuersi, ac perindè de bono illius, participant illa, in quibus est ordo per se, quàm illa, in quibus est ordo per accidens. Nam illa connaturaliter participant hoc bonum: his verò tale bonum est aduẽtitium, & accidentarium: Sed Angeli perfectiùs participant

Minor arg. & rationes S.Tho. probatur.

Digitized by Google

bonum vniuerſi, & ordinem illius: ergo participant ſolum ordinem per ſe, & non per accidens. Probatur hæc conſequentia: Quia in iſtis corporibus inferioribus, quia minùs participant de ordine vniuerſi, inuenitur in eis ordo per ſe, & per accidens; inuenitur enim ordo ſpecierum, & indiuiduorum: At in corporibus ſuperioribus, quia magis participant de ordine vniuerſi, inuenitur ſolus ordo per ſe, & non per accidens, & ideò ſèper habent ordinem vniformem. Sed Angeli magis participant de ordine vniuerſi, quàm corpora cœleſtia, cum ſint longè altioris naturæ: ergo in eis inuenitur ſolus ordo per ſe, ac proinde ſolus ordo ſpecificus non numericus, qui eſt ordo per accidens, & ita ſequitur conſequentia in Angelis ſolum reperitur multitudo ſpecifica, non numerica.

Angeli magis participant de ordine vniuerſi, quàm corpora Cœleſtia.

163 Audiamus S. Doctorem loc. ſæpiùs citato ſic ratiocinantem. *Secũda ratio*, inquit, *ſumitur ex ordine vniuerſi, manifeſtum eſt enim, quod duplex eſt bonum vniuerſi: quoddam ſeparatum ſcilicet Deus, qui eſt ſicut Dux in exercitu: & quoddam in ipſis rebus, & hoc eſt ordo partium vniuerſi, licet ordo partium exercitus eſt bonum exercitus. vnde Apoſtolus dicit Rom. 13. Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. Oportet autem quod ſuperiores vniuerſi partes magis de bono vniuerſi participent, quod eſt ordo. Perfectiùs autem participant ordinem ea, in quibus eſt ordo per ſe, quàm ea, in quibus eſt ordo per accidens tantum. Manifeſtum eſt autem, quòd in omnibus indiuiduis vnius ſpeciei non eſt ordo, niſi ſecũdùm accidens. Conueniunt enim in natura, & differunt ſecundùm principia indiuiduãtia, & diuerſa accidentia, quæ per accidens ſe habent ad naturam ſpeciei. Quæ autem ſpecie differunt, ordinem habent per ſe, & ſecundùm eſſentialia principia. Inuenitur enim in ſpeciebus rerum vna abundare ſuper aliam, ſicut, & in ſpeciebus numerorũ, vt dicitur in 8. met. tex. 10. In iſtis autem inferioribus, quæ ſunt generabilia, & corruptibilia, & infima pars vniuerſi, & minùs participant de ordine, inueniuntur non omnia diuerſa habere ordinem per ſe, ſed quædam habent ordinem per accidens tantum, ſicut indiuidua vnius ſpeciei. In ſuperiori autem parte vniuerſi, ſcilicet in corporibus cœleſtibus, non inuenitur ordo per accidens, ſed ſolum per ſe, cum omnia corpora cœleſtia ab inuicem ſpecie differant, nec ſint in eis plura indiuidua vnius ſpeciei, ſed vnus tantum Sol, & vna Luna, & ſic de alijs. Multo ergo magis in ſuprema parte vniuerſi non inueniuntur aliqua ordinata per accidens, & non per ſe: & ſic relinquitur. Quod omnes Angeli ab inuicem differunt ſecundùm maiorem, & minorem perfectionem formarum ſimpliciter ex maiore, vel minore propinquitate ad Deum, qui eſt actus purus, & infinita perfectionis.*

Apoſtolus Paulus ad Rom.

Bonũ vniuerſi eſt ordo partiũ vniuerſi.

Quiſnã ordo inuenitur incorruptibilib. & infima parte vniuerſi, & quis in corporibus Cœleſtibus.

Reponuntur duæ reſponſiones aduerſariorum ad ſecundum hanc efficaciſſimam rationem D. Thomæ: & ſoluuntur.

164 AD hanc rationem Sancti Thomæ reſpõdet Suarez lib. 1. de Angelis c. 15. n. 17. & in forma negat minorem. Nempè, quod in Angelis non cadit ordo per accidens, ſed ſolum ordo per ſe. Et ad probationem cum dicitur, quod de bono vniuerſi perfectiùs participant ea, in quibus eſt ordo per ſe, quàm ordo per accidens, quia ordo per ſe eſt perfectior, quàm ordo per accidens.

Ponuntur duæ reſpõſioni S. Th. & prima eſt reſponſio Suarez.

165 Reſpondet Suarez ſecundò: primùm, quòd licèt ordo per ſe ſit nobilior, quàm ordo per accidens, ac proinde nobilior ſit ordo ſpecierum, quàm indiuiduorum: Attamen non inde ſequitur, quod in Angelis vterq; ordo locum habere non poſſit. Quia inquit ipſe, perfectio multitudinis, ſeù corporis myſtici non conſiſtit in vno ſolo modo perfectionis, etiã ſi maior, ſeu melior ſit, ſed in varietate, & comple-

2. Reſpõſio Suarez.

Digitized by Google

plemento omnium, cum sufficientia singulorum.

Aliud quod addit Suarez suæ secundæ responsioni.

166 Addit secundò, licèt ordo specierum sit magis per se, & ex suo genere nobilior: nihilominùs in particulari potest aliqua multiplicatio individuorum excedere in aliquo multiplicationem, & numerum æqualem specierum, v.gr. nobilior, & perfectior esset multitudo ex duobus Seraphim etiam solo numero distinctis, quàm multitudo ex duobus, quorum vnus esset Seraphim, & alter Cherubim. Quia licèt isti duo differrent specie, & illi solo numero, nihilominùs entitatiuè perfectior est illa multitudo duorum Seraphim, quia ambo essent altioris Cœli, quàm multitudo duarũ personarum, quarum vna esset Seraphim, & alter Cherubim. Quia vnus esset altioris, alter inferioris speciei. Sicut perfectior est multitudo ex duabus monetis ex auro, quàm si vna esset ex auro, altera ex argento, vel ære. Vnde si non esset numerus Angelorum, vel Seraphinorum, aliunde augẽdus, meliùs essent duo Seraphim eiusdem speciei, quàm vnus tantùm, cum vno Cherubim creare, & sic concludit, quòd vtraque multiplicatio habet suam perfectionem, & habent se sicut excedens, & excessum. Et sic vtraque ponenda est in Angelis.

Reijciũtur responsio Suarz.

167 Sed hæc responsio facilè reijcitur. Nam cum negat in Angelis reperiri solum ordinem per se, & non per accidens, facilè vrgetur instantia allata à S. Th. Quia altior pars vniuersi est multitudo Angelica, quam tota multitudo corporea. Sed ordo per accidens solùm reperitur in corporibus inferioribus, quæ sunt generabilia, & corruptibilia, non verò in corporibus superioribus, & æternis: ergo multò minùs ista mixtura ordinis per se, & per accidens reperitur in Angelis. Et perinde est in ordine naturali Angelorum permiscere ordinem per se, & per accidens, ac permiscere aurum, & æs. Vnde sicut nobilior est massa puri auri, quàm massa auri, & æris permixta. Ita Nobilior est ordinatio naturalis Angelica pura per se, quàm permixta ex ordinatione per se, & per accidens.

Ordo per accidens solum reperitur in corporibus corruptibilibus.

168 Et cum primò dicit Suarez, quod ad perfectionem multitudinis, seu corporis mystici pertinet nõ vnus solus modus ordinis, sed si sint modi diuersi, &c. Hoc si intelligatur de multitudine totali, & de totali corpore mystico, transeat. Non autem si intelligatur de aliqua parte illius multitudinis. Sicut in aliqua Rep. non omnes Cines sunt vnius ordinis, sed sunt ordines diuersi: est ordo optimatum, seu Senatorum, est ordo populi honorabilis, est etiam ordo hominum plebeorum, & ita totum corpus mysticũ Reipubl., seu Ciuitatis consurgit ex varijs ordinibus, & ex hac varietate consurgere potest multitudinis, & corporis mystici perfectio. Attamen si accipiatur ordo senatorius, non pertinet ad illius perfectionem, si in illo ordine coordinentur plebei, & homines de populo. Sed ex ista mixtura denigraretur splendor ordinis senatorij. Ita similitèr quamuis in tota rerum vniuersitate, tãquam in vna Rep., vel in vno mystico corpore ad illius perfectionem, & pulchritudinem sint aliqua ordinata per se, aliqua ordinata per accidens, quia vt benè dicunt Salm. num. 7. vniuersum est, & vt sic tanquam integrum corpus constat ex omnibus suis partibus superioribus, & inferioribus. Attamen in illo supremo ordine creaturarum, qualis est ordo Angelorum, indecorum est permiscere ordinem per accidens. Cum talis ordo pertineat ad plebem creaturarum, nempè ad res corruptibiles, quæ in quantum huiusmodi retinent in hoc vniuerso infimum locum, & sit quasi de infima plebe vniuersi.

Ad perfectionem totius, & totalis corporis mystici spectat si sint diuersi modi ordinis, non verò ad quẽlibet partẽ illius.

169 Quod addebat secundò Suarez, nimirùm licèt ordo per se sit præstantior ordine per accidens, potest tamen aliqua multitudo ordinata per accidens in aliquo excedere multitudinem ordinatam per se, sicut entitatiuè perfectior multitudo esset duorũ Seraphinorum eiusdem speciei, quàm si con-

Digitized by Google

si constarent ex duobus ex vno Seraphim,& vno Cherubim.

170 Hoc, inquam, quòd addidit secundò,non facit ad propositum,quia in præsenti non est comparatio inter entitates rerum componentium multitudinem,sed est comparatio inter ordinem vnitatum, ex quibus coalescit multitudo,& sic perfectior quoad hoc esset multitudo duorum,quorum vnus esset Seraphim, alter Cherubim,quàm multitudo duorum Seraphinorũ eiusdem speciei, quia ordo istius multitudinis est per accidens,illius multitudinis est per se.

Confutatur quod secundo addidit Suarez.

171 Id ergo,quod cõtendit S.Th., est ostendere,spectata Angelica natura, & multitudine illius, quòd iuxta nobilitatẽ,& superioritatem illius,non est capax ordinis per accidens,sed solùs ordinis per se,sicut ad perfectionẽ auri pertinet, vt sit purum ab omni conditione inferioris metalli, etiam si talis conditio fit perfectio prædicti metalli inferioris. Sicut quod ferrum nõ sit facilè ductibile, & fluxibile,pertinet ad perfectionem ferri. Sed si misceatur auro talis conditio, detrahit perfectioni illius: nam ad perfectionẽ auri requiritur, vt sit ductile, & fluxibile. Ita similitèr illa nobilissima pars vniuersi, qualis est natura Angelica, debet multiplicari, & ordinari nobilissimo modo, sed nobilior est modus,quo ordinantur species, quàm indiuidua: quia illæ per se, illa verò ordinantur per accidens: ergo in Angelica multitudine non cadit multitudo numerica. Aliàs, vt dixi, esset cõponere massam ex auro, & ferro.

S.Th. ostẽdit quod iuxta nobilitatẽ, & superioritatẽ naturæ Angelicæ, non est capax ordinis per accidens.

172 Sed adhuc vrgebis, quia species vegetabilium, & animalium, & maximè species humana sunt longè præstantiores speciebus corporum cœlestium,& tamen in eis datur ordo per accidens, quia in eis datur multiplicatio numerica. Ergo non rectè intulit S.Thomas, quòd corpora cœlestia sunt pars suprema mundi visibilis, & propterea in eis non datur ordo per accidens, nec indiuiduorum multiplicatio, & multo durius dictũ est à nobis, quòd res generabiles, & corruptibiles pertinent ad infimam plebem vniuersi.

Replica Suarez.

173 Sed hæc replica non facit ad rem. Quia cum loquimur de partibus vniuersi, loquimur de partibus,prout per se pertinent ad consistentiam vniuersi. Ad compositionem autem vniuersi per se non pertinent,quæ habent permanentiam in vniuerso, huiusmodi autem sunt species rerum, quas natura intendit permanere. Et ideò illæ sunt potiores partes vniuersi, quæ sũt permanentiores. Quia vero species corporum cœlestium sunt simplicitèr permanentes, species verò corporum inferiorum sunt permanentes secundùm quid, quia sunt generabiles, & corruptibiles, & in tantum permanẽt, in quantum per continuam generationem reparantur.

Prędicta replica præcluditur.

Partes, quę per se pertinent ad cõsistentiam uniuersi, & per se in illo permanent, sunt species rerum.

174 Imò etiam in hoc est quædam graduatio: Nam quædam existunt in vno indiuiduo,quod est corruptibile, & generabile secundùm partem; vt est quodlibet elementum. Non enim totum vnum elementum potest corrumpi, sed secundùm aliquam ipsius partem corrumpitur, & generatur. Quædam verò habent esse in vno indiuiduo,quod est corruptibile secundùm totum, vt sunt species mixtorũ. Ideò partes huius vniuersi principaliores sunt Cœli. Quia eorum natura specifica existit in vno indiuiduo simplicitèr incorruptibili. Mediæ partes sunt elementa,quia illorum specificæ naturæ existũt in vno indiuiduo, quod est generabile, & corruptibile secundùm partem. Infimum locum tenent species mixtorum, quia eorum species existunt in indiuiduis corruptibilibus secundùm totum.

Graduatio in modo, quo species rerum habẽt permanentiam in uniuerso.

175 Vnde in fine mundi quando cessabit generatio,& corruptio,remanebunt Cœli, & elementa tanquam præcipuæ partes vniuersi, & omnia mixta in elemẽta resoluentur, ac omnes species mixtorum interibunt, tanquam partes minùs præcipuæ vniuersi. Sic igitur patet, quòd Cœli sũt superior pars vniuersi, non solum secun-

Digitized by Google

Quæ sint partes nobiliores uniuersi?

cundùm situm, sed secundùm ordinẽ permanentium partium vniuersi. Quãuis ergo species vegetabilium, & animalium, & species humana sint nobiliores speciebus cœlestibus. Attamen, quia habent esse corruptibile, & Cœli esse incorruptibile, ex hoc Cœli sunt suprema visibilis vniuersi pars. Sicut si aliquis de plebe sit ditior aliquo de ordine senatorio in Rep., non propterea ille ditior pertinet ad ordinem senatorium Quia ille ditior habet ignobilẽ natiuitatem, ille minùs diues nobiliorem. Sic res corruptibiles, & si sint perfectiores rebus incorruptibilibus; tamen res incorruptibiles habent modũ essendi nobiliorem, quã non habent res corruptibiles quantũuis perfectæ. Cum verò Angeli non solum in quidditate, sed etiam in incorruptibilitate, & permanentia in esse præcellent omnes species corporeas, sine dubio sunt sublimissima pars vniuersi.

176 Adde, quòd Cœli sunt superior pars vniuersi non solum propter permanẽtiam, sed etiam propter causalitatem, quia sunt causæ vniuersales corruptibilium, & generabilium effectuum; quia ab ipsis dependet esse effectuum inferiorum: ex influentia enim ipsorum alij intereunt, alij progignuntur. Imò ex hoc, quòd sunt causæ priores habent permanentiam. Quia vt dicit Philosophus, vt conseruetur ordo vniuersi in his inferioribus, oportet prima principia esse fixa, & stabilia.

177 Igitur rectè à S. Thoma dictũ est, quod cœli sunt suprema huius visibilis mundi pars, & quòd hæc corruptibilia sunt infima pars, & benè ex eo, quòd in Cœlis non est ordo per accidens, concluſit, quod neque in Angelica multitudine.

2. Respõsio aduersar. prædictæ rationi Sãcti Tho.

178 Secundò respondent alij ad rationem S. Thomæ, negando maiorẽ, scilicet inter indiuidua non inueniri ordinem per se, sed solum per accidẽs. Nam videmus indiuidua vnius speciei esse per se ordinata, nam quæ distinguuntur sexu, vt mas, & fœmina, sunt inter se naturaliter ordinata ad prolis generationem: Hic filius, & hic pater sunt naturaliter, & per se inter se ordinati. Quia hic filius non potuit generari indifferentèr à quocumque, sed ab hoc singulari Patre. Vnde inquit S. Thomas Quodlib. 5. a. 8. *Impossibile est eundem filiũ nasci, siue sit alius Pater, siue sit alia mater, &c.* & par ratio est de Patre huius filij respectu sui aui, & sic vsque ad Adam: ergo etiam inter indiuidua datur ordo per se.

Reijcitur 1.

179 Sed neq; hæc responsio euacuat vim argumenti: primum, quia esto inter indiuidua eiusdem speciei datur aliquis ordo per se, simplicitèr tamen habent ordinem per accidens. At in superioribus partibus vniuersi, nullo modo datur ista permixtio ordinis per se, & per accidens, sed purus ordo per se. Igitur nulla responsio.

Reijcitur 2.

180 Secundò si quis est ordo per se inter indiuidua, talis ordo per se nõ se tenet ex parte indiuiduorum, quatenus indiuidua sunt, sed se tenet ex parte specierũ: nam indiuidua nõ sũt per se intenta à natura, sed per accidens, seu per aliud, idest propter speciem, quæ vt conseruetur, & vt habeat completum esse, & completam operationem, requirit indiuiduorum propagationem: ergo indiuiduis, vt sic solũ conuenit ordo per accidens: ordo verò per se ratione speciei.

Ordo per accidẽs cõuenit indiuiduis ratione propria. Ordo per se conuenit eis ratione speciei.

Tertia ratio S. Thomæ pro nostra sententia: & effugia aduersariorum diluuntur.

181 TErtiò principalitèr probatur nostra, & Diui Thomæ sententia. Quia si esset connaturale, & consonum Naturæ Angelicæ habere plura indiuidua sub eadẽ infima specie, dedisset ipsi auctor naturæ fœcunditatem, vt posset vnus Angelus producere alium Angelum sibi similem, & nõ fecisset naturas Angelicas steriles. Nam huiusmodi fœcunditas est magna perfectio naturæ creatæ, & maximè assimilatur fœcunditati diuinæ naturæ: Vnde de hac gloriatur

3. Ratio nostræ sentẽtiæ.

Digitized by Google

tur Deus per Prophetam dicens: Nunquid ego, qui alijs generationem tribuo, ſterilis ero? Ergo ſignũ eſt, quod natura Angelica non eſt apta multiplicari in plura indiuidua. Probatur hæc conſequentia, quia donum fœcũditatis datum eſt ſpeciebus, quæ in plura indiuidua multiplicantur. Vnde naturæ, quæ non habent fœcunditatem, nec ſunt numero multiplicabiles.

Naturę, quę non habent fœcunditatem, nõ sũt numero multiplicabiles.

182 Dices, quod multiplicatio numerica Angelorum habet altius principium, nempè ipſum ſuum Creatorẽ, à quo immediatè creantur: Nam cum Angelus ex eo, quod eſt ſimplex ſubſtantia, non poſſit prodire in eſſe, niſi per creationem, ſic Angelus non poteſt producere alium Angelum, ſicut nec vna anima rationalis poteſt aliam producere, ſed omnes immediatè creantur à Deo, & tamen multiplicantur numero. Sic plures Angeli ſolo numero diſtincti potuerunt à principio procreari.

Effugium aduerſ.

183 Sed contra hoc eſt, quia præſtantior eſt illa natura, quæ habet intrinſecum principium multiplicationis ſuæ, quàm quæ habet ab extrinſeco, & meliùs eſt, quod natura habeat intrinſecam fœcunditatem ad producendum ſibi ſimile, quàm quòd ſibi ſimile producatur ab alio: & ipſa natura ſit impotens, & ſterilis ad hæc. Et quamuis verum ſit, quod Angelus cũ ſit ſimplex ſubſtantia, non poteſt alitèr fieri, niſi per creationem, hæc non eſt adæquata cauſa, cur aliqua natura ſit infœcunda ad generandum ſibi ſimile: Nam Cœli non ſunt ſimplices ſubſtantiæ, ſed compoſitæ ex materia, & forma, & tamen vnum corpus cœleſte non habet fœcunditatem ad producendum aliud corpus ſimile. Sicut Sol non habet fœcunditatem producendi alium Solem: & hoc maximè vrget in ſententia eorum, qui dicunt materiam cœleſtem, & ſublunarem eſſe eiuſdem rationis, vel ſaltem totam materiam cœleſtem. Quare enim Sol non poteſt educere à prædicta materia aliam formam ſibi ſimilem, & generare alium Solem è niſi quia non habet talem fœcunditatem, & ideò non habet talem fœcũditatem, quia non eſt connaturaliter ſuæ ſpeciei multiplicari numero, quia nimirum ſufficiens eſt conſeruari in vno indiuiduo.

Præludit prædictum effugium.

Præſtantior eſt natura habẽs principium intrinſecum ſuæ multiplicationis, quam quæ habet extrinſecum.

184 Nec valet inſtantia de animabus rationalibus: primum, quia, vt millies reſponſum eſt, multiplicatio illarũ eſt propter multiplicationem corporũ; Deindè retroquetur non parum efficacitèr contra reſpõſionẽ: Nam benè ſtat, quod natura ſpecifica ſit fœcũda, & tamẽ terminus ſubſtantialis, quem parit, fiat per creationem. Vt patet in natura humana, quæ habet fœcunditatem. Nam exiſtens in vno indiuiduo habet fœcunditatem producẽdi aliud indiuiduum ſimile in natura. Et tamen cum homo generat hominem, neutram partem ſubſtantialem illius producit, ſed ambæ ſunt creatæ à Deo, & ſolum dicitur homo producere hominem, quia producit aliquam diſpoſitionẽ, cui debeatur animæ rationalis creatio, & illius corpori infuſio: Ergo ſimilitèr etiã ſi Angelus non poſſit creare Angelum ſibi ſimilem, poterit tamen diſpoſitiuè operari ad creationem alterius Angeli, nõ vt diſpoſitiuè creet, ſed ponere aliquã diſpoſitionem, cui debeatur alterius conſimilis Angeli creatio: ſicut homo ponit talem diſpoſitionem, cui debeatur creatio animæ. Quod ergo natura Angelica ſit infœcunda, & exiſtens in vno indiuiduo, non poſſit alium conſimilẽ producere, non eſt ſufficiens ratio, quia ſubſtantia Angelica creatur; ſed oportet aliã cauſam aſſignare, & certè non poteſt aſſignari alia, niſi quia natura Angelica de ſe non eſt apta multiplicari in plura indiuidua ſolo numero diſtincta.

Inſtantia aduerſ.

Quid eſt quid homo producat dùm generat filium, cuius ambæ partes ſubſtantialem fiunt per creationẽ.

185 Dices primò, quod & ſi tàm materia, quàm formà ſint à Deo per creationem; tamen vnio, quæ eſt modus quidã ſubſtantialis, quo materia, & forma ſimùl vniuntur, producitur à generante. Et ſic generans dicitur producere totam ſubſtantiam.

1. Euaſio aduerſ.

186 Sed in primis talis modus ex natura rei diſtinctus à partibus iam oſten-

1. Præclu-ſio.

Digitized by Google

ostendimus non dari, idque non solũ rationibus, sed etiam ostendimus de mente S. Thomæ.

2. Præludio. 187 Deindè etiam si daretur iste modus vnionis: in homine vnio non produceretur à generante, sed potiùs ab ipso Deo infundente animam corpori, siuè materiæ. Nam ibi intercedit duplex actio Dei, scilicèt creatio, & infusio animæ, creatio enim est productio animæ; sed infusio est vnitio animæ. Vnitio autem terminatur | ad vnionem, & ità in regeneratione, siuè in resurrectione, dabitur noua animæ infusio, per quam anima vnietur corpori, & non dabitur noua animæ creatio. Igitur si ad vniendam animam rationalem materiæ requiritur ille modus vnionis, potiùs est terminus infusionis animæ, cum illa infusio non sit aliud, quàm actio vniens animam materiæ: illa autem actio infundens, & vniens animam corpori est actio solius Dei.

Vnio animæ corpori est à Deo infundente animam, & non à generante.

188 Igitur ille modus, si datur, est opus Dei: & sic Deus ipse est immediata causa materiæ primæ, animæ rationalis, & vnionis vtriusq;, ac proindè, & substantia partialis, & substantia totalis à solo Deo in generatione hominis producitur, & homo dicitur producere hominẽ per hoc solum præcisè, quod producit aliquam dispositionem, cui debetur productio talis substantiæ, & hoc modo natura humana est fœcunda, & propagatur in plura indiuidua. ergo etiam si substantia Angeli à solo Deo creetur, potuit tamen natura Angelica habere fœcũditatem, ponendo aliquam dispositionem, cui debita sit creatio alterius Angeli sibi consimilis.

189 Denique dato, quod ille modus vnionis sit à generante; tamẽ ipse generans verè est causa numericæ multiplicationis animarum rationaliũ per hoc, quod ponit aliquam dispositionem, ad quam ordine naturæ debetur animæ rationalis creatio; ergo etiam vnus Angelus potest esse causa multiplicationis numericæ plurium Angelorum, non obstante, quod substantia Angeli pendeat in esse per creationem, ponendo aliquam dispositionem, cui debeatur alterius consimilis Angeli creatio. Et sic potest saluari denominatio fœcũditatis in natura Angelica nõ obstãte, quod substãtiæ Angelicæ non possint prodire in esse nisi per creationẽ; cum ergo talem fœcunditatem non habeant, signum est, talẽ naturam de se saltem non esse aptam ad numericam multiplicationem.

Generans est causa numer. multiplicat. animar. rationalĩ. quia producit dispositionem, cui ordine naturæ debetur animæ ration. creatio.

190 Dices secundo, quod Angelus nullam dispositionem potest ponere, cui debeatur alterius Angeli creatio. Quia vel ista dispositio esset immanens in Angelo, vel esset transiens ab Angelo: si est immanens, non potest illa dispositio esse talis, cui debeatur alterius Angeli productio, quia illa dispositio disponeret ipsum subiectum, seu ipsam substantiam Angeli ad recipiẽdum aliquid in se, non verò ad producendum aliud suppositum distinctum à se. Si esset transiens, nõ haberet subiectum, quia non esset in aliqua materia, cui deberetur substantia Angeli, quia Angelus non est forma materiæ: sicut est anima rationalis, quæ debetur materiæ dispositæ. Nec reciperetur in ipso Angelo, qui ad requisitionẽ illius dispositionis crearetur, quia ista dispositio deberet præcedere saltem ordine naturæ ipsam Angeli creationem, illiusque substantiæ: sicut dispositio, ad cuius requisitionem Deus creat animã rationalem; præcedit ipsã animæ rationalis creationem. Ergo talis dispositio transiens non haberet subiectum, & sic non potest Angelus ponere aliquam dispositionem, cui debita sit alterius Angeli creatio neque immanentem, neque transeuntem.

1. Euasio aduers.

191 Sed hæc euasio facilè præcluditur, explicando modum, quo Angelus posset ponere aliquam dispositionem, ad quam ordine connaturali deberetur alterius Angeli creatio. Vnde ad dilẽma dico, quòd illa dispositio esset immanens, & non transiens; posset enim esse actus intellectus, & volũtatis: posset enim cognoscere semetipsum, formando expressiuum verbum sui ipsius, & addendo efficacem volũ-

2 Euasio euertitur.

Digitized by Google

tatem, quæ velit ſimilem Angelum, qualem ſe cognoſcit in eſſe produci, ità vt talibus motibus ſit debita creatio cõſimilis Angeli (ſicuti poſito actu contritionis in voluntate, Deus infundit gratiam, quam contritionem) non ſolum in ſententia S. Thomæ, ſed etiã multorum, tenentium actum contritionis procedere à ſolo auxilio actuali, & antecedere ordine naturæ ſimpliciter gratiam, dicunt eſſe phyſicam diſpoſitionem ad illam. Cur non ergo actus iſti immanentes non poſſunt eſſe diſpoſitiones, quibus debeatur alterius Angeli creatio. Si enim diſpoſitiones materiales, ſunt tales, vt illis debeatur creatio animæ rationalis, quare iſtæ diſpoſitiones ſpirituales, & adeò nobiles non poſſunt eſſe tales, quibus alterius Angeli creatio debeatur?

3. Euaſio aduerſ.

192 Nec valet illud, quod addebatur, quod diſpoſitio præparat ſubiectum ad aliquid recipiendum in ſe, non ad producendum aliquid extra ſe.

Præcluditur.

193 Dico enim, hoc non eſſe neceſſarium. Nam in ſententia aduerſariorum voluntas mouet potentias animæ, & corporis organa ad aliquid operandum per hoc ſolum, quod ipſa habeat actum efficacem, quo vult potentias operari, & organa moueri per quandam naturalem ſequelam. Tali enim actu poſito in voluntate, ſequitur naturaliter operatio potentiarum, & organorum motus; ità poſita in intellectu Angeli cognitione perfecta ſui ipſius, & efficaci actu in voluntate, quo velit conſimilem Angelum eſſe in rerum natura, ſit illi per naturalem ſequelam debita creatio alterius Angeli. Sicut diſpoſitioni materiali per naturalem ſequelam, & naturalem connexionem eſt debita creatio animæ rationalis.

Ratio quare natura Angelica non ſit aliquo modo fœcunda, ſed ſic ſimpliciter ſterilis ad producendum plures Angelos eiuſdem ſpeciei.

194 Igitur nulla poteſt aſſignari ratio ſufficiẽs, quare natura Angelica non ſit aliquo modo fœcunda, ſed ſit ſimpliciter ſterilis ad producendum plures Angelos eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero inter ſe diſtinctos. Et quare non habeat intrinſecum principiũ propagationis ſuæ, Sicut habent ſpecies ſublunares, niſi quia natura Angelica non eſt de ſe apta habere plura indiuidua ſub eadem ſpecie. An autem hoc fieri poſſit de potentia Dei abſoluta, difficultatæ ſequenti videndum eſt, &c.

ducendum plures Angelos eiuſdẽ ſpeciei.

Confir. Diſcrimen inter causã multiplicãdi ſpecies, & multiplicandi indiuidua.

195 Confirmatur ex diſcrimine inter cauſam multiplicãtem ſpecies, & inter cauſam multiplicantem indiuidua. Quòd cauſa multiplicans ſpecies non poteſt eſſe niſi cauſa prima. Quia ſpecies nõ ſunt entia à ſe, ſed ab alio; Vnde niſi cauſa prima producat immediatè per ſe ipſam aliquod indiuiduum alicuius ſpeciei, quod ſit principium illius, non poteſt illa ſpecies dari in rerum natura, &c. Niſi enim Deus procreaſſet immediatè per ſe ipſum primos homines, non fuiſſet in rerum natura ſpecies humana, à quibus deindè ſpecies humana per ſucceſſiuam generationem cœpit propagari, & ſimilis ratio eſt de alijs ſpeciebus. Quod videns Plato poſuit principia ſpecierum, ſeu ſpecies ipſas, quas idæas vocabat, entia à ſe, & per ſe ſubſiſtentia. Quia oportet, vt ſpecies, aut ſint ex ſe entia, quod dici non poteſt, nec ſecundùm fidem, nec ſecundùm verã Philoſophiam: aut quod habeant aliquod principium immediatum productiuum illius, & quod ſit altiùs ipſis ſpeciebus, & præcontineat illas in ſua virtute. Nam ſi ſpecies fiant ab alia cauſa, quæ contineretur in illa ſpecie; vel hæc cauſa eſſet à ſe, & hoc, vt dictũ eſt, repugnat fidei, & rationi. Vel eſſet ab alio, & hoc aliud debet eſſe extra, & ſupra ſpeciem. Et ſic ſpecies non poſſunt multiplicari, niſi ab aliquo ſuperiori, & vniuerſali principio, quod ſit extra, & ſupra omnes ſpecies, & hoc dicimus eſſe causã primã. Ideò in principio Gen: introducitur Deum immediatè produxiſſe rerum ſpecies in aliquibus primis indiuiduis, & indiuidua ſpecierũ, quæ habent eſſe incorruptibile, & extãt adhuc illa eadẽ, quæ à principio creata fuerunt. Vt Sol, una, &c. Quæ verò habent eſſe,

cor-

Digitized by Google

corruptibile, per continuam generationem reparantur,& conseruantur in esse. Ergo species multiplicantur ab aliquo principio existente extra speciem.

204 Sed indiuidua multiplicantur per alia prima indiuidua existentia in eadem specie. Sed Angeli non multiplicantur per alia priora indiuidua eiusdem speciei,nec effectiuè, nec dispositiuè, sicut multiplicantur animæ rationales. Quæ licèt creantur à Deo immediatè, tamen creantur ad requisitionem dispositionũ,quas ponit agẽs eiusdem speciei: Sed Angeli multiplicantur ex natura rei ab ipso Deo immediatè: ergo cum multitudo Angelorum sit creata à Deo immediatè, non est multitudo indiuiduorum, sed specierum. Quia sola multitudo specifica petit sic à Deo creari. At multitudo indiuiduorum est indifferens, vt sit à prima causa, & ab indiuiduis eiusdem speciei.

A solo Deo potest fieri multiplicatio specierũ: at multiplicatio indiuiduorum potest etiam fieri per indiuidua eiusdẽ speciei.

205 Itaque vis huius confirmationis consistit in hoc, quod multiplicatio specierum non potest fieri, nisi à solo Deo: multiplicatio indiuiduorũ & à solo Deo, vt fuit in prima Institutione specierum, non enim potuerunt species creari, nisi in aliquibus indiuiduis: & potest fieri per indiuidua eiusdem speciei. Sed Angelica multitudo non potest fieri, nisi à solo Deo,& non potest propagari per indiuidua eiusdem speciei: ergo Angelica multitudo simpliciter est specifica,non numerica.

Enodantur Argumenta aduersariorum pag. 229. num. 99. & 100. posita.

Animaduersio.

206 AD primum argumentum desumptum ab auctoritate Patrum aduerto, quod si aliquid exinde probatur, dicendum esset omnes Angelos, quotquot sunt, esse eiusdem infimæ speciei, & solo numero inter se differre,sicut sunt omnes homines:Quæ sententia licet olim fuit aliquorum Theologorum, tamen communior sententia post Alensem, S.Th.,Scotum, Durandum, & hodie ab omnibus recepta tenet,dari Angelos etiam specie differentes. Vnde generatim in primis respondendum est ad omnes illorum auctoritates, vt respondet S.Th.loco infra adducẽdo, quòd ideò Sancti Patres eodem modo loquuntur de multitudine Angelorum,& hominũ: quia non loquũtur de natura Angelica, & humana secũdùm quod consideratur in esse naturali, sed secundùm quod præordinãtur ad beatitudinem. Quia quantũ ad ordinem beatitudinis eodẽ modo ordinantur Angeli, & homines. Vnde dicitur Apoc. 21.17. eadem est mensura hominis,quæ Angeli. Apocal. Ioannis.

207 Vel dicendum, vt benè dicit Suarez lib.1.de Angelis cap.12. n.7. Quia de Angelis non possumus aliud scire,nisi id, in quo omnes conueniũt, & est in eis excellentissimum, nempè, quòd sunt intellectualis naturæ,& nõ possumus cognoscere proprias differentias essentiales illorum. Ideò Sancti locuti sunt de natura Angelica,tãquam de vna specie, & de multitudine illorum, tanquam de pluribus indiuiduis ex proportione ad homines, qui conueniunt in natura rationali, quæ est excellentissima perfectio humanæ naturæ. Suarez.

Cognoscimus, quod Angeli sũt intellectualis naturæ, sed proprias differentias essentiales illorum discernere nõ valemus.

208 Nec fuerunt solliciti Patres maiorem inquirere inter Angelos distinctionem, tùm quia super hac re nihil est expressè,nec virtualitèr reuelatum, vnde possit per illationem necessariam alterutra pars determinari; Tùm etiam, quia nullum fidei præiudicium infert siue vnam, siue alteram sententiã amplexatus fueris, quamuis S. Bon. dixerit hanc sententiam, quæ negat Angelos distingui solo numero, esse contra fidem. Sed immeritò, vt mox ex Aug.dicemus. Alij verò Sancti, qui sollicitiùs hanc quæstionem perscrutari voluerunt, hæserunt animo, & rem dubiam reliquerunt. Vt Damas.lib.7. de fide c.3. & Aug. lib. contra Priscillianistas. Vbi,cap. vltimo. *Esse Angelos, Principatus, Potestates,* S. Bonauẽt.

tes, & virtutes libentèr me scire fateor, quia id testatur Paulus ad Coloss. 2. Quid autem sint, aut qualitèr sint, aut QVOMODO DISTINGVANTVR, prorsus ignoro, neq; ex hac ignorantia aliquod detrimẽtum patior. Ecce quomodo ex Aug. hæc quæstio ad fidem non pertinet; cum ex ignorantia quomodo distinguantur Angeli nullum eius fides detrimentum patitur: Vnde si vnum, siue alterum dixeris, nil fidei aduersatur.

202 Illud autẽ, quod ex hac Aug. & Damasceni dubitatione colligit Suarez loc.cit.lib.1.de Angelis c.15. n.15. nimirùm, quia Patres, aut admiserunt multitudinem numericam, aut dubitauerunt, nullus tamen illud expressè negauit; ac proindè verisimiliùs esse de mente Patrum dari numericam multitudinem inter Angelos.

Euasio Suarez.

203 Hoc, inquam, non valet, quia nec vlli Patres expressè talem multitudinem docuerunt, vt dictum est, nec qui dubitauerunt, vt perspicuè ingenium Aug. magis verisimile existimauit vnum, quàm alterum: aliàs non dubitasset, si vtrumque non vidisset verisimile. Et ideò ex illa dubitatione nihil determinatè colligi potest magis pro vna, quàm pro parte altera.

Præludi. tur.

204 Sed libet pro maiori Patrum explicatione, singulas illorum sententias expendere, & primum, quod dicit Basil. lib.3. contr. Eunom. Quòd *Angeli sicut habent vnum communem nomen, ita vnam communem naturam.* Vlteriùs, quòd *etsi Angeli Dignitate, & Principatu differunt, non ideò naturam alteram habent.* At si differrent specie, non solum differrent Dignitate, & Principatu, sed differrent natura, maximè, quia secũdùm nos Principatus, & Dignitas fundantur in natura: ergo, &c.

Responsio ad primam Basilij authoritatem.

205 Sed ad hoc Basilij testimoniũ respondetur, dicendo, quòd Basilius nihil aliud velle videtur, nisi quod Dignitas, & Principatus, qui conuenit Angelis, non conuenit illis eo, quòd natura eleuatur ad altiorem gradum. Sicut conuenit homini Principatus, & Dominium supra omnia animalia, & quod homo est altioris naturæ, quàm sint cætera animalia. Quia non solùm est sensitiuus, sed etiam rationalis, quàm dignitatem non habet natura animalium. Sed Principatus in Angelis, loquendo de Principatu naturali, qualis perseuerat etiam in Dæmonibus, est similis illi, quem habet Leo inter terrestria animalia, & Aquila inter volatilia. Nam ratione illius Principatus non habent aliam naturam à natura sensitiua aliorum animaliũ: & hac ratione videtur locutus Basil.

S. Basil.

206 Quæ explicatio sumitur ex S. Th. q.vnic. de spirit. creat. a.8. ad 9. Quatenus dicit, quod sicut omnia animalia conueniunt in eo, quod est nobilissimum in eis, namque in natura sensitiua, etiam si inter se specie differant, ita etiam Angeli conueniunt in vna natura nobilissima, quæ est natura intellectiua, quamuis intra latitudinem istius naturæ specie differant inter se. Et hoc sensu, vt dixi, loquitur Basilius de vnitate Angelicæ naturæ.

Responsio ad secundã auctoritatẽ Nisseni.

207 Similis explicatio adhibenda est auctoritati Nissen. lib. de Opif. hom. c.17. Vbi dicit, quòd licèt inter Angelos non sit propagatio vnius ab alio, sicut est inter homines, nihilominùs *Ad infinita propè millia sic esse diffusos, vt & vna natura, & multi esse NVMERO possent.*

208 Dico enim, quod loquitur de vnitate naturæ, prout omnes Angeli conueniunt in vna nobilissima natura intellectuali, & tamen dicit: multi esse numero possent. Non cõstat illum loqui de multitudine numerica ad sensum Philosophicum, quo sensu multa numero dicuntur illa, quæ sub eadem specie infima multiplicantur, sed loquitur de multitudine numerica latè sumpta: quomodo etiam si stellæ omnes differant specie, nihilominùs multæ numero dicuntur.

Responsio ad aliam auctoritatẽ Nisseni.

209 Ad illud, quod adducitur ex lib. de orat. Dom. vers. *Fiat Voluntas tua*, vbi videtur loqui de natura humana, & Angelica tanquam de duabus

bus naturis ſpecie inter ſe differentibus, benè dicit Niſſenus, ſed indè non licèt inferre, quod vtraq; ſit ſpecies atoma. Nam homo, & brutum differunt ſpecie ſub genere animalis, & tamen homo eſt ſpecies atoma, brutum eſt ſpecies ſubalterna. Ita dici poteſt locutum fuiſſe Niſſenum, vel poteſt dici. Quod loquitur Niſſenus de his duabus naturis, vt dicit S. Tho. loc. infra adducendo, quatenus cum ambæ ſint ordinatæ ad beatitudinem, habent inter ſe diuerſum perueniendi modum. Quia Angeli peruenerunt ad Beatitudinem ſtatim poſt primam electionem. Homines temporis decurſu.

Ad tertiam, & ad alias auctoritates eiuſdem Athanaſij reſponſio.

210 Tertium Athanaſij teſtimonium, cum dicit orat. in illud Ioann. *omnia mihi tradita ſunt, &c.* vbi dicit Angelos per omnia eſſe eiuſdem naturæ, eodem modo explicatur, quod in Angelis non eſt illa inæqualitas naturæ, qualis eſt inter hominem, & bruta. Quia natura humana eſt altioris ordinis, quam natura ſenſitiua, quæ eſt communis omnibus brutis. Et hoc ſenſu exponitur dictum Athanaſij.

211 Illud autem, quod adducitur ex quæſt. ad Antioch. q. 3. facilè explicatur. Cum enim dicit, quòd *Dæmō ab Angelo eſſentia non differt, ſed voluntate*, perſpicuè conſtat, quid velit Athanaſius, intendit enim Athanaſius dicere, quod illa differentia, quæ eſt inter Dæmonem in quantum malus, & Angelum in quantum bonus, nō pertinet ad eſſentiam, nec eſt eſſentialis, ſed eſt accidentalis, & voluntaria. Quod veriſſimum eſt, etiam ſi aliunde eſſentialitèr inter ſe differant.

212 Denique, quod adducitur ex q. 4. Vbi dicit, quod *Angelorum, Archangelorum, &c. vna eſt eſſentia, ſicut vna eſt eſſentia hominis*. Dico, quod non debet intelligi cum omnimoda ſimilitudine: nam ſimilitudines, vt dicitur, non ſunt identitates, ſed debet intelligi cum quadam proportione. Nimirùm, quod ſicut natura vna rationalis eſt communis omnibus hominibus, ità vna natura intellectualis eſt communis omnibus Angelis, quamuis non eodem modo.

213 Pari modo reſpondetur ad auctoritatem Dam. qui licèt lib. 7. de Fide c. 7. de diſtinctione Angelorum, quomodo, ſcilicet inter ſe diſtinguantur, dubitauerit, tamen lib. cui titulus eſt de Decretis, & Placitis c. 1. dicit: *Omnium Angelorum, vna eſt natura, & omnium hominum*. Dico enim, quod loquitur proportionalitèr, quòd ſicut vna natura rationalis eſt communis omnibus hominibus, ità vna natura intellectualis eſt communis omnibus Angelis, ſed non eodem modo.

Reſponſio ad quartum teſtimoniū Damaſc. & ad alias auctoritates ipſius.

214 Quod deinde affertur ex c. 7. vbi *incorpoream*, inquit, *eſſentiam appello, Animam, Angelum, Dæmonem. Vnumquodque enim iſtorum ſpecies eſt infima*. Non poteſt vt ſonat, intelligi. Quia ſic ſequeretur, quod omnes Angeli boni eſſent eiuſdem ſpeciei, & omnes Angeli mali (quos Dæmones appellamus) eſſent alterius ſpeciei. Quod non eſt dicendum. Quia Dæmones ſunt eiuſdem naturæ cum Angelis, & in quantum Dæmones non differunt ab Angelis differentia eſſẽtiali, vt dicebat Athanaſius, ſed differunt differentia accidentali, & voluntaria. Vnde inter Angelos, & Dæmones ex iſta parte non eſt differentia naturarum, ſed voluntatum. Vnde neceſſariò dicendum eſt aliquo alio ſenſu Damaſc. fuiſſe locutum, & fortè locutus eſt de aliqua differentia accidentali.

Reſponſio ad quintam Anſelmi auctoritatẽ.

215 Supereſt quinto loco Anſelm. quatenus lib. 2. Cur Deus homo, cap. 21. dicit: Angelos eſſe eiuſdem eſſentiæ, ſicut homines, quamuis non ſicut homines propagantur. Sed explicandus ſicut Niſſen., Athan., Damaſcenus, qui conſimilem habent loquendi modum, &c.

Di-

Diluitur secundum, & tertium principale argumentum cum vnica confirmatione.

216 AD secundum respondetur, quod natura Angelica in ordine ad Beatitudinem accipitur, vt vna natura, & multitudo Angelorum, etiam si omnes specie differant inter se, accipitur, vt multitudo numerica. Quia quoad gratiam, & gloriam per accidens est, si omnes distinguantur specie, vel numero, sicut homines. Vnde tunc dicenda esset tota natura Angelica perijsse, quando omnes cecidissent. Quod ergo, & qui ceciderunt, & qui steterunt, omnes differant specie, & sic in quolibet Angelo ceciderit tota species illius Angeli, non propterea cecidit tota Angelica natura, sicut nec quia in quolibet bono Angelo saluata est tota sua species, propterea dicitur tota natura Angelica esse saluata. Nec per istum casum extincta est perfectio naturalis pertinens ad speciem cuiuslibet Angeli, quia adhuc illæ species, quoad esse naturæ ornant vniuersum, vt dicit Aug. de lib. arb. sicut anima existentis in peccato, & si in ordine gratiæ sit fœda, & deformis, non tamen definit in naturalibus pulchrè facere corpus.

Responsio ad secundū argum.

217 Neque hoc derogat Diuinæ Misericordiæ, quòd in quolibet Angelo ceciderit tota sua species, quia perinde se habet quilibet Angelus quoad hoc, vt dictum est, ac si quilibet esset vnum indiuiduum Angelicæ naturæ: Quia Diuina Misericordia fertur supra naturam Angelicam, vt communem omnibus Angelis, & vt sic influxus Diuinæ Misericordiæ copiosior fuit in naturam Angelicam, quàm humanam, quantum ad diffusionem gratiæ: Quia ex munere diuinæ gratiæ multo plures steterunt, quàm ceciderunt. Ex hominibus verò multò plures pereunt, quàm qui saluantur.

218 Audi hanc solutionem ex D. Th. quæst. vnic. de spirit. creat. cap. 8. ad 1. Vbi: *Aug.* inquit, *loquitur ibi de natura Angelica, & Humana nō secūdùm quod considerantur in esse naturali, sed secundùm quòd ordinantur ad Beatitudinē. Sic enim aliqui in natura Angelica, & humana perierunt. Quantum autem ad ordinem beatitudinis natura humana diuiditur contra totam naturam Angelicam: Quia tota natura Angelica vno modo nata est peruenire ad beatitudinem, vel ab ea deficere irreparabiliter, scilicet, statim ad primam electionem. Natura verò humana per decursum temporis: & ideò ibi loquitur Aug. de omnibus Angelis, sicut de vna natura propter vnum modum ordinis ad Beatitudinem, licèt differant secundùm speciem naturæ.*

S.Tho. S.Aug.

219 Ad tertium, quod est Alensis, & aliorum præcipuum argumentum. Respondetur, quòd potiùs conuincit oppositum, quàm propositū. Nempè, quòd perfecta dilectio, quæ est in Angelis potiùs requirit distinctionē specificam inter illos, quàm numericam. Et ratio est, quia dilectio sequitur cognitionem boni: Vnde quanto cognitio est vniuersalioris boni, tanto maior, & perfectior est dilectio, quanto vna cognitio est magis particularis boni, tanto dilectio est imperfectior: Quia bonum vniuersalius est præferendum bono particulari, illud enim est dignius maiori dilectione, quàm bonū priuatum. Et ideò dilectio charitatis est perfectior, quàm dilectio naturalis, quæ se extendit solum ad propinquos, & amicos, cum illa se extendat ad propinquos, & extraneos, amicos, & inimicos.

Responsio ad tertium arg. principale.

Ratio, cur perfecta dilectio, quæ est in Angelis, potiùs requirit eos esse specie distinctos, quam numericè.

220 Et ideò dilectio naturalis in nobis est valdè imperfecta, quia ortū habet à cognitione sensitiua, quæ est valdè particularis. Vnde patet, vt dicit Aug. lib. arb. magis vult viuere suam auiculam, quàm esse aliquam stellam in Cœlo: Quia maius detrimentum existimat non esse auiculam, quàm non esse stellam in vniuerso. Quod prouenit ex imperfecta cognitione. Vnde quod animalia diligant ea, quæ sunt eiusdem speciei, prouenit ex imperfectione dilectionis, quæ

S.Aug.

coar-

coarctatur ad speciem propter coarctatam cognitionem sensitiuam, qua dirigitur illorum naturalis appetitus, & instinctus. At Angeli habent vniuersaliorem cognitionem boni, & cõsequentèr habent vniuersaliorem dilectionem. Et ideò perfectio dilectionis ipsorum potiùs requirit plures Angelos specie differentes, ex qua multitudine specierum consurgit magis bonum, & pulchritudo vniuersi, quàm plures solo numero differentes, quia huiusmodi multitudo, cum sit materialis, non pertinet principaliter ad bonum vniuersi.

Affectio sequitur cognitionem, quæ si est vniuersalior, affectio magis respicit commune bonũ

221 Sumitur hæc responsio ex S. Th. q. vnic. de spirit. creat. vbi, & hoc argum. quinto loco sibi obijcit, & ad quintum sic respondet. *Cum affectio sequatur cognitionem, quanto cognitio est vniuersalior, tantò affectio eum sequens magis respicit commune bonũ: & quantò cognitio est magis particularis, tantò affectio ipsam sequens magis respicit priuatum bonum. Vnde, & in nobis priuata dilectio ex cognitione sensitiua exoritur: dilectio verò cõmunis, & absoluti boni ex cognitione intellectiua. Quia ergo Angeli quantò sunt altiores, tantò habent scientiam magis vniuersalem, vt Dion. dicit c. 12. Angelica Hierarchiæ, ideò eorum dilectio maximè respicit commune bonum. MAGIS ergo diligunt se inuicem, si SPECIE differunt, quod magis pertinet ad perfectionem vniuersi, vt ostensum est, quàm si in specie conuenirent, quod pertinet ad bonum priuatum vnius speciei, &c.*

Si Angeli specie differant, hoc magis pertinet ad perfectionẽ vniuersi.

222 Et ex hac doctrina respondetur ad confirmationem ex Suario desumptam, quòd illud non pertinet ad perfectionem amicitiæ simplicitèr sũptam, scilicet, habere plures amicos, vel socios eiusdem ordinis, gradus, & conditionis, quia hoc pertinet ad amicitiam priuatam, quæ non est necessaria in Angelis, non verò pertinet ad amicitiam respicientem commune bonum, ad quod natura Angelica maximè inclinatur ex vniuersalitate, & recta æstimatione suæ cognitionis. Præterea illa amicitia fundatur in insufficientia naturæ: Quia in vno indiuiduo non inuenitur natura cum omnibus perfectionibus, vt supra dictum est, & ideò per amicitiam adunantur plura indiuidua in vnum, sicut in Musica, vel vocum, vel instrumentorum, quia non potest inueniri omnis proportio vocum in vno; hinc est, quod ad musicam plures canentes, vel plura instrumenta in vnum conueniunt. Hoc autem non habet locum in Angelis, quia in quolibet indiuiduo inuenitur tota speciei plenitudo: & ideò non indigent Angeli illa priuata amicitia, sed in eis est altior amicitia, quàm ea, quæ est in nobis.

Respõsio ad confirm. 3. arg.

Habere plures amicos eiusdẽ conditionis est amicitiæ priuatæ, nõ verò amicitiæ respicientis cõmune bonum.

Responsiones ad quartum, & quintum principale argumentum, & ad triplicem eorum confirmationem.

223 AD quartum respondet ibidem S. Tho. cũ enim septimo loco illud proposuerat argũmentum, sic respondet. *Ad septimũ dicendum, quod modus dilectionis personarum diuinarum est absque essentiæ diuersitate, quod non patitur natura creata, & ideò non est hoc ad consequentiam trahendum in creaturis.* Itaque ex vnitate essentiæ, & pluralitate Diuinarum Personarum non est inferendum similem modum in Angelis, vel hominibus. Quia ibi cum pluralitate personarum non plurificatur numero natura, quod non potest esse in naturis creatis, sed oportet, vt ad multiplicationem suppositorum, & personarũ multiplicentur naturæ, cuius multiplicationis, vt dictum est, incapax est natura Angelica.

Respõsio ad 4. arg.

224 Deinde, si quia vnitas essentiæ cum multiplicatione suppositorũ siue personarum inuenitur in suprema natura, nempè in Natura Diuina, & in inferiori natura, nempè in natura humana, & cæterarum specierum rerũ corruptibilium; debet etiam reperiri in media natura, quæ est Angelica, multo potiori ratione deberet in natura

In naturis creatis ad multiplicationem suppositorũ, & personarũ multiplicãtur naturæ.

Digitized by Google

tura Angelica reperiri fœcunditas: Nam natura Diuina est fœcundissima, natura humana est fœcunda: ergo natura Angelica, quæ est media, & magis propinqua Deo, deberet esse fœcunda. Et sic quælibet species Angelica ab intrinseco principio posset se ipsam propagare in plura indiuidua. Hoc autem non est verum, quia natura Angelica est sterilis, vt sic dicam: ergo benè dixit S. Thomas, quod ex hoc, quod in naturis inferioribus inuenitur aliquid simile valdè analogicè cũ Deo, & Sãctissima Trinitate, nõ propterea hoc est trahendum in consequentiam ad naturam Angelicam.

225 Dico tertiò, quod si ex vnitate Diuinæ naturæ, & pluralitate Diuinarum personarum trahendum est argumentum ad naturam Angelicam, potiùs ex illa infertur in natura Angelica pluralitas specifica, quàm numerica. Nam Diuinæ Personæ non sunt plures in natura, quia eadem natura indiuisibilis est in tribus personis, sed sunt plures in proprietatibus personalibus, sed pluralitas proprietatũ, si est reducenda ad aliquam pluralitatem ex nostris, potiùs est pluralitas specifica, quàm numerica. Nam Paternitas, Filiatio, & Spiratio differunt specie in creaturis. Ergo potiùs argumento allato probatur pluralitas specifica, quàm numerica Angelorum.

Responsio ad 5. arg.

226 Ad quintum respondet idem S. Th. ibidem ad duodecimum, vbi sic dicit: *Ornamenta terræ, & aquæ, quia corruptibilia sunt, requirunt multitudinem in eadem specie, vt dictum est. Corpora autem cœlestia etiam sunt diuersarum specierum, vt dictum est c. 1. in corp. art. Lux enim non est forma substantialis eorum, cum sit qualitas per se sensibilis, quod de nulla forma substantiali dici potest. Et præterea nõ est eiusdem rationis lux in omnibus, quod patet ex hoc, quòd diuersorum corporum superiorum radij diuersos habent effectus.*

227 Ex qua doctrina ad formam argumenti, habet primò rationem disparitatis, quare in rebus inferioribus, multiplicantur numero sub eadem specie indiuidua, non autem in Angelis. Quia nimirùm in his inferioribus indiuidua specierum sunt corruptibilia, in Angelis sunt incorruptibilia. Et ideò species Angelicæ non indigent reparari à pluralitate indiuiduorum eiusdem speciei. Habes secũdò esse omnimodam paritatem inter ornamenta Cœlorum, & ornamenta Cœli Empyrei: Quod sicut in Stellis, & Astris, pro vna specie est vnum solum indiuiduum, quia omnes Stellæ differunt specie. Ita etiam in Angelis, qui ornant Cœlum Empyreum, quilibet Angelus est singula species.

Diserimen, cur in rebus inferiorib. multiplicãtur numero sub eadem specie indiuidua, non autem in Angelis.

228 Ad quintam confirmationem respondetur, quod quidem ad pulchritudinem, & perfectionem totius vniuersi conuenit non solum multiplicatio specierum, sed etiam indiuiduorum eiusdem speciei, quia vniuersum est, & sic debet in se habere vniuersos multiplicationis modos. At hoc non est necessarium in qualibet vniuersi parte, qualis est ordo Angelicus. Alioquin sicut ad perfectionem vniuersi requiritur, vt sint naturæ corporeæ, & incorporeæ, corruptibiles, & incorruptibiles, fœcundæ, & infœcũdæ, oporteret omnes istos modos naturarum reperiri in Angelis, quod nec Suarius ipse, cuius est illa obiectio, somniauit. Sicut ergo non est necesse, vt tot modi diuersi naturarum reperiantur in illo esse Angelorum, ita neque omnis modus multitudinis, & pluralitatis.

Responsio ad primam confir. 5. argum.

Omnia, quæ pertinẽt ad perfectionẽ totius vniuersi, nõ est necesse, vt sint in qualibet vniuersi parte.

228 Et cum dicit, quod in hoc inferiori mundo, si pro vna specie esset vnicum solum indiuiduum, multum detraheretur pulchritudini, & perfectioni huius mundi inferioris.

229 Respondet, verissimum esse, quia hoc requirit hæc infima pars vniuersi, vbi species existunt in indiuiduis corruptibilibus, & in quibus non habent totam plenitudinem naturæ specificæ. At nil pulchritudini, & perfectioni mundi superioris detrahitur, si pro vna specie vnum extet indiuiduum, Cœlum enim non ideò

est

Digitized by Google

Cœlum est pulchrum, quia in eo Stellæ non differūt numero, sed specie.

est pulchrum, & perfectum, quia in eo Stellæ differunt numero, sed quia omnes differunt specie, vt opinatur Sanctus Thomas, & diuersitas influxum attestatur.

Resp. ad 2. confirm. 5. argum.

230 Ad secundam confirmationē respondetur, quod illa pluralitas aulicorum, in quolibet ordine, pertinet quidem ad ornatum aulæ Principis, & illius splendorem propter insufficientiam naturæ, & solum confert ad faciendum numerum, vt dici solet. At maiorem splendorem conciliaret aulæ Principis, si omnes illi plures eiusdem ordinis essent vnus altero excellentior in aliqua perfectione spectante ad illum ordinem. Vt si inter Ephebos vnus esset altero pulchrior. Inter Cubicularios alter haberet vnam perfectionem, alter alteram. Vt solent nonnulli Principes velle ornatam aulam suam. Volunt enim aliqui, vt ex aulicis suis vnus fit eximius in Theologia, alter in Philosophia, alter in peritia Iuris, alter in notitia linguarum, &c.

Replica aduers.

231 Dices quidē ex hac varietate magis reddi splendidam Principis aulam, sed multo splendidior, si in eadē professione essent plures perfecti.

Inuenitur,

232 Ad hoc dico, quod modo inter homines, quia vnus non potest habere totam plenitudinem illius perfectionis, conducit etiam pluralitas aliquorum eiusdem professionis, & perfectionis. At si in vno posset illa perfectio pleniſſimè reperiri, superflua esset illa pluralitas. Sicut de facto, quia in vno Sole reperitur tota perfectio, & plenitudo suæ speciei, vnus Sol ornat, & illustrat vniuersum.

Obiectio, & eius enodatio.

233 Et si dicas Stellas differre numero, ideò esse, quia in vna Stella nō reperiretur tota perfectio suæ speciei, sicut reperitur in vno astro, seu in quouis planeta, & ideò septem specie diuersi conducunt ad pulchritudinem vniuersi, & non fuit necessaria plane tantum numerica multiplicatio. Ità etiā ad pulchritudinem, & splendorem aulæ illius æterni Principis plus confert illa immensa Angelorum multitudo specie differentium, quàm si darentur in qualibet specie plura indiuidua.

Responsio ad 3. confir. 5. arg.

234 Ad tertiam confirmationem respōdetur: Quod sicut Deus ad gloriam non solum prædestinauit Angelos, sed etiam homines, sicut Angeli, quia consecuti sunt gratiam, & gloriam iuxta excellentiam naturæ omnes sunt in gloria impares, nō mirum si illi homines, qui consecuti sunt gratiam, & gloriam non ex merito proprio, sed per modum naturæ, etiam sint pares in gloria, sicut pares sunt in natura.

236 Et ideò non valet, in Beatis dantur aliqui impares, & aliqui pares in gloria: ergo etiam in Angelis dantur aliqui impares, aliqui pares in natura. Tum, quia Beati pares in gloria solum sunt aliqui hominum, non Angelorum: tum etiam, quia ordo parium, & imparium in gloria fundatur in dono gratuito, & accidentali, & ideò non mirum si in Beatis inuenitur iste ordo per accidens. At ordo naturalis in Angelis fundatur in substātiali natura ipsorum, & ideò non potest in Angelis quoad naturalia inueniri ordo per accidens, sed solum ordo per se, vt in secunda ratione pro nostra sententia cum D. Thoma probatum est.

Responsio ad 6. & ad quatuor argum.

237 Ad sextum respondeo cum Bañez 1. p. q. 50. a. 4. dub. vnic. §. *Sed sunt argumenta*: Quòd illa reparatio sedium Angelorum, quam docent Sancti Patres fieri per homines prædestinatos, non est accipienda cum rigorosa proportione, qualis est Arithmetica, nempè, quòd tātam præcisam gloriam habituri sint singuli Sanctorum hominum, quantam habituri fuissent Angeli reprobi, si stetissent. Quia certum est Beatam Virginem excedere in gloria omnes Angelos, qui de facto sunt beati, & qui futuri fuissent, si stetissent. Sicut nec in numero prædestinatorum hominum attendenda est talis rigorosa proportio: quasi verò tot, & non plures, aut pauciores sint homines prædestinati, quot fuerunt Angeli, qui ceciderunt, quia soli Deo

Quomodo intelligitur reparationē sedium Angelorū fieri per homines prædestinatos.

Digitized by Google

est cognitus numerus electorum in suprema fœlicitate locandus. Sed accipienda est illa reparatio secundùm proportionem quandam minùs rigorosam, quam Geometricam vocant, quæ non consistit in indiuisibili commensuratione, sed in quadam commensuratione proportionali.

238 Et ideò ex illa reparatione non potest sumi efficax argumentum ad probandum, quod si multi hominũ prædestinatorum futuri sunt pares in gloria, vt infantuli, qui decedunt cum solo baptismate, vel Sancti Innocentes, propterea efficacitèr concluditur, quod etiam multi Angelorum, qui ceciderunt, futuri fuissent in gloria pares. Nam si cum tanto rigore intelligenda esset illa cõparatio, esset dicendum, quod motiuum primarium prædestinandi homines fuisset Deo reparatio Angelicæ ruinæ, taliter vt si Angeli non cecidissent, homines ad gloriam prædestinati non fuissent: sicut cum S. Thoma dicimus, quod quia motiuum primariũ Incarnationis fuit reparatio Generis humani, quod cecidit in Adamo; Si Adam non peccasset, Christus non venisset. Hoc autem falsum est; quia etiam si nullus cecidisset Angelorum, adhuc multi hominum fuissent prædestinati ad gloriam. Quia per se primò prædestinatio hominum fuit independentèr à casu Diaboli, & Angelorum eius. Sed quia Deus suauitate suæ prouidentiæ sic res ordinat, & disponit, vt vnum reparare soleat per aliud, secundùm illud Iob. Qui conterit multos, & innumerabiles; & stare facit alios pro eis, sic homines prædestinati dicuntur esse ordinati ad reparandas Angelorum ruinas. Sicut ad reparandam incredulitatem Iudæorum, & reprobationem illorum, subintrauit fides Gentium: nõ quod tot ex Gẽtibus crediderint, quot fuerũt increduli Iudæorum; nec quod in eodem gradu fidei crediderunt singuli Gentilium, quo credidissent singuli Iudæorum, si fidei accomodassent auditum. Sed intelligitur lato modo, quia etiam si omnes Iudæi credidissent, non propterea, & Gentes nõ venissent ad fidẽ, sed id dictũ est secũdùm quandã accomodationẽ Diuinæ Prouidentiæ: Quia eodem tempore, quo fidem respuerunt Iudæi; illam gentes susceperunt. Et simul èc, quia simùl fuit in mente diuina reprobatio Angelorum, & prædestinatio hominum, dicitur à Sanctis, prædestinationem hominum fuisse ad supplendam ruinam Angelorum, sed non adæquatè in eodem gradu, & numero.

Iob.

Ad reparandam incredulitatẽ Iudæorum, & reprobationes eorum subintrauit fides gentium.

339 Ad septimum respõdet S. Th. illa quæst. vnic. de spiritualib. creat. a. 8. ad 17. dicens: *Quod quælibet natura creata cum sit finita, non ita perfectè repræsentat diuinam bonitatem, sicut multitudo naturarum, quia, quod in multis naturis multipliciter continetur, comprehenditur in Deo vnitè, & ideò oportuit esse plures naturas in vniuerso, & etiam in substantijs Angelicis*. Quibus verbis explicat S. Tho. causam finalem multitudinis naturarum, seu specierum; & dicit causam finalem esse repræsentationem diuinæ bonitatis. Quæ cum in vna natura creata, cum sit limitata, & finita, non possit repræsentari, ideò fuit necessaria multiplicatio specierum: & quia neque ista multitudo, quantumuis ingens, non potest etiam adæquatè Diuinam Bonitatem repræsentare, ideò hæc multitudo debuit esse maxima, & præsertim in Angelis, in quibus Diuina Bonitas magis elucet. Vnde stupor, & admiratio eorum euanescit, quibus videtur incredibile, in tanta multitudine Angelorum non reperiri ne quidem duos solo numero distinctos. Quia in multitudine numerica non ita elucet Diuina bonitas, & perfectio, cum omnia indiuidua eiusdem speciei sint paris naturæ, sicut in multitudine specierum.

Responsio ad 7. arg. principale.

Causa finalis multitudinis specierum est repræsentatio Diuinæ Bonitatis.

340 Et ideò ad ostendendũ quãtum sit pelagus Diuinæ perfectionis, creati sunt Angeli non numero, sed specie omnes inæquales. Tum, quia in Angelica natura Deo propinquiori, debet Diuina bonitas, & perfectio magis elucere; tum quia ipsis Angelis

magis

magis elucet, ipsi enim, & sunt altioris naturæ, & maioris, ac perfectioris cognitionis, & ideò in ipsorum naturis magis Diuina bonitas repræsentatur, & ipsismet Angelis tanquam magis cognoscitiuis, in seipsis contemplanda obijcitur.

241 Ad octauum respondetur primò, quòd distinctio ordinum, & officiorum inter Angelos, non pertinet ad distinctionem naturæ, sed gratiæ, & gloriæ. Vnde in Dæmonibus, in quibus remanserunt naturalia, quamuis detur quædam subordinatio, & prælatio naturalis inter illos, propriè tamen non distinguũtur per choros, & officia. Vnde absolutè ex illa ordinatione, & deputatione non potest inferri, quòd omnes eiusdem chori, vel exercentes idem officium sunt eiusdem speciei.

1. Resp. ad 8. argum. principale.

242 Secundò, dato, quòd illa distinctio habeat aliquod fundamentum in ipsa Angelica natura, non propterea colligitur, omnes eiusdẽ chori esse eiusdem speciei. Quia etiam secũdùm Dion. in eodem choro sunt primi, medij, & infimi, & ideò Suarez lib. 1. de Angelis cum multis docet non omnes Angelos eiusdem chori esse eiusdem speciei, sed in vno choro, siue ordine esse plurimos specie differentes. Nam supposito, quod inter Angelos sit distinctio specifica, cõcedendum est Angelicas species esse plurimas, vt in ipsis diuina bonitas multiplicitèr repræsentetur. At si omnes vnius chori essent eiusdem speciei solum nouem forẽt Angelicæ species, sicut nouem recensentur omnium illorum ordines, siue chori, & proindè numerus Angelicarum specierum esset valdè exiguus. Igitur etiam multi Angelorum eiusdem chori, vel ordinis differunt specie, & ita ex vnitate ordinis, siue chori non potest colligi dari Angelos eiusdem speciei, & solo numero inter se distinctos.

2. Resp. ad prædictum arg. principale.

243 Multo minùs exeo, quod plures deputantur ad idem ministerium, vel officium, tum quia possunt Angeli specie differentes habere aliquid cõmune, quo sint idonei ad idem ministerium exercendum, sicut cum omnia animalia sint ordinata ad inseruiendum homini, vel ad delectationem, vel ad substentationem, vel ad vectationem. Vt Bernardus aiebat, certè ad vnum ministerium deputatæ sũt plures species animalium à natura, v.gr. ad vehendum hominem, & eius onera, deputatus est Asinus, Mulus, Equus, Camelus, & similia: & hoc ideò, quia quãuis ista animalia specie inter se differant, tamen habent quid commune, vnde omnia sunt apta ad idem ministerium. Ergo quamuis plures Angeli sint deputati ad idem ministerium, non per hoc sequitur, quod omnes debeant esse eiusdem speciei, sed possunt habere aliquid commune, ratione cuius sint apti deputari ad illud officium, siue ministerium. S. Bern.

244 Tum quia etiam si non soluũ propter aliquod commune, sed propter aliquid proprium apti sint deputari, nihilominùs adhùc possunt plures specie differentes ad idem munus destinari, quia fortè, vt illud officium perfectè exerceatur, requiritur influxus plurium Angelor specie differẽtium. Sicut ad generationem inferiorum sunt deputati à natura septem Planetæ, qui specie inter se differunt, Quia ad perfectam generationem inferiorum requiritur influxus peculiaris, & specificus vniuscuiusque Planetæ. Igitur ex vnitate ordinis, vel ministerij non colligitur vnitas naturæ specificæ plurium Angelorum.

245 Ad nonum respõdetur, quòd si propter dubitationem Augustini nõ licet determinare Scholasticis hanc quæstionem, paritèr non liceret determinare quæstionẽ de origine animæ rationalis, quòd sit à Deo per creationem. Quia Aug. dubitauit, & satis multum dubitauit de origine animæ, sit nè ex traduce, an sit immediatè à Deo per creationem, & id ipsum præstitit de multis alijs difficillimis quæstionibus, quæ omnes decursu temporis facili negotio determinatæ sunt. Nam non est nouum, vt

Responsio ad 9. arg. principale.

ſumma ingenia priùs excitauerint de rebus obſcuris difficillimas quæſtiones; Deinde ſubſequentia perſcrutãdo, & ratiocinando, aut veram, aut veriſimiliorem quæſtionis partem attigerint, quæ deinde poſtrema ingenia iam explanata, & complanata percipiunt. Et ſatis fuit perſpicaci ingenio Auguſtini hanc quæſtionem olfeciſſe, & ex latebris excitaſſe, quæ apud antiquiores Patres nondum excitata fuerat.

246 Quod deinde dicitur, ſuppoſito, quòd eſt determinanda, potiùs debere dici, quod differant numero, quàm ſpecie. Quinimò dico, quòd potiùs ex hac dubitatione Auguſtini debet colligi oppoſitum. Quamuis enim pro neutra parte ſtet Aug. in hac ſui dubitatione, attamen ſi non vidiſſet veriſimile eſſe Angelos differre ſpecie, non dubitaſſet, quia diſtinctio numerica fuerat Aug. captu facilis, cum etiam communis diſtinctio reperiatur apud homines, &c.

247 Ad decimum denique reſpõdeo cum Capreolo in 2. diſt. 3. quæſt. 2. 3. ad 2 Durand. contra 5. concluſ. concedendo Maiorem, & dictum Auguſtini, quòd Deus potuerit reparare ſedes Angelorum, creando alios Angelos, quos in eiſdem ſedibus, hoc eſt cum eiſdem gradibus gratiæ, & gloriæ collocare. Sed diſtinguo Minorẽ, nimirùm, quod gratia datur Angelis ſecundùm proportionem naturæ: ita vt hoc proueniat ex neceſſitate gratiæ, & naturæ, & nego Minorem, aliàs nulla anima rationalis poſſet æquari, vel excedere Angelum in gratia, ſicut nec æquatur, nec præcellit in natura, ita vt hoc ſit fundatum in libera Dei voluntate, & concedo. Vnde negatur cõſequentia, qua inferebatur, quod ſi Angeli crearentur pares in gratia, & gloria, crearentur pares in natura. Quia liberum eſt Deo Angelos diſpares in natura poſſe creare pares in gratia, & gloria. Sicut potuit homines in natura pares, in gratia, & gloria impares creare. Sicut anima Chriſti, licèt quantum ad naturam ſit par cum cæteris hominum animabus, & inferior quouis Angelo, eſt tamen in gratia, & gloria incomparabiliter ſublimior omni Humana, & Angelica creatura. Audi Capreolum ſic ad ſecundũ reſpondentem: *Auctoritas*, inquit, *Auguſtini non fuit ad propoſitum, quia quamuis Deus poſſet collocare aliquos Angelos in eiſdem gradibus gratiæ, in quibus fuerunt Angeli, qui ceciderunt, non ſequitur, nec eſt neceſſarium, quòd illi nouiter creabiles neceſſariò eſſent eiuſdem ſpeciei cum lapſis. Sicut patet, quia homines aſſumuntur ad æqualitatem Angelorum quoad gradũ gratiæ, non naturæ. Nec valet probatio, quia licèt, vt nunc Angeli ſecundùm gradum naturæ reciperẽt gradum gratiæ, tamen Deus poſſet aliter facere: Nã hoc negato, ſequitur, quod anima Chriſti, cum ſit inferioris gradus in eſſe naturæ, non poſſet æquari alicui Angelo in eſſe gratiæ.* Hæc Capreolus.

DIFFICVLTAS III.

An immaterialitas ſubſtantiæ Angelicæ ita excludat multiplicationem numericam, vt implicat contradictionem, & ſit impoſsibile adhuc per Diuinam Potentiam creari duos, aut plures Angelos ſolo numero diſtinctos ſub eadem infima ſpecie?

248 ANtequam ad tractãdum difficultatis pũctum veniamus, præmonendum eſt, quod in hac materia ſolent tres quæſtiones excitari: Prima eſt: An de facto Deus creauerit plures Angelos eiuſdem infimæ ſpeciei, & ſolo numero inter ſe diſtinctos: Secunda, dato, quòd non creauerit plures, an de potentia ordinaria creare potuerit: & dato, quòd de potentia ordinaria non potuerit; an

Animaduerſio circa tres quæſtiones, quæ excitari ſolent in hac materia.

Digitized by Google

an potuerit de potentia absoluta? Sed certè ista distinctio trimembris est superflua, quia, quod quæritur de potētia ordinaria, vel coincidit cum primo puncto, aut cum tertio, quia idem est quærere de potentia ordinaria, ac de facto; aut est idem, ac de potentia absoluta. Vt benè obseruauit Suarez lib. 1. de Angelis c. 15. n. 6.

249 Nam peto quid nomine potētiæ ordinariæ intelligatur. Vel enim intelligitur Diuina Potētia, vt stat sub decreto, quo Deus decreuit in vna specie Angelica creare plura, vel vnū indiuiduum, & præterquamquod non omne, quod Deus facit, & operatur ex præsuppositō decreto, pertinet ad potentiam Dei ordinariā, alioquin separatio accidentis à subiecto, & resurrectio mortui, & mille opera supernaturalia pertinerēt ad potentiā Dei ordinariā, quia potentia Diuina ponens in esse istos effectus operatur ex præsuppositō decreto. Quia vt dicitur Sap. 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses.*

250 Præterquamquod, inquam, nō omnes effectus, quos facit Deus ad extra ex præsuppositō decreto, pertinent ad potētiā Dei ordinariā; nihilominùs hoc cōcesso. Idē est quærere, an de facto Deus creauit vnum, vel plures Angelos sub eadem specie, ac quærere, an de potētia ordinaria Deus creare potuerit, vel non potuerit? quia quod Deus decreuit efficacitèr, de facto posuit. Vel ratio potentiæ ordinariæ addit supra potentiam Diuinam quandam conformitatem ad ipsas effectuum naturas, quia nimirùm producit effectus seruata conditione naturali illorum: vt extraordinaria, & absoluta potentia dicatur illa, qua Deus non operatur effectus, iuxta naturalem conditionem illorum. Et ita, si natura Angelica est multiplicabilis numero, credendum est Deum plures Angelos de facto creasse. Sin autem talis conditionis sit, vt nō exigat multiplicari numero, tenendum est de facto non multiplicasse: Quia de facto Deus operatus est in creatione Angelorum iuxta suam ordinariam potentiam.

251 Dices: si Deus creasset alium Solem, nihil supernaturale feciſſet, aut repugnans naturæ Solis, non enim Sol de se habet, nec exigentiam, nec repugnantiam, vt sint plures Soles. Vnde si crearet alium Solem, nihil supra, vel præter naturam Solis operatus fuisset, ac proinde illam creasset iuxta potentiam suam ordinariam; & tamen non sequitur de potentia ordinaria, sunt possibiles plures Soles; ergo de facto in vniuerso sunt. Igitur non est idem aliquid esse possibile de potentia ordinaria, & esse de facto.

252 Sed hoc facilè reijcitur: Quia natura duplex est, alia vniuersalis, alia particularis. Potentia ordinaria est illa, quæ operatur iuxta exigentiam naturæ, vel particularis, vel vniuersalis, quamuis ergo ex parte Solis non sit repugnantia, vt sint plures Soles in vniuerso, repugnat tamen ex parte naturæ vniuersalis, quæ non postulat esse in vniuerso pluralitatē Solis, & ita si Deus creasset, aut crearet aliū Solē, supernaturale opus esset. Et sic iuxta potentiam ordinariam idem est de facto esse vnum Solem, & vnum esse possibilem. Sic etiam de Angelis dici potest, quia dato, quod absolutè sint possibiles plures sub eadem infima specie: tamen respectu potentiæ Dei ordinariæ, non sunt plures possibiles, sed vnus, vt hunc de facto creauit, vel si de potentia ordinaria fuerunt possibiles plures, etiam de facto plures sūt creati. Quia ordinatio Diuinæ Omnipotentiæ non solum respicit effectum, sed connaturalitatem ipsius, vel secūdùm naturā particulari, vel cum natura vniuersali, & sic coincidit cum facto: quia Deus sua ordinata potentia, nec abundat in superfluis, nec deficit in necessarijs secundùm commensurationem naturæ.

253 Sic igitur patet, quòd iuxta hunc modum explicandi potentiam Dei ordinariam, idem est quærere, an de potentia ordinaria sint possibiles plures Angeli sub eadem specie: ac quæ-

quærere, an de facto sint plures.

254 Sin autem alitèr explicetur potentia Dei ordinaria, non videtur qua alia ratione explicari possit, nisi quod in Deo est potentia ad creandũ plures Angelos sub eadem specie: & quod respectu Diuinæ Potentiæ antecedentèr ad factum, & antecedentèr ad voluntatem creandi vnum, vel plures, adhuc plures Angeli intelliguntur possibiles, quamuis non plures decreuerit Deus creare, sed vnum pro singula specie. Et hoc est loqui de potentia Dei absoluta. Igitur illud secũdùm punctum, aut coincidit cum primo, aut cum tertio, vt dicebam, & frustrà distinguitur ab alterutro illorum.

255 Dices, quod potentia ordinaria est ipsa potentia Diuina, prout subest legibus Diuinæ Sapientiæ, potentia absoluta dicitur, prout operatur præter leges Diuinæ Sapientiæ.

256 Sed hæc distinctio est nulla, quia cum dicitur potentia absoluta, est, quæ operatur præter legem Diuinæ Sapiẽtiæ: aut sensus est, quod diuina potentia operatur sine directione Sapientiæ Diuinæ, & hoc est falsum, quia nihil non sapientèr operatur Deus, cum sit agens per intellectum, & voluntatem, & sic etiam cum facit opera supernaturalia, exercendo suã potentiam absolutam, etiam iuxta regulam suæ sapientiæ operatur, aut dicitur potentia absoluta, quia non operatur secundùm leges Diuinæ Sapiẽtiæ, quæ sunt proportionatæ ipsis rerum naturis, & dispositioni connaturali ipsius vniuersi, & partibus eius, & hoc verum est. Sed iam idem est potentia ordinaria, & vt alij dicunt ordinata, quæ ponit effectus seruato ordine connaturali ipsis rebus, & sic vt dicebam idem est, aliquid esse possibile de potentia ordinaria, & esse de facto.

257 Igitur concludendum est in hac materia duas posse excitari difficultates. Prima est, an de facto sint plures Angeli in eadem specie, & an sint possibiles de potentia ordinaria. Et hæc quæstio decisa est difficultate præcedenti. Secunda Difficultas est de potentia absoluta, & hanc tractamus in præsenti. Sic etiam Bañez ad bimembrem hanc partitionem reducit omnes de hac re difficultates 1. p. q. 50. a. 4. dub. vnic. Bañez.

258 Quærimus igitur. An multiplicatio numerica ità sit essentialiter connexa cum materialitate, vt substãtiæ immateriales, sicut sunt substantiæ Angelicæ, habeant intrinsecam, & essentialem repugnantiam ad numeralem multiplicationem, ac proinde implicet contradictionem posse sub eadem infima plures Angelos numero multiplicari, & consequentèr neq; de potentia Dei fieri possit.

Prima sententia negatiua Alberti, Ferrariensis, Bañes, & aliorum, in qua proponuntur eorum argumenta.

259 IN hac difficultate prima sententia est negatiua. Dicũt enim huius mentis auctores, quod materia non est primum principium vnitatis, & multiplicationis numericæ, & quando esset, solum in rebus materialibus id haberet, non propterea sequitur, quod in rebus immaterialibus non sit aliud principium, & alius modus numericæ multiplicationis. Et ideò non per hoc, quòd substantiæ Angelicæ sunt immateriales, sequitur illas non posse numero multiplicari sub eadem specie. Hanc sententiam sequuntur multi eo, quòd putant derogari Diuinæ Omnipotentiæ, dicere Deum non posse creare duos Angelos eiusdem speciei. Cum nulla manifesta super hac re repugnantia afferri possit.

260 Pro hac sententia sunt M. Albertus in summa 2. par. tract. 2. q. 8., Alensis 2. p. vbi sup., D. Bonauent. vbi supra, Scotus, Durãdus, Gabriel, Marsil., Hèric., Quodlib. 2. q. 8., & quodlib. 11. q. 1. Ægydius quodlib. 2. q. 7. ex Thomistis Ferrar. 2. contra Gentes c. 93. Bañez 1. p. q. 50. a. 4. dub. vnico in 2. par. dubij. Citatur etiam Capr. Albertus. Alensis. D. Bonau. Scotus. Durandus. Gabriel. Marsil. Henricus. Ferrarienſ. Bañez.

co,

Digitized by Google

eo, quod in responsione quarta ad secundum Durandi dixerit id substineri posse vtcumque in via S. Thomæ: Sed immerito pro hac allegatur Capreolus, quia semper stat pro contraria sententia, & illud dixit, vt vndequaque infringeret importunitatem eorum.

Primũ principale arg.

261 Hæc sententia probatur primò illa fundamentali ratione supra adducta, Quia non est denegandum Diuinæ Omnipotentiæ, quod non manifestam contradictionem implicat: Quia plus potest Deus facere, quàm homo intelligere. Vnde vt dicamus aliquid à Deo fieri non posse, non possumus id asseuerantèr dicere, nisi implicantia contradictionis sit manifesta. Sed nulla potest assignari implicãtia contradictionis manifesta, quia opposita sententia tota fundatur in tribus.

262 Primum, quod materia est principium indiuiduationis. Sed in primis hoc non est certum. Dum esto, vt dicit Henric. q. 1. q. 8. in rebus materialibus materia sit indiuiduationis principium, attamen non est ita adæquatum, vt in substantijs spiritualibus, in quibus non est materia; non possit habere locum numerica multiplicatio, quia potest esse aliud principium vnitatis, & multiplicationis numericæ illis substantijs proportionatum; sicut enim substantijs materialibus principium vnitatis, & multiplicationis numericæ est materia, ita substantijs immaterialibus potest esse aliquod principium spirituale nobis ignotum, Quia nos in præsenti statu non possumus habere perfectam notitiam spiritualium substantiarum ergo ex eo, quòd Angeli sint immateriales substantiæ non sequitur contradictionis implicantia, Angelos non posse sub eadem infima specie numero multiplicari.

263 Secundum, in quo fundatur aduersa sententia, est, quia in Angelis non potest inueniri, nisi distinctio formalis: Nam sunt simplices formæ subsistentes. Omnis autem distinctio formalis est specifica; sed hæc ratio, inquit Scotus, nititur ruinoso fundamẽto: Nam distinctio formalis potest accipi dupliciter: primo, pro differentia formarum, & sic non omnis differentia formalis est specifica: quia bene possunt duæ formæ distingui inter se, vt duæ animæ rationales, & non distingui in specie. Secundo potest accipi, non solum pro differentia formarum, sed & formali, & tunc variat speciem. Nam dupliciter vna forma potest distingui ab altera, vel entitatiuè, vel quidditatiuè. Differentia, qua entitatiuè vna forma distinguitur ab altera, dicitur formalis materialitèr, ideſt distinguit duas entitates, quæ sunt formæ. At differentia, qua distinguuntur quidditatiuè, est differentia formalis formalitèr, quia distinguit in quantum sunt formæ, & sic in quantum sunt essentialitèr diuersæ, id, quod sumitur ex S. Th. 2. contra Gent. c. 81. respondendo ad secundam rationem. Vbi; *Non quælibet*, inquit, *diuersitas formarum facit diuersitatem secundùm speciem, sed illa, quæ est secundùm principia formalia, vel secundùm diuersam rationem formæ.* Igitur, nec valet secundum fundamentum ex quo prædicta sententia sumit suum principium ad assignandam contradictionis implicantiam. Quia inter duos Angelos solo numero distinctos daretur distinctio formalis materialitèr, non formalitèr.

264 Tertium denique fundamentum est, quia essentia abstracta, & per se absolutè subsistens non potest multiplicari numero, quia habet totam perfectionem suæ speciei. Sed Angelus est forma abstracta, & per se subsistens: ergo, &c. Sed neque hæc ratio valet ad assignandam contradictionis implicantiam: Quia falsum est essentiam abstractam, & per se subsistentem non posse numero multiplicari. Nec valet probatio, quia licet forma sic abstracta habeat totam perfectionem suæ speciei intensiuam, non tamen sic abstracta habet totam perfectionem extensiuam, quam potest habere species. Sicut Petrus habet totam perfectio-

tionem intenſiuam ſpeciei humanæ, non tamen extenſiuam, quam habere poteſt ſpecies humana in pluribus indiuiduis magis, quàm in vno ſolo. Et dato, quod forma ſic abſtracta nõ habeat intrinſecũ principium ſuæ multiplicationis numericæ, poteſt tamen ſupernaturaliter habere ab ipſo Deo, vt docet S. Tho. opuſc. 16. §. *vltima*. Igitur neque ex hac, neque ex alijs fundamentis poteſt aſſignari manifeſta implicantia, quare nõ poſſint creari plures Angeli eiuſdem infimæ ſpeciei, & conſequenter non eſt denegandum, Diuinam Potentiam hoc efficere poſſe.

265 Secundum argumentum principale, in quo Scotus, Henric, & cæteri aduerſarij antiqui, & moderni, maximè fundant ſuam ſententiam, deſumitur ex eo, quia nulla natura creata quantumuis ſublimis, & abſtracta eſt eſſentialiter ſingularis; Sed omnis natura Angelica eſt natura creata; ergo nulla natura Angelica eſt eſſentialiter ſingularis. At ſi implicaret contradictionem, naturam Angelicam nõ poſſe multiplicari numero ſub eadem ſpecie, hoc ideò eſſet; quia eſſet eſſentialiter ſingularis; ergo natura Angelica poteſt numero multiplicari.

266 Vel ſic melius arguitur. Si infima ſpecies Angelica non poſſet multiplicari numero, hoc ideò eſſet, quia eſſet eſſentialiter ſingularis. Nam repugnantiam ad numericam multiplicationem deberet habere ex principijs eſſentialibus; Nam ſi procederet ab aliquo principio extra eſſentiam; Iam natura ſpecifica de ſe eſſet communis, & communicabilis pluribus. Omnis enim natura, quæ non eſt eſſentialiter ſingularis, eſt conceptibilis conceptu vniuerſali, ac proinde eſt apta eſſe in pluribus, & in pluribus multiplicari. Et ideò natura Diuina non multiplicatur in perſonis, quia eſt eſſentialiter ſingularis. Sed nulla natura creata, etiam Angelica, eſt, aut eſſe poteſt eſſentialiter ſingularis; ergo omnis natura creata, etiam Angelica, eſt numero multiplicabilis.

267 Minorem probat Scotus multiplicitèr. Primò, quia nulla natura de ſe communicabilis pluribus eſt eſſentialiter ſingularis, ſed omnis quidditas de ſe eſt communicabilis pluribus, etiam eſſentia diuina. Quia ſi poſſe pluribus communicari repugnaret alicui quidditati, vel eſſentiæ, aut naturæ: aut repugnaret propter ipſius perfectionem, & hoc dici non poteſt. Quia natura Diuina cum ſit perfectiſſima, eſt tamen communicabilis pluribus perſonis; aut repugnaret propter ipſius imperfectionem, & neque ex iſto capite poteſt aliqua natura eſſe incommunicabilis, quia naturæ imperfectæ, vt ſunt generabilium, & corruptibilium, ſunt etiam pluribus ſuppoſitis communicabiles. Igitur omnis natura eſt de ſe communicabilis. Sed nulla natura creata poteſt communicari pluribus ſine ſui diuiſione, & multiplicatione. Hoc enim proprium eſt ſolius diuinæ naturæ, quæ vna indiuiſibilis exiſtens communicatur pluribus: ergo omnis natura creata etiam Angelica eſt communicabilis cum ſui multiplicatione, ac proindè de ſe non eſt ſingularis, ſed poteſt in pluribus indiuiduis ſingularizari, & numero multiplicari.

268 Secundò, quia ſi aliqua quidditas creata eſſet eſſentialiter ſingularis, non poſſet ſine contradictione concipi conceptu vniuerſali, vt patet. Quia conciperetur aliter, ac eſt, & ſub conceptu ſibi repugnante: Sed omnis quidditas creata abſque cõtradictione poteſt intelligi ſub conceptu vniuerſali: ergo nulla quidditas creata eſt eſſentialiter ſingularis.

269 Probat tertiò, quia ideò Diuina natura nõ poteſt concipi vt vniuerſalis, quia de ſe eſt hæc, & ſingularis. Sed nulla natura creata eſt hæc, & ſingularis, ſed omnis eſt apta concipi ſub conceptu vniuerſali, ac proindè cum indifferentia ad hoc, vel illud ſingulare: ergo nulla natura creata eſt eſſentialiter ſingularis.

270 Quartò probant alij, quia nulla natura poteſt eſſe eſſentialiter ſingula-

gularis, nisi sit aliquo modo infinita, vel intensiuè, vel extensiuè: Quia ex hoc, quòd est singularis, non est multiplicabilis: & ideò non est multiplicabilis, quia in se cõtinet omnem perfectionem, quæ esset in multis dispersa: Vnde si multiplicaretur natura per plures gradus perfectionis, sicut multiplicantur genera, & species, sic deberet continere in se vna omnes illos perfectionis gradus, & sic esset intensiuè infinita: Et propterea Diuina Essẽtia est essentialitèr singularis, & non potest multiplicari, quia continet in se omnes gradus perfectionis, qui inueniuntur dispersi in omnibus speciebus, & generibus entis. Si verò esset multiplicabilis in plura eiusdem specifici gradus perfectionis, vt multiplicantur indiuidua, deberet in se vna cõtinere omnem perfectionem, quàm in multitudine indiuiduorum extensiuè habere posset, & sic esset actu infinita extensiuè: Sed nulla quidditas creata est, aut potest esse actu infinita, nec intensiuè, nec extensiuè (vt dictũ est in physicis, agendo de infinito:) ergo nulla natura creata potest esse essentialitèr singularis.

271 Quintò probat Henric. Quia omnis natura essentialitèr singularis, est natura Diuina, & subsistens in illa natura, est Deus. Probat primò: Quia ex isto motiuo Philosophus 12. met. dicit intelligentias esse quasdam diuinas naturas, & entia ex se necessaria, & ideò contra sequentes opinionem Arist., quod substantiæ abstractæ non possũt multiplicari numero, dicit incidere in Ethnicorũ errorẽ ponẽtiũ pluralitatem Deorum, nẽpè tot Deos, quot substantias abstractas. Secundò: Quia quod est essentialitèr singulare, est essentialitèr existens: Quia singularitas, aut est ipsa existentia, aut est inseparabilis ab existentia: Sed quod est essentialitèr existens, est Deus: igitur omnis natura essentialiter singularis est natura diuina, & subsistens in illa, est Deus. Tertiò, quia quod diuina essentia sit essentialitèr singularis, hoc pertinet ad magnã Dei simplicitatem: ergo omnis natura essentialiter singularis est natura diuina: ergo nulla natura creata est essentialiter singularis.

Minorem probat 5. Henric.

272 Tertiò principaliter arugumẽtatur, Durãdus dicens. Omnis natura, quæ producitur ab agẽte actione iterabili, potest multiplicari num. Quia si agens vnica actione producit vnum, ita iterata, & multiplicata, ac repetita actione producit plura: Sed omnis natura creata, etiam Angelica est huiusmodi: ergo omnis natura creata, etiam Angelica est multiplicabilis numero.

5. Argum. Durandi cũ vnica confirmatione ex Scoto.

273 Minor probatur. Quia omnis actio, quæ voluntariè potest interrũpi, manente virtute actiua, quæ est principium actionis, potest iterari, maximè si tota actio, & productũ per actionẽ dependeant à sola virtute producentis. Et hæc est ratio quare in diuinis non potest esse, nisi vnus filius, quia actio, qua producitur, non potest interrumpi, nec iterari. Sed actio, qua Deus producit quamlibet creaturam, & præsertim substantias separatas, quæ immediatè creantur à solo Deo, voluntariè potest interrumpi: & actio, seu productio, & productum pendent à sola virtute producentis: ergo omnis actio, qua Deus producit creaturas & maximè Angelicas, est iterabilis, & hæc fuit minor, & sequitur cõclusio: ergo omnis natura Angelica est numero multiplicabilis.

Probatur Minor.

274 Confirmatur ex Scoto. Quia potest Deus aliquem Angelum alicuius speciei annihilare, & iterum producere illam eandem speciem in alio indiuiduo: ergo in illa specie possunt multiplicari plura indiuidua, vt minimum successiuè. Consequentia patet, & Antecedens probatur. Quia illa species est reproducibilis. Aliàs non esset ens reale, sed fictitium. Sed non potest reparari in eodem indiuiduo, maximè secundùm sententiam illorũ, qui dicunt, quod semèl corrumptum, seu annihilatum non potest idem numero reproduci. Vnde dicunt, quod si non remaneret eadem numero anima

Confir. ex Scoto.

Digitized by Google

ſeparata, quæ fuit hominis viuentis, non poſſet idem numero homo reſurgere; ergo vt illa ſpecies de nouo producatur, debet produci in alio indiuiduo, & ſic in eadem ſpecie poſſunt plura indiuidua vt minimum ſucceſſiuè multiplicari.

4. Argum. principale. 275 Quartò. Quia ſi quid obſtaret, quare natura Angelica nõ poſſet multiplicari numero ſub eadẽ ſpecie, maximè eſſet, quia natura Angelica eſt forma ſpiritualis: Sed anima rationalis & gratia, & lumen gloriæ ſunt formæ ſpirituales: Anima eſt forma ſubſtãtialis ſpiritualis, gratia, & gloria ſunt formæ accidentales, & maximè ſpirituales. Quia illis mediantibus Angeli maximè vniuntur Deo, qui eſt ſummus ſpiritus. Et tamẽ multiplicãtur numero; ergo ex hoc, quod naturæ Angelicę sũt formæ ſpirituales, nõ tollitur, quominùs ſint numero multiplicabiles.

1. Noſtra reſpõſio ad 4. argum. 276 Dices primò eſſe diſparem rationem, quod naturæ Angelicæ ſunt formæ completæ, quales non ſunt animæ rationales.

Euertitur ab aduerſ. 277 Sed contra: Quia ſicut Angelicæ naturæ ſunt formæ completæ in genere ſubſtantiæ, ita gratia, & lumen gloriæ ſunt formæ completæ in ſuo genere qualitatis (quidquid ſit de anima rationali:) ergo ſicut accidentia ſpiritualia non obſtante, quod in ſuo genere ſunt formæ completæ, nihilominùs multiplicantur numero: ergo etiã formæ Angelicæ poſſunt multiplicari numero, etiam ſi ſpirituales ſint.

2. Noſtra reſponſio. 278 Dices ſecundò eſſe diſparem rationem inter formas Angelicas, & inter animam rationalem, & gratiam. Quia hæc licèt non habeant materiam *ex qua*, habent tamẽ materiam *in qua*. Quia anima rationalis dicit ordinem ad corpus materiale, quia eſt actus corporis phyſici, & organici: gratia etiam dicit ordinem ad ſubiectum, & ideò non mirùm ſi multiplicantur numero animæ ex parte corporis, & accidentia ſpiritualia ex parte ſubiecti. At naturæ Angelicæ ſunt ſimplices formæ ſubſiſtentes, quæ nec habent materiam *ex qua*, neque materiam *in qua*. Et ideò non habent principium vnde multiplicentur numero.

Prima replica aduerſar. ex contra noſtram 2. reſp. 279 Sed contra hanc diſparitatem vrgetur ex Scoto: Primò. Quia quod præſupponit diſtinctionem, non poteſt eſſe cauſa, aut ratio illius diſtinctionis: vt per ſe patet: Sed habitudo, & inclinatio, quam habet anima ad perficiẽdum corpus, & accidens ad perficiendum ſubiectum, præſupponit diſtinctionem numericam animarum, & accidentium: Nam animæ, & accidentia diſtinguuntur numero, vt ſunt entitates abſolutæ: Sed in quantum ſunt entitates abſolutæ præcedunt ſeipſas, vt dicunt habitudinem, & inclinationem ad materiam, vel ad ſubiectum: quia abſoluta ſunt priora reſpectiuis: ergo prius diſtinguuntur, quàm reſpiciant materiam *in qua*; ergo per ipſam habitudinem ad materiam *in qua* non poſſunt nec formæ ſubſtantiales, nec accidentales, maximè ſpirituales multiplicari, ſed ſeipſis.

2. Replica aduerſ. 280 Secundò, quia potiùs materia multiplicatur numero per formam, quàm forma per materiam: quia non forma eſt propter materiam, ſed materia eſt propter formam: ergo potiùs multiplicatio materiæ eſt à forma, quàm multiplicatio formæ à materia.

3. Replica aduerſ. 281 Tertiò addi poteſt ex Aureolo, quia ſi materia eſſet principium multiplicationis animarum; ſequeretur, quod ſeparatis animabus à corporibus remanerent numero indiſtinctæ, quia remota cauſa remouetur effectus. Sed animæ remanent diſtinctæ numero adhuc à corporibus ſeparatæ: ergo animæ rationales non multiplicantur numero ad multiplicationem corporum. Et confirmatur ex Henric. quia licet de facto Deus creet animas rationales in diſtinctis corporibus: nihilominùs potuiſſet Deus tot, & tales animas creare extra corpora, quot, & quales de facto creat in corporibus: ergo diſtinctio numerica animarum eſt indepẽdens à corporibus. Et quãuis accidentia non poſſint naturaliter exiſtere ſeparata à ſubiectis, poſſunt tamen Diuina Virtute à ſubiectis ſepa-

Digitized by Google

parari, & separata consistere, & non solùm accidentia materialia, quæ separantur cum quantitate, sed etiam accidentia spiritualia, quæ nullum habent ordinem ad quantitatem: ergo non multiplicantur numero formæ saltem spirituales, vt sunt animæ rationales, & accidentia spiritualia, præsertim gratia, & lumen gloriæ per materiam, neque *ex qua*, quia illam in se non habent: nec per materiam *in qua*, quia independenter ab illa numero distinguuntur, vt probatum est, &c.

4. Replica aduers. ex Henric.

282 Quartò addi potest ex Henric. Quodlib. 2. q. 8. Quia omne, quod ex natura sua non habet esse in aliquo determinato, sed quòd sit in hoc, vel in illo, habet ab alio nempè ab agente faciente, vt sit in hoc, vel in illo, non potest indiuiduari ab eo, in quo est, nimirùm à materia *in qua*, vel à subiecto, sed potiùs indiuiduatur ab eo, à quo est, scilicet, ab agente faciente, vt potiùs sit in hoc, quàm in illo, sed anima rationalis de se non habet potiùs esse in hoc, quàm in illo corpore: & multò minùs hoc habet gratia, & gloriæ lumen, quod sint in hoc, vel illo subiecto, cum nulli subiecto sint accidentia connaturalia: Sed hoc habent à Deo, qui infundit corporibus animas, & gratiam, & gloriam spiritualibus subiectis. Deus enim infundendo animas, facit, vt hæc anima sit potiùs in hoc corpore, quàm in alio. Et hæc gratia, vel hoc lumen sit in hoc subiecto spirituali potiùs, quàm in alio: ergo non multiplicantur numero animæ à corporibus, nec accidentia saltem spiritualia à subiectis, sed potiùs ab ipso Deo, & ideò sicut Deus potest multiplicare numero formas spirituales, etiam si dicant ordinem ad materiam *in qua*, multo magis poterit multiplicare numero formas Angelicas, etiam si ad nullam materiam ordinem dicant.

5. Replica aduers.

283 Quintò ex eodē Henric. Quia sicut se habet forma informans ad materiam, quam informat: ita se habet forma subsistens ad suppositum. Nam sicut forma partis informat materiam, vel subiectum. Ita forma totius quodammodo informat suppositum. Nam sicut anima constituit corpus animatum, & gratia subiectum gratum, ita Humanitas constituit hominē, sed per habitudinem (secundùm suam sententiam) ad distinctam materiam, vel ad distinctum subiectum, illæ formæ multiplicantur numero: ergo etiam forma subsistens est multiplicabilis numero per ordinem ad distincta suppositа; & sic disparitas allata inter formas informantes, & per se subsistentes, quātum ad hoc est nulla.

284 Sextò denique improbatur illa responsio, quia esto, Anima rationalis etiā si spiritualis sit, possit multiplicari numero per ordinem ad materiā, quia est actus, & forma illius: Attamē de accidentibus spiritualibus hoc dici non potest. Quia accidentia spiritualia, vt scientiæ, species intelligibiles, actus intellectus, & voluntatis recipiūtur in subiectis purè spiritualibus, nēpè in intellectu, & voluntate: ergo saltem hæc accidentia non indiuiduantur per ordinem ad materiam. Et confirmatur in accidentibus spiritualibus supernaturalibus, quia gratia, & gloria dicunt ordinem ad subiecta purè spiritualia, sūt enim cōmunia homini, & Angelo, & sunt cōmunia, quia anima conuenit in spiritualitate cum Angelo, sed Angelus est purè spiritualis nullum dicēs ordinē ad materiam neque *in qua*, neque *ex qua*, & præterea subiecta horum accidentium sunt non solum numero distincta, sicut sunt plures animæ participantes prædicta accidentia, sed etiam sunt essentialitèr distincta, vt anima, & Angelus, & tamē ista accidentia distinguuntur solo numero in Angelo, & in anima: ergo nullo modo ista accidentia indiuiduātur à materia *in qua*, & sic nulla est allata responsio.

285 Quintò principalitèr arguit Henric. loc. cit. ex Commentatore 1. Cœli, c. 4. vbi dicit: Quod quidquid inuenitur plus, quam vnum, est diminutum: Quia si esset perfectum, sufficeret esse vnum, & hoc est causa multorum indiuiduorum eiusdem spe-

Reponūtur 5. 6. & 7. argum.

eiei,ſcilicet, quòd propter diminutionem non fuit natura contenta in eſſe vnius. Itaque ſecundùm Commentatorem cauſa multiplicationis numericæ eiuſdem ſpeciei, eſt diminutio, & limitatio ipſius ſpecificæ naturæ, quæ quia non habet eſſe perfectum in vno: requirit multiplicationem ſuam. Sed omnis natura creata in comparatione ad primam naturam eſt deficiens, vt eſt diminuta,etiam ſi ſit natura Angelica quantumuis excelſa, & ſublimis: ergo quælibet natura creata etiam Angelica eſt multiplicabilis numero.

286 Sed dices rationem allatam numericæ multiplicationis non eſſe ſufficientem. Quia videmus ſaluari ſpeciem in vno ſolo indiuiduo. Sicut eſt vnus Sol,vna Luna,&c.

287 Sed contra vrget Hēric. Quia licèt de facto non ſit, niſi vnus Sol, tamen poſſunt eſſe plures Soles de potētia Dei. Nam cauſa, quare de facto ſit vnus Sol, eſt illa, quia tota materia, quæ apta eſt recipere formam Solis, tota eſt actracta per formam huius Solis: At poſſet Deus creare nouam materiam Solis, (quamuis hoc Philoſophi negarent, qui nihil credunt fieri poſſe vltra id, quod factum eſt) & nunc data noua materia poſſet dari noua Solis forma, & produci nouus Sol,& à præexiſtenti diſtinctus. Sic licèt de facto non ſit niſi vnus Sol, ſunt tamen poſſibiles plures Soles: ergo etiam licèt de facto in vna ſpecie Angelica nō ſit niſi vnicum indiuiduum, poteſt tamen Deus multiplicare plura illius ſpeciei indiuidua, &c.

288 Sextò. Quia omnis ſubſtantia ſubſiſtens creata eſt indiuiduum contentum ſub aliqua natura ſpecifica, itavt natura ſpecifica de illo indiuiduo prædicetur,& notantèr ponitur *creata* ad diſtinctionem perſonæ diuinæ ſubſiſtentis in diuina natura,quia non poteſt vna perſona dici indiuiduumDeitatis: Sic enim eſſent tresDij,ſicut ſunt tres perſonæ. Sed Angelus eſt ſubſtantia creata ſubſiſtens, de quo natura ſuæ ſpeciei prædicatur: ergo quilibet Angelus continetur ſub aliqua natura ſpecifica.Sed quòd præter vnum indiuiduum ſub illa natura multiplicentur plures Angeli,non habet vllam repugnantiam. Nam vel eſſet hæc repugnantia ex parte naturæ, vel ex parte indiuidui. Non ex parte naturæ. Quia naturæ ſpeciei non derogat,poſſe habere plura ſuppoſita, in quibus ſubſiſtat. Quia hoc pertinet ad dilatationem ipſius. Nec derogat indiuiduo ſub ea exiſtēti, ſi habeat aliquod aliud ſicut compar,& ſibi condiuiſum: ergo poſſibile eſt eſſe plures Angelos eiuſdem ſpeciei. Confirmatur, quia ſuppoſita, quæ numerantur, differunt numero: Sed Angelorum ſuppoſita numerantur: ergo differunt numero,& ideò ex parte indiuidui non eſt repugnantia, vt habet aliud indiuiduum ſibi condiuiſum compar.

289 Septimò, quia omnis ſpecies eſt prædicabilis de pluribus differentibus numero, vt patet ex definitione ſpeciei apud Porphyrium.c. de ſpecie, & ſi illa plura non habeat actu, debet ſaltem habere poteſtate.Sed in Angelis ſunt naturæ ſpecificæ veræ,& propriæ:ergo omnis ſpecies Angelica eſt prædicabilis de pluribus differētibus numero, vel quæ ſub ſe habet actu,vel ſaltem poteſtate,ſeu in potentia, & ſic omnis ſpecies Angelica eſt multiplicabilis numero.

290 Octauò: Quia natura generica in Angelis diuiditur in multas ſpecies, per hoc, quod generi adduntur plures differentiæ ſpecificæ, quæ habent vim diuidendi naturam genericā in plures ſpecies: ergo etiam natura ſpecifica eſt diuiſibilis in plura indiuidua per differentias indiuiduales diuidentes ipſam ſpecificam naturam. Probatur conſequentia, quia non minùs concedendæ ſunt differentiæ ſpecificæ diuidentes genus in plures ſpecies,quàm differentiæ numericæ diuidentes ſpeciem in plura indiuidua.Sicut enim differentiæ indiuiduales diuidunt naturam humanam in Petrum, Paulum, & Ioannem, quare non potuit aliqua natura Angelica ſpecifica per indiuiduales differentias di-

uidi

Digitized by Google

uidi in plures Angelos solo numero differentes.

Secunda sententia Capreoli, Caietani, N. Salmanticensium, & nostra, quæ affirmamus implicare contradictionem posse sub eadem infima specie multiplicari plures Angelos solo numero distinctos.

291 SEcunda sentẽtia affirmat implicare contradictionem posse sub eadem infima specie multiplicari plures Angelos solo numero distinctos. Hæc sine dubio est sententia Capreoli in 2. dist. 3. qu. 1. a. 1. conclus. 5. & a. 3. ad arg. contra 5. conclus., Caiet. q. 9. de Ente, & Essentia. Eam sequuntur nostri Salm. tract. de Angelis disput. 1. & nouissimè Mazziota in suo quæstionario Philosophico q. 6., & hanc ego quoq; ex animo sequor. Primò quidem propter efficaciam rationis Aristotelis, & S. Thomæ: Deinde propter imbecillitatem rationum, quas in immẽsum aduersarij multiplicant, quæ cum omni facilitate dissoluuntur, vt posteà videbimus.

Capreol. N. PP. Salmantic.

Mazziotta.

292 Vnde clamores aduersariorũ dicentium hanc nostram sententiam inferre præiudicium Diuinæ Omnipotentiæ, æstimandi non sunt. Quia dicimus hoc non prouenire ex defectu Diuinæ Omnipotentiæ, sed quia effectus non est factibilis; esset enim simùl dare duo contradictoria; vel quia Angelus simùl esset substantia materialis, & immaterialis, vel quod natura Angelica esset simùl forma informãs, & forma completa per se subsistens. Quæ sine dubio implicant contradictionem. Sicut etiam fatentur aduersarij, non posse Deum facere substantiam, quæ simùl sit Angelica, & diuisibilis. Quia simùl esset quanta, & non quanta: quanta, quia diuisibilis, non quanta, quia Angelica, & spiritualis. Et tamen nullum præiudicium infertur Omnipotentiæ Dei, ex eo, quia hoc non prouenit ex defectu potentiæ facientis, sed ex defectu effectus, qui nõ est factibilis.

293 Vt autem vim, & efficaciam rationis Arist. & S. Tho. aperiamus, supponendum est primò, quòd si duo vel plures Angeli darentur solo numero distincti sub eadem infima specie, deberent etiam dari principia distinctiua, & diuisiua speciei, diuidentia illam in plura indiuidua. Nec enim esse, nec intelligi potest, quod natura specifica, quæ secundùm se, est indiuisa, & vna vnitate negatiua, vt præintelligitur ad sui diuisionem, & multiplicationem, absque principijs diuidentibus, multiplicetur, & diuidatur in plura indiuidua: nisi dicere velis cũ Nominalibus, quod omnis natura est essentialitèr singularis, quæ sententia communitèr, & à nobis supra reiecta est.

1. præsuppositum.

294 Suppono secundò, quòd ista principia, quibus immediatè natura specifica Angelica diuideretur in plura indiuidua, supposito, quod non sint habitudines ad aliqua principia extrinseca, nempè ad materiam *in qua*, quia natura Angelica non est forma informans: neq; ad materiam *ex qua*, quia illam non habent. Debent esse aliquæ differentiæ absolutæ, quæ ex seipsis habeant vim diuidendi Angelicam speciem in plura indiuidua, & ideò in ipsis indiuiduis Angelicis debent includi istæ differentiæ absolutæ ab omni ordine ad extrinsecum.

2. Præsuppositum.

295 Suppono tertiò cum communi sententia contra Henr. quia ista principia diuidentia non possunt esse existentia, vel subsistẽtia. Quia quamuis istæ compleant rationem indiuidui in ratione primæ substantiæ. Attamen quatenus natura est singularis, præsupponitur ad existentiam, & subsistentiam. Vt patet in Humanitate assumpta à Verbo, quæ assumpta est ad existendum, & subsistendum in supposito diuino, vt singularis, De qua re multa diximus supra. Vnde principia diuidentia naturam specificam in plura indiuidua debent esse omninò differẽtiæ sic diuidentes speciem in plura indiuidua, quam differentiæ specificæ diuidunt genus in plures species.

3. Præsuppositum.

296 Sup-

Digitized by Google

4. Præsuppositum.

296 Suppono tandem quartò differimen inter multitudinem numericam, & specificam latè supra à nobis explicatum. Quod multitudo specifica, quamuis importat æqualitatem ex parte materiæ diuisæ, quia nimirum natura generis est par, & æqualis in omnibus speciebus. Attamen ex parte specierum est impar, & inæqualis, quia species constitutæ ex natura generis, & differentijs superadditis, sunt inter se inæquales, & diuersæ. At verò multitudo numerica importat æqualitem, tàm ex parte naturæ diuisæ, quàm ex parte differentiarum diuidentium, & propterea diximus esse homogeneam. Quod si inter indiuidua detur aliqua inæqualitas, vel illa est accidétalis, vel si substantialis, consequitur ad differentiam indiuidualem, vt dictum est supra, & in decursu huius difficultatis dicetur.

1. Ratio S. Th. & Arist. pro nostra 3. sententia.

297 His positis veniamus ad rationem Aristotelis, & Sancti Thomæ, quæ est huiusmodi: Si plures substantiæ abstractæ, seu Angeli distinguuntur numero sub eadem specie. Natura speciei non posset diuidi in plura indiuidua, nisi per differentias formales; (Nam duplex est principium diuisiuum alicuius naturæ, vel formale, vt diuiditur albedo, à nigredine, vel materiale, vt diuiditur hæc albedo ab illa albedine ratione superficierum, quibus insunt) Substantiæ abstractæ, seù Angeli nullum commercium habent cum materia, sed sunt simplices formæ; ergo principia distinguentia in ipsis debent esse purè formalia, sed omnis distinctio per differentias formales est specifica; (Nam in substantijs compositis forma est principium speciei, & omnis differentia, quæ ab ipsa sumitur, in quantum forma est, specifica est) ergo multò magis omnis differentia in formis completis debet esse formalis, & specifica: ergo omnis distinctio, & multiplicatio in Angelis est specifica, & impossibile est dari in Angelis distinctionem numericam.

298 Multa dicunt aduersarij ad diluendam hanc rationem, sed in rei veritate non satisfaciunt, quod ut perspicaciùs appareat, propono illam sub hac alia forma. Quæcumq; distinctio, aut multiplicatio, quæ secundum differentijs primò diuersis, est specifica, sed omnis distinctio Angelica nec est, nec esse potest, nisi differentijs primò diuersis; ergo omnis distinctio Angelica est specifica, & dico distinctionẽ specificam, vel specie subalterna, vel specie infima, pro qualitate differentiarum diuidentium aliquam naturam communem.

Scotistæ negant maiorem nostræ rationis, Suarez verò negat minorem.

299 Ad hanc rationem primò respondent Scotistæ, negando maiorem, respõdent Suarez, & alij, quos ipse sequitur, negãdo minorẽ. Scotistæ igitur admittunt minorem, dicẽtes hæcceitates, quibus Angeli, & omnia alia indiuidua sub aliqua specie inter se distinguuntur numero esse differentias primo diuersas. Vt videri potest apud Radam, qui de hac re ex mente Scoti statuit vnam conclusionem: sed negant maiorem, quod quæcunq; differunt differentijs primò diuersis, differunt specie: Suarez verò videtur admittere maiorem, & negare minorem, & certè rationabiliùs, quia differentiæ indiuiduales nõ diuersificant, sed potiùs assimilant vnum indiuiduum alteri.

Probatur maior nostræ rationis negata à Scotistis.

300 Nihilominus à nobis facili negatio probatur maior, & minor. Maior quidem, quia illa dicuntur primò diuersa, quæ sunt rationes formales simplices, quarum vna habet rationem formalem diuersam ab alia, & incõpossibilem cum illa, quia quod formaliter importat vna, formaliter non importat altera: & ideò summa genera distinguũtur per hoc, quod sunt rationes satis simplices, & primò diuersæ inter se, ita vt primò diuersitas distinguat summa genera. Similiter differentiæ diuidentes aliquod genus, vel summum, vel subalternum ex eo habent diuidere genus in plures species, quia sunt primò diuersæ inter se, ita vt primò diuersitas sit ratio, quarè genus vniuocum, cum in se sit, diuersificatur in plures species.

Et

Digitized by Google

Arist. 301 Et ideò dixit Philosophus, sub genere latent æquiuocationes, ideſt Genus, cum ſit in ſe vniuocum, & vniforme propter differentias diuidentes, quæ ex ſe habent primò diuerſitatem, diuerſificatur, redditurque multiforme. Quia diuerſitatem, quam habent inter ſe, primò illam attribuunt generi. Impoſſibile eſt igitur, quod aliqua natura diuidatur per differentias primò diuerſas, & quod ea, in quæ diuiditur, non ſolum ratione naturæ diuiſæ, ſed etiam ratione differentiarum diuidentium ſint eiuſdem rationis, vt ſunt indiuidua eiuſdem ſpeciei. Sed debent eſſe diuerſæ rationis, ac proinde ſpecie inter ſe diſtincta.

302 Igitur omnis diuiſio, quæ fit per differẽtias primò diuerſas, eſt ſpecifica, & non poteſt eſſe numerica. Vndè ſi Petreitas, & Pauleitas eſsẽt differẽtiæ primò diuerſæ, ſequeretur, quod Petrus, & Paulus eſsentialiter & ſpecie diſtinguerẽtur, & vt benè dicit Capreolus loc. ſup. cit. ad 8. Scoti cõtra 5. concluſionem fin. Natura per eas diuiſa potiùs haberet rationem generis, quàm ſpeciei, & voce ſolum dicerẽtur Petrus, & Paulus differre numero, ſed in rei veritate differrent ſpecie. Nec video, qua ratione hæc noſtra philoſophandi ratio poſſit euerti.

Capreolus.

Probatur minor noſtræ rationis negata à Suarez. 303 Probatur deindè minor, quia differentiæ abſolutæ, quæ nullum reſpiciunt principium extrinſecum diuiſionis, ſed ſeipſis habent vim diuidendi aliquam naturam communem, ſecumq; afferunt primò diuiſionem illius, non poſſunt habere hanc diuidendi vim, niſi quia ſunt differentiæ primò diuerſæ. Nam cum ſint conceptus ſimplices, non poſſunt in ſeipſis primò diuidi, niſi quia ſeipſis ſunt formalitates diuerſæ.

Suarez. 304 Et ideò non poteſt intelligi, quod dicit Suarez, quod differentiæ numericæ ſunt ſimiles, & habeant vim diuidendi, quia ſimile, inquantum ſimile, non diuidit, ſed oportet vt habeant aliquam rationem vnam diuerſam ab alia, & ſic debent eſſe primò diuerſæ, ſed in Angelis non poſſunt aſſignari differentiæ diuiſiuæ, niſi ſint primò diuerſæ inter ſe, quia nullum habent ordinem ad extrinſecum principium diuiſionis: ergo omnis diuiſio inter Angelos eſt per differentias primò diuerſas, & perindè omnis multiplicatio inter Angelos debet eſſe ſpecifica, & impoſſibilis eſt multiplicatio numerica.

1. effugium aduerſar. 305 Sed dicet quis: & tu Thomiſta nonnè debes admittere differẽtias numericas cõſtituentes indiuidua, & diuidẽtes naturam ſpecificam, eamq; in pluribus indiuiduis multiplicantes. Sicut apparet in animabus rationalibus, quæ cum in natura ſpecifica, quam ſuo modo habent, cõueniant per differentias numericas, deinde numero inter ſe diſtinguũtur, & multiplicãtur, nunc peto, quomodo iſtæ differentiæ habent vim diuidendi ſpecificam naturam: nõ poteſt dici, niſi quia aliquid formale addunt naturæ ſpecificæ, addens vna, quod non addit altera: ergo etiam tu Thomiſta in eãdem incidis difficultatem.

Præcluditur. 306 Sed hæc inſtantia non vrget, quia Thomiſtæ non conſtituunt differentias diuiſiuas naturæ ſpecificæ in conceptibus formalibus primo diuerſis, ſed in quibuſdam habitudinibus ad materiam diuiſibilem, quatenus in plures partes homogeneas diuiſibilis eſt. Vndè ſicut diuiſio materiæ, & cõtinui nõ fit per differẽtias ſeipſis primò diuerſas, ſed per præciſam ſeparationẽ vnius partis ab alia, ita etiam illæ habitudines non diuidunt formam, vel ſpeciem tanquam differentiæ primò diuerſæ, ſed per hoc, quod important commenſurationem quandam ad diuerſas portiones materiæ.

307 Et ideò non ſunt propriæ differentiæ, ſed lato modo differentiæ appellantur, & diuiſionem, quam faciunt non eſt alia, quam ſimilis diuiſioni ipſius materiæ, à qua principiantur, ſic enim à diuerſa formalitate obiectorum naſcitur diſtinctio formalis potentiarum, eo quod primaria diſtinctio potentiarum ſumitur ab obiectis formaliter diſtinctis, ita diſtinctio

nu-

Digitized by Google

numerica formarum ſumitur primariò à diuiſione numerica materiæ, vel ſubiecti, & ideò non alitèr diuidunt naturam ſpecificam, niſi quo modo diuiditur materia, à qua habent vim diſtinguendi tanquã à prima radice, & ideò diſtinctio numerica eſt materialis, & vniformis ad differentiam diſtinctionis, & multiplicationis ſpecificæ, quæ ſumitur à differentijs ſeipſis primò diuerſis.

2. effingium aduerſar. 308 Sed dices ſecũdò cum Ferrar. & alijs, licèt hìc modus diuidẽdi naturam ſpecificam in plura indiuidua, ſit ille, qui nobis notus eſt, nimirum pet habitudinem ad diuiſibilem materiã, ac proindè hoc modo natura Angelica non poſſit diuidi, & multiplicari in plura indiuidua. Attamen poteſt Deus habere in virtute ſuæ potentiæ alium modum incognitum nobis, quo poſſit, & fortaſſe de facto multiplicauit naturam ſpecificam Angelicam in plura indiuidua.

Quæritur. 309 Sed hæc euaſio facilè præcluditur, quia non debemus fingere diuiſiones, & multiplicationes numericas, & ſpecificas alterius conditionis, quam modo accipimus. Nempè quod ſpecifica conſtat ex vnitatibus diſcretis diuerſæ rationis, hoc eſt, quòd quamuis in natura communi, quæ diuiditur, ſint ſimiles, & omninò pares: Attamen ratione differentiarum diuidentium habent inter ſe diuerſitatem, & diſſimilitudinem. Multitudo verò numerica conſtat ex vnitatibus diſcretis omninò inter ſe ſimiles, tàm ex parte naturæ diuiſæ, quàm ex parte differentiarum diuidentium, ſin autem alitèr accipitur multitudo ſpecifica, & numerica, erit quæſtio de nomine, quia quam vocas numericam, ego appellabo ſpecificam.

310 Igitur, vt quæſtio ſubſiſtat ſin ſuis terminis, ſiue in Angelis, ſiue in ſubſtantijs materialibus eodem modo intelligenda eſt multitudo ſpecifica, & numerica, quantum ad diſcrimen allatum, quo iſtæ duæ diuiſiones, & diſtinctiones multitudinis diſcriminantur inter ſe, & ideò hoc diſcrimen eſt vtrique multitudini eſſentiale.

Argumentũ Modeſtinũ ſ. ipſius authoris. 311 Hoc poſito arguo ſic: ponamus duos Angelos eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero inter ſe diſtinctos. Impoſſibile eſt iſtos Angelos eſse inter ſe diſtinctos, quin habeant in ſe ſua principia diſtinguentia, ſeu differentias, per quas inter ſe diuiduntur ſub eadem ſpecie.

311 Rurſus impoſſibile eſt, quod iſtæ differentiæ habeant vim diuidẽdi ſpeciem, niſi iſtam vim, vel habeant primo ex ſeipſis, vel habeant ab alio extra ipſas: ſi habent primo ex ſeipſis, non poteſt eſſe alitèr, niſi quia primò ſunt diuiſæ inter ſe, & deinde, vt intelliguntur afficere naturam ſpeciei, diuidunt illam, ſed non poſſunt eſſe diuiſæ inter ſe, niſi quia ſunt formalitates diuerſæ, & formalitas vnius non eſt formalitas alterius: & non poſſunt diuidere naturam ſpeciei, niſi quia vt intelliguntur illam afficere, tribuunt illi diuerſos effectus formales inter ſe incompoſſibiles.

312 Vnde ſequitur, Angelos conſtitutos ex natura diuiſa, & differentijs diuidentibus eſse inter ſe formalitèr diuerſos: ergo non diſtinguuntur inter ſe ſolo numero. Sed etiam ſpecie, & eſſentialitèr: ſin autem habeant hanc vim diuidendi per ordinem ad aliquid extrinſecum, quod eſt primum iſtius diuiſionis principium, hoc non poteſt eſse, tum quia Angeli per ordinem ad nullum extrinſecum diſtinguntur ſubſtantialitèr inter ſe.

313 Tum etiam, quia hoc extrinſecum principium diuiſionis homogeneæ non poteſt eſse, niſi aliquid materiale, vt per ſe conſtat: ergo vel Angeli diſtinguuntur numero per aliquod materiale extra ſuam entitatem, quod non admittunt aduerſarij, nec eſt admittendum, quia omnis materia, vel eſt ex qua, vt materia prima vel eſt altera pars compoſiti, vel eſt materia in qua, vt eſt ipſamet materia prima reſpectu formæ ſubſtantialis, & ſubiectum reſpectu formæ accidentalis. Et ad nullam materiam ſubſtantia Angelica habitudinem dicit. Vel diſtin-

guun-

Digitized by Google

guuntur numero per differẽtias absolutas, & inter se primo diuersas. Et sic non erit tantũ numerica, sed etiam specifica diuisio. Et ideò frustrà fingitur alius modus multiplicationis numericæ: Sed ad hos duos modos omnis alius actualis, & possibilis reducendus est. Neuter autem in Angelica substantia potest habere locum: igitur nullo modo potest in Angelis cadere sola diuisio, & multiplicatio numerica.

Corolla. iũ pro efic. cia rationis S. Th Arist.

314 Redeuntes ergo ad rationem Arist. & S. Thomæ, ex his apparet, quàm sit efficax vis illius. Quia in substantia, quæ est simplex, & completa forma subsistens, non potest fieri diuisio, & multiplicatio, nisi per differentias primo diuersas. Sed huiusmodi differentiæ non solum materialitèr sunt formales, nempè, quia sumũtur ab entitate, quæ est forma, sed sunt formalitèr formales: Quia sunt simplices conceptus formales formalitèr diuersi: ergo in substantijs huiusmodi omnis diuisio, & multiplicatio est formalis formaliter, ac proinde essentialis, & specifica, & ideò implicat contradictionem, quod in huiusmodi substantijs possit habere locum diuisio, & multiplicatio numerica, nisi velis appellare multiplicationem numericam ipsam multiplicationem indiuiduorũ essentialitèr, & specie diuersorum, quatenus quodlibet indiuiduum est sua species.

2. Ratio principalis nostræ sententiæ, qua confutãtur modi positi ab Aegydij, & alijs, quibus excogitant posse num. multiplicis Angelos.

315 Secundò principalitèr probatur nostra, & D. Thomæ sententia, confutando modos, quibus aliqui conati sunt explicare quo pacto in Angelis possit cadere multiplicatio numerica sub eadem infima specie. Et quidam sunt modi generales, quibus aliqui explicant generale principium indiuiduationis, & multiplicationis numericæ sub quacumque specie infima, vt illi, qui assignant differentias indiuiduales, dicentes, quod sicut genus diuiditur per differentias specificas in plures species: ita species per differentias numericas diuiditur in plura indiuidua, quem modum latè explicat, & sequitur Suarez in metaph. & lib. 1. de Angelis. Scotus, & Scotistæ dicunt indiuidua cuiuscumque speciei siue substantiæ, siue accidentis, siue spiritualis, siue materialis multiplicari numero per hæcceitates, & alij alijs modis explicant: Qui omnes modi generales satis, superque supra cõfutati sunt.

Suarez. Scotus: Scotistæ.

316 Alij autem assignant quosdam modos speciales in substantijs Angelicis, & hi à nobis in præsenti confutandi sunt. Est ergo primus modus explicandi, quo pacto de potentia Dei absoluta possint multiplicari plures Angeli sub vna infima specie, Ægidij Quodlib. 2. q. 7. qui dicit, Si sermo sit de potentia Dei ordinaria, & spectata exigentia Angelicæ naturæ; Sic in vna specie Angelica non potest dari, nisi vnicum solum indiuiduum.

1. Modus Aegydius.

317 Ratio ipsius est, quia indiuiduum Angelicum de se petit creari cũ tota plenitudine, & perfectione suæ speciei. Et sic non potest creari connaturalitèr, nisi vnus Angelus vnius speciei. At si loquamur de potentia Dei absoluta, posset Deus multiplicare plures Angelos solo numero distinctos sub eadem specie; limitando, & distribuendo pluribus indiuiduis Angelicis per partes, quod vni Angelo habenti totam plenitudinem speciei contulisset.

Ratio Aegidij.

318 Nam dictum est supra, quod vna causa multiplicandi indiuidua sub eadem specie est, quia in vno solo non potest inueniri species cum tota plenitudine. Vndè in specie humana v. g. quia ad opus generationis nõ est sufficiens vnum indiuidum, non enim idem potest esse pater, & mater, prouidit natura, vt in specie humana essent duo indiuidua sexu distincta.

319 Sic etiam quia ad omnes operationes intellectus non potest reperiri aptus vnus homo singularis, ideò instituta est multiplicatio indiuiduorum, quorũ vnum aptum sit ad vnam, alterum ad alteram operationẽ. Quod si inueniretur vnus indiuiduus homo, qui haberet totam plenitudinem spe-

Digitized by Google

ciei,nõ foret necessaria indiuiduorum multiplicatio. Sic dicit Ægidius in Angelis. Quod quidem natura Angelica de se petit creari in vno Angelo cũ tota perfectione, & plenitudine. Sed potest Deus diuidere istam plenitudinem, partiẽdo plúribus Angelis eiusdem speciei, ita vt vnus habeat speciem determinatam ad vnam operationem, alter ad alterã, sicut de hominibus in specie humana dictum est.

Eundem modum Aegidij fortè tenent alij.

Bañes.

319 Ad hunc modum Ægidij fortè respexerunt alij, quatenus assignant sub vna specie Angelica plures numero Angelos possibiles secũdùm aliquam diuersitatem intra latitudinem eiusdem speciei. Vndè Bañes 1. p. q. 10. a. 4. dub. vnic. in 3. parte dubij dicit, Deum posse creare plures Angelos eiusdem infimæ speciei in perfectione indiuiduali inæquales. Sicut etiam ponimus animas inæquales in perfectione substantiali, eo, quod perfectio speciei plenius reperiretur in vno, quàm in alio, ita tamen vt in nullo reperiretur cum tota plenitudine. Alij dicunt, quòd possunt multiplicari numero secũdùm diuersũ operandi modum intra latitudinem eiusdem speciei. Sicut intra latitudinem caloris reperiuntur diuersi numero calores secundùm diuersum modum, & gradum intensionis, Quia alter calefacit vt duo, alter vt tria, &c. & hoc modo volunt isti auctores, posse plures Angelos multiplicari numero sub eadem infima specie.

1. Reijcitur modus Aegidij, & aliorum ponendi plures Angelos solo numero distinctos.

320 Sed hic modus ponendi plures Angelos possibiles solo numero inter se distinctos sub eadem infima specie facilè reijcitur. Primùm, quia cum dicit Aegidius, quòd non possũt creari plures Angeli solo numero distincti, in quibus species inueniatur cum tota sua plenitudine, sed vnum tantum, aut ideò est, quia ex vi suæ speciei est singularis, aut quia eius differentia indiuidualis, quà constituitur, adæquat totam speciem. Si primum: ergo natura specifica in Angelis essentialitèr est singularis, & ex vi essẽtiæ repugnat numero multiplicari, & ita nullo pacto posset diuidi in plura indiuidua siue plenè, siue ex parte participent speciem. Quia quod est essentialitèr singulare, vel indiuisibile nullo pacto, etiam per diuinam potentiam diuidi potest.

321 Secundum dici non potest, Quia si semèl differentia indiuidualis est extra essentiam, impossibile est, nõ posse concipi, vt communem pluribus. Et ideò à nulla differentia quantumuis cõpleta potest adæquari eius aptitudo ad esse ẽdum in pluribus. Vnde sicut Deus posset creare plures Angelos solo numero distinctos, qui participarẽt incompletè suã speciem: Ita potuit creare plures, qui illam participarent cum omni plenitudine.

Reijcitur 2. idem modus Aegidij, & aliorum.

322 Secundò, quòd in rebus materialibus aliqua species non plenè participetur ab vno indiuiduo, non est ex parte formæ, vel essẽtiæ, quæ quoad prædicata quidditatiua æqualitèr reperitur in omnibus, sed hoc prouenit ex parte materiæ coarctantis naturam specificam secundùm diuersas dispositiones necessarias ad diuersas operationes, cuius natura specifica est principium, & ideò animæ sunt substantialitèr inæquales, quatenus dicũt commensurationem, & coaptationem ad corpora diuersimodè disposita, & ex hoc etiam prouenit diuersus modus operandi indiuiduorum intra latitudinem eiusdem speciei. Sed in Angelis non inuenitur materia, nec aliquod principiũ materiale, vnde proueniat illa coarctatio, vel limitatio. Igitur natura Angelica in quocumq; indiuiduo crearetur, semper crearetur cum tota plenitudine suæ perfectionis.

Euasio aduers.

323 Sed dices, quòd id, quòd facit naturalitèr in rebus materialibus principium materiale, coarctando naturam specificam, hoc faceret supernaturalitèr in Angelis Diuina Sapientia, & potentia illius.

Præcluditur.

324 Sed contra, quia hanc coarctationem naturæ specificæ in Angelis, vel faceret Deus minuendo naturam specificam, & hoc est impossibile:

Quia

Quia sequeretur indiuisibile diuidi, natura enim Angelica indiuisibilis est. Vel addendo ipsi naturæ aliquid contractiuum, & limitatiuum illius, & hoc non potest esse aliud, nisi differẽtia indiuidualis, quæ limitaret ipsam naturam specificam ad hunc perfectionis gradum, vel ad hunc operandi modum. Sed neque hoc modo, tum quia differentia indiuidualis nõ habet de se cõstituere naturã specificã, cũ nõ det illi aliquam perfectionem: tùm etiam, quia illa natura non esset specifica, sed generica, & differentia, quæ dicitur numerica esset specifica. Quia natura illa per superadditas differentias formalitèr modificaretur ad diuersos gradus perfectionis, & ad diuersos modos operandi. Sicut natura vegetatiua per diuersas differentias specificas modificatur ad diuersos modos, & gradus vegetandi: & natura sẽsitiua ad diuersos modos, & gradus sentiendi.

325 Dixi formalitèr modificaretur, ad occurrendũ instantiæ, quæ fieri posset de natura humana in diuersis indiuiduis inæqualibus, & de animabus rationalibus, quas diximus esse substantialitèr inæquales intra latitudinem specici. Quia vt sæpè dictum est, hæc inæqualitas non prouenit ex principijs formalibus, hoc est à differentijs primò diuersis, sicut prouenit in Angelis, in quibus non possunt reperiri alia principia diuidentia naturam specificam. Sed prouenit ex principijs materialibus: quatenus ex meliori, vel deteriori dispositione materiæ, qua præparatur ad speciem humanam, coaptatur illi forma proportionata melior, vel deterior. Et ideò absolutè loquendo illa inæqualitas prouenit ex præsupposita imperfectione: quia perfectio naturæ humanæ dependet à materialibus dispositionibus, à quibus non dependet perfectio Angelicæ speciei.

3. Reijcitur iste modus Aegidij, & aliorum.

326 Hinc tertiò improbatur, hic dicendi modus. Quia tàm S. Thomas, qui negat esse possibiles plures Angelos eiusdem speciei, quàm aduersarij, qui volũt esse possibiles, omnes respiciunt ad perfectionem Angelicæ naturæ. S. Th. quidem, quia putat naturam Angelicam non posse existere in aliquo indiuiduo, nisi cum tota plenitudine perfectionis suæ. Quæ si esset multiplicabilis numero, esset diminuta, & imperfecta in quolibet illorum, quam diminutionem non patitur natura Angelica. Et ideò, quia non potest creari nisi perfecta, & cum tota plenitudine, non potest multiplicari numero. Aduersarij verò non solum volunt naturam Angelicam in vno indiuiduo creari cum tota plenitudine intensiua, sed in pluribus ad maiorem plenitudinem extensiuam; putant enim multiplicationem indiuiduorum pertinere ad maiorem perfectionem, & splendorem Angelicæ naturæ. Sed iste modus excogitatus ab Aegidio, Bañez, & alijs multiplicandi plures Angelos sub eadem specie diminuit perfectionem naturæ Angelicæ: ergo iste modus non est ad propositum, & vt impertinẽs ad rem reijciendus est.

327 Tertiò nõ leuitèr probari potest nostra sententia ex facili solutione argumentorum, quæ agerãt, & exagerãt aduersæ sententiæ auctores. Quod vt demonstremus, illa dissoluamus.

Respondetur ad principalia argum.

328 Ad primum ergo respondetur concessa maiori, nempè, quod non est aliquid denegandum diuinæ potentiæ, nisi affertur manifesta contradictio, negando minorem: tres enim rationes implicantiæ ibidem allatæ, euidentes sunt, si rectè perpendantur.

1. Contradictio.

329 Prima enim contradictio est, quia substantia Angeli esset simùl materialis, & immaterialis. Cum enim principium indiuiduationis, & multiplicationis indiuidualis sit materia prima: Si essent possibiles plures Angeli sub eadem infima specie, illi Angeli essent simùl immateriales, & materiales. Immateriales, quia Angeli sũt, quorum substantia est immaterialis: essent materiales, quia distinguuntur numero sub eadem specie: oporteret enim aut constare ex materia corporea, aut dicere habitudinem ad materiam:

riam in qua sint, & substantia Angelica omni modo est absoluta à materia, nec enim constat ex materia, neq; dicit ordinem ad aliquid, quod se habet vt materia, cum non sit forma informans; & ad id, quod dicit Henric. quod non est certum, materiam *ex qua*, vel *in qua* esse indiuiduationis principium, dico, quod satis certificari potest ex supra probatis. Quod deinde addit, esto materia sit principiũ indiuiduationis in rebus materialibus, tamen Angeli possunt aliunde indiuiduari, iam ostensum est, non posse dari aliud indiuiduationis principium præter materiam *ex qua*, vel *in qua*.

2. Contradictio. 330 Secũda contradictio est, quia illa multiplicatio esset simùl specifica, & numerica: numerica quidem, vt supponitur: specifica verò, quia fieret per principia, & differentias formales: & omnis huiusmodi multiplicatio est specifica, & ad improbationem, quã Scotus, & alij nituntur hanc contradictionem dissoluere, facilè patet ex dictis. Nam in Angelis non potest esse multiplicatio, nisi per differentias primò diuersas, omnes autem differentiæ primò diuersæ sunt formales, vt supra probatum est. Vnde illa distinctio Scoti, quam etiam vsurpat Suarez, quod differentia potest dupliciter dici formalis; vel materialiter, quia sumitur ab entitate, quæ est forma, vel formaliter, quia sumitur à forma, vt forma est in Angelis locum non habet, licèt in animabus rationalibus separatis hæc distinctio possit habere locum. Nam differentia numerida, qua vna anima indiuidualiter differt ab alia, dici potest materialiter formalis, quia licèt sumatur ab entitate formæ, tamen non est formaliter formalis, quia non sumitur à forma, vt informans materiam, sed sumitur potiùs ex parte materiæ: quatenus huic materiæ sic dispositæ coaptatur, & illi commensuratur. Sicut receptibile commensuratur suo receptiuo, vt tantum de receptibili intret receptiuum, quanta est recipientis capacitas. Attamen in Angelis omnis differentia est formaliter formalis propter dictam rationem, quia omnis differentia in Angelis diuidit naturam communem per aliquam positiuam rationem formalem primò diuersam à ratione formali, alterius differentiæ condiuidentis naturam communem independenter ab omni materiali recipientis dispositione.

Suarez.

3. Contradictio. 331 Tertia contradictio est: Quia substantia Angelica esset forma completa, per se subsistens, & non esset forma completa. Primum ab omnibus est receptũ. Quia nomine Angeli intelligimus simplicem, & perfectam quidditatem totam per se subsistentem. Secundum patet ex supra dictis. Quia quidditas, quæ multiplicatur numero, ideò multiplicatur numero, quia in vno indiuiduo non habet totum suum complementum. Et ideò, quia non habet totam sufficientiam in vno, requirit multiplicari in pluribus. At quidditas Angelica in vno indiuiduo habet totum suum complementum, vt contra Aegidium ostensum est. Igitur natura Angelica non est numero multiplicabilis.

331 Ex quo patet, quod quidditas Angelica in vno indiuiduo habet omnem sui perfectionem intensiuam, & extensiuam. Nam quod species materiales per multiplicationem indiuiduorum acquirant aliquam extensiuã perfectionem, est propterea, quia in vno indiuiduo totam perfectionem, ad quam se extendit habere non potest. Quod, vt dictum est, in specie, & quidditate Angelica locum non habet. Et cũ dicitur hinc solum sequi, quòd natura Angelica, non habet intrinsecum principium multiplicationis suæ, non tamen sequitur, quòd supernaturaliter à Deo multiplicari non possit, vt dicebat S. Thomas. Ad hoc dico, quod ex hoc, quòd natura Angelica potuit creari in vnico indiuiduo cum tota sua perfectione, & plenitudine, nõ solum non habet intrinsecum principium suæ multiplicationis, sed habet intrinsecam repugnantiam, vt multiplicetur: Perfectio enim illius quidditatis

S. Tho.

Digitized by Google

ditatis positiuè excludit omnem numericam diuisionem. Sicut indiuisibile non solum dicitur, quia non habet intrinsecum principium diuisionis, sed quia positiuè repugnat omni diuisioni. Dictum autem S. Thomæ satis supra à nobis declaratum est ad mentem illius, loquitur enim de intellectu, vt abstrahit ab humano, & Angelico. Vt sic enim non includit principiũ multiplicationis, nec repugnantiam ad illam, sed hanc repugnantiam includit, quatenùs Angelicus est. Sic igitur patet tres illas contradictiones esse veras, & subsistentes, & quantumcumq; ab aduersarijs procurentur dissolui, semper tamen ex opposita sententia irrecusabilitèr sequuntur.

Respondetur ad 2. arg. principale.

332 Ad secundum respõdent aliqui, negando sequelam maioris, nẽpè in natura Angelica speciei infimæ non posset numero multiplicari, esset essẽtialitèr singularis: Dicunt enim, quod benè possunt coherere ista duo, quòd aliqua natura infimę speciei non possit multiplicari numero, & tamen non sit essentialitèr singularis: Quia repugnãtia ad multiplicationem potest prouenire ab aliquo extra essentiam: Sicuti Sol secundùm mentem Philosophorũ, qui nihil agnouerunt à Deo fieri posse supra naturam, sed quod potuit secundùm totam suam potentiam, totum fuit, non est multiplicabilis numero, & tamen non essentialitèr habet repugnantiam ad multiplicationem, sed aliunde secundùm Philosophum illi aduenit, nimirùm, quia non est possibilis alia materia susceptiua formę ipsius Solis: Quia per hanc formam Solis totalis illius materia est totalitèr actuata.

333 Similitèr secundùm Scotum prout natura specifica afficitur hæceitate sit immultiplicabilis, & tamen non in essentia: ergo potest naturæ Angelicæ intelligi aduenire aliquid extra essentiam eius, quæ ita totam illã speciem adæquatè denominat, vt reddat illã omninò immultiplicabilem in plura indiuidua. Sed completè existat in vno solo. Nam ideò naturæ inferiores sunt multiplicabiles numero, quia vna differentia numerica superintellecta, vel superaddita essentiæ, nõ adæquat totam capacitatem speciei, & ideò in vno indiuiduo non inuenitur natura speciei cum tota plenitudine: ergo si differentia numerica esset adeò perfecta, & adæquata speciei, vt in indiuiduo constituto inueniretur natura speciei secũdùm totam plenitudinem, non esset multiplicabilis numero.

Bañez.

334 Hic modus dicendi à Bañez vbi supra, existimatur probabilis, & potest defendi in sententia illorum, qui negãt materiam esse adæquatum principium indiuiduationis, & multiplicationis numericæ. Quia posset quis dicere species Angelicas non ideò non esse multiplicabiles numero, quia non habent materiam. Sed quia illorum natura specifica petit existere non incompletè, vt dicebat Aegidius, sed in tota possibili plenitudine in suo indiuiduo, & ideò differentia, per quã singularizatur, siue sit ex natura rei, vt putat Scotus de illa sua hæceitate, siue ratione tãtum distincta ab ipsa natura specifica, reddit illam positiuè immultiplicabilem, siue cum positiua repugnantia ad multiplicationem.

Aegidius.

Scotus.

335 Nihilominùs, quia secundùm mentem Aristotelis, & S. Thomæ, materia est principium adæquatum indiuiduationis, ideò concedendum est, omnem infimam speciem Angelicam esse essentialiter immultiplicabilem numero: ratio est, quia prædicatum immaterialitatis est essentiale substantiæ Angelicæ. Summum enim gẽnus substãtiæ immediatè diuiditur in substãtiam materialem, & immaterialem, seu spiritualem: si ergo ad immaterialem sequitur repugnantia ad multiplicationem numericam, dicẽdum est, omnem Angelicam quidditatem esse essentialitèr singularem.

Animadversio.

335 Notandum tamen, quòd repugnantia ad numericam multiplicationem non est de primario conceptu essentiæ: Non enim repugnantia ad numericam multiplicationem est aliqua differentia formalis constituens quidditatem Angeli, sed includitur

virtualiter in aliqua differentia essentiali, nempè in differentia spiritualitatis: quæ differentia dicit formalitèr exclusionem materiæ corporeæ à substantia Angeli, sed vniuersaliter dicit exclusionem numericæ multiplicationis, & hoc modo potest ab intellectu nostro concipi quidditas Angelica absque ista exclusione multiplicationis.

336 Et ideò aliqui Thomistæ, & signantèr nostri Complutenses in Logica dicunt, species Angelicas esse etiã aliquo modo vniuersales, & prædicabiles de pluribus differentibus numero, non quæ in veritate sint possibilia, sed quatenus nostro modo concipiẽdi, qua natura Angelica est conceptibilis ex primario suo conceptu absq; positiua repugnantia ad multiplicationem numericam, quatenus non formaliter, sed vniuersaliter in aliqua differentia essentiali continetur.

337 Redeuntes ergo ad argumentum, cõcedo sequelam maioris: Quòd scilicet si natura Angelica neque de potentia Dei posset multiplicari numero, ideò esset, quia esset essentialitèr singularis. Sed cum subsumitur, nulla natura creata etiam Angelica est, aut esse potest singularis, nego minorem. Et ad primam probationem Scoti dico, quod in ea Scotus, & valdè æquiuocat, & principium petit: Aequiuocat quidem cum assumit, omnem naturam esse communicabilem. Quia confundit communicabilitatem naturæ: Supra enim quatuor communicationes alicuius naturæ assignauimus, vbi ostendimus, quod prima substantia est penitùs incommunicabilis: Sed ad præsens negotium duæ sufficiunt. Alia est enim communicatio naturæ, quæ tanquam quid superiùs communicatur suis inferioribus: Vt natura generis communicatur suis speciebus, & natura speciei suis indiuiduis. Alia est communicatio, qua natura communicatur suppositio.

Enodatur minoris 1. probatio Scoti.

338 Dico ergo, quod etiam indiuidua natura, & essentialitèr singularis est communicabilis ista secunda communicatione. Vt apparet de humanitate assumpta: quæ per assumptionem in suo esse singulari communicata est supposito diuino. Et quamuis iuxta exigẽtiã naturæ singularis sola natura diuina hoc modo sit communicabilis pluribus suppositis. Sed omnis singularis natura creata posset communicari vni supposito, & vnum supposituũ subsistat in vna natura, ex qua naturali commensuratione Auerroes 12. met. sumpsit argumentum ad impugnandum mysterium Sanctissimæ Trinitatis, adsumens illud principium, ad multiplicationem suppositorum multiplicantur naturæ in illis subsistentes. In quo deceptus est, quia nõ vidit distantiam inter naturam illimitam, qualis est diuina, & limitatam, qualis est omnis natura creata. Tamẽ etiam vna natura singularis creata diuinitus potest subsistere in pluribus suppositis diuinis. Vt docet s. Tho. 3. p. & cum eo multi Theologi asserentes eandem numero humanitatem, quæ modo assumpta est à Verbo diuino, potuisse assumi ab omnibus tribus personis. Si ergo Scotus loquitur de hac communicatione, fallitur, naturam singularem nõ posse cõmunicari pluribus. Quãuis enim hoc verũ sit naturalitèr loquẽdo de natura, & supposito creato. Attamen non est verum simplicitèr sic, vt implicet contradictionem. Quia vt dictum est virtute diuina, & vna natura creata potest assumi à pluribus personis diuinis, & vna persona diuina potest assumere plures naturas creatas, maximè Angelicas. Scotus

339 Sin autem loquatur de communicatione, qua natura superior cõmunicatur, & distribuitur in plura inferiora. Verum assumit in maiori. Sed petit principium in minori, dum subsumit: Omnis quidditas de se est communicabilis pluribus. Quia hoc est in quæstione. An omnis quidditas sit multiplicabilis in plura indiuidua, an detur quidditas, quæ sit immultiplicabilis? quod idem est: an omnis quidditas sit communicabilis pluribus, an aliqua sit pluribus incommunicabilis?

Hinc

Digitized by Google

Scotistæ. Rad.

Hinc apparet quàm perperam Scotistæ,& nominatim Rada, vt probet sẽtentiam Scoti, ponit pro fundamento, & supponit pro certo. Quòd omnis quidditas creata etiam Angelica sit communicabilis pluribus inferioribus. Quis enim adeò hebes mentis est, vt concedat omnem quidditatem creatã esse communicabilem pluribus inferioribus, & deinde velit negare quidditates Angelicas non esse multiplicabiles numero: Qui enim hoc dixerit,terminos non intelligit.

Respõsio in formam ad primam, & potissimam minores probationẽ Scoti.

340 Ad formam ergo primæ, & potissimæ probationis Scoti, volentis probare nullam materiam esse essentialitèr singularem. Respondetur distinguendoMaiorem,in qua assumitur, quod nulla natura de se communicabilis pluribus,est essentialitèr singularis. Si enim propositio intelligatur de illa communicabilitate, qua natura communicatur suppositio,negatur maior. Quia sicut natura diuina essentialitèr singularis cum sit, naturalitèr cõmunicatur pluribus suppositis: ita natura creata, etiam si essentialitèr sit singularis,quales dicimus esse naturas Angelicas, est supernaturalitèr communicabilis pluribus suppositis, quia, vt dictum vna singularis natura est simùl assumptibilis à tribus personis. Sin autem propositio intelligatur de illa communicabilitate,qua natura superior communicatur pluribus inferioribus,sic vniuersalitèr,vera est propositio: & hinc est, quòd natura diuina,quia est essentialitèr singularis, nõ est communicabilis pluribus tãquam inferioribus. Quia non est multiplicabilis in plures indiuiduas naturas: & hinc dixit S. Th.,quod in diuinis non inuenitur vniuersale, & particulare: Quia natura diuina sic est communis pluribus personis,vt tamen non multiplicetur numero in illis.

341 Sed in ista propositione sic intellecta,vt benè dixit Capreolus, Scotus petit principium: cum assumat illã pro principio probante, cum debeat esse conclusio probata: Et cum subdit, quod aliqua natura non possit cõmunicari pluribus,aut est propter perfectionem, & hoc non:quia natura diuina est perfectissima, & tamen pluribus communicatur, aut est propter imperfectionem,& neque hoc dici potest. Quia species corruptibiles communicantur pluribus. Quis non videt Scotum committere ingentem æquiuocationem, confundendo communicabilitatem pluribus.

342 Dico ergo, quòd naturam de se esse cõmunicabilem pluribus suppositis,est propter perfectionem, & limitationem naturæ. Et sic nulla natura creata singularis est de se communicabilis pluribus suppositis. Sicut nec vnum suppositum creatum potest suppositare plures naturas. At verò naturam esse incommunicabilem pluribus inferioribus est propter sui imperfectionem, tum quia hoc ideò habet, quia est materialis, & corruptibilis, tum etiam, quia in vno indiuiduo non potest existere cum tota plenitudine suæ perfectionis, & sic patet ad primam, & principalem Scoti probationem.

Responsio ad 2. & 3. minoris probationẽ Scoti.

343 Ad secundam, & tertiam dico,quod ambæ laborant eodem vitio, quo præcedẽs,scilicet petitionis principij. Quia in minori vtriusque subsumit: quod est probandum. Subsumit enim in secunda probatione: Sed omnis quidditas creata absque contradictione potest intelligi sub conceptu vniuersali. Et in tertia probatione:sed nulla natura creata est hæc, & singularis. In quibus patet assumere id, quod est probandum.

344 Nihilominùs adhuc illas minores subsũptas possumus admittere cum distinctione supra allata: Quod scilicet nulla quidditas est de se hæc, & quod omnis quidditas creata absq; contradictione potest intelligi sub cõceptu vniuersali: Si loquamur de quidditate inadæquatè cõcepta, & de vniuersalitate fũdata in nostro imperfecto concipiendi modo quidditatem, admittimus. Si verò loquamur de quidditate adæquatè concepta, & de vniuersalitate fundata in ipsa natura, ne-

Digitized by Google

negatur, & sic non sequitur intenta conclusio.

345 Ad quartam aliorum probationem respondetur primò, negando sequelam maioris, dicentem: Nulla natura potest esse essentialitèr singularis, nisi sit aliquo modo infinita, vel intensiuè, vel extensiuè. Quãuis enim verum sit, quòd omnis natura infinita sit essentialitèr singularis, & ideò natura diuina est essentialitèr singularis: Quia infinita, & paternitas est essentialitèr singularis, quia in ratione paternitatis est essentialitèr infinita, & sic de filiatione, & spiratione. Et ideò in diuinis non potest esse nisi vnus Pater, vnus Filius, atque vnus Spiritus Sanctus. Non tamen valet è contra res, quæ est essentialitèr singularis, est aliquo modo infinita: Quod etiam fateri debent aduersarij. Nam natura indiuidua est essentialitèr singularis, maximè cum ipsi dicant, ex natura specifica, & differentia indiuiduali componi metaphysicè vnam naturam singularem, sicuti ex genere, & differentia componitur vna species. Vnde illud compositum ex natura specifica, & differentia numerica est quædam entitas, vel substantia essentialitèr singularis, & tamen nec intensiuè, nec extensiuè est infinita, sed tantũ entitatis, & perfectionis habet, quantum coalescere potest ex partibus componentibus illam: Sicut tantæ entitatis, & perfectionis est species, quanta potest consurgere ex natura generis, & differentia specifica. Itaq; non ad singularitatem sequitur infinitas, sed potiùs ad infinitatem singularitas.

346 Et cum dicitur, quod si natura specifica Angelica consisteret solum in vno indiuiduo. Contineret in illo omnia indiuidua, & omnes illorum differentias numericas, si esset multiplicabilis in plura indiuidua; Ista autẽ sunt infinita; ergo esset extensiuè infinita. Ad hoc dicitur, quòd verum est, quod in illo vno indiuiduo contineret omnia indiuidua multiplicabilia in infinitum, sed non propterea in illo vno indiuiduo esset actu, categorematicè infinita. Primum, quia, vt benè dicit Capreol. ad 7. Scoti: illa natura de facto non est apta multiplicari, & esse in pluribus indiuiduis, vnde solũ ex hypothesi impossibili, sequitur infinitas. Secundò, quia aliqua natura, vt sæpè dictum est, ex duplici capite posset multiplicari.

Capreolus.

347 Vnum caput est propter indiuiduorum corruptibilitatem: Vnde cũ illud indiuiduum Angelicum sit incorruptibile, sic habet indiuiduationẽ altioris ordinis: & ideò illa infinita multiplicatio indiuiduorum pertinentium ad speciem corruptibilem, eminentèr, & tanquam in differentia altioris ordinis contineretur in illa vnica differentia indiuiduali Angelica, nõ est autem inconueniens, quod aliqua perfectio infinita inferioris ordinis, contineatur in aliqua perfectione finita altioris ordinis. Et sic illa differentia indiuidualis Angelica in se finita cum sit speciei, & naturæ incorruptibilis, tanquam altioris ordinis contineat illam infinitatem indiuidualem extensiuam alicuius speciei corruptibilis. Secundum caput est propter perfectionem speciei, quæ cum non possit haberi in vno indiuiduo secundùm omnem sui plenitudinem, participatur à pluribus indiuiduis, vt iuxta vnam perfectionem participetur ab vno, & iuxta aliam participetur ab altero. Sed neque hæc multiplicatio importat infinitatem. Quia non potest importare maiorem perfectionem, quam sit perfectio ipsius speciei: ergo, quod tota species secundùm omnem sui perfectionem contineatur in vno indiuiduo Angelico, non arguit infinitatem: ergo nullo modo, si natura specifica Angelica sit essentialitèr singularis, sequitur futuram esse extensiuè, & multò minùs intensiuè infinitam: Quia species, quæ constat ex genere, & differentia, non potest esse, nec intelligi intensiuè infinita, cum sit limitata ad certum genus, & ad certam speciem.

Rũasio aduers.

1. Præluditur.

348 Secundò respondeo cum Capreolo loc. cit. ad 7. Scoti, distinguendo

s. Præcluditur euasio aduers.

do sequelam maioris. Si intelligatur de infinitate simpliciter, negatur maior, prout dictum est: si intelligatur de infinitate, aut simpliciter, aut secundùm quid, conceditur; aliqua enim natura essentialiter singularis est simpliciter infinita, vt natura diuina: aliqua verò est infinita secundùm quid, vt potest esse aliqua natura creata, vnde exinde non sequitur, nisi, quod natura Angelica essentialiter singularis est secundùm quid infinita, quod concedit S. Th.: substantijs separatis, & per se subsistentibus. Dicit enim S. Th. 1. p. q. 7. a. 2. *Si autem loquamur de infinito secundùm quod conuenit formæ, sic manifestum est, quod illa, quorum formæ sunt in materia, sunt simpliciter finita, & nullo modo infinita. Si autem sint aliquæ formæ creatæ, non receptæ in materia, sed per se subsistentes, vt quidam de Angelis opinantur, erunt quidem infinitæ secundùm quid, in quantum huiusmodi forma non terminantur, neq; contrahuntur per aliquam materiam. Sed quia forma creata sic subsistens habet esse, & non est suum esse, necesse est, quòd ipsum eius esse sit receptum, & contractum ad terminatam naturam, vnde non potest esse infinitum simpliciter.*

349 Et in quadam propositione libri de causis dicitur: Quod intelligẽtia est finita sursum, & infinita deorsũ: scilicet finita est secũdùm illud, quod recipit à prima causa, nempè esse, & essentiam, sed infinita in quantum non recipitur in alio, nec per receptiuum diuiditur, & multiplicatur. Et hoc attestatur ipsa virtus & potentia Angelica, nam vnus Angelus mouet Cœlum infinito tempore, vel potens est mouere: Quod si mouens esset corruptibile, essent necessarij infiniti motus successiui solum. Et similiter vnus solus Angelus potest facere, quod non possunt innumera indiuidua alicuius naturæ multiplicabilis. Sicut in Sacra Historia legitur vnus Angelus occidisse nocte vna centum octuaginta millia exercitus Sennacharib, quod non fecisset exercitus copiosissimus multorũ hominum: & alter Angelus spatio sex horarum occidit sexaginta millia de populo per peccatum Dauidis, quando illum connumerauit. Sic igitur patet, quod vnus numero Angelus æquiualet, imò excedit infinita indiuidua speciei, quæ est numero multiplicabilis, &c.

Responsio ad 5. minoris probationẽ Hẽr. qui triplicitèr probat assumptum.

350 Ad quintam probationẽ Hẽric. assumentis: Omnem naturam essẽtialitèr singularem esse naturã diuinã, hoc est naturam increatam, negatur assumptum. Hoc enim non solum est falsum in nostra sententia, sed etiam in sententia Nominalium, qui volũt omnem naturam tàm spiritualem, quàm corpoream, & materialem esse essentialitèr singularem, & cum assumptum probat primò, quia ex isto motiuo Philosophus appellat substantias separatas diuinas, benè dixit Capreol. ad 8. Henric. mentem Philosophi non fuisse, quòd crederet illas esse Deos. Quia vnum posuit Deum, & Principẽ vniuersi, vt patet ex fine 12. met. Sed appellauit diuinas, quasi insignitèr excellentes. Quomodo primo Physic. Formam quid diuinum appellauit, & Cœlum Sydereum corpus diuinum. Et virtutem seminum virtutem diuinam sæpiùs nuncupauit.

Capreol. Ad illud, quod addit Henric. 1. Resp. Aristot.

351 Quod deinde addit Henric., Philosophum credidisse illas substantias esse entia ex se necessaria. Dico primò, quòd incertum est, quo sensu Philosophus ens appellauerit entia ex se necessaria: An quia sint entia æterna, & immortalia, cum à nullo agẽte creato earum esse destrui possit. Quo modo etiam S. Thomas dicit illa esse entia necessaria: An quia sunt entia increata, fortè Philosophus existimauit quidem esse entia creata, sed ex necessitate, non ex voluntate Dei creantis. Sed ex hoc nihil ad propositum.

Alia respõsio ad illud, quod addit Henricus.

352 Secundò dico, esto Philosophus existimauerit esse entia essentialitèr existentia, quid ad rem? Aliud enim est esse essentialitèr singulare, aliud est esse essentialitèr existens. Benè quidem potest esse aliqua natu-

Digitized by Google

ra eſsentialitèr ſingularis,& contingẽtèr exiſtens. Imò hoc debent omnes fateri. Quia indiuiduum cuiuſcumque ſpeciẽi, in quantum indiuiduum, eſt eſsentialitèr ſingulare,& tamẽ in quãtum indiuiduum non eſt eſsentialitèr exiſtens. Vnde non ex eo Philoſophus dixit ſubſtantias ſeparatas eſse entia eſsentialitèr exiſtentia,quia ſunt eſsẽtialitèr ſingularia: Valdè enim iſta duo ſunt inter ſe diſparata; & ſi inter ſingularitatem, & exiſtentiam eſt aliqua connexio, potiùs eſt in eo, quòd exiſtentia præſupponit ſingularitatẽ, quia nihil poteſt eſse exiſtens, niſi ſingulare, & ideò benè ſequitur,ſi eſt eſsentialitèr exiſtens, eſt eſsentialitèr ſingulare,non tamen è contra,ſi eſt eſsentialitèr ſingulare, eſt eſsentialitèr exiſtens Quia exiſtentia præſupponit ante ſe ſingularitatem. Et ideò immeritò ſectantibus in hoc puncto de ſingularitate ſententiam Ariſtotelis attribuit Ethniciſmum dicens, qui illum ſequuntur,ponere plures Deos. Et ex his euacuata remanet ſecunda probatio, in qua aſsumitur, quod eſt eſsentialitèr ſingulare, eſt eſsentialitèr exiſtens. Oſtendimus enim hanc propoſitionem eſse penitùs falſam. Quia non vt ipſe putat in illo quodlib. 2. q.8.exiſtentia eſt ipſa ſingularitas,ſed eſt quid poſterius ſingularitate, & illam præſupponens.

2. Probatio aſsumpti Henrici euertitur.

353 Neque tertia probatio aliquid concludit,cũ etiã aſsumit: Quòd Diuina Eſſentia ſit ſingularis, hoc pertinet ad maximam Dei ſimplicitatem: diſtinguenda eſt hæc aſsumptio: ſi loquamur ex eo præcisè, quia eſse eſsẽtialiter ſingulare ſit proprium ſolius Dei, negatur: ſi loquamur quantum ad modum, quo Deus eſt eſſentialitèr ſingularis, conceditur, ſed exinde nihil infertur.

Præcluditur 3. probatio aſsumpti Henrici.

354 Itaque eſse eſſentialitèr ſingulare non eſt ità proprium Dei, vt non poſſit conuenire alteri creaturæ: Alioquin dicendum eſt, vt benè obſeruauit Capreol. ad 6. Henric. Angelos habere eſſentiam compoſitam ex materia, & forma: Quia habere eſſentiam incompoſitam conuenit Deo propter eius ſummam ſimplicitatem. Vnde ſicut aliæ perfectiones diuinæ, quodãmodo participantur à creaturis. Sed tamen altiori modo ſunt in Deo, & cũ multo diſcrimine,vt ſimùl ſit quædam non vniuoca, ſed analogica conuenientia inter perfectiones diuinas, & creatas. Ità, quòd aliqua creatura Deo propinquior participet hanc perfectionem, quod ſit eſſentialitèr ſingularis, non eſt perfectè adæquare ſimplicitatem Dei, ſed participare illam cum multis imperfectionibus repugnantibus diuinæ ſimplicitati, quia diuina eſſentia ita eſt eſſentialitèr ſingularis, vt in ea non poſſit præſcindi aliquis conceptus communis generis,aut ſpeciei ſubalternæ, vel infimæ.

355 Neque Diuina Eſſentia poteſt concipi vt ſpecies ſubijcibilis, vel prædicabilis. At verò natura Angelica etiam ſi ſit eſſentialitèr ſingularis, eſt tamen in ea inuenire rationem generis,& ſpeciei, & licèt non ſit ſpecies prædicabilis, eſt tamen ſpecies ſubijcibilis, quod vt dixi alienum eſt à diuina ſimplicitate, & ſingularitate, & ideò proprium eſt Diuinæ Eſſentiæ habere iſtum modum ſingularitatis, ſecundùm quem modum repugnat reperiri in aliqua creatura. Et ſic patet quam leuia ſint argum. Henric. quæ adeò ipſe efficacia exiſtimat, vt putat per illa de noſtra, & Diui Thomæ ſententia triumphare.

356 Ad tertium, quod eſt Durandi, benè reſpondet Capreolus ad primum illius contra 5. concluſionem negando maiorem. Non enim eſt neceſsè, vt iterata actione ſemper producatur nouus terminus diſtinctus numero à præcedenti. Alioquin ſemèl corruptum non poſſet à Deo reproduci idem numero, quod Capreolus dicit eſse erroneum. Et ideò ruit tota moles argumenti Durandi, & maximè, quia Deus non agit ad extra per aliquam actionem tranſeuntem, ſed per actum immanentem ſui intellectus, & voluntatis, ſeu per actum imperij,

Reſponſio ad 3. principale arg. Durandi.

Capreolus.

Digitized by Google

perij, qui manet in Deo. Et ideò non est inconueniens, vt Deus vnico actu imperij sui, imperet Gabrielem creari, annihilari, & recreari, seu reproduci.

357 Et dato, quod Deus ageret ad extra actione transeunte, & eadem numero actio non posset reproduci, non propterea sequitur, quod iterata actione non posset reproduci idem terminus. Cum autem in probatione minoris reddit rationem, quare in Diuinis non possint esse plures, sed vnus tamen filius ex eo, quia generatio filij est actio, quæ non potest iterari, quia non potest interrumpi, cum sit actio naturalis, & necessaria, non voluntaria, & libera. Profectò nullius momenti est: Quia solum probat, quod idem numero filius in diuinis non potest reproduci, sicut non potest annihilari, non tamen probat, quòd alia generatione non possit Pater alium filiũ generare: Sicut alia actione potest aliam cum Filio personam spirari.

358 Sed quare in diuinis non possint esse plures filij, quatuor rationes assignat S. Th. 1. p. q. 41. a. 6. Quarum prima est: Quia vbi non est materia, neque potest aliquid multiplicari numero, quia materia est adæquatum indiuiduationis principium. Et per hæc patet ad confirmationem ex Scoto desumptam. Concedimus enim, quod Deus potest vnum Angelum annihilare, & illam speciem repare, sed reproducendo eundem numero Angelum: & cum subsumit, quod non potest reparare in eodem Angelo annihilato, quia multorum sententia est, quòd semèl corruptum non potest iterum reproduci. Dico, quòd isti errant, sicut intulit Capreolus contra Durandum. Vide eundem Capreol. ad 4. Scoti contra 5. conclusionem, vbi affert auctoritatem S. Th. Quodlib. 4. a. 5. vbi docet res permanentes semèl annihilatas posse iterum reproduci. Et certè, vt vides, Durandus, & Scotus dum putant extollere diuinam potentiam dicentes illi multum derogari, si dicatur, Deum non posse creare duos Angelos eiusdem speciei, in maius diuinæ Omnipotentiæ præiudicium relabuntur, dum id conentur probare ex eo, quia Angelus semèl annihilatus non potest idem numero iterum, per creationem reproduci. Cum id dicatur sine fundamento, & præiudicat articulo fidei, de identitate numerica resurgentium. Nos autem supra tres contradictiones optimè fundatas assignauimus, quare illi duo Angeli sub eadem specie non sint possibiles.

Responsio ad confir. Scoti.

Capreolus.

Durandus Scotus.

359 Ad quartum principale, dicimus, quod quidem spiritualitas formæ Angelicæ, quatenus est absoluta ab omni materia ex qua, & in qua, est adæquata ratio, cur naturæ Angelicæ non sint numero multiplicabiles. Vnde esto animæ rationales, & accidentia sint formæ spirituales, quia tamen non sunt absolutæ à materia in qua, quæ vel est propria materia, vel aliquid, quod se habet loco materiæ, vt est subiectum respectu accidentium, ideò istæ formæ sunt numero multiplicabiles, non autem formæ Angelicæ, & ideò quidquid sit de prima responsione, secunda in arguendo allata, optima est. Et ad primam impugnationem illius ex Scoto respondetur, concedendo quidem maiorem: nimirùm id, quod præsupponit distinctionem, non est causa distinctionis, sed negatur minor, in qua subsumitur, quod habitudo, & inclinatio, quam habet anima ad perficiendum corpus, & accidens ad subiectum præsupponit distinctionem. Et ad huius minoris probationem dicendum, quod Scotus laborat in æquiuoco de entitate absoluta, & respectiua. Quia non distinguit inter respectiua secundùm esse, & secundùm dici: Nam respectiua secundùm dici non tollũt rationem entis, vel entitatis absolutæ, quia non sunt puri respectus, sicuti relatiua, seu relationes secundùm esse, & ideò anima, vel accidens, secundùm quod illa respicit corpus, & hæc subiectum, cum præsupponunt seipsa priùs secundùm esse absolutum, & posteà respectiuum. Sed ex primario conceptu sunt entitates absolutæ, cum respectu transcen-

Responsio ad 4. principale arg. cum sua confir.

Responsio ad 1. imp. 2. solutionis 4. argum. principalis.

Digitized by Google

dentali ad corpus, vel ſubiectum. Quia anima eſsentialitèr definitur actus corporis phyſici, & organici: & accidens dicitur id, cuius totum eſſe eſt ineſſe ſubiecto. Manifeſtum eſt autem, quod anima eſt entitas abſoluta, & illa definitio maximè conuenit accidentibus abſolutis.

Fallitur Scotus.

360 Fallitur ergo Scotus dicendo, Quod habitudo, & inclinatio animæ ad corpus, & accidentis ad ſubiectum præſupponunt animam, aut accidens ſecundùm aliquod eſse abſolutum, ſed quouis modo concipiantur, ſemper imbibunt reſpectum, & inclinationem ad corpus, vel ſubiectum: cum nec eſse, nec intelligi poſſit entitas illorum ſine tali habitudine, & cum dicit Scotus, quod abſoluta ſunt priora relatiuis, intelligitur axioma de relatiuis ſecundùm eſse, non autem ſecundùm dici. Sicut ergo non poteſt intelligi anima ſine ordine, & habitudine ad corpus: ita neque hæc anima ſine habitudine ad hoc corpus. Vnde dicit S. Th. 2. cont. Gent. c. 75. *Sicut anima humanæ ſecundùm ſuam ſpeciem competit, quod tali corpori ſecundùm ſpeciem vniatur: ita hæc anima differt ab illa ex hoc ſolo, quod ad aliud corpus numero habitudinem habet, & ſic indiuiduãtur animæ ſecundùm corpora.* Sicut ergo in nullo priori anima ſecundùm ſuum eſſe abſolutum præſupponit ſeipſam ſine habitudine ad corpus: ita in nullo priori præſupponit ſeipſam diſtinctam numero ab alia anima ſine habitudine ad diſtincta corpora, & eadem ratio eſt de accidentibus.

S. Th. Reſponſio ad 2. imp.

361 Nec ſecũda impugnatio quicquam concludit. Quia dum arguit potiùs materia eſt propter formã, quam forma propter materiam: ergo potiùs materia multiplicatur per formam, quàm forma per materiam. Diſtinguendum eſt conſequens, ſi loquitur de multiplicatione ſpecifica, conceditur: ſi loquitur de multiplicatione numerica, negatur conſequentia. Et ratio eſt, quam etiam ſupra oſtendimus. Quia multiplicatio ſpecifica eſt formalis, numerica eſt materialis. Et ideò principium illius eſt forma, principium iſtius eſt materia. Et patet ex intentione naturæ: Nam ex intentione naturæ eſt multiplicatio ſpecierum, vt ſint diuerſi gradus perfectionis in vniuerſo: & ideò conſeruat ſpecies: At multiplicatio numerica eſt per accidens, vel ſaltem non eſt de primaria intentione naturæ, ſed pro quanto deſeruit ad conſeruandas ſpecies, & ad alios defectus ſupplendos, & ideò non ſequitur, quod multiplicatio numerica eſt à forma. Et clariùs hoc appareret in accidentibus. Quia accidentia non multiplicant ſubiecta: Sed præſupponunt multiplicata, & diſtincta, & ideò à ſubiectis numericam diſtinctionem accipiunt.

Reſponſio ad 3. imp. Capreolus.

362 Ad tertiam impugnationem deſumptam ex Aureolo latè reſpondet Capreolus in 1. diſt. 7. q. 2. art. 2. ad 2. Aureoli contra 2. concluſ. dicens: quod illa procedit ex falſo intellectu, ac ſi S. Th. poneret, quod materia ſit formale diſtinctiuum formarum vnius ſpeciei, hoc enim S. Tho. non intelligit, ſed ſolum, quòd materia eſt vnum de neceſſariò requiſitis ad INITIANDVM Indiuiduationem formarum, & diſtinctionem earum ſecundùm numerum, loquendo de formis receptibilibus in materia: Formale verò indiuiduatiuum, & diſtinctiuum formarum vnius ſpeciei eſt commenſuratio ad diuerſa ſuſceptiua, & hanc intelligentiam mentis S. Th. multis illius teſtimonijs probat ibidem: & hæc ſine dubio eſt mens S. Doctoris.

363 Vnde cum dicimus, materiã, vel ſubiectum eſse principium multiplicationis numericæ, non ponimus tanquam principium formale intrinſecum; Sed ſolum initiatiuum, hoc eſt, quod ideò formæ ſunt multiplicabiles numero, quia ſunt receptibiles in diſtinctis numero ſubiectis; quod ſi non eſsent ita receptibiles, nõ eſsent numero multiplicabiles. Et ideò diuiſibilitas materiæ, ratione cuius poteſt eſse receptiua plurium for-

ma-

Digitized by Google

marum eiusdem speciei, est radicalis ratio, & initiatiuum principium multiplicationis numericæ formarum eiusdem speciei, & similis ratio est de subiecto respectu accidentium. At vero formale, & intrinsecum principium multiplicationis numericæ formarum est diuersa commensuratio, & habitudo, quam habent formæ ad distinctas naturas, vel distincta subiecta. Sicut multitudo specifica potentiarum, cum dicitur sumi à distinctione formali obiectorum, non est sic intelligendum, quòd ipsa obiecta sint principia intrinseca distinguentia ipsas potentias; Sed intelligitur sic, quod à distinctione formali obiectorum initiatur distinctio specifica potentiarum, taliter quod si non esset possibilis distinctio formalis obiectorum, neque esset possibilis distinctio specifica potentiarum.

364 Nihilominùs distinctiuum intrinsecum potentiarum consistit in diuersa habitudine ad diuersa obiecta. Et sicut etiam si obiecta sint separata ab ipsis potentijs; nihilominùs potentiæ adhuc retinent suam distinctionem specificam, ita similitèr formæ siue substantiales, siue accidentales etiam separatæ à suis subiectis, siue corporibus, aut vi naturæ, vt animæ rationales, siue virtute diuina, vt cæteræ formæ, tàm substantiales, quàm accidentales retinent suas distinctiones numericas per commensurationem ad materias, vel ad ea, quæ se habent tanquam materia, vt sunt subiectum. Verum est, quod secundùm cursum naturæ talem indiuiduationem consequuntur ex actuali coniunctione ad subiectum, vel materiam.

365 Ad confirmationem Henric. dicitur, quod sicut animæ separatæ remanent distinctæ numero post separationem à corporibus per habitudinem, & commensurationem ad illa, quæ aliquando habuerunt, ita si Deus antecedentèr ad corpora illas creasset, distinguerentur per eandē habitudinem, & commensurationem ad corpora, quæ essent habituræ. Eadem enim ratio est de illarum numerica multiplicatione, siue antecedant corpora, siue subsequantur. Et similis ratio est de accidentibus, si Diuina Virtute conseruarentur à suis subiectis separata: Quia per habitudinem ad subiecta remanerent inter se numero distincta, vt satis supra dictum est.

Responsio ad confir. 4. argum.

366 Quarta eiusdem Henrici impugnatio petit, vt explicemus illam difficultatem: An formæ indiuiduentur per ordinem ad hanc determinatam numero materiam, & accidentia ad hoc determinatum numero subiectum: An verò per ordinem ad vnam numero portionem materiæ, vel ad vnum numero subiectum vagè sumptum? Et dico, quòd vtrumque probabilitèr dici potest. Primum quidem possumus ex eo explicare, vt dictum est supra, quia maior est dependentia in suo esse, quam habet forma à materia, & accidens à subiecto, quàm vnū suppositum ab alio, vt per se patet, quia vnum suppositum existit per se independenter ab alio, sed accidens dependet intrinsecè à suo subiecto, cui ineſt, & quamuis anima rationalis in suo esse non dependeat à materia, tanquam à subiecto substentante, tamen dependet à materia in acceptione sui esse, quia non est nata accipere esse, nisi in materia. Sed ex hoc, quod vnum suppositum accipit esse ab alio, ex vi inclinationis naturalis remanet determinatum ad illud determinatum numero suppositum, à quo dependet: Agnus enim non quamcumque ouem vagè sumptam agnoscit matrem, sed illam numero determinatam, à qua accepit esse; & hoc ideò, quia fertur in matrem ex instinctu naturæ, & eius appetitus non determinatur ab æstimatiua, sed potiùs æstimatiua determinatur ab inclinatione naturali, quam secū trahit ex eo, quod accepit esse suo modo à matre. Quod non contingit in infantulis humanis, qui vt dicit Philosophus, à principio omnes fœminas vocant matres, eorum enim affectus erga matrem determinatur à cognitione: ergo

4 Impugnatio 1. nostræ solutionis 4. arg. principale.

Difficultas incidens.

Arist.

multo

multo magis formæ habent inclinationem ad illam numero, determinatam materiam in qua accipiunt esse, & a qua indiuiduantur, & accidentia ad illud numero subiectum. Et quamuis istam inclinationem determinatã non cognoscamus, cum non sit sensibilis, tamen ex paritate allata facilè intelligi potest. Oportet enim vt intellectus ad ea, quæ directè cognoscere non potest, similitudinibus iuuetur, & vt ex notis ignota percipiat.

Obiectio. 367 Sed huic determinationi illud obstare potest. Quia materia secundùm se est indifferens non magis ad hanc, quàm ad illam numero formam, nec forma aliquid peculiare respicit in hac materia, quod non in alia. Quia quælibet materia est commensurabilis cuilibet formæ. Quia materia de se est indifferens ad omnes: & quælibet forma est commensurata cuilibet materiæ, dummodo sit tanta, quantum eius requirit informatio: ergo non potest assignari aliquid peculiare in materia, ratione cuius forma potiùs indiuiduetur per ordinem ad hanc materiam numero determinatam, quàm ad quamlibet alteram.

Responsio aduers. 368 Nec valet, si dicas, quòd forma, cum indiuiduatur per commensurationem ad hanc materiam determinatam, non respicit materiam nudè sumptam, sed materiam dispositam, quia indifferentia materiæ per dispositiones determinatus. Et ideò secundùm diuersam dispositionem perfectiorem, vel deteriorem in specie, consequitur formam in specie meliorem, vel deteriorem. Et ita secundùm dispositiones indiuiduales consequitur formam meliorem, vel deteriorem in indiuiduo: & propterea dicit S. Th. quod indiuiduatio formæ consistit in commensuratione, & coaptatione ad materiam.

Diluitur. 369 Non valet, inquam, hæc responsio, quia vel sermo est de dispositionibus præcedentibus, vel consequentibus formam, non potest forma cõmensurari dispositionibus præuijs, quia in via s. Th. in corruptione formę præcedentis fit resolutio vsq; ad materiam primam, & sic forma aduenies reperit nudam materiam: Sed neque dispositionibus consequentibus, quia sicut ipsa forma præcedit in materia dispositiones consequentes, ita commensuratio formæ ad hanc materiam. Igitur non potest forma dicere habitudinem commensurationis ad materiam dispositam. Præterea si forma indiuiduaretur per commensurationem ad hãc materiã, vt est determinata per dispositiones siue præcedentes, siue consequentes, sequeretur, quòd forma substantialis indiuiduaretur per formas accidentales, & per aliquid extra genus substantiæ: hoc autem est absurdum, quia sicut substantia simpliciter est prior accidente, ita indiuiduatio substantiæ præcedit, & independet ab accidentibus, & maximè, quia si forma substantialis indiuiduatur per formas accidentales, paritèr etiam substantia totalis indiuiduaretur per aliquid accidentale: igitur non potest forma substantialis indiuiduari per commensurationem ad materiam dispositam.

370 Denique, quia in prima rerũ institutione, & creatione forma substantialis præcessit omnem formam accidentalem: quia actio creandi, prius terminata est ad totam substantiam, tanquam ad terminum primarium, & deinde ad accidentia tãquam ad terminum secundarium. Quia ante formam substantialem nullæ præcesserunt dispositiones præuiæ, & dispositiones consequentes per naturalem resultantiam emanarunt ab ipsa substantia creata; & tamen forma in illo priori fuit concreata singularis: ergo singularitas formæ nullo modo respicit materiam dispositam, sed est independens à dispositionibus materialibus.

Responsio à nobis allata est optima. 371 Nihilominùs dicendum est responsionem allatam optimam esse. Et ad primam illius improbationem dicitur, quòd forma indiuiduatur per commensurationem ad dispositiones præcedentes, & subsequentes. Ad præ-

Digitized by Google

præcedentes quidem, quia licèt quando succedit forma in materia, illæ dispositiones abierint, attamen naturalis connexio rerum exigit, vt ad præteritas illas dispositiones talis forma succedat, quæ sit materiæ sic dispositæ commensurata. Vnde sicut ad materiam dispositam ad talem formam in specie, ex vi naturalis connexionis sequitur talis in specie forma, ita ad talem dispositionem in numero succedit forma talis in numero; & propterea damus animas rationales inæquales in perfectione substantiali. Quia intra latitudinem speciei, materia potest melius, aut deterius disponi, & hoc videmus, quia alij à natura indiuiduali sunt magis apti ad vnam operationem, cuius principium est natura specifica, quàm ad aliam, vt supra sæpè repetitum est. Sumitur etiam commensuratio ad dispositiones consequentes, quia ex vi coaptationis, & commensurationis, quam forma habet ad materiam, postulat, vt tales conditiones indiuiduales illam consequantur.

372 Sumitur hæc respõsio ex ipso S. Thoma, qui optimè vidit hanc difficultatem, quam obijciunt aduersarij de indifferentia materiæ, & respondet, quòd materia est principium indiuiduationis nõ præcisè secundùm suam essentiam, secundùm quam est indifferens, sed secundùm quod per quantitatem, & consequentèr per alias dispositiones determinatur ad hanc numero formam, in quantum tanta materia disponitur, quanta, & qualis est necessaria huic numero formæ, distinguens essentiam materiæ, & rationem materiæ, & dicit secundùm essentiam, essentiam esse indifferentem, non verò secundùm rationem materiæ, ideſt secundùm quod est proximè dispositam ad hanc determinatam numero formam. Sic enim obijcit sibi opusc. 16. de princ. indiuiduationis ad finem. *Potest*, inquit, *hic obijci materia communis est de natura sua sicut forma, cũ possit vna sub pluribus esse: Vnde hæc cõmunitas sua videtur impedire eam, nè sit principium indiuiduationis.* Ecce aduersariorum argumentum, audi responsionem. *Sed sciendum subdit, quod impossibile est formam vniri materiæ, quin sit particularis, & quin sequatur quantitas determinata, per quem modum materia non est vltra communicabilis alicui alteri formæ, quia hæc quantitas cum alia forma reperiri non potest cum eadem determinatione, ideò materia non est communicabilis secundùm eandem rationem, sicut forma. Ratio enim materiæ non est vna, & communis, sicut sua essentia, sed diuersa ratio est, & ideò communitas materiæ secundùm essentiam tantum, & non secundùm eandem rationem non impedit, materiam esse primum principium indiuiduationis.*

373 Circa quam doctrinam aduerte, cũ dicit impossibile est formam vniri materiæ, quin sequatur quantitas determinata, non esse intelligendum, quòd materia determinatur per quãtitatem consequentem, sed quod illa portio materiæ debet esse portio talis ex tota massa materiæ, vt coniuncta cum forma exigat extendi per tantam quantitatem, non enim quilibet portio materiæ per quamcumq; quantitatem extendi potest. Sed vt est radix quantitatis ab intrinseco determinat sibi tantam extensionem determinatam, nec maiorem, vel minorem.

374 Nec valet altera improbatio, quia si vim haberet, vrgeret etiam de specificatione formæ, & compositi substantialis. Quia materia non solum de se præcisè sumpta est indifferens ad hanc, vel illam numero formam, sed etiam ad hanc, vel illam in specie. Vnde consequitur hanc formam in specie, quia ipsi, vt determinatæ per tales dispositiones talis forma in specie est cõmensurata, & coaptata, & ideò sicut nec forma, nec compositum substantiale specificantur à dispositionibus, nec per ordinem ad illas, quia solum habent determinare indifferentiã materiæ, & sũt quasi occasiones: cur talis speciei potiùs forma inducatur in materiã, quàm alterius speciei.

ciei. Ita etiã nec forma, nec compositũ indiuiduantur per dispositiones, Sed solum quatenus determinant materiam: Vnde solum sequitur, quod formæ indiuiduãtes per ordinem substantialem ad ipsam materiam, quatenùs intra latitudinem dispositionis specificæ ipsa materia dispositionibus est diuersimodè determinabilis, & cum actu diuersimodè determinatur, actu talem numero formam consequitur.

375 Vltima denique improbatio, nec valet, quia vel sermo est de creatione formæ, sicut est creatio animæ rationalis, & manifestum est, quòd hanc creationem præcedunt dispositiones. Vnde Deus quando illas creat cum tali indiuiduali commensuratione creat, qualis est apta materiæ indiuidualiter dispositæ. Sin autem sermo sit de creatione totius compositi, in quo simùl concreatur materia, & forma, dico quod quamuis verum sit huiusmodi creationem nullas præcedere dispositiones, tum in tali casu Deus determinaret talem numero formam, quæ si introducenda foret ex præuijs dispositionibus, talibus dispositionibus esset commensurata. Imò enim sæpè dictum est, quod materia disposita non est intrinsecum principium indiuiduans talitèr, vt cum est coniuncta, indiuiduatur à materia, & cum est separata, aut naturalitèr, aut Virtute Diuina, amittit suam indiuiduationem. Quia vt dictum est principium intrinsecum indiuiduationis consistit in ordine ad indiuiduam materiam. Et ideò etiam si Deus crearet formas receptibiles separatas à materia, adhuc distinguerentur numero per ordines ad distinctas materias. Materia autem est principium initiatiuum multiplicationis numericæ, quatenùs per ordinem ad ipsam, secũdùm quod est diuisibilis in plures portiones homogeneas, est receptiua plurium formarum eiusdem speciei: & formæ multiplicantur numero non præcisè, quatenùs recipiuntur, sed quatenùs sunt receptibiles in pluribus portionibus materiæ. Quia ex hac parte accipiunt numericam diuisionem, vel diuisibilitatem.

376 Possumus etiã dicere ad propositam quæstionem. Quòd formæ substantiales non indiuiduantur per ordinem ad hanc numero materiam determinatam, sed ad vnam portionem materiæ vagè sumptam, & similitèr accidentia ad vnum numero subiectum vagè sumptum. Ratio est, quia materia in qua, siue sit materia prima, siue subiectum, in tantum est principium vnitatis, & multiplicationis numericæ, in quantum ab ipsa sumitur initium diuisionis numericæ formarum, siue accidentium. Sed potest esse principium vnitatis, & multiplicationis numericæ, in quantum potest ipsa materia, vel subiectum primo multiplicari numero, & deinde in ipsis possunt recipi, vt sic diuisis, prædictæ formæ, vel accidentales, vel substantiales, etiam si indifferentèr hæc forma recipiatur in hac numero, vel in illa materia, & accidens in hoc, vel in illo numero subiecto. Dummodo enim recipiatur in vno numero subiecto, siue sit hoc, siue illud vagè sumpto, est diuisum ab alio numero subiecto: ergo non aptus est, vt respiciat hoc determinatum subiectũm, sed sufficit vagè sumptum.

377 Hoc supposito ad quartam improbationem Henric. Iuxta prædictum duplicem dicendi modum, negatur maior, & minor. Iuxta hunc posteriorem maior, cum enim assumit: omne, quod ex natura sua non habet esse in aliquo determinato, sed quod sit in hoc, vel in illo, habet ab alio, nempè ab agente faciente, vt sit in hoc, vel in illo, non potest indiuiduari ab eo, in quo est, nimirùm à materia in qua, vel à subiecto, sed potiùs indiuiduatur ab eo, à quo est, scilicet ab agente faciente, vt potiùs sit in hoc, quàm in illo. Iam declaratum est in hoc secundo dicendi modo, quòd sufficit ad indiuiduationem, si forma respiciat vnam numero materiam in qua, vagè sumptam. Quia ex isto respectu re-

ma-

Digitized by Google

manet sufficientèr forma indiuisa in se, & diuisa ab omni alia forma eiusdem speciei. Quia non potest esse in vno numero subiecto, quodcumque sit illud, nisi sit vna, & ita in se indiuisa, & diuisa ab omni alia forma eiusdem speciei. Sed tamen aduertè ex dictis supra, quod vt forma quæuis receptibilis, siue sit substantialis, siue accidentalis, sit completè indiuidua, non sufficit, vt separata à subiecto sit singularis, sed ad complementum ipsius est necessaria actualis vnio ad materiam in qua. Quia ex habitudine ad subiectum vagè sumptum est singularis in sua entitate, sed indifferens ad inessendum huic, vel illi materiæ in qua: At verò per actualem vnionem hæc indifferentia determinatur, vt sit in hac determinata materia, non in illa. Et propterea forma non potest trãsire de materia in materiam, & accidens de subiecto in subiectum. Sed hæc determinatio non est illa, per quã primo forma constituitur singularis: quia etiam vt singularis est, potest habere hanc indifferentiam, & per vnionem actualem determinari. Sicut humanitas Christi, vt præintelligitur assumptioni, præintelligitur singularis, sed cum indifferentia ad subsistendũ, vel in proprio suppposito creato, vel in suppposito diuino. Sed per actualẽ vnionẽ ad suppositũ diuinũ determinata est hæc indifferentia, prout enim vnita est suppposito diuino, non est amplius indifferens, vt sit in suppposito proprio creato: Dico igitur ad propositionem Henr. quod agens ex hoc, quod determinat formam, vt potiùs sit in hac, vel illa materia, non est principium indiuiduationis primariæ, quæ consistit in singularitate formæ, quam singularitatem habet per ordinem ad vnum numero subiectum vagè sumptum. Sed quantum ad indiuiduationem secundariam, quam consequitur ex actuali vnione ad hac determinatum subiectum, & sic patet, quàm sit falsa assumptio Henric. & quod æquiuocat de indiuiduatione formarum.

378 Falsa quoque est minor, cum dicit, quòd anima rationalis de se non habet potiùs esse in isto, quàm in illo corpore, & similitèr accidentia maximè supernaturalia: Sed vt animæ sint in hoc, vel illo corpore, & accidentia supernaturalia in hoc, vel in illo subiecto, habent à Deo, dico iuxta primum dicendi modum, quod quamuis efficientèr habeant à Deo, formalitèr tamen habent ab ordine indiuiduali, quo hæc anima respicit hoc determinatum corpus, & hoc lumen hunc determinatum intellectum. Et quamuis nobis sit occulta ista habitudo sic determinata, tamen ex alijs notis nobis potest facilè intelligi, &c.

379 Sed veniamus ad quintam impugnationem Henric. assumentis pro maiore, quòd sicut se habet forma informans ad materiam, ita forma subsistens ad suppositum: Et respondetur cum Capreolo ad 4. eiusdem Henrici negando prædictam maiorẽ. Primum, quia longè diuersam habitudinem habet forma informans ad materiam, & forma subsistens ad suppositum. Quia forma informans dicit habitudinem ad materiam, tanquam ad aliquid à se omninò distinctũ, & illam actuans. At forma subsistens nullo modo informat suppositum, sicut humanitas Christi Domini, cum sit forma suppositi diuini, prout illam appellat Paulus, non tamen informat suppositum diuinum, sed solum subsistit in illo, & ante subsistentiam singularis est. Vnde forma subsistens antequam sit, & intelligatur cõstitutũ suppositum, iam est singularis. Satisfit ad 5. imp. Henrici.

380 Dices etiam forma informans est singularis ante informationem per ordinem ad singularem materiam, quam informat: ergo etiam forma subsistens est singularis per ordinem ad vnum suppositum, in quo petit subsistere. 1. Replica Henrici.

381 Sed contra, quia natura diuina est singularis, & tamen petit subsistere in pluribus suppositis: ergo singularitas naturę non sumitur à suppposito. Sic etiam natura creata vna singularis potest diuinitus subsistere in Euertitur.

pluribus ſuppoſitis ſaltem diuinis: ergo ſingularitas naturæ ſubſiſtentis nullo modo ſumitur per ordinem ad ſuppoſitum.

382 Sed adhuc replicabis, dicendo hanc inſtantiam non habere vim. Quia etiam vna forma informans poteſt diuinitùs eſſe in pluribus materijs, vel ſubiectis numero diſtinctis, & eſt ſingularis, quia de ſe petit eſſe in vnico ſubiecto, vel in vna numero materia: ergo ſimilitèr licèt vna natura poſſit aſſumi à pluribus ſuppoſitis, poteſt tamen eſſe vna, quia de ſe petit eſſe ſolum in vno ſuppoſito.

2. Replica Henrici.

384 Sed contra primo, quia non eſt certum vnam numero formam poſſe informare plures materias, vel plura ſubiecta, & quidem de forma ſubſtantiali apud me eſt res omninò certa, quia includitur in hoc manifeſta implicantia. Quia cum vnitas compoſiti ſubſtantialis ſit vnitas ſimplicitèr. Nam eſſentia conſtituta per materiam, & formam eſt per ſe vna, & vnica definitione explicatur, ſic debet ſecundùm totam ſuam ſubſtantiam eſſe indiuiſam in ſe, & diuiſam ab omni alia: At ſi vna forma informaret duplicem materiam, vel ex illis duabus materijs fieret vna materia ex vi informationis vnius, & eiuſdem formæ. Sicut in homine, materia generationis, & nutritionis fit vna, & eadem ex vi informationis eiuſdem indiuiſibilis formæ: & ita ſimplicitèr vna forma informat vnã materiam, licèt diuerſimodè acquiſitã. Vel illa forma ſic informaret duas materias, vt adhuc poſt informationẽ remanerent diuiſæ; & ſic ſubſtantia compoſita nec eſſet ſimplicitèr vna, nec eſſet ſimplicitèr duæ: ſed ſecundùm quid vna, ſecundùm quid duplex. Eſſet vna ſecundùm formam, eſſet duplex ſecundùm materiam, quod eſt manifeſtè contra rationem compoſiti ſubſtantialis, cuius vnitas importat totalem diuiſionem vnius ſubſtantiæ ab alia.

1. Reſpõſio ad 2. replicã Hẽrici.

385 De forma accidentali poteſt eſſe difficultas, an vna poſſit informare plura ſubiecta Diuina Virtute, ſicut eadem virtute poteſt vnum ſubiectum informari pluribus accidentibus ſolo numero diſtinctis, vt ſupra dictum eſt, & quamuis hoc concedamus de formis accidentalibus, non tamen poteſt dici de formis ſubſtantialibus, ſiue informantibus, ſiue non informantibus, ſed per ſe ſubſiſtentibus. Quamuis enim vna forma totius, ſeu vna natura ſubſtantialis poſſit ſubſiſtere in tribus ſuppoſitis diuinis, non tamen in pluribus ſuppoſitis creatis. Quia ſubſiſtentia diuina perſonalis non reddit naturam, quæ per eam ſubſiſtit, incommunicabilem alteri ſuppoſito, vt patet in natura diuina, quæ etiam ſi ſubſiſtat in Patre, eſt tamen adhuc communicabilis Filio, & licèt ſubſiſtat in Patre, & in Filio, adhuc eſt cõmunicabilis Spiritui Sancto. Et ideò ibi forma hypoſtatica reddit incommunicabile ſuppoſitum, non naturam: At in creatis forma hypoſtatica non ſolum reddit incommunicabile ſuppoſitum, ſed etiam naturam, & ideò implicat contradictionem vnam numero naturam ſubſiſtere in pluribus ſuppoſitis creatis. Sed quidquid ſit de hoc, tamen diſparratio eſt de forma informante, & forma ſubſiſtente: Quia forma informans reſpectu illius, cuius eſt forma, ſemper habet rationem formæ. At forma ſubſiſtens reſpectu eiuſdem ſuppoſiti habet rationem formæ, & materiæ: Nam quatenus eſt quidditas ſuppoſiti habet rationem formæ; Sed quatenus ſuppoſitum conſtituitur per formam hypoſtaticam, habet rationem materiæ, & ſubiecti. Quia ſuppoſitum, vt ſuppoſitum formalitèr conſtituitur per formã hypoſtaticam, ſeu per ſubſiſtentiam, quæ actuat, & informat ipſã naturam, ſicut genus cum prædicatur de ſpecie, prædicatur vt quid formale; Sed vt comparatur ad differentias ſpecificas diuidentes illud, ſe habet, vt quid materiale: Et ideo potiùs ſuppoſitum eſt vnum numero propter vnitatem naturæ, quàm ipſa natura propter vnitatem ſuppoſiti.

An vna forma accidẽtalis poſsit Diuina Virtute informare plura ſubiecta.

386 Et ideò benè reſpondet ſecũdò Capreolus, dato, quòd natura indiui-

diuiduetur per ſuppoſitum, tamen per ſuppoſitum non poteſt multiplicari numero. Quia ratio conſtitutiua ſuppoſiti, ſeu forma hypoſtatica non eſt diuiſibilis diuiſione materiali in ſubſtantijs abſtractis. Vnde eadem ratio difficultatis eſt in ſubſtantijs abſtractis inuenire principia vnde multiplicentur numero ipſæ naturæ, & vnde multiplicentur numero formæ hypoſtaticæ, quæ vim habeant multiplicandi numero ipſas naturas. In rebus autem materialibus, ideò multiplicãtur numero ſuppoſita, & formæ hypoſtaticæ, quia multiplicantur numero ipſæ naturæ, quæ recipiunt ipſas hypoſtaticas formas. Et ideò potiùs natura eſt principium multiplicationis ſuppoſitorum, quam quod ſuppoſita ſint principia multiplicandi naturas, &c.

387 Ad ſextam denique impugnationem latè ſupra ſatisfecimus. Dicimus enim cum Capreolo in 1. diſt. 7. q. 2. art. 2. ad 1. Aureoli contra 2. concluſ. Quòd nec Thomiſtæ, nec S. Thomas, cùm dicunt formas indiuiduari per materiam *in quæ*, accipiunt nomine materiæ ipſam quantitati, & dimẽſionibus ſubiectam, nam ipſe ponit ſecundo contra Gent. cap. 75. Quòd ſpecies intelligibiles indiuiduantur per ſubiectum, quod eſt intellectus poſſibilis, ſicut & omnes aliæ formæ. Ibidẽ etiam vult, quòd ſcientia indiuiduatur per ſubiectum, & ideò ſcientia Magiſtri, & diſcipuli non ſunt eadem numero, ſed diuerſæ. Ex quo patet, quòd dicit cum formas vnius ſpeciei nõ diſtingui numero niſi per materiã largè; accipit materiã pro omni ſubiecto, vel ſuſceptiuo, & non ſolum pro materia quantitati ſubiecta. Itaque vt vides, benè obſeruauit Capreolus, quod nomine materiæ *in quæ*, intelligitur quodcumque ſubiectum, ſiue materiale, ſiue ſpirituale. Quia ſubiectum ſe habet ad accidens, vt potentia receptiua ad actum, & vt materiale ad formale. Vnde hoc ipſo, quòd accidentia ſunt receptibilia in diſtinctis ſubiectis ſunt multiplicabilia numero.

Satisfit ad ſextam impugnationẽ Henrici.

Quid intelligatur per materiam in qua, cum Thomiſtæ, dicant formas indiuiduari per materiam in qua.

388 Nec refert, quòd ipſa ſubiecta ſint diuiſa inter ſe pluſquam numero, ſeù ſint diuiſa diuiſione eſſentiali. Quia vt ſuſceptiua ſunt accidentis eiuſdem ſpeciei per accidens eſt, quod diſtinguantur pluſquam numero, & diuiſa ſint inter ſe diuiſione eſſentiali. Quia vt receptiua illius ſpecifici accidentis vniformitèr ſe habent. Et ideò dicebat S. Th. ſupra, quòd quia humana natura, & Angelica eodem modo ordinãtur ad gratiam, & gloriam, per accidens eſt, quod natura humana multiplicetur numero, & natura Angelica multiplicetur ſpecie, quia in quantum ſunt receptiuæ gratiæ, & gloriæ eadem eſt menſura hominis, & Angeli, & ideò multiplicatio horum ſubiectorum in ordine ad gratiam, & gloriã per accidens ſe habet, quod ſit ſpecifica, & eſſentialis, quia ad rationem receptiui iſtorum accidentium ſpiritualium, & ſupernaturalium propter vniformitatem perinde ſe habent, ac ſi ſolo numero inter ſe diſtinguerentur.

Cum plura ſubiecta diuiſa eſſentialiter ſunt ſuſceptiua accidentis eiuſdẽ ſpeciei (vt homo, & Angelus in ordine ad gratiam) per accidens eſt quod ſint eſſentialiter diuiſa.

389 Addit tamen Capreolus, & benè, diſcrimen inter formas ſubſtantiales, & accidentales. Quòd cum formæ accidentales ſint communes ſubſtantijs materialibus, & ſpiritualibus, nomine materiæ intelligitur omne ſubiectum accidentium ſiue materiale fuerit, & corporeũ, ſiue immateriale, & incorporeum. Attamen, quia formæ ſubſtantiales receptibiles ſolum habent locum in ſubſtantijs materialibus, & corporeis, ideò formæ ſubſtantiales multiplicantur numero ad multiplicationem materiæ, & non quidem materiæ in ratione potentiæ, ſicut vna materia differt ſpecie ab alia, quia ſecũdùm iſtam rationem diſtinctio materiæ non ſolum numericam, ſed ſpecificam, & genericam multiplicationem cauſat: ſed ſecundùm quod eſt diuiſibilis in partes eiuſdem rationis, quæ diuiſibilitas illi conuenit vt eſt materia corporea, & exigitiua quantitatis. Et ideò formæ ſubſtantiales non poſſunt multiplicari ſolo numero per quamcumque materiam, ſed per materiam corpoream, & quantitatis exi-

Capreol.

Diſcrimen, quid nomine materiæ intelligatur.

Digitized by Google

gitiuam. Et sic patet ad impugnationem, & ad totum quartum argumentum, remanens pro constanti, quod immaterialitas est radix immultiplicationis numericæ in Angelicis substantijs.

390 Ad quintum principale Henrici desumptum ex Commentatore, benè respondet Capreolus in 2. dist. 3. q. 1. a. 3. ad 6. Henric. contra 5. conclusionem, quod in illo argumento committit fallaciam consequentis arguendo ab vniuersali ad particulare affirmatiuè, vt est animal; ergo homo, quæ illatio non valet, & ita non valet in præsenti: Omnis natura, quæ multiplicatur numero, est diminuta; ergo omnis natura diminuta est multiplicabilis numero: benè enim ista duo cohærent, quod aliqua natura est diminuta, in quantum non habet totã plenitudinẽ perfectionis sui generis; & tamen non est multiplicabilis numero, quia potest in vno indiuiduo reperiri tota perfectio suæ speciei. Vt diximus reperiri in indiuiduo Angelico. Natura ergo, quæ est multiplicabilis numero debet esse diminuta nõ solũ in suo genere, sed etiam in sua specie. Vnde, quãdo in vno indiuiduo reperitur tota perfectio speciei, talis natura, sicut non est diminuta, ita non multiplicatur numero: & ad replicam Hẽrici dico, quod quidem potest Deus creare aliũ Solem, quia potest creare aliam materiam receptiuam alterius formæ Solis. Sed cum in Angelis non sit alia materia, ideò in vno indiuiduo Angelico sic est tota plenitudo suæ speciei, vt nec sit, nec esse possit alius Angelus solo numero distinctus eiusdem speciei, &c.

Respõsio ad alia nostra principalia arg. Respõd. ad 5. arg Henrici, qui cõmittit de sua fallacia natura si est diminuta in suo genere, & simul in sua specie, est numericè multiplicabilis; secus si non sit simul in sua specie diminuta.

391 Sextum argumentum, & sibi obijcit, & dissoluit S. Th. q. vnic. de spir. creaturis a. 8. ad 4. Vbi *Sicut forma*, inquit, *quæ est in subiecto, vel materia, indiuiduatur per hoc, quod est esse in hoc: Ita forma separata indiuiduatur per hoc, quod non est nata in aliquo esse. Sicut enim esse in hoc, excludit communitatem vniuersalis, quod prædicatur de multis, ita non posse esse in aliquo. Sicut ergo hæc albedo nõ prohibetur habere sub se multa indiuidua ex hoc, quòd est albedo, quod pertinet ad rationem speciei, sed ex hoc, quod est in hoc, quod pertinet ad rationem indiuidui; ita natura huius Angeli non prohibetur esse in multis ex hoc, quod est natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem speciei, sed ex hoc, quod non est nata recipi in aliquo subiecto, quod pertinet ad rationem indiuidui.*

Respõsio ad 6. arg.

392 Ita dicit Sanctus Thomas, & benè, quod in tantum aliqua forma est multiplicabilis numero in quantum est receptibilis in pluribus subiectis. Sed vbi est recepta in vno subiecto est indiuiduata, non potest multiplicari numero, quia non est ampliùs receptibilis: ergo forma, quæ de se nullo modo est receptibilis, nullo modo est numero multiplicabilis, huiusmodi autem est natura Angelica: ergo sicut forma recepta est indiuidua, & vna numero, quia non est amplius receptibilis, quia determinatur per subiectum; ita formaliter irreceptibilis est indiuidua per hoc, quod de se non est nata recipi in aliquo; & cum dicitur, quod natura Angelica non possit multiplicari numero in pluribus indiuiduis, vel repugnat ratione naturæ, vel ratione indiuidui. Dico, quod repugnat ratione naturæ, non quidem secundùm id, quod dicit affirmatiuè, scilicet ex hoc, quod est natura, vt dicit S. Doctor, in tali ordine rerum: Sed secundùm id, quod dicit negatiuè, scilicèt, quia est irreceptibilis, quæ negatio fundatur in positiuo ipsius naturæ; Vide, quæ diximus supra ad 2. principale: An scilicet natura Angelica specifica sit essentialitèr singularis.

S. Th. Forma si est receptibilis, est numericè multiplicabilis: si nullo modo est, receptibilis, numericè nullo modo multiplicabilis est.

393 Ad septimum respondetur; Quòd si loquimur cum fundamento in re, dicimus nullas infimas species Angelicas esse verè prædicabiles, sed solum subijcibiles.

Respõsio ad 7. arg.

394 Nec obstat definitio Porphyrij, cum dicit, quod species est prædicabilis de pluribus differentibus numero. Quia ipse solum intendit definire

Obiectio, & eius enodatio.

Digitized by Google

nire ſpecies ſenſibiles, quæ intẽtio patet ex proœmio illius libelli, vbi admonet Criſaorium ſuum diſcipulum, ſe velle tradere de prædicabilibus per modum introductionis, abſtinendo ſe ab altioribus quæſtionibus. Quæ ſine dubio verſantur circa ſubſtantias abſtractas. Sin autem loquimur de ſpeciebus Angelicis ſpectatõ noſtro imperfecto modo concipiendi, quatenùs inadæquatè concipimus ſpeciem Angelicã, ſic poſſumus illam cõcipere nõ repugnantem ad eſſendum in multis. Vt dicebat S. Thomas in ſolutione præcedenti allegatus. Vbi *Natura*, inquit, *huius Angeli non prohibetur eſſe in multis ex hoc, quod eſt natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem ſpeciei.* Et iſto modo poteſt concipi vt de pluribus prædicabilis, non quod actu, vel poteſtate habeat ſub ſe illa plura, ſed quatenus concipi poſſunt illa plura ſub ſpecie Angelica, cũ ad modum ſpecierum materialium, & ſenſibilium illa cõcipitur. Quod præclarè explicant noſtri Cõplutenſes in Logica, agentes de ſpecie. Attamen ſi adæquatè ſpecies Angelica concipiatur, prout eſt quidditas irreceptibilis, nullo modo concipi poteſt, vt prædicabilis.

S. Tho. Si natura huius Angeli inadæquatè concipiatur, poteſt noſtro modo concipi vt prædicabilis de pluribus ſecus ſi adæquatè, vti eſt cõcipiatur.

N. Compl.

395 Ad octauũ reſpondetur, quod eſt diſpar ratio de differentijs ſpecificis diuidentibus genus in plures ſpecies, & de differentijs numericis diuidentibus ſpeciem in plura indiuidua. Quod differẽtiæ ſpecificæ ſunt formales: Vnde in compoſitis ſubſtantijs deſumuntur à forma, tanquam à primo principio phyſico, & radicali. At differẽtiæ numericæ sũt materiales. Quod patet, quia cauſant multitudinem numericam, quæ vt ſæpè dictum eſt, materialis eſt. Et ideò debent ſumi à principio materiali. Vnde cum in Angelis nullum ſit hoc materiale principium, cum nec conſtent ex materia, nec receptibiles ſint in materia, omnis in illis differentia eſt formalis, & ſic non poſſunt ſolo numero multiplicari.

Reſpond. ad 8. arg.

Omnis differentia in Angelis eſt formalis, & ideò non poſſunt ſolo numero multiplicari.

396 Et hactenus de hac prolixa quæſtione ad laudem Diuinæ Maieſtatis, Beatiſſimæ Virginis, & S. Thomæ Angelici Doctoris, cuius Angelicam ſententiam, & probare, & defendere in hoc opere conati ſumus, &c.

BIBLIOTHECA ... LYON

INDEX

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICVS

Rerum notabilium, quæ in primo tractatu continentur.

Numerus paginam indicat: a, priorem; b, posteriorem columnam demonstrat.

A.

Accidentia supernaturalia, & naturalia eodē modo multiplicantur. 10.b. sunt principia discernendi, vnum individuum substantiale homogeneum ab alio. 89.b. Individuantur à subiectis. 142.a. non tanquam à principijs intrinsecis. ibid. & b. Sed per ordinē ad ipsa. 143.a. Actualis tamen inhærentia confert ipsorū vnitati numericā. ibid. Plura solo numero distincta non possunt esse in eodem subiecto. 145.b. Siue sint incompleta. 147.b. Siue cōmunia. ibid. & 148. a. Siue resultātia ex positione extrinseci. ibid. Siue relatiua. 149.a.b. Non possunt migrare de subiecto in subiectum. 156.a.b. Plura specie distincta possūt simul esse in eodem subiecto; Si ipsum perficiant actu incompleto, secus si actu completo. 164.b. Quādo dicantur perficere actu completo, vel incompleto? 165.a. & seqq. 169.b. 170.a.b. Aliquādo reficiunt subiectum, vt finem, aliquando vt medium ad finem. 165.a. Nō est idem recipi in subiecto, & illud perficere. 166.b. Eorū distinctio numerica potest haberi penes subiecta virtualiter distincta. 179.a.b. Plura successiuè possunt esse in eodē subiecto. 173. Hoc respicere possūt, vel per modum simplicis inhærentiæ, vel per modum specialis inhærētiæ. 189.b. Plura solo numero distincta per Dei potentiam nequeunt esse in eodem subiecto, tanquā in radicali principio individuationis. 191.a. Benè tamen in eodem per modum simplicis inhærētiæ. ibid. b. Tunc tamen eorum pluralitas sensibilis nō esset. 197.b. Potest Deus accidentia corporea collocare in substantia spirituali secundùm D. Thomā. 192.a. Ea insuper etiam à quantitate separata conseruare. 193.a.b. Et deinceps in eo tamen euētu sensibilia non essent. 143.b. Idem accidens successiuè potest inesse eidem subiecto. 198.a. Cur duo accidentia specie distincta, imò etiam solo numero possunt per Dei potentiam inesse idem subiecto simplicis inhærentiæ, in eadem verò materia non nisi vnica forma substantialis specie, & numero? 200.a.b. An individuentur per ordinē ad hoc determinatum subiectum, vel ad hoc vagè sumptum? 285.b. Et deinceps. Vide. Forma: Subiectum.

Actus singularis supponit potentiā singularē. 117.b.

Amor beatificus quamuis sit vnus actus, potest simul esse necessarius, & liber. 161.b.

Angeli ex D. Thoma nequeunt solo numero multiplicari. 1.a. 210.a.b. Et deinceps. Id colligit S. D. ex immaterialitate ipsorum substantiæ. ibid. Quāuis essent compositi ex materia spirituali, adhuc possent esse corruptibiles. 2.b. Eorum essentia præstat eminenter, quod in nobis præstant materia, & forma. 70.a. 76.a. Vnde in ipsis incommunicabilitas? ibid. Adhuc admissa in eis distinctione purè numerica, admitti etiam debet distinctio specifica, imò etiam generica. 225.b. & deinceps. Sunt in eodem ordine immaterialitatis, sed non in eodē gradu. 234.b. Stando rationi de facto omnes species distinguuntur. 237.b. In eorum multitudine debet dari ordo per se. 243.b. In ordine ad beatitudinem non se habent vt species differentes. 254. a.b. Sedium ipsorum reparatio per Homines prædestinatos non est Arithmeticè intelligenda, sed Geometricè. 257.b. & seq. Secundum rationem implicat contradictionem sub eadem infima specie multiplicari plures Angelos solo numero distinctos. 269.a.b. & deinceps. In vno individua species Angelica necessariò debet habere totam perfectionem intensiuam, & extensiuam. 275. b. & seqq. Quamuis Angeli sint essentialiter singulares, & numero immultiplicabiles, hoc tamen non est de primario conceptu essentiæ. 277.b. & seq. Ipsorum natura est secundum quid infinita. 281. a. Non sunt species prædicabiles, sed subijcibiles. 292.b.

Animæ rationales, an inæquales in perfectione substantiali? 4.b. Per suam entitatem habent distinctionem specificā ab ea tamen desumi nequit ipsarum numerica distinctio. 6.b. Vnde individuentur? 48. & deinceps. In separatione retinent aliquod substantiale, vnde discernatur, vnam esse animam viri, alteram fœminæ. 91. a. Hoc substantiale non est ipsa differentia individualis. 92.a. Inæqualitas in ipsis non est ipsa hæcceitas, sed ad eam cōsequitur. 138.b. Earum habitudo ad corpus non est quid cōsequens, sed in ipsis imbibitum. 284.a. Vide. Differentia. Individua. Numerus.

C.

Caramuel seculi nostri decus, & ornamētū laudatus, sed nunquam satis. 83.a.

Causa efficiens creata habet series determinatas effectuum. 204.b. & deinceps. Quid sit dicendum de subiectis? 206.a.b. & seqq.

Cerebrum est primum, quod formatur in Homine. 82.b. Ex eius duplicatione in mōstro arguitur anima, & individuus duplicatio. ibid. Sed hoc remissiuè. 83.a.

Communicabilitas quadruplex. 56.a.

Continuatio probabiliter identificatur cum entitate rei continuæ. 160.a.

Corporeum. Materia in quantum corporea est principium multiplicationis formarum substantialiū. 9.b. Eadem inquantum corporea est prima radix quantitatis. 19.b. Accidens corporeum secundùm D. Thomam potest à Deo collocari in subiecto spirituali. 192.a. Et etiam separatum ab omni subiecto conseruari. 193.a.b. & deinceps. In eo tamen euentu nullo sensu, nec imaginatione percipi posset. 143.b.

Desi-

Digitized by Google

D.

De signatio indiuidualis, quid sit? 85.a.b. habetur ab Accidentibus. ibid.b.

Differentia numerica non se habet eodem modo ad speciem, sicut specifica ad genus. 73.a. In compositis substantialibus proximè sumitur à tota entitate, radicaliter verò partim à materia, partim à forma. 81.b. Non sumitur à collectione accidentium. 89.a. In rigore loquendo non est differentia diuidens vnum indiuiduum ab alio. 92.b. Sed est diuisio materiæ. 93.a. Illa, quæ sumitur à materia est numerica, quæ à forma specifica. 111.b. Numerica in animabus rationalibus nil aliud importat, nisi commensurationem, & coaptationem ad corpora humana multiplicabilia ex diuisione materiæ. 137.a. Differentia absoluta necessariò debent esse primò diuersæ. 271.a.

Distinctio specifica est formalis, numerica materialis. 4.a. Ex distincta potentialitate materia sumitur distinctio generica formarum. 9.a. Distinctio partium continui est accidentalis. 65.b. Distinctio media potiùs debet sequi ad inseparabilitatem, quàm eam inferre. 122.b. Ea posita inter formalitates possent istæ per Dei potentiam separari, ac separatim conseruari. ibid. & deinceps. Distinctio formalis, siue formalitatum non coincidit cum distinctione ex natura rei, nec etiam in sententia Scoti. 128.a.

Diuisio in partes subiectiuas coincidit in materia cum diuisione in partes integrales, aut est ab ea inseparabilis. 26.a.b. Diuisio alia formalis, alia materialis. 101.a.b. Omnis diuisio, quæ fit per differentias primò diuersas non potest esse numerica. 271.a.

Duratio probabiliter identificatur cum existentia. 160.a.

E.

Effectus primus quantitatis est actu extendere substantiam. 29.a. Effectuum series sunt admittendæ respectu causarum efficientium. 204.b. & deinceps. An respectu subiectorum. 206.a.b. & seqq.

Essentia in qualibet re potest præscindi, & intelligi absque singularitate. 6.a. Essentia Angeli præstat eminenter, quod in in nobis præstant materia, & forma. 70.a. 76.a.

Existentia nequit esse principium indiuiduationis. 105.b. Quamuis ponatur cum essentia identificata. 106.a. Cum illa identificari non possit, si ab ipsa hæceitas distinguitur ex natura rei. 119.b. Existentia supponit singularitatem. 282.a.

F.

Forma indiuiduatur à materia in qua. 8.a. Eius distinctio generica sumitur ex distincta potentialitate materiæ. 9.a. Accidentalis potest numero multiplicari per ordinem ad subiecta spiritualia, forma verò substantialis non potest multiplicari per ordinem ad materiam spiritualem. 11.a. posset tamen id fieri per successiuam receptionem in ea. ibid.b. Substantialis aliquo modo est principium multiplicationis materiæ, in genere nimirum causæ finalis, & extrinsecæ. 14.a. 15.a. est etiã multiplicationis specificæ. 14.b. Actuat materiam hanc antè quantitatem. 17.a. Vt forma est indiuisibilis. 27.b. Illa diuisio, quæ ab ipsa primariò desumitur est essentialis. 29.b. Non supponit subiectum perfectè indiuiduum, sicut forma accidentalis. 31.a.b. Est primum principium numericæ vnitatis materiæ. 33.a.b. Facit materiam vnam numero positiuè. 38.b. Dupliciter communicari potest efficienter, & formaliter. 43.a. Ab ipsa sumitur differentia. 46.a. Quid sit dicendum secundùm mentẽ D. Th. circa indiuiduationẽ formarum? 47.b. Formæ diuisibiles habent suam vnitatem, & multiplicationem variabiliter, secus indiuisibiles. 50.a. Ad completam indiuiduationem formæ accidentalis requiritur actualis inhærentia. 52.b. Sic generaliter quæuis forma requirit actualem vnionem cum materia in qua, vt sit completè indiuidua. 289.a. diuersa habitudo est formæ informantis ad materiam, & subsistentis ad suppositum. ibid.b.

Forma substantialis quamuis possit diuidi subiectiuè, & non integraliter, non tamen è contra. 64.a. Hæc forma, & hæc materia per accidens quodammodò vniuntur. 66.a. Diuerso modo à materia concurrit ad indiuiduationem. 81.a. Ab ipsa in prima substantia habetur incommunicabilitas per identitatem, vel continuationem. 82.a. Non est omninò primum, & radicale principium indiuiduationis. 111.a.b. Implicat vnam informare plures materias. 290.a.

G.

Generica formarum materialium distinctio sumitur à distincta potentialitate materiæ. 9.a.

Genus potest diuidi materialiter, quamuis differentiæ sint diuersæ, secus species. 10.b. Quomodo intelligendum sit, quod ipsum sumitur à materia, differentia à forma. 46.a.

Gradus specificus adueniens supponit gradus præcedentes singularizatos. 73.b.

H.

Hæceitas non est distincta ex naturâ rei à natura. 115.a. & deinceps. Si distincta ponatur, non potest poni existentia identificata cum natura. 119.b. Gratis admissa prædicta distinctione, præter hæceitates partiales materiæ, & formæ, non esset ponenda alia tertia totalis ab vtrisque distincta. 127.a. Ab ipsa non potest sumi vnitas numerica. 131.a.b. & deinceps. Secundùm D. Thomam non diuidit speciem in plura indiuidua tanquam propria differentia. 136.a. In formis non est aliud quam receptibilitas huius formæ in hac materia, & receptibilitas illius in alia consimili materia. ibid. Vide. Differentia.

Homo non aliter dicitur producere Hominem, nisi quatenus producit dispositionem aliquam, cui debetur productio talis substantiæ. 249.a.

I.

Incommunicabilitas quadruplex. 56.a. In prima substantia incommunicabilitas alteri tanquam subiecto inhæsionis, & prædicationis habetur à materia. 82.a. Per identitatem, vel contiuuationem à forma. ibid. Alteri supposito à forma hypostatica. 84.b.

Indiuidua perfecta habentia formas indiuisibiles discernuntur inter se secluſis accidentibus per quandam characteristicam proprietatem substantialem. 90.a. Talis proprietas est ipsa commensuratio animæ ad corpus taliter complexionatum. 90.b.

Indiuiduationis principium. Vide: Materia, Principium.

In-

Digitized by Google

Indiuiduorum multitudo eiusdem speciei est multitudo essentiarum, non essentialis. 4. a.

Indiuiduum completum debet esse vnum, omninò incommunicabile, & designabile. 54. a. Ab eo habet, quod non possit dici de subiecto, à quo habet quod sit primũ subiectum. 68. b. In genere substantiæ quandoque accipitur pro sola natura singulari, quandoque pro supposito. 219. a. Vide. Materia. Prima substantia.

Inæqualitas animarum rationalium non est ipsa hæcceitas, sed ad eam consequitur. 138. b.

Inhærentia actualis requiritur ad completam indiuiduationem formæ accidentalis. 52. b.

M.

Materia quantitati supposita est indifferens ad corruptionem, vel incorruptionem. 2. a. idque ortum ducit ex potentialitate. ibid. b. Materia in qua, vel ex qua est radicale, & adæquatũ principium multiplicationis purè numericæ. 7. b. 97. a. b. 260. a. Quod non debet intelligi de sola materia prima. 99. a. Materia in qua principiũ indiuiduationis formarũ. 8. a. Idq; præstat respectu formæ substãtialis in quãtũ corporea. 9. b. At respectu accidentalis abstrahit à corporea, vel incorporea. 10. a. Vna materia potest æquiualere pluribus inter se materialiter distinctis. 11. b. Admissa per hypothesim materia spiritualis, non potest esse multiplex numero. 12. a. Materia prima non est de se diuisa, sed diuisibilis. 15. a. Antecedenter ad quantitatem est principium indiuiduationis substantiale. 18. a. Est radix quantitatis. 19. b. In ipsa precontinentia quantitatis est aliquid amplius, quàm capacitas ad ipsam. 20. a. Quomodo intelligatur illad S. Thomæ, quod materia signata Quãtitate est principium indiuiduationis. 21. a. & deinceps. Antecedenter ad formam, & quantitatem est ipsi concedenda aliqua diuisibilitas in partes integrales. 24. b. Cur exinde non sequatur, quantitatem esse superfluam? 29. a. Vt diuisibilis, & vt extensa diuerso modo connotat quantitatem. ibid. Primum principium numericæ vnitatis ipsius est forma. 33. a. b. Per formam fit vna numero positiuè, & ante eam est solum vna numero negatiuè. 38. a. Est prima radix cur indiuiduum substantiæ, nec sit in subiecto, nec dici possit de subiecto. 58. b. 68. a. b. Ad eius diuisionem natura diuiditur vt natura, non vt singularis. 67. a. Exercet tria officia in composito substantiali. 72. a. Quorum vnum potest concipi præcisum ab alio. 75. a. Secundum quod dicit perfectionem est principium immultiplicationis indiuidui, multiplicationis verò speciei secundùm quod dicit imperfectionem. 76. b. Id præstat non vt potentia, sed vt diuisibilis in partes eiusdem rationis. 291. b.

Materiale. Natura magis materiales facilius multiplicantur. 12. b. In rebus materialibus compositis modus essendi in subiecto inseparabiliter comitatur modum prædicandi de inferioribus. 61. b. Materialia accidentia secundùm D. Thomam possunt per Dei potentiam recipi in substantia spirituali. 192. a. Vide Materia.

Modus vnionis. Vide. Vnio.

Multiplicationis numericæ, & specificæ assignandum est intrinsecum principium. 5. a. Ad multiplicationem numericã non sufficiunt hæcceitates. ibid. b. Eius radicale principium est materia in qua, vel ex qua. 7. b. & deinceps. Vide Accidentia. Angeli. Materia. Principium.

Multitudinis numericæ discrimen à specifica. 4. a. Multitudo vnitatum, quæ distinguuntur per differentias primo diuersas non potest esse homogenea. 7. a. Composita ex vnitatibus eiusdem rationis est magis perfecta, quã vnitas. 77. a. Multitudo specifica magis, conducit ad pulchritudinẽ vniuersi, quàm numerica. 226. b. Vide Num. Vnitas.

N.

Nabuchodonosor, quomodo dicatur transmutatus in bouem. 123. b.

Natura quò materialior, eò facilior ad multiplicationem. 12. a. Quando diuiditur ad materiæ diuisionem diuiditur vt natura, non vt singularis. 67. a. Si existeret separata à singularitatibus esset vniuersalis à parte rei. 120. a. b. 125. a. b. Omnis natura infinita est essentialiter singularis, non tamen è contra. 280. a. Natura subsistens non est singularis per ordinem ad suppositum. 289. b. Vna natura substantialis quamuis possit subsistere in tribus suppositis diuinis, non tamen inferioribus suppositis creatis. 290. b. Natura multiplicabilis numero debet esse diminuta non solum in suo genere, sed etiã in sua specie. 292. a.

Numerus in substantijs naturalibus est prædicamentalis, non transcendentalis. 79. a. id ipsum dicendum de numero animarum rationalium. ibid. a. b.

O.

Ordo inter plura indiuidua est per accidens. 243. a. In multitudine Angelorum debet esse ordo per se. ibid.

P.

Potentia per diuersos actus vltimos terminari non potest. 166. a. & 167. a. b. & deinceps. Potentia obedientialis in Angelo, & Homine est eiusdem speciei. 10. a. b. Potentia singularis supponitur ad actum singularem. 116. b. Vnica potentia singularis non potest recipere nisi vnum actum singularem. 146. a.

Prædicabilitas duplex, alia in actu signato, alia in actu exercito. 116. a. Prima est passio vniuersalis, & conueniret naturæ, si existeret separata à singularitatibus. ibid.

Prima substantia submota quantitate remanet indiuisibilis. 17. a. Non indiuiduatur per aliquod extra proprium prædicamentum. 54. b. Neque per ordinem ad sua principia. 55. a. Sed per materiam intrinsecè componentem. ibid. Nec est in subiecto, nec potest dici de subiecto, & cur? 59. a. Incommunicabilitatem alteri tanquam subiecto inhæsionis, & prædicationis habet à materia. 58. b. 68. a. Est incommunicabilis alteri per identitatem, vel continuationem propter formam. ibid. Alteri verò supposito per formam hypostaticam. 84. b. Vide Indiuiduum.

*Principium radicale multiplicationis numericæ est materia in qua, vel ex qua. 7. b. 97. a. b. 260. a. Principium indiuiduationis aliud substantiale, aliud accidentale. 18. a. Aliud remotum, aliud proximum. 35. a. b. Principia indiuiduantia substantiam nullum ordinem dicunt ad quantitatem. 32. a. b. Non hoc ipso, quod ponitur principium vnitatis, ponitur principium multiplicationis. 35. b. Quo pacto idem sit principium vnitatis, & multitudinis. 35. a. b. & seq. Principium indiui-

Digitized by Google

duationis partis potest esse separatum, non sic principium indiuiduationis totius. 55. a. Principiũ immultiplicationis indiuidui est materia secundùm id, quod dicit perfectionis; multiplicationis verò species secundùm quod dicit imperfectionem. 76. b. Principium discernendi vnum individuum substantiale homogeneum ab alio sunt accidentia. 89. b. Non tamen individuis perfectis habentibus formas indiuisibiles. ibid. Existentia nequit esse principium indiuiduationis. 105. b. Quamuis ponatur identificata cum essentia. 106. a. Nec subsistentia. 107. b. Nec haecceitas. 131. a. b. & deinceps. Vide. Accidentia. Forma. Materia.

Q.

Qvalitas corporea secundùm D. Thomam potest per Dei potentiam recipi in substantia spirituali. 192. a. Potest etiam à Deo à quantitate separata conseruari. 193. a. b. & deinceps.

Quantitas est accidentale principium indiuiduationis substantiæ. 18. a. Est velut propria passio materiæ. 19. b. Eius præcontinentia in materia est aliquid amplius supra capacitatem eiusdem materiæ ad seipsam. 20. a. Neque vt connotatum requiritur ad primum, & radicale principium indiuiduationis. 20. b. 32. a. b. Quo pacto intelligendus sit S. Thomas dicens materiam signatam quantitate esse principium indiuiduationis. 21. a. & deinceps. Ea submota substantia totalis, siue prima substantia remanet indiuisibilis. 27. a. Quantitas prohabita non est quantitas dimensiua, sed integralis diuisibilitas materiæ, quam habet antecedenter ad quantitatem. 28. a. b. Primus effectus quantitatis est actu extendere substantiam. 29. a. Cur quantitas non est superflua, si materia antecedenter ad ipsam est diuisibilis? ibid. Vt accidens èst respectiua ad substantiam, at verò vt quantitas est quid omninò absolutum. 129. a. Vide. Materia.

R.

Receptiuum non multiplicatur per se primò propter receptibile. 13. b.

Relationes non multiplicantur penès terminos numero distinctos, aut penès eos specie multiplicari debent. 153. a. 139. a.

Reparatio fœdum Angelorum per Homines prædestinatos non est Arithmeticè intelligenda, sed Geometricè. 257. b. & seq.

Reproduci non potest idem numero accidens virtute agentis naturalis. 173. a. Varia ratione ad hoc probandum reiecta. ibid. b. & deinceps, vera ratio adducitur. 178. a. & deinceps.

S.

Series effectuum in efficientibus creatis sunt admittenda. 204. b. & deinceps. An in subiectis? 206. a. b. & seqq.

Species intentionales differunt specie. 151. b. 152. a. b. 143. a. 138. a. b.

Specie differentia sunt etherogenea; contra verò, quæ differunt numero, sunt homogenea. 4. a. Ad constituendam speciem non est necesse quod differentia contrahens genus addat ipsi aliquam perfectionẽ simpliciter nobiliorem, & perfectiorem. 134. b. Nõ participatur secundùm totam plenitudinem individuis ratione materiæ, sed ratione formæ. 274. b.

Specifica multitudo magis conducit ad pulchritudinem vniuersi, quàm numerica. 226. b.

Subiectum est principium indiuiduationis accidentium. 142. a. & quomodo. ibid. & 143. a. Non habet ex sua ratione, quod ab eo accidens pendeat in fieri, & conseruari. 155. a. Idem successiuè potest plura recipere. 173. Eius distinctio virtualis est sufficiens ad accidentium distinctionẽ. 179. a. b. Aliud simplicis inhærentiæ, aliud specialis inhærentiæ. 190. a. Per Dei potentiam vt radicale principium indiuiduationis nequit plura accidentia solo numero distincta simul recipere, benè tamen vt subiectum simplicis inhærentiæ. 191. a. b. An in eis sit admittenda series effectuum, sicut in causis efficientibus? 206. a. b. & deinceps. Ex ipso, & accidente aliter fit vnum, quam ex materia, & forma. 199. b. Initiatiuè dicitur principium indiuiduationis. 284. b. Vide Accidentia.

Stellæ omnes sunt specie distinctæ. 240. a.

Subsistentia non potest esse principium indiuiduationis. 107. b. Addit aliquid positiuum supra naturã. 108. a. Indiuiduatur per ordinem ad naturam singularem. 109. a.

Suppositum secundùm id, quod addit supra naturam appellatur à D. Th. materia, vel se habens per modum materiæ, & quare? 220. b. Vide: Individuum.

T.

S. Thomas aliquando tenuit sententiam Commentatoris ponendo dimensiones interminatas in materia eidem coæuas, atque ab ea inseparabiles. 19. a. 23. a. Vide. Accidentia. Angeli. Forma. Haecceitas. Materia.

Totum non est tertia entitas à partibus simul sumptis, & vnitis distincta. 127. a. b.

V.

Vnio distincta inter subiectum, & accidens non datur. 201. b. Ea admissa subiectaretur etiam in accidentibus. ibid. & seq. Respectu subiecti non connaturalis esset supernaturalis. ibid. Si daretur in compositis substantialibus in generatione Hominis produceretur immediate à solo Deo. 249. a.

Vnitas individua Angelica est perfectior multitudine numerica individuorum sub eadem specie. 78. a. Omnis vnitas numerica est individualis, sed non è contra. ibid. Vnitas est perfectior multitudine in rebus elevatioribus, contra verò in inferioribus. 55. a. Id præcipuè locum habet in supernaturalibus. ib. Quod ostenditur? Authoritate S. M. N. Teresiæ. ibid. b. Vnitas numerica non potest desumi ab Haecceitate, sed sumi debet per ordinem ad aliquod extrinsecum. 131. a. b. & deinceps.

Vnum aliter fit ex materia, & forma, aliter ex subiecto, & accidente. 199 b.

Voluntas non potest simul diligere plures per modum plurium. 160. b.

FINIS.

BIBL. DE LYON

Digitized by Google

ERRATA CORRIGE.

PAg. 3.a. tranſit,tranſire,14.a.ſit principium multiplicationis in genere,ſit principium multiplicationis materiæ in genere.16.b.ſic ſupponit,ſed ſupponit.24.a. vt aduertit,aduertit.51.a.vaſis,vaſibus. 59.a.radicaliter habet,radicaliter habetur.60.b. & tam in indiuiduo Angelico,& tamen in indiuiduo Angelico,61.b.omnis indifferentia,omnia differentia.ibid.ex materia,& formam compoſitam,ex materia,& forma compoſitam.63.a.& validè conformata,& ſit validè confirmata. 65. a. ſingularitare, ſingularitatem.ibid.b.illa natura non eſſe,illa natura non eſſet.66.b.talium partium diſtinctio,talium partium indiſtinctio. 68.a. qua ipſam terminant, qua ipſam terminat, ibid. ad receptiuum ſingularizantur,ad receptiuum ſingularizetur.ibid.b.ſecandum,ſecundum.69.b. quod ſit prædicabile, quod ſit prædicabilis.74.b.& tandem eſſet,& tandem eſſe.75.b.talis incommunicabilis, talis incommunicabilitas 76.b.& interdicit,& dicit,ibid.b.in eadem vaſe,in eodem vaſe.84.b.& qua conſtituitur,& quibus conſtituitur.86.b,occidentium,accidentium.87.a.hæc carnes,hæ carnes.ibid.b. cum eſt, non eſt.97.a, ſententiam S. Thomæ,ſententia S.Thomæ.99.a,ad materia,ad materiam,100.b. ſed vnitas,ſed vnitates,ibid.b.pertingit,pertingunt. 108.b,non poteſt eſſe,non poſſe eſſe. 109.a. friuolam eſt, friuolum eſt. 119.b.ſed formam eſt,ſed forma eſt. 112.a.ſolùm probant,ſolum probat. ibid. drobationem, probationem. 129.a.non eſt aliud,non ſunt aliud.ibid. in rerum naturæ, in rerum natura. ibid.b. Suarias, Suarius. 131.a. in hoc potiùs,in qua potiùs.ibid b.ter illa,inter illa. 134.b. addat perfectiorem, addat perfectionem, 138.a.conceptus intrinſecus,conceptus intrinſecos.ibid.appoſitus, appoſitia 147.b. iſti ſimpliciter tenet,iſti ſimpliciter tenent. 151.a.vel quorum ad,vel ad. 152.a.ſpecies repræſentat, ſpecies repræſentant. 155,a. excogita.excogitata.ibid.influentia agentis, influentiam agentis.165.a.Bergoncenſis.Bergomenſis.ibid.Solis illuminatis,Solis illuminantis.ibid.& ponat illam,vt ponat illam,176.b.præſiniuit,præfiniſt. 180.a.principem,principium.ibid. & alijs recentioribus Thomiſtis exponentibus, & alij recentiores Thomiſtæ exponentes.189.a.euaoſi,euaſio.190.b. independentia,dependentia.193.a. ſimùm,ſimùl.199.a.quæ tam non efficeret,quæ tamen non efficiunt.ibid. implicant contradictionem, implicat contradictionem.201.b.vniune,vnione.ibid. compoentium,componentium . 202. b. illorum modalium,illarum modalium.ibid.nam ponemus, nam ponamus. 206. b. alio agente, a alio agente. 213.b.contra has,cõtra hos.219.rationalis natura,rationalis naturæ.220.a.ex increata,ex innata. 226. a. Thomiſticæ dicat.Thomiſticæ dicenti.243.a.dicendum fore,dicendum foret. 245. a.quam vnus tantum, quam vnum tantum.251.b. ſecundum quod conſideratur, ſecundum quod conſideranter. 252. a. nullus tamen illud,nullus tamen illam. 256. a. habet primò, habes primò. 279.a. nullam materiam, nullam naturam. 281.b. eas appellauerit, eas appellauerit. 283.a. Sed vnus tamen,ſed vnus tantum. ibid.repate,ſed,reperire.

Digitized by Google

LECTIONES
IN VNIVERSAM
Primam Secundæ Diui Thomæ.

LECTIO PROOEMIALIS.

Quod nam sit obiectum huius partis? Sit ne practica, vel speculatiua? Quo ordine se habeat ad reliquas partes? Et tandem an sint rectè distributi tractatus in ipsa contenti à D. Thoma?

BIBLIOTHEQUE DU GRAND LYON

1 QVoad primum dico, quod obiectum attributionis, & adæquatum primæ secundæ, & secundæ secundæ est Deus, vt vltimus finis: obiectum, vero quod attribuitur, seu materia, quæ dicit habitudinem, & attributionem ad tale obiectũ est motus rationalis creaturæ in Deum, vt in vltimum finem, siue actus, quibus potest ad eum peruenire; & alia quæ sunt ad eos necessaria; tanquam ipsorum principia.

1.Concl.

2 Vt autem facilius intelligatur probatio huius conclusionis, aduertendum est, quod id intelligo ego pro obiecto adæquato, & attributionis, ad quod omnia referuntur, quæ tractantur in aliqua scientia: Pro materia verò, seù obiecto, quod attribuitur, omnia quæ principaliter, siue minus principaliter tractantur in tali scientia cum ordine ad obiectum attributionis. Hoc notato.

3 Probatur primò conclusio ex S.Th.1.p.q.2.in procœmio huius operis; vbi clarè dicit, in secunda parte se acturum de Deo, vt vltimo fine nostro, & de motu rationalis creaturæ in vltimum finem.

1. Ratio S. Th.

4 Probatur secundò conclusio, quò ad primam partem; nimirum, quod Deus, vt vltimus finis, sit obiectum attributionis huius operis: ratione. Quia secundum communem consensum Dialecticorum tres conditiones exigit obiectum attributionis. Prima est, quod contineat omnia, quę tractantur in tali scientia, hoc est, vt reuocentur ad ipsum, tanquam ad principium suum: Secunda, quod sit id, de quo potissima cura est in tali scientia: Tertia, quod sit id, per quod talis scientia distinguitur ab alijs: At omnes hæ conditiones conueniunt Deo, vt vltimo fine, Ergo Deus, &c. Probo minorem, quæ sola probanda est, quia Deus, vt vltimus finis in communi, est à quo pendet, tanquam à principio, motus rationalis creaturæ cum auxilijs intrinsecis gratię virtutum, & auxilijs extrinsecis. Præterea, quia de Deo consequendo, vt vltimo fine, potissima cura est in prima secundæ, & secunda secundæ. Tandem, quia per istud obiectum distinguitur ab alijs duabus partibus summæ Theologiæ.

2. Ratio.

5 Probatur modò conclusio, quo ad secundam partem, nimirum, quod materia, & obiectum, quod attribuitur sit, &c. Quia motus creaturæ rationalis cum omnibus auxilijs intrinsecis, & extrinsecis, quæ importat, & de quibus tractatur in Prima secũdæ dicit attributionem, & ordinem ad Deũ, vt vltimum finem in communi vt patet. Ergo.

Ratio 1. Cõclusionis quoad secundam partem.

6 Sed obijcies primò contra hãc conclusionem: quia obiectum adæquatum, & attributionis totius Theologiæ,

1. Obiectio, & respõsio.

logiæ, est Deus. Ergo non est attribuendum aliud obiectum adæquatũ vni parti Theologiæ; nempè primæ secundę. Respondeo, quod licèt obiectum adæquatum Primæ secundæ sit Deus, vt vltimus finis; nihilominus est obiectum inadæquatum respectu totius Theologiæ.

2. Obiectio, & respõsio.

7 Obijcies secundò, quia D. Th. in procemio huius primę secundę habet hæc verba: *Restat vt consideremus de eius imagine, idest de homine secundum quod & ipse est suorum operum principium, quasi liberum arbitrium habens, & suorum operum potestatẽ.* Ergo videtur, quod homo sic cõsideratus, sit obiectum attributionis huius partis. Respondetur, quod homo sic consideratus, clauditur intra materiam, seu obiectum *quod* attributionis huius partis. Nam idem est dicere, materiam huius partis, esse hominem potentem se mouere in vltimum finem per suum liberum arbitrium: ac dicere materiam huius operis esse motum ipsius in vltimum finem.

3. Obiectio, & respõsio.

8 Obijcies tertiò: quia etiã Philosophus moralis agit de actibus humanis, & virtutibus, atque vitijs. Respondetur, quod sub diuersa ratione, sub qua agit de eis Theologus: nam Theologus agit de actibus humanis, & virtutibus, & vitijs sub ratione diuinæ reuelationis applicatæ per discursum naturalem; Philosophus autem moralis sub solo discursu naturali.

2. Cõclusio, & eius Ratio.

9 Quoad secundum dico, quod hæc pars summæ sit practica. Probatur, quia hæc pars, seu doctrina, quæ traditur in hac parte, est directiua humanorum actuum, quoad cõsecutionem vltimi finis, ergo est practica. Consequentia patet, quia iudicium quodcumque directiuum operationis est practicum: etenim non habet pro fine cognitionem veritatis, sed operationem. Ant. probatur, quia hæc doctrina tradit modum quomodò exerceri debent actus humani, vt sint apti ad consecutionẽ vltimis finis: at hoc est esse directiuum actuum humanorum; Ergo. Probatur hęc maior, in qua nititur totus iste discursus: quia ipsa versatur circa actus humanos, quatenus deseruiunt ad consecutionem vltimi finis, sed non potest intelligi, quomodò versetur circa illos, & non sit directiua ipsorum. Ergo, &c.

Confir.

10 Confirmatur hæc ratio, quia tota ista pars est plena regulis operandi in genere moris, ergo est practica, quia illa est scientia practica, quæ habet pro fine operationem.

1. Obiectio, & respõsio.

11 Sed obijcies primò: quia in hac parte explicantur naturæ, & proprietates virtutum, & vitiorum. Ergo est speculatiua. Respondeo, quod explicantur vt faciliùs tradantur, & explicentur regulæ operandi moraliter.

2. Obiectio, & responsio.

12 Obijcies secundò, quia hoc derogat dignitati Theologiæ, quæ est purè speculatiua. Respondeo potiùs, quod augeat, quia ipsa est eminenter practica, & speculatiua, nam sub vna, & eadem ratione formali diuinæ reuelationis continet veritates practicas, quales sunt hæ quæ tractantur in hac parte, & veritates speculatiuas, quales sunt illæ, quæ tractantur in prima parte, & alibi.

3. Obiectio, & responsio.

13 Obijcies tertiò, quia obiectum adæquatum totius operis, est Deus, Sed Deus non est operabilis à nobis, ergo. Respondeo, quod dupliciter potest considerari Deus: vno modo secundùm suam substantiam; alio modo pro vt est vltimus finis noster: primò modo est obiectum speculatiuum secundò modo est obiectum practicum. Et hoc modo est obiectum huius partis. Quod autem, vt vltimus finis sit obiectum practicum, patet: quia ex ipso hoc modo considerato sumũtur regulæ nostrarum operationum, quæ propriè sunt praxes, & tanquam obiectum terminat eas; Colligitur enim, esse summè colendum, & summè diligendum.

14 Vrgebis, quia etiam vt vltimus finis non est à nobis factibilis, quod exigitur ad rationem practici. Respondeo, quod sufficit vt sit at-

attingibilis nostris actibus, vt dicatur factibilis quodammodo.

15 Quoad tertium, dico, quod rectè tenet secundum locum hæc pars in Sacra Theologia. Ratio est, quia prius est, quod Deus consideretur secundum se, quam per habitudinem ad creaturas. Rursus consideratus per ordinem ad creaturas prius est, quod consideretur vt Creator, quam glorificator, & vltimus finis. In prima parte egit S. Th. de Deo secundum se, & de Deo Creatore. Sequebatur consequenter, vt ageret de Deo glorificatore, & vt vltimo fine nostro, & ideò meritò huic parti tribuit secundum locum.

3. Cõcl. & eius Ratio.

16 Obijcies inter omnes causas prima est finalis, ergo prius debuit agi de Deo vltimo fine. Respondeo antecedens esse verum, quando causa finalis habet habitudinem causæ non solum respectu effectus, sed etiã efficientis. Deus autem non est causa finalis respectu sui, sed respectu creaturarum. Vbi aduerte, quod non dico, quod Deus non agat propter finem, quia cum sit primum operans per liberum arbitrium agit maximè propter finem; & ipse est finis sibimet. Sed dico, quod cum respectu creaturarum rationalium sit creator, & causa finalis, prius est, quod ordine executionis sit creator, & postea vltimus finis earum.

Obiectio, & respõsio.

17 Quoad quartum dico, quod optimè sunt in ea distributi tractatus à Diuo Thoma. Nam cum à D. Th. in ea agendum esset de Deo, vt vltimo fine, prius agere debuit de vltimo fine in comuni, & postea de vltimo fine in particulari. Et sic optimè egit in prima quæst. de vltimo fine in comuni, & postea de vltimo fine in particulari, nimirum de Beatitudine. Similiter, cũ illi agendum esset de motu creaturæ rationalis in vltimum finem; prius illi agendum fuit de ipso motu in comuni, & postea in particulari. Vnde egit de bonitate, & malitia actuum humanorum: de virtutibus in comuni: & postea de virtutibus in particulari. Neque reddenda alia ratio huius diuinæ methodi: sufficit pro ratione comunis applausus Theologorum. Nos autem sequentes præscriptum nostrarum instructionum tractabimus, Deo fauente, de vltimo fine in communi. De beatitudine in particulari. De voluntario, & inuoluntario à quæst. 6. vsque ad 21. inclusiuè: De Peccatis: De Legibus: De Gratia: De Merito.

4. Cõcl. & eius Ratio. D. Th.



Digitized by Google

QVAESTIO I. D. TH.

De Vltimo Fine in communi in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum homini conueniat agere propter finem.

18 IN corpore huius art. duo facit S. Th. primò supponit vnum, & illud probat, deinde respõdet quæsito.

19 Quoad primum supponit, quod actiones hominis, quatenus hominis, vel quatenus humanæ, sunt à libero arbitrio, quod constat ex voluntate, & intellectu. Probatur istud suppositum: Quia illę actiones sunt propriè humanæ, & hominis, quatenus hominis, quæ procedunt ab ipso operante per principium conueniens suę naturæ specificæ: alioqui non essent humanæ, sed bestiales, sed principium operatiuum hominis conueniens suæ naturæ specificæ est liberum arbitrium. Ergo.

20 Quoad secundum respondet quæsito, & dicit; Quod omnes actiones humanæ sunt propter finem. Ratio est, quia omnes actiones, quæ ab aliqua potentia procedunt, exeunt ab ea circa suum obiectum, sed obiectum voluntatis est finis, ergo omnes actiones humanæ sunt propter finem. Consequentia est euidens; maiorem, & minorem non probat S. Th. sed relinquit vt certas: nihilominus probabo illas ad maiorem intelligentiam; Maiorem probo inductione; quia omnis visio, quæ procedit ab oculo, procedit circa colorem, qui est obiectum suum, & sic omnis auditio circa sonum, & omnis intellectio circa verũ. Minorem probo: quia finis, vt infra videbimus, non distinguitur re à bono, sed bonum est obiectum voluntatis. Ergo.

21 Hãc cõclusionẽ probat hęc alia ratio S. Tho. in arg. sed contra. Ita se habet finis in agibilibus sicut prima principia in speculabilibus, sed conclusionibus assẽtimur propter principia, ergo cætera, quæ volumus propter finem.

22 In responsione ad secundũ statuit S. Th. quod actiones humanæ nõ sunt vltimus finis ipsius voluntatis: Probat, quia actiones humanæ debẽt esse voluntariæ: Sed nulla actio voluntaria potest esse vltimus finis; Ergo. Probatur minor, quæ sola probanda est, quia actio voluntatis vel est elicita, vt ipsum velle, vel imperata, vt ambulare, sedere, scribere, &c. Sed actio elicita non potest esse vltimus finis, ergo. Probatur hæc minor, quia ita est obiectum voluntatis finis, sicut color est obiectum visus: sed est impossibile quod primum visibile sit ipsum videre, quia omne videre est alicuius obiectis visibili; Ergo etiam est impossibile, quod primum appetibile sit ipsum velle. Neque potest esse actus imperatus; quia dato, quod actus elicitus sit propter ipsum actum imperatum: ad minùs ipse actus elicitus est propter finem, quia est propter ipsum actum imperatum.

23 Ex hoc art. emergunt plures difficultates. Prima: Quis nam dicatur

Digitized by Google

tur actus humanus? & de quo actu humano loquatur S. Tho. in hoc art., nam modò vocat actionem humanam, quæ est hominis in quantum hominis: modò dicit actiones humanas illas, quarum homo est Dominus: & modò illas, quæ à voluntate deliberata procedunt. Secunda, an solę actiones humanę sunt propter finem? Tertia, an finis sit obiectum voluntatis? Hæc ex corpore. Ex conclusione in responsione ad secundum. Vtrum actus imperatus, re vera, possit habere rationem vltimi finis? Et ideò in sequentibus lectionibus de ipsis suo ordine differemus. Verum, quia ad maiorẽ explicationem huius articuli, facere videtur exacta notitia finis; ideò etiam videbimus, quid sit finis, & quotuplex sit? Secundò: Quis nam finis habeat rationem causæ finalis, obiectiuus, an formalis? & quomodo comparentur inter se? Tertiò: Per quid constituatur finis in actu primo ad finalizandum? Quartò: An quælibet bonitas sufficiat ad rationẽ finis? Quintò: An ratio causæ finalis, non solum inueniatur in entibus positiuis, sed etiam in entibus negatiuis? Sextò: Vtrum res indifferens ad bonum, & malum, possit esse finis, & rationem finis induere? Septimò: An apprehẽsio bonitatis sit ratio formalis finalizandi? Octauò: In quo consistat causalitas finis in actu secundò?

LECTIO I.

Quis nam dicatur actus humanus? & de quo actu humano loquatur hic D. Th.

24 DVo proponuntur explicãda in hac lectione: Vnum, quid sit actus humanus, vel actiones humanæ, quatenus humanæ. Alterum, de quo actu humano locutus sit, hic S. Th. Pro quorum explicatione tria faciam. Primò prę mittam aliqua ad decisionem difficultatis; Secundò respondebo quæsito aliquibus conclusionibus. Tertiò soluam difficultates in contrarium.

25 Quoad primũ. Præmitto, quod plures sunt actiones hominis; sicut plura sunt principia proxima earum, & formalitates, seu gradus in natura ipsius. Sunt enim in ipso actiones vegetatiuæ, nutritiuæ, sensitiuæ, volitiuę, intellectiuæ: Et hæ omnes oriuntur à suis principijs proximis, & gradibus formaliter, vel virtualiter distinctis in ipsa natura humana, secũdum diuersas sententias. Nam à potentia intellectiua, & gradu intellectiuo oritur intellectio, à voluntate, & gradu intellectiuo oritur volitio: à potentia sensitiua, & gradu sensitiuo oritur sensatio, & sic de cæteris. 1. Præsuppositum.

26 Præmitto secundò, quod volitiones, & intellectiones, quæ oriuntur à voluntate, & intellectu possunt considerari in esse naturæ, & phisico, & in esse morali: illæ volitiones, & intellectiones dicuntur purè naturales, & in esse phisico, quæ sunt à natura hominis, purè in suo esse specifico, & phisico considerata: illę, autem, dicuntur volitiones morales, & in esse morali consideratæ, quæ sunt, à natura in suo esse morali considerata. Etenim dupliciter potest considerari natura hominis, vno modo secundum quod dicit naturam purè intellectiuam: alio modo secundum quod dicit quendam modum liberè perueniendi ad suum finem, tanquam præmium, vel sibi debitum, tanquam creaturæ rationali: primo modo natura constituit principium in esse phisico: secundo modo, in esse morali: ex ipsa natura in esse phisico considerata oritur voluntas, vt natura quædam est: ex ipsa autem in esse morali oritur ipsa voluntas, ut libertas, quæ nihil aliud est, quam liberum arbitrium, quod est ad consultandum, & deliberandum quid agendum sit, & ad eligendum, aut relinquendum illud; Vnde duo importat liberum arbitrium; unum ex parte intellectus, nempè, cõ- 2. Præsuppositum.

sul-

ſultationem, & iudicium de rebus agendis; aliud ex parte uoluntatis, nempè electionem, uel non electionem rei, quæ facienda eſt. Et propterea benè S.Th. in hoc art. dicit, liberum arbitrium eſſe facultatem intellectus, & uoluntatis. Hæc quo ad primum.

27 Quoad ſecundum, reſpondeo primò quęſito; Actiones uegetatiuę, nutritiuę, & ſenſitiuę, quamuis propter coniunctionem ad gradum intellectiuum, habeant aliquam maiorem perfectionem, quam in beſtijs; nihilominus, propriè non ſunt actiones humanę. Ratio eſt, quia in ipſis ſimpliciter homo conuenit cum belluis. 1. Concl. & Ratio.

28 Reſpondeo ſecundò; intellectiones, & uolitiones, quatenus ſunt à natura hominis, purè, conſiderata, uel ut dicit principium operationis in eſſe phyſico, ſunt actiones humanę; Sed non ſimpliciter, & ſecundum omnem ſuam perfectionem. Duas habet partes hęc reſpõſio. Vna, quod ſint actiones humanę; altera quod non dicant omnem perfectionem; vtraque probatur. Prima, quia per illas homo diſtinguitur à brutis; nam bruta non intelligunt, quemadmodum homo, nec habẽt appetitum rationalem ſequentem intellectum quemadmodum homo. Secũda pars probatur, quia modus perfectiſſimus operandi hominis, eſt liberè operari, & peruenire ad ſuũ finem per modum electionis. 2. Concl. & Ratio.

29 Reſpõdeo tertiò, actiones ſimpliciter humanę illę dicũtur, quę procedunt à uoluntate liberè operante. Ratio eſt, quia per iſtas operationes homo perfectiſſimè diſtinguitur à brutis, & dicitur perfectiſſime operari ſecundum ſuam ſpeciem. Ex his infertur clarè, quod actus humanus, uel actiones humanę dicuntur illę, quę ſunt à uoluntate deliberata, uel quarum homo eſt Dominus; ut benè loquitur S.Th. in hoc art. Voluntas autẽ deliberata illa dicitur, quę pręſupponit conſultationem, & deliberationem intellectus de eo, quod agendum, uel non agendum eſt. 3. Concl. & Ratio.

Quæ ſit voluntas deliberata.

30 Infertur ſecundò, quod alia dicitur actio hominis, alia humana: actio hominis dicitur fricatio barbę, & alię huius modi. Actio humana dicitur libera modo prędicto.

31 Reſpondeo quartò ſecũdę parti quęſiti. Actus humani, de quibus loquitur S.Th. in hoc art. ſunt illi, qui procedunt à uoluntate libera, ſiue deliberata. Ratio eſt; quia S.Tho. hic agit de actibus humanis, tanquam Theologus moralis, ſed pertinet ad Theologũ moralem ſimpliciter agere de actibus procedẽtibus à voluntate deliberata in ordine ad ſuum finem, ergo de iſtis agit D. Thomas in hoc loco. Confirmatur hæc ratio: quia Theologus moralis agit potiſſimè de actionibus meritorijs, vel demeritorijs, ergo de ijs, quæ procedunt à libero arbitrio. 4. Concl. & Ratio. Cõfirmat.

32 Quoad tertium, facilè ſoluuntur aliquę difficultates in contrarium. Prima obiectio eſt: Actio, quæ poteſt habere rationem culpæ, eſt humana: ſed datur aliqua actio, quæ poteſt habere rationem culpæ abſque eo, quod procedat à voluntate deliberata; ergo. Probatur minor: quia quando quis poteſt deliberare, & non deliberat, non excuſatur à culpa. Ad hanc obiectionem, negatur minor, ad probationem dicitur, quod tunc illa actio procedit à voluntate virtualiter, vel interpretatiuè deliberata. Vt autem hæc ſolutio intelligatur, ſciendũ eſt, quod voluntas dupliciter poteſt eſſe deliberata; vno modo formaliter, & expreſsè; alio modo virtualiter, & interpretatiuè. Tunc autem eſt formaliter, & expreſsè deliberata, quando præſupponit deliberationem formalem, quæ eſt actuale iudicium intellectus de re agenda, vel non agenda cum ſufficienti lumine ad diſcernendum inter bonum, & malum morale. Tunc vero eſt virtualiter, & interpretatiuè deliberata, quando prę-ſupponit deliberationem virtualem, quæ eſt facultas cum tempore ad deliberandum; & hæc ſufficiens eſt ad faciendum actum humanum meritorium, 1. Obiectio, & reſponſio.

Quæ ſit deliberatio virtualis.

Digitized by Google

torium, vel demeritorium.

33 Secunda obiectio: Actiones ebriorum quandoque sunt humanæ: sed non sunt à voluntate deliberata; ergo. Maior probatur, quia quandoq; sunt peccata. Probatur minor, quia in ebrietate non consultant, neque deliberant. Respondetur negando minorem; ad probationem dico, quod sunt à voluntate deliberata in causa: quatenus ante ebrietatem potuerunt, & debuere illas præuidere. Si autem dicatur, quod non potuerũt præuideri, neque ebrietas ipsa, & tunc dico, quod sunt actiones purè necessariæ, & physicæ.

2. Obiectio, & respõsio.

34 Tertia obiectio, actiones amẽtium, & puerorum ante vsum rationis sunt humanæ, sed istę non sunt à voluntate deliberata, ergo. Ad hanc obiectionẽ dico, quod non sunt actiones humanę morales, quia vt diximus, duo requiruntur in istis actionibus, vt dicantur morales. Vnum ex parte intellectus, nimirum lumen sufficiens ad consultandum, & deliberandum ad discernendum inter bonum, & malũ; Aliud ex parte voluntatis, nimirum facultas ad operandum, & non operandum, ad eligendum hoc, vel oppositum. Verum Amentes, & pueri carent prædicto lumine.

3. Obiectio, & respõsio.

35 Quarta obiectio. Prima operatio intellectus, quæ antecedit omnem actum voluntatis est humana, ergo non omnis actio humana pendet à deliberatione.

4. Obiectio, & respõsio.

36 Respondetur, quod sit actio humana physica. Posset autem dici, quod sit initiatiuè actio humana moralis quatenus concurrit ad eligendum, vel non eligendum; Pro huius solutionis faciliori intelligentia.

37 Nota, quod triplex est sententia de primo actu voluntatis. Vna dicit quod sit determinatus quoad specificationem, & quoad exercitium. Est Caiet. Ferr. & aliorum Thom. Altera dicit, quod solum sit determinatus quoad specificationem; est Suarez, & aliorum, & præcipuè Salm. nostr. tract. de Angelis. Tertia, quod in hominibus neq; quoad specificationem, neque quoad exercitium; quia potest esse primus actus ex suggestione, vel potestate appetitus, vel potest proponi ab intellectu aliquod bonũ particulare uolũtati quippè qui depẽdet à sẽsibus. Ita Montesinus infra q. 10. a. 2.

38 Quinta obiectio. Intentio finis est actus humanus. Sed hęc antecedit deliberationem, ergo. Respondeo, quod si loquamur de intentione finis intermedij, negamus minorem, nam hæc non antecedit deliberationem, quia finis intermedius habet rationẽ medij in ordine ad finem vltimum; si autem loquamur de intentione finis primarij, etiam nego minorem, quia hoc modo considerata etiam subsequitur ad illam deliberationem, quæ est facultas discernendi inter bonum, & malum, quæ est sufficiens ad hoc vt actus dicatur humanus, & deliberatus. Vt autem hæc solutio faciliùs intelligatur, notandum est pro nunc, quod duplex lumen possumus distinguere in intellectu ad discernendum bonum, & malum. Vnum, quod antecedit intentionẽ finis, aliud, quod antecedit electionẽ mediorũ. Vtrumq; est sufficiens ad constituẽdum actum humanum, de qua loquitur hic S. Th.

5. Obiectio, & respõsio.

39 Sexta obiectio; visio, & amor Dei in patria sunt actus humani. Sed hi sunt necessarij, ergo. Respondeo ad minorem; sunt necessarij in se ipsis, concedo minorem, sunt necessarij in causa, nego minorem. Dicuntur autẽ liberi in causa, quia habuerunt ortum ab actibus meritorijs liberis in via exercitis. Vrgebis, quia infantuli baptizati ante vsum rationis decedentes non meritis proprijs meruerunt beatitudinem. Dico, quod sicut meritis Christi sibi applicatis per baptismum fruuntur beatitudine, ita eadem libertate Christi sibi applicata dicuntur illam voluisse. Respondeti potest secundò ad obiectionem principalẽ, quod illi actus sunt à natura intellectuali, vt natura quædam est eleuata per lumen gloriæ, & per charitatem. Et hæc pro præsenti lectione, pro cæteris

6. Obiectio, & respõsio.

Digitized by Google

teris consulatur Curiel.1.2.q.1.art.1. dub.1.

LECTIO II.

An solæ, & omnes actiones humanæ sint propter finem?

40 IN hac lectione tria faciam. Primò aduertam aliqua ad explicationem tit. & fundamentum nostrarum responsionum. Secũdò satisfaciam quæsito. Tertiò soluam difficultates in contrarium.

Animad. uersio 1. pro explicatione tituli.

41 Quoad primũ: Aduerto, quod alię sunt actiones humanæ, & aliæ hominis. Actiones humanæ sunt illæ, quæ pendent à voluntate deliberata, vt superiori lectione diximus. Actiones hominis sunt illæ, quæ pertinent ad partem vegetatiuam, nutritiuam, sensitiuam, & purè intellectiuã. Rursus actiones humanæ, aliæ sunt elicitæ, aliæ imperatæ; Actiones elicitæ sunt illæ, quæ immediatè emanant ab ipsa volũtate: actiones imperatæ sunt illæ, quæ emanant à potentia distincta à voluntate, ad imperium, tamen, ipsius voluntatis; Vt studere, scribere, sedere, &c. Præterea actiones imperatæ, siuè actus imperatus, dupliciter potest considerari: vno modo, vt est finis vltimus, vel obiectum uolitum, vt cytharizare propter ipsum cytharizare: alio modo, ut subordinatur ipsi imperio uoluntatis, uel ut loquitur Mõtesinus inf.q.6.ar.2.disp.9.q.1. a.9. quatenus ponitur in executione ex imperio uoluntatis.

Animad. uersio 2.

42 Aduerto secundò: Aliquam operationem esse propter finem, dupliciter posse intelligi. Vno modo propter finem ipsum nudè, & præcisè sumptum: alio modo, (vt ita dicam) vestitè sumptum. Finis nudè sumptus, dicitur præcisa quacumq; sui intentione, desiderio, fruitione, vel amore. Finis vestitè sumptus dicitur finis iam cognitus, amatus, volitus, vel desideratus. Alijs terminis solent ab alijs explicari hi fines. Nàm alij finem vestitè sumptum, uocant finem strictè sumptum: finem uerò nudè sumptum, vocant finem largè sumptum; Alij verò alijs nominibus. Sed vos sequimini denominationem nostram, tanquam aptiorem ad nostrum intentum. Et ad maiorem explicationem finis nudè sumpti, & vestitè sumpti, dico, quod finis nudè sumptus ille dicitur, qui adhuc non est cognitus, nec volitus, sed tamen dicit ipsam conuenientiam sui cum obiecto appetente. Finis vestitè sumptus ille dicitur, qui iã est cognitus volitus, & desideratus. Explicatur hoc exẽplo; sanitas antequam apprehendatur, & desideretur ab infirmo dicit conuenientiam cum illo, quia cum sanitate potest ludere, militare, saltare; Postquã est apprehẽsa, & desiderata, procuratur, & dicitur finis intentus desideratus, &c. Et hæc quoad primum.

1. Cõclusio. & prima Ratio.

43 Quoad secundum respondetur primò: Omnes actus humani, siue eliciti, siue imperati (attendite, quia actus imperati sumuntur hic, vt subordinantur voluntati) sunt propter finem, siue strictè sumptum, siue largè sumptum. Probatur primò ratione fundamentali Sancti Th. in hoc Art. Quia omnes actiones debent exire à potentia circa obiectum suum, nàm nulla potẽtia fertur extra suum obiectum: Sed obiectum volũtatis est finis (vt inf. latius probabo) ergo actus voluntatis, siue actus humani debent esse circa finem. Subsumo minorem; sed actus volũtatis esse circa finem, est esse propter finem: quia causantur à fine; Ergo vniuersaliter actus humani sunt propter finem.

Secunda Ratio.

44 Probatur secundò, quia actus humani sunt meritorij, vel demeritorii, digni laude, vel vituperio, Ergo sunt propter finem: Cons. est euidẽs, quia meritum, uel demeritum important rationem ad finẽ: Ant. prob. quia sunt actus liberi.

Tertia Ratio.

45 Probatur tertiò inductione, quia actiones humanę, vel sunt circa me-

Digitized by Google

media, vel circa finem. Si ſunt circa media: ergò ſunt circa finem ſtrictè, vel veſtitè ſumptum; quia electio mediorum præſupponit finem: Si ſunt circa finem: ergo ſunt propter finem, præcisè ſumptum: probatur hæc conſequētia, quia volūtas fertur in obiectum ratione bonitatis cognitæ. Vltimò probatur ſpecialiter, quoad actus imperatos ſubordinatos voluntati. Quia actus imperati, vt ſubordinati voluntati habēt rationē actus humani: (ſiue denominatione intrinſeca, ſiue extrinſeca, de quo inf. q. 19.) Sed actus humani, vt probatum eſt ſunt propter finem: Ergo, &c.

Secunda Concluſio, & eius Ratio.

46 Reſpondetur ſecundò: Actus imperati, vt dicunt rationem vltimi finis, ſiuè obiecti in eſſe rei, non ſunt propter finem. Probatur: quia vel ſunt propter finem diſtinctum à ſe, vel propter finem identificatum in ſe: Nō propter finem diſtinctum à ſe, quia non eſſent vltimi fines: Neque propter finem identificatum in ſe, quia eſsēt cauſa ſui ipſius, & nulla cauſa in nullo genere poteſt eſſe cauſa ſui ipſius, ergò, &c.

Confirm.

47 Confirmatur auth. S. Th. in hoc art. in reſp. ad 2. Vbi ait, quod quādo aliquis vult actionem imperatam: *Ad minus* (ſunt verba S. Th.) *ipſum velle eſt propter finem*, ergo in rigore loquendo actiones imperatę, quatenus finis, & obiectum in eſſe rei, nō ſunt propter finem. Confirmatur vlterius, quia actus imperatus, præciſa ſubordinatione ad voluntatem, ſolum importat entitatem phyſicam. Exemplificatur hoc exemplo canis qui aſſuetus fuit ad portandum elemoſinam pauperi pulſanti ad ianuam.

Tertia Cōcluſio, & eius ratio.

48 Reſpondetur tertiò: Actiones hominis, ſiue actiones, quæ non ſunt humanæ, vt vegetare, ſentire, &c. non ſunt propter finē. Ratio eſt, quia hæ non pendent à directione hominis. ergo non ſunt humanæ, conſ. eſt euidens. Ant. probatur, quia pendent à directione diuina, ſiue habent finem conſtitutum à Deo. Confirmatur ex S. Th. in hoc art. in reſp. ad 3. vbi dicit, fricationem barbę, motū manus, vel pedis abſq; aduertentia, habere finem præſtitutum ab imaginatione.

S. Tho.

49 Quoad tertium ſoluuntur facilè obiectiones in contrarium. Prima obiectio eſt: Intentio finis eſt actio humana: ſed iſta non eſt propter finē: quia vnumquodq; agens operatur propter finem intentū; Ergo. Reſpōdeo, nego minorem ſi intelligatur de fine latè ſumpto. Ad probationem dico, quod non ſemper vnumquodq; agens operatur propter finem intentum, ſed vel propter finem intentum, vel cognitum præcisè.

1. Obiectio, & reſponsio.

50 Vrgebis: quia finis non exercet ſuam cauſalitatem, niſi reſpectu mediorum: Ergo nullo modo intentio eſt propter finem. Reſpōdetur negando antecedēs, quia finis mouet propter ſuā bonitatē cognitā, & conuenientiam cum appetente, & conſequenter exercet ſuam cauſalitatem, etiām reſpectu intentionis. Sed de hoc inf. latiùs ſuper art. 2.

Replica, & reſponsio.

51 Confirmatur obiectio: Aſſenſus primorum principiorum non eſt propter prima principia; Ergo neque intentio finis eſt propter ipſum finē. Reſpōdetur negando ant. quia ueritas primorum principiorum eſt obiectum motiuum, & conſequenter cauſatiuum ſuo modo ſui aſſenſus. Deindè poſſet negari conſequentia, & ratio diſparitatis eſſet, quia finis mouet trahendo, & alliciendo voluntatē; uerum autem informando intellectum.

Confirm. & reſponſio.

52 Secunda obiectio: Actus imperatus poteſt habere rationem ultimi finis, cuiuſmodi eſſet cytharizare propter ipſum cytharizare, ſed in eo caſu non eſſet propter finem: quia alioqui non eſſet ultimus finis: Ergo datur aliquis actus humanus, qui nō eſt propter finem, & cōſequēter non omnis actus humanus eſt propter finem. Ad hanc obiectionem negatur conſequentia, quia actus imperatus, vt habet rationem ultimi finis, non eſt actus humanus; Dupliciter enim poteſt conſiderari actus imperatus, ut ſupra diximus: vno modo ſecundum

2. obiectio, & reſponsio.

Digitized by Google

quod est obiectum uolitum, alio modo, vt subordinatur uoluntati: Secundum quod est obiectum volitum, & vltimus finis non est actus humanus: secundum uerò, quod subordinatur voluntati, est actus humanus: At in isto casu est propter finem, vel distinctum ab ipso actu imperato, vel inclusum in ipso actu imperato. Explicatur hoc exemplo: Largitio enim eleemosynæ, ut subiacet imperio uoluntatis, uel potest esse propter honorem Dei, & tunc erit propter finem distinctum: uel propter ipsam bonitatem inclusam in se, & tunc erit propter finē inclusum in se ipsa: nàm eadem actio, ut subiacet imperio uoluntatis potest ordinari ad semetipsã, vt ad obiectum.

53 Dices nõ potest idem esse causa sui ipsius, ut supra dictum est; Ergo non potest eadem largitio eleemosynæ ordinari ad semetipsam, ut ad finem. Respondetur, quod idem non potest esse causa sui ipsius, secundum eandem formalem rationem; In casu autem nostro, largitio eleemosynæ secundum quod est obiectum, est causa sui ipsius, ut subiacet imperio uoluntatis.

Replica, & respon. sio.

54 Vrgebis, quando uolumus Deũ, tamquam finem ultimum, ipse Deus non est propter finem: Ergo nec etiam quando uolumus actum cytharizandi, uel largitionem eleemosynę, tamquam finem ultimum, ipsa cytharizatio, uel largitio eleemosynæ erit propter finem. Respondetur neg. cõs. ratio discriminis est, quia in Deo non possunt distingui illæ duæ formalitates, sicut in istis actionibus.

Tertia obiectio, & respõsio.

55 Tertia obiectio: Operationes, quas beatus liberè exercet, sunt verè humanæ: sed istæ non sunt propter finem; Ergo. Maior constat ex præcedẽti lectione: minor probatur: quia agere propter finē est operari ad consequendum finem: Sed beatus iam obtinet finem. Respondetur neg. minorem. Ad probationem nego maioré; quia agere propter finem est operari gratia finis, & propter eius bonitatem ex propria directione. Quod autẽ quis non dùm consecutus fuerit finẽ, vel assecutus fuerit, per accidens, & de materiali se habet; nàm sicut intẽtio, & desiderium finis, est propter finem non habitum, ita fruitio est propter finem possessum: Vndè operari propter finem essentialiter, & primariò importat operari gratia finis, & motus à fine.

4. Obiectio.

56 Quarta obiectio; Operatio partis uegetatiuæ, & operatio partis sẽsitiuæ, & ipsæ operationes partis intellectiuæ, quæ præsupponũtur ad usum libertatis, non sunt propriè actiones humanæ: sed istæ sunt propter finem: Ergo non solæ actiones humanæ sunt propter finem. Minor, quæ sola probanda est, probatur, quia omnes istæ actiones, suo modo adiuuant hominem ad consequendum suum finẽ; nàm per operationes partis uegetatiuę redditur corpus firmius ad tolerãda ieiunia, & exercenda alia opera meritoria; per operationes partis sensitiuæ, si pertinent ad sensum, iuuatur intellectus ad intelligendum; si pertinent ad appetitum, disponitur voluntas ad benè operandum; si pertinẽt ad partem purè intellectiuam, adiuuant uoluntatem proponendo illi obiectum, & sunt fundamentum, & radix libertatis. Ad hanc obiectionem respondetur neg. minorem, ad probationem dico, omnes illas operationes ordinari ad hunc finem ab authore naturæ. Et hæc de præsenti lectione, quę magis patebũt inf. art. 2. cum agemus; An finis exerceat suam causalitatẽ, non solum respectu electionis mediorum, uerum etiã respectu intẽtionis sui ipsius?

Respõsio.

L E-

Digitized by Google

LECTIO III.

Vtrum finis sit obiectum voluntatis?

57 MOueo hanc quęstionem propterea, quia S. Th. dicit in hoc art. finem, & bonum esse obiectum uolũtatis. Habet. n. hęc propositio nõ paucam difficultatem, quia vnius potentiæ non possunt esse duo obiecta; vndè, ut illam radicitus explicemus, primo uidebimus, quid important hæc tria. Bonum; Appetibile, & Finis, & quomodò distinguantur? Secundò aliquibus responsionibus decidemus difficultatem. Tertiò soluemus obiectiones in contrarium.

Animaduersio.

58 Quoad primũ: Bonitas importat perfectionem conuenientem ipsi naturæ, cuius est bonitas: etenim in suo conceptu formali expresso non importat solum perfectionem, sed perfectionem cùm conuenientia ad ipsam naturam, cuius est perfectio, siue perfectionem connotando capacitatem, uel inclinationem ad seme ipsam, in ipsa re, cuius est perfectio. Apparet hoc clarè in ipsa uirtute, ratione cuius homo dicitur bonus: Etenim non solùm uirtus importat perfectionem, sed & conuenientiam cum ipsa natura humana, connotando ex parte ipsius naturę capacitatẽ, vel inclinationem ad talem perfectionem, siue connotationem cum illa: In alijs verò rebus, in quibus non est distincta perfectio ab ipsa re, cuius est perfectio, non sic facilè apparet hæc doctrina, sed re uera consideranda est vt distincta, & eadem res, ut dicit perfectionem sibi conuenientem, dicitur

Suarez.

perfecta. Ita Suarez primo tom. huius Metaph. disp. 10. sect. 2. n. 17. Ex hac ergo doctrina clarè sequitur modo, quod bonũ illud dicitur, quod habet perfectionem sibi conuenientem, ratione cuius est appetibile: Vndè simpliciter loquendo bonum illud dicitur, quod perfectum est secũdum modum sibi conueniẽtem. Hæc de bono. De appetibili inquit Caiet. 1. par. q. 5. ar. 1. quod dupliciter potest considerari: uno modo fundamentaliter, alio modo formaliter. Si sumatur fundamentaliter, importat ipsam rationem boni: Si uerò sumatur formaliter, importat conuenientiam cum appetitu, & denominationem extrinsecam ab illo.

Caiet.

59 Ratio autem cur possunt distingui ista duo in appetibili est, quia prius est, quod res sit bona, quã quod sit appetibilis: sicut prius est, quod res sit lucida, uel colorata, quam, quod sit visibilis. Deniq; finis importat in suo conceptu formali habitudinem causę ad ea, quæ fiunt ratione ipsius; nàm finis definitur, quod sit id, cuius gratia aliquid fit. Comparando ergo hæc tria ad inuicem dico, quod bonum, & appetibile fundamẽtaliter sumptum, sunt idem; ratio patet ex dictis, quia appetibile fundamentaliter sumptum inuoluit ipsum bonum, quod est appetibile; Si uerò appetibile sumatur formaliter, distinguitur tantũ ratione, & denominatione extrinseca ab ipso; Ratio est, quia ut sic importat habitudinẽ ad appetitũ, à quo sumit denominationem extrinsecam. Ita Caiet. loco cit. & ante ipsum Capr. in 2. dist. 2. q. 3. & Ferrar. 1. contra Gent. cap. 3. si autem comparatur bonum ad finem, dico adhuc, quod distinguũtur formaliter. Ratio est, quia bonum secundum se dicit perfectionem rei sibi conuenientem; finis uerò importat habitudinem causæ ad ea, quæ fiunt ratione ipsius, quæ formalitates sunt satis distinctæ inter se, ut apparet. Ita Curiel. in hoc art. dub. 2. §. 4. Et ex his facilè deducitur resolutio præsentis difficultatis.

Ratio animaduersionis.

Caietan. Capreol. Ferrar.

59 Quoad secundũ ergo dico primo: quod bonum est obiectum volũtatis. De hac re nulla est difficultas, nihilominùs probatur, quia ex Arist. 1. Eth. cap. 1. bonum est, quod omnia appetunt; vnde bonum naturale est

Cõclusio & eius 1. Ratio. Arist.

Digitized by Google

obiectum appetitus naturalis, bonum sensibile est obiectum appetitus sensitiui, bonum honestum est obiectum appetitus rationalis.

60 Dico secundò; Finis est etiam obiectum voluntatis, res hæc est certa, sed difficilis probatu. Probatur tamen primo auth. S. Tho. in hoc art. vbi apertis verbis dicit, quod finis, & bonum sunt obiectum voluntatis. Idem docet p. p. q. 5. a. 2. ad 1. vbi ait: *Bonum cum habeat rationem appetibilis, importat habitudinem causæ finalis.* & 2. 4. eiusdem quęstionis in principio corporis, habet hæc verba: *Dicendum, quod cum bonum sit, quod omnia appetunt: hoc autem habet rationem finis.* Intellige tu Diuum Th. iuxta expositionem Caiet. in hoc loco, loquentem de bono fundamẽtaliter sumpto. Ex quibus locis hæc conficitur ratio: Bonum, vt est appetibile ex S. Th. dicit habitudinẽ causæ finalis: sed bonum vt appetibile est obiectum volũtatis: ergo etiam vt dicit habitudinẽ causæ finalis: ergo finis est obiectum voluntatis. Omnia sunt clara.

2. Cõcl. & 1. Ratio. S. Tho.

61 Probatur secundò ratione, & hæc ratio est maior explicatio præcedentis rationis deductæ ex S. Tho. Bonum vt apprehensum est obiectum voluntatis: sed bonum vt apprehensũ dicit rationem causę finalis: ergo finis est obiectum voluntatis. Probatur maior, quia in hoc differt appetitus rationalis ab appetitu sensitiuo, & naturali, quod isti ferantur in bonum absolutum, & appetitus rationalis feratur in bonum cognitum, & apprehensum. Probatur etiam minor, quia bonum vt apprehensum mouet volũtatem ad agendum, ergo dicit rationem causæ finalis, quia gratia ipsius voluntas operatur.

2. Ratio.

62 Denique probatur conclusio hac alia ratione. Finis est, gratia cuius aliquid fit: sed voluntas est, quæ gratia alterius facit: ergo finis est obiectum voluntatis: Maior est definitio finis: Minor probatur, quia voluntas est principium nostrarum operationum: Consequentia est legitima, quia principium actiuum, & passiuũ, seruata proportione, debent se mutuo respicere. Neque valet responsio ad istam consequentiam, quia sufficit vt volũtas respiciat operationes, *vt quo*, & effectus quos producit, *vt quod*, quia cum moueatur à fine, se habet, vt principium passiuũ respectu illius, & cum ipsa operetur propter finem, se habet quodammodo vt principiũ actiuum respectu eiusdem finis, & sic suo modo debet respicere illum.

3. Ratio.

63 Quo ad tertium; est prima obiectio principalis. Finis, & bonum important duas formalitates distinctas, vt supra diximus, sed vnius potentiæ non possunt esse duæ rationes formales obiectiuæ: ergo finis non est obiectum voluntatis. Ad hanc obiectionẽ respondeo distinguendo maiorem; finis, & bonum important duas formalitates distinctas in esse rei, concedo maiorem; *Finis*, & bonum important duas formalitates distinctas in esse obiecti, nego maiorem. Sed vnius potentiæ non possunt esse duæ formalitates obiectiuæ, eodem modo distinguo minorem, in esse obiecti, concedo minorem, in esse rei, nego minorem: & sic negatur consequentia. Explicatur hæc solutio. Duobus modis possunt considerari finis, & bonum: vno modo in esse rei, absque ordine ad voluntatem: alio modo in esse obiecti, & vt obijciuntur voluntati. Primo modo distinguuntur inter se, quia habent duas formalitates distinctas, vt diximus. Secundo modo non distinguuntur, quia bonũ, vt proponitur, seu vt obijcitur volũtati, determinatur per finem in exercitio, & dicit actualem habitudinem causæ finalis. Vnde sic intelligendus est S. Th. secundum subtiliores Thomistas in hoc loco, & alibi, quando dicit finem esse obiectum voluntatis, nimirum finem in exercitio sumptũ, qui vt sic non distinguitur à bono. Et potest exemplificari in obiecto, *quod*, visus. Etenim color niger, & albus habent distinctas formalitates in esse rei, & nihilominus in esse obiecti

1. Obiectio, & responsio.

con-

Digitized by Google

conueniunt in vna ratione coloris; vt autem dicta ſolutio clarior appareat.

64 Notãdũ eſt ex Caiet. hic quod, finis dupliciter ſumi poteſt, in actu ſignato, & in actu exercito. Finis in actu ſignato dicitur ille, qui in ſe habet bonitatem per quam conſtituitur in eſſe finalizatiuo. Finis verò in actu exercito dicitur ille, qui actu finalizat, hoc eſt actu mouet voluntatem, & terminat ea, quæ fiunt gratia ipſius. Finis in actu exercito eſt idem cum bono, quod dicitur obiectum voluntatis.

2. Obiectio, & reſponſio.

65 Secunda obiectio, obiectum debet eſſe adæquatum potentiæ, ita, vt potentia non feratur in aliquod, quod ſit extra latitudinem ipſius, ſed voluntas non ſolum appetit finem, ſed etiam media, ergo. Hæc obiectio tangit non leuem difficultatem quam infra quæſt. 8. art. 2. diſputabimus: an media habeant diſtinctam bonitatem à fine. Pro nunc reſpondeo dupliciter ſecundum duplicem ſententiam probabilem. Prima ſententia dicit, quod media habent bonitatem propriam, ratione cuius ſunt appetibilia; & ſecundum iſtam ſententiam, dico ad argumentum, quod quando dicitur, quod finis ſit obiectum voluntatis, intelligendum eſt de fine vltimo, & de fine intermedio. Secunda ſententia dicit, quod media ſunt appetibilia ſolùm propter finem, & ſecundum hanc ſententiam, dico, quod media nõ sũt obiectũ formale volũtatis, ſed tantum materiale. Vnde ſimpliciter finis dicitur obiectum voluntatis.

3. Obiectio, & reſponſio.

66 Tertia obiectio; malũ eſt obiectum voluntatis, nam per nolitionem uoluntas auerſatur à malo, ergo non ſolum bonum eſt obiectum uoluntatis. Reſpondeo primò, quod hic loquimur de obiecto uolitionis ipſius uoluntatis. Secundò reſpondeo ſimpliciter, quod malum ſit obiectũ voluntatis ex conſequenti; nam ex eo nolumus malum, quia uolumus bonum, & omnis noſtra nolitio fundatur in aliqua uolitione, ut aduertit D. Anſel. Anſ. Etenim nolumus mortem, quia uolumus uitam, & nolumus infirmitatem, quia uolumus ſanitatem.

4. Obiectio, & reſpõſio.

67 Quarta obiectio: Bonum eſt obiectum aliorum appetituum, nempè naturalis, & ſenſitiui, ergo non ſolum uoluntatis. Reſpondeo, quod nõ eſt bonum, ut exercet rationem cauſæ finalis, ſed materialiter ſumptum. De quo in ſeq. in art.

LECTIO IV.

An actus imperatus, vel elicitus poſsit habere rationem vltimi finis?

68 DVO quærimus in hac difficultate: Primũ: An actus elicitus voluntatis poſſit eſſe vltimus finis? Secundum: An actus imperatus? Ad quorum explicationem duo faciam. Primò notabo aliqua ad ſolutionem difficultatis. Deinde reſpõdebo quæſitis, & ſimul ſoluam difficultates incontrarium.

Animad. uerſio.

69 Quo ad primum: Noto, quod finis vltimus dupliciter ſumitur; Vno modo formaliter, & in communi: Alio modo materialiter, & in particulari. Finis formaliter, & in communi ſumptus, eſt ipſa ratio ſummi boni. Finis materialiter, & in particulari ſumptus, eſt ipſe Deus: in ipſo enim inuenitur ratio ſummi boni. Præterea finis vltimus poteſt ſumi pro ipſa re, quæ eſt finis, & pro adeptione ipſius rei; quod idem eſt dicere, vt alij loquuntur, pro fine obiectiuo, & pro fineformali. Finis, pro ipſa re ſumptus ſiue obiectiuus, eſt eſſentia Diuina reſpectu beati, & pecunia reſpectu auari. Finis pro adeptione rei ſumptus, vel finis formalis, eſt viſio diuinæ eſſentiæ in Beato, & poſſeſſio pecuniæ in ipſo auaro.

70 Rurſus finis vltimus, vel poteſt intelligi de fine vltimo ſimpliciter dicto, vel tantum de vltimo fine in aliquo

Digitized by Google

quo determinato genere; vt in genere psallendi, cytharizandi, saltandi, &c. Tandem aduertendum est, quod non in omnibus finibus inuenitur duplex illa ratio finis rei adeptæ, & adeptionis rei; siue obiectiuæ, & formalis distincta: Nam speculatio veritatum naturalium potest intendi, vt finis, & tamen ibi non distinguitur adeptio, & res adepta.

1. Concl. & eius Ratio.

71 Quoad secundum, respondeo primo primæ difficultati: Actus elicitus non potest esse vltimus finis, neq; in communi, vel formaliter sumptus, neque in particulari, & materialiter sumptus. Probatur, quia non est summum bonum, neque Deus.

2. Cõcl. & eius Ratio.

72 Respondeo secundò: Actus elicitus nõ potest esse vltimus finis obiectiuus in aliquo determinato genere. Ratio est clara ex S. Tho. in hoc art. quia primum obiectum visus non potest esse ipsa visio, ergo neq; obiectum voluntatis est ipsa volitio.

Confir.

73 Confirmatur & explicatur magis hæc ratio, quia debet esse distinctio realis inter ipsum obiectum volitum, & ipsam volitionẽ, vt patet inductione in omnibus potentijs: Etenim inter obiectum visibile, & visionem datur distinctio realis: inter obiectum audibile, & auditum datur distinctio realis: inter obiectum intelligibile, & intellectionem datur distinctio realis, & sic videre est in alijs potentis; Ad minus semper datur inter ipsa distinctio formalis: & actus formaliter sumptus non potest habere rationem obiecti.

3. Cõcl. & eius Ratio.

74 Respondeo tertiò: Actus elicitus voluntatis non potest esse obiectum formale ipsius. Hæc conclusio habet singularem difficultatem; nihilominùs probatur eadem ratione S. Th. Quia finis formalis debet esse assecutio vltimi finis in esse rei: sed actus voluntatis non est assecutio finis in esse rei: ergo non potest esse finis formalis. Consequentia est legitima, & maior patet ex his, quæ præmisimus, & magis patebit infra q.3. a.4. Minor ergo probatur, quia voluntas

S.Th.

sequitur finem apprehensum, ergo ipsa non est assecutio ipsius.

Obiectio

75 Contra istas conclusiones est obiectio: Delectatio siue fruitio est actus elicitus voluntatis, sed delectatio potest habere rationem vltimi finis, ergo, &c. Minor probatur tripliciter: Primò, quando quis vult exercere aliquam actionem propter delectationem, quam ex ipsa percipit, tũc ipsa delectatio habet rationem vltimi finis: Secundò, quia bonitas ipsius est tota ratio appetendi exercitium actus, ita vt ea ablata non esset volitũ exercitium ipsius actus: Tertiò, quia est vltima in executione, & id, quod est vltimum in executione, est primum in intentione.

Enodatio quoad 1. probat.

76 Ad hanc obiectionem respondeo negando minorem; & ad primã probationem dico, quod non potest vllo modo esse intenta principaliter, & tanquam vltimus finis, quia sequitur ad actum, tanquam passio; Vnde principaliter est intenta operatio, ad quam ipsa sequitur: sicut in generatione hominis principaliter intenditur homo, & ex consequenti risibilitas, quæ ad ipsum sequitur tanquam passio.

Respons. ad 2. probat.

77 Ad secũdam probationem dico, quod nõ propterea sequitur, quod ipsa delectatio sit vltimus finis, sed tantũ, quod ipsa operatio sit vltimus finis, quæ naturaliter habet sibi coniunctam talem delectationem; vnde sequitur, quod ipsa sit semper intenta, tanquam effectus, quemadmodum patet in exemplo allato hominis: Etenim, si quis nollet generare hominem, nisi esset risibilis, non sequeretur quod risibilitas esset finis intentus principaliter, sed ex consequenti tanquam effectus, & proprietas habens necessariam connexionem cum ipso.

Enodatio 3. probat.

78 Ad tertiam probationem dico, quod ipsa est vltima, causalitate efficientiæ, siue resultantiæ, non verò (vt ita dicam) finalizationis, quia est passio operationis. Quæ autem hoc modo sunt vltima in executione, non sũt repe-

prima in intẽtione, vt patet in exẽplo allato hominis, quod non est vlterius repetendum: Et sic intelligitur illud axioma: Quod est vltimum in executione est primum in intentione, nimirum, quod est vltimum, tãquam principaliter intentum, nõ uerò tanquam passio, & ex consequenti.

4. Cõclusio, & eius Ratio.

79 Respondetur quartò secundæ parti difficultatis. Actus imperatus potest esse vltimus finis, in esse rei, siue obiectiuus in aliquo determinato genere ex ipsa directione operantis. Probatur, quia potest quis sibi constituere talem finem in aliqua operatione imperata. vt in contemplatione, cãtu, &c. Quamuis enim nullus actus imperatus possit habere rationẽ summi boni, nihilominus potest uoluntas ex sua libertate, & peruerfitate illum, tanquam ultimum finem, sibi cõstituere.

Confir. Arist.

80 Confirmatur, quia Arist. loquendo de finibus artium 1. Eth. ut exponit illum S. Th. p. 1. q. 103. a. 2. ad 1. dicit, quod quædam artes habent pro fine operationes ipsas, ut Cytharistæ finis est cytharizare; quædam verò habent pro fine effectus operationum, ut ædificatoris finis est domus, non ipsa ædificatio domus: At potest quis constituere sibi pro fine, aliquam operationem, ex his, quæ nõ habent finẽ distinctum à se; Ergo, &c.

Obiectio, ex D. Th. & enodatio.

81 Cõtra hanc conclusionẽ videtur esse S. Th. in hoc art. in solutione secundi argumenti, vbi ex suppositione videtur admittere actũ imperatũ, habere rationem ultimi finis, & non absolutè; Sed dicendum, quod quamuis ex suppositione, & non absolutè in tali solutione, videtur admittere actum imperatum habere rationem vltimi finis, non propterea negat nostram conclusionem, quę patet ad sensum.

82 Ex dictis iam infertur, quomodo intelligendus sit S. Th. quando dicit, uelle, sine actum elicitum uoluntatis non posse esse ultimum finem: Etenim eo ipso, quòd actus est elicitus non potest esse ultimus finis.

LECTIO V.

Quid sit finis, & quotuplex sit?

1. Concl. Arist.

83 REspondetur ad primam, quæsiti partem; Finem esse: *Cuius gratia aliquid fit.* Ita Arist. 2. Phys. cap. 3. sen. 31. Sed obijcies, finis *cui*, est ille, cui finis *cuius gratia* desideratur; ergo illi hęc definitio non competit. Respondetur, quod finis *cuius*, & finis *cui*, sunt duæ rationes vnum finẽ tótalem componentes: quemadmodũ ratio, *quæ*, & ratio, *sub qua*, unum obiectum formale totale complent.

Obiectio, & enodatio.

84 Vrgebis, quia plures fines, *cuius gratia* habent maximam bonitatẽ: Ergo propter se, & non propter finẽ *cui* erunt uoliti; siue se ipsis rationem finis habebunt. Respondetur, quod dupliciter potest aliquid amari: uno modo amore simplici, & inefficaci; alio modo amore efficaci, qui influat ad electionẽ mediorum. Primo modo potest amari ex se finis *cuius gratia*: Secundo modo semper amatur, ut est alteri conueniens.

2. Concl. 1. Diuisio finis.

85 Respõdetur secundę parti quęsiti: Finis diuisionem multiplicẽ esse. Prima diuisio est finis, iam in præcedenti definitione tacta, in finem *cuius gratia*, & finem *cui*; Finis *cuius gratia*, est sanitas respectu infirmi: finis uerò *cui*, est ipse infirmus: Sed hæc diuisio, vt diximus est potiùs duarum rationum formalium unius finis adæquati, quam duorum finium adæquatorum.

2. diuisio.

86 Secunda diuisio est finis in *obiectiuum*, & *formalem*: siue in finem, *qui*, & finem, *quo*: siue in finem, qui est ipsa res, & finem, qui est ipsa adeptio rei. Finis obiectiuus, &c. est ipsa diuina essentia respectu uisionis beatę, vel pecunia respectu auari. Finis uerò formalis, &c. est ipsa uisio, qua beatus assequitur diuinam essentiam, & ipsa possessio, qua auarus tenet pecuniam.

3. Diuisio.

87 Tertia diuisio est finis in vltimũ, & non

nō ultimum,siue proximum. Finis ultimus est,qui in alium non ordinatur: finis proximus, qui in alium ordinatur.

88 Dices de ratione finis est, vt propter se sit expetibilis : ergo finis proximus, qui in alium ordinatur nō habent rationem finis. Respondetur, quod sicut de ratione causæ efficientis est, vt habeat virtutem causandi, non excludendo subordinationem ad aliam causam efficiētem, sic de ratione finis est, quod habeat bonitatem, ratione cuius finalizet, non excludēdo subordinationem ad alium finem, vel bonitatem.

1. Obiectio, et enodatio.

89 Dices ulteriùs:Bonitas relatiua dicitur esse distincta à bonitate absoluta; sed media habent bonitatem relatiuam : quia in tantū sunt bona, in quantum conducunt ad finem; Finis autem habet bonitatem absolutam: ergo non datur finis proximus, qui habeat bonitatem relatiuam. Respōdetur , quod finis ultimus habet bonitatem absolutè, medium bonitatem relatiuam; finis uerò proximus,bonitatem absolutam,sed partim relatiuā.

2. Obiectio , & enodatio.

90 Tādem obijcies, quia finis habet rationem termini; sed terminus non ordinatur ad alium; ergo. Respondetur, quod de ratione finis non est,ut sit terminus ultimus:sicut de ratione causæ efficientis secundæ est, quod independeat à suo effectu, & dependeat à prima causa.

3. Obiectio, et enodatio.

91 Quarta diuisio est Finis in operationem ipsam, & in terminū ipsius operationis.Finis,qui est ipsa operatio, in artibus est ipsa cytharizatio, quæ non ordinatur ad alium finem, vel terminum distinctum. Finis, qui est ipse terminus operationis, est ipsa domus respectu ædificationis. In naturalibus finis, qui est terminus, est ipsa sanitas in infirmo, quæ est terminus curationis:finis verò, qui est operatio ipsa,est contemplatio ueritatum naturalium.Desumitur hæc diuisio finis ex Arist.1.Eth.cap.1.ex lib.1.Mag. Mor.cap.3.

4. Diuisio finis.

92 Quinta diuisio: Alter est finis operationis,& alter finis formæ genitæ. Finis operationis dicitur forma genita respectu generationis. Finis formæ genitæ, est ipsa operatio.Sexta diuisio:Alter est finis,qui fit: Alter finis obtentus. Finis, qui fit, est ipsa sanitas.Finis,qui obtinetur est ipsa merces, quæ proponitur obtinenda, vt Deus. Verùm hæ vltimæ tres diuisiones non sunt adeò necessariæ, & vtiles, sed ad complementum doctrinæ positæ sunt.

5. Diuisio.

LECTIO VI.

Quis nàm finis habeat rationem causæ finalis? & quomodò comparentur inter se?

93 HÆc difficultas solum procedit de fine *cuius*, & fine *cui*:& ideò,quo ad vtramq;partem illam dissoluemus.

94 Respondeo ergo primo: Finis obiectiuus, & finis formalis componunt unam integram rationem causæ finalis : & sic uterq; habet rationem totius causę finalis integræ. Hæc conclusio , quoad primam partem est S. Th. infra art. 8. & communis inter Theologos,& philosophos.

1. Concl. Prob. ex S.Th.

95 Quoad secundam partem,probatur:quia uterque finis coniunctim sumptus,est, cuius gratia aliquid fit. Confirmatur, quia beatus non intendit solam diuinam essentiam, neque solam uisionem, sed utramque simul sumptam;nempè uisionem diuinæ essentiæ. Similiter auarus non intendit pecuniam solum, neque possessionem pecuniæ,præcisè sumptam, sed utrāq; simul,nempè possessionem pecuniæ.

Prob. ratione.

96 Respondetur secundò: Si comparentur ad inuicem,Finis obiectiuus se habet,vt finis respectu finis formalis.Probatur:quia finis formalis ordinatur ad finem obiectiuum. Hæc sunt clara. Difficultas principalis est de fine,

2. Concl. et eius ratio.

Digitized by Google

fine *cui*, & fine *cuius*. Quare.

3. Concl. et eius ratio.

97 Respondetur tertiò: Quilibet finis istorum, nimirum, *Cuius*, & *Cui* est vera causa finalis: Siuè quolibet istorum finium secundum se considerato, saluari potest uera ratio causę finalis. Probatur, quia quilibet istorum finium, secundum se consideratus excitat, & mouet voluntatem agẽtis ad agendum, & uolendum: At in hoc consistit vera ratio causæ finalis: ergo, &c. Minor, & consequentia sunt notæ; Maior probatur: quia Medicus intendens sanare hominem, non solũ mouetur ex sanitate, sed etiam ex ipso homine sanãdo; Vndè, quãuis sanitas, respectu hominis sanandi sit finis *Cuius*, & ipse homo sanandus, per comparationem ad finem *Cuius*, sit finis *Cui*: nihilominus per comparationem ad Medicum ipse homo potest etiam dici finis *Cuius gratia*. Probatur ista maior, comparando sanitatem, & ipsũ infirmum desiderantẽ sanitatem ad semetipsum. Etenim, quando infitmus vult sanitatem, vult ipsam sanitatem propter perfectionem ipsius sanitatis & quando vult sibi sanitatem, vult illam sibi propter suum commodum, & perfectionem, quam per se appetit propter summam coniunctionem, siue potiùs identitatem, quam secum habet. Ita Montesinus, hic quæst. 1. dub. 1. Suarez tom. 1. Met. disput. 23. sect. 2. n. 5.

Montes. Suarez.

98 Respondetur quartò: Ex vtroq; istorum finium completur vnus integer, & totalis finis: Ratio est, quia finis *Cui* mouet agentem, vt perficiẽdum per finem *Cuius gratia*. Rursus finis *Cuius gratia* mouet, vt perfectiuus finis *Cui*. Sic enim potentia dicitur propter operationem, & operatio propter potentiam, vt ipsam perficiat; intellectum esse propter visionẽ Dei, & visio Dei propter intellectum ad ipsum perficiendum. Quemadmodum etiam dici potest, materiam esse propter formam, ut perficiendam, & formam propter materiam, vt sustentandam. Nàm sicut fit vnum compositum totale ex materia, & forma, primo, & principaliter intentum à generante: ita ex fine *Cui*, & fine *Cuius*, fit vna causa finalis totalis principaliter intenta ab agente. Ita Montesinus, & Suarez loc. cit.

4. Concl. et eius ratio.

Montes. Suarez.

99 Respondetur quinto: Si finis *Cuius*, & finis *Cui*, comparantur ad inuicem, sunt sibi inuicem causæ finales partiales. Non loquor in hac conclusione de ultimo fine, *Cuius gratia*, qui est Deus. Nàm homo, vel creatura purè intellectualis, respectu ipsius, non est finis *Cui*, sed potiùs subiectum (vt loquitur Suarez,) vel persona ordinata ad ipsum, tanquam ad vltimum, & summum finem: Vndè absolutè creatura intellectualis nõ est finis *Cui* respectu Dei, quia ipse est vltimus, & completus finis omniũ creaturarum.

5. Concl.

100 Probatur ergo conclusio modo explicato intellecta; Quia finis *Cuius* est perfectiuus finis *Cui*, & finis *Cuius* est perfectibilis à fine *Cui*. Vel formemus hoc ant. magis generaliter hoc modo: Finis *Cuius*, & finis *Cui* mutuò se respiciunt: Ergo sunt sibi inuicem causæ: Probatur consequentia, quia ideò materia, & forma sunt sibi inuicem causæ: Est conclusio Montes. loc. cit. n. 6.

Ratio Cõclusion.

101 Respondetur sexto; Si quilibet horum finium, seorsum sumptus, comparetur ad Agentem, semper principalior est, & magis amatur finis *Cui*, quàm finis *Cuius*. In hac conclusione, sicut in præcedenti, non includo summum bonum, qui est Deus; quia cum ipse sit summum bonum, & vltimus finis simpliciter super omnia diligẽdus est, & si homo appetit ipsũ sibi, non propterea magis amat se: quia nihil boni habet comparatus ad illum. Probatur conclusio sic explicata; Quia motus voluntatis semper sistit in fine *Cui*.

Sexta Cõclusio, et eius Ratio.

102 Contra hanc nostram doctrinam est sententia Gabrielis, & Ochami, quos referunt Suarez, & Montes. locis citatis, qui dicũt, Finem *Cui* habere solùm rationem finis: quia in fine *Cui* sistit motus voluntatis, & finis

Obiectio, et respõsio.

Gabriel. Ochamus

Digitized by Google

Cuius ordinatur ad ipsum. Sed dicendum ad hanc rationem, quod probat solum hanc vltimam nostram conclusionem. Addo etiam, quia etsi finis *Cuius* ordinetur ad finem *Cui*, etiam finis *Cui* ordinatur ad finem, *Cuius*, modo explicato, quia sunt sibi inuicem causæ.

103 Confirmatur hæc ratio, quia S.Th.infra q.26.a.4.ait, quod bonum, quod amatur alteri, est bonum secundum quid; bonum verò cui amatur aliud est bonum simpliciter, ergo finis *Cui* est finis simpliciter. Respondetur quod finis *Cui* est finis simpliciter, modo explicato in vltima conclusione nostra, neq; probat aliud testimonium S.Th. quia ibi loquitur de amicitia beneuolentiæ,& concupiscentię, & si comparentur ad inuicem hæ amicitiæ, maior est amicitia beneuolentiæ, quam amicitia concupiscentiæ; sicut maius est bonum, quod est sua persona, vel alterius amici, qui est alter ipse, quam bonum quod est sibi volitum, vel alteri amico.

Confirm. et resp.

LECTIO VII.

Per quid constituatur in actu primo ad causandum causa finalis?

104 IN hac lectione tria faciam: Primò præmittam vnũ pro fundamento nostræ sententiæ: Secũdò satisfaciã quęsito duabus respõsionibus: Tertiò referã sententiam cõtrariã cum suis rationibus, & soluam illas.

105 Quoad primum: Præmitto, quod dupliciter potest sumi bonitas: vno modo absolutè: altero modo relatè. Bonum absolutè sumptum, est bonum trascendentale, prout dicit id, quod in se perfectum, & integrum est, absque vllo ordine ad appetitum. Bonum relatè sumptum, est bonum quatenus dicit ordinem ad appetitum; ordinem, inquam conuenientiæ.

Animaduersio.

106 Quoad secundum respondeo primò. Id, per quod constituitur causa finalis in actu primo, est bonitas; siue ratio proxima, qua finis in actu primo mouet, est bonitas. Probatur, quia finis mouet voluntatem alliciẽdo, ergo ratione suæ bonitatis. Consequentia patet, quia bonitas allicit uoluntatem. Antecedens probatur ex ipsa sua definitione, quia finis est gratia cuius cætera fiunt. Ita communiter Philosophi, & Theologi. Arist. 2. Phys.cap.3. & singulariter 1. Eth.c.3. ubi ait. Idem esse unicuique bonum, cuius gratia operatur cætera. Diuus Th.hic,& 1.p.q.5.per totam,& 3.contra Gent.cap.2.& 3.& alij.

1.Cõcl. et eius Ratio.

Arist.

S.Tho.

107 Respondeo secundò. Bonitas, qua constituitur in actu primo finis ad finalizandum debet esse bonitas relatiuè sumpta. Ratio est, quia id, quod est uni bonum, est alteri malum, ergo debet dicere habitudinem conuenientiæ.

2. Cõcl.& eius Ratio.

108 Quo ad tertium. Est sententia nobis contraria asserens malum sub ratione mali posse habere rationem causæ finalis. Hanc sententiã docuerunt Nominales, & præcipuè Ochã in 3.q.13. dub.3.& in eã uidetur inclinare Scotus in 1.dist.1. q.4.circa finẽ, & in 2.dist.43. q. 2. Sed est iam penitùs antiquata, & reiecta à scholis, ut testatur Suarez 1.tom.suæ metaph.disp. 23.sect.5.n.4.

Sentent. opposita.

Ocham.

Scotus.

Suarez.

109 Est autem prima ratio pro ea; Damnati, & qui se occidunt appetunt non esse: sed non esse habet rationem mali, ergo. Respondeo, quod damnati, & homicidæ sui ipsius appetunt nõ esse sub ratione boni, quia appetunt illud, ut careant maiori malo; unde aduertendum est, quod bonum duplex est, positiuum, & priuatiuum. Positiuum dicit rationem positiuam bonitatis conuenientis. Priuatiuum dicit carentiam mali maioris, quæ carentia aliquod bonum est; Damnati, & homicidæ sui ipsius appetunt non esse, quatenus aliquod bonum priuatiuum est.

1. fũdam. sent. oppositæ, & respõsio.

110 Vrgebis: Non esse dicit carentiam beatitudinis, quia beatitudo fundatur

Replica, & Enodatio.

Digitized by Google

datur in esse, ergo maius est bonum, quod tollit, quã illud quod affert, ergo, &c. Dico quod appetunt non esse, non ut habet sibi coniunctam carentiam beatitudinis, sed vt habet sibi cõiunctam carentiam miseriæ.

2. Fũdam. & respõsio.

111 Secunda ratio: actus odij, & fugæ versantur circa malum: sed isti sunt actus voluntatis, ergo. Respondeo, quod actus odij, & fugæ versantur circa malum indirectè, quatenus voluntas propter bonum amatum, odio habet, & fugit malum oppositum.

3 Fũdam. & respõsio.

112 Tertia ratio: ita se habet voluntas circa suum obiectum, sicut intellectus circa suum: sed intellectus versatur circa verum, & falsum: ergo voluntas circa bonum, & malum. Respondeo, quod intellectus primariò, & directè versatur circa verum, indirectè, & secundariò circa falsum, tanquam vero oppositum: ita pariter voluntas primariò, & directè versatur circa bonum, indirectè, & secundariò circa malum.

LECTIO VIII.

An quælibet bonitas habeat rationem causæ finalis.

113 IN hac lectione prius explicabo titulum difficultatis: deinde soluam illam. Postremò soluam aliquas obiectiones in contrarium.

Animaduersio pro explicat. tit.

114 Quoad primum, & tituli explicationem aduertendum est, quod aliud est bonum verum, aliud bonum apparens: Bonum verum illud dicitur, quod in re bonum est: Bonum vero apparens, quod in re bonum non est, sed tantũ existimatur bonum. Rursus bonum aliud dicitur honestum, aliud delectabile, aliud vtile. Bonum honestum illud dicitur, quod est conueniens rationi. Bonum delectabile dicitur, quod est conueniens appetitui sensitiuo: Bonum vtile dicitur, quod habet tantũ bonitatem per ordinem ad aliud. Hæc diuisio sumitur ex Diuo Thoma 1.p. q.5. a.6. & 2.2.q.145. a.3. Eam tradidit etiam Arist. 2. Eth. cap.3. & lib.8. cap.2. Scio etiam benè, quod bonum delectabile dicatur de bono conuenienti, appetitui rationali, & purè spirituali; nihilominus ego attribui illud bono conuenienti appetitui sensitiuo, quia de illo potest procedere specialis difficultas. D.Th. Arist.

115 Et sic etiam specialiter illud vocauit S.Th. 2.2.q.141. cit. a.3. ad 1. vbi ait. Delectabile dicitur, quod appetitur appetitu sensitiuo. Ad rem nostram ergo: Difficultas procedit de isto triplici bono, scilicet; An bonum honestum, delectabile, & vtile, siue verum, siue apparens, habeat rationem finis? S.Tho.

1. Cõcl. & eius Ratio.

116 Quoad secundum respondeo primo: Bonum honestum habet rationem finis. Probatur, quia illud bonum potest habere rationẽ finis, quod est appetibile ratione sui, sed bonum honestum est appetibile ratione sui, ergo, &c. Maior probatur, quia per hoc distinguitur finis à medio, quod finis mouet ex se, medium verò per ordinẽ ad aliud; Minor etiam probatur, quia illud dicitur honestum, quod ex se decet personam ratione vtentem. Probatur etiam hæc minor ex S. Th. 1.p. q.5. a.6. ad 2. vbi habet hęc verba: Honesta dicuntur, quæ in se ipsis habent vnde desiderẽtur. Item, quia secundũ Diuum Thomam 2.2.q.145. cit. art.1. honestum dicitur, quod est honore dignum; vlterius, quod est idem virtuti. Constat autem, quod virtus ex se sit bona. Præterea, quia secundum Diuũ Isid. relatum à S.Th. loc. cit. honestus dicitur quasi honoris status; hoc est terminus honoris: Consequentia est iam legitima. Hæc conclusio colligitur clarè ex S. Th. 1.p. q.5. a.6. & 2.2. quæst.145. sæpiùs citato a.3. ad 2. vbi habet, quod honestum est per se appetibile ab appetitu rationali. Est etiam Montes. hic q.1. n.5. S.Tho. Montes.

117 Respondeo secundò: Bonum de-

delectabile etiam potest habere rationem finis. Probatur, quia absq; vllo ordine ad aliud, habet suam bonitatem, ergo potest habere rationem finis. Consequentia est clara ex præcedenti ratione. Antecedens probatur ex ipsa definitione boni delectabilis, sumpto bono delectabili, vt abstrahit à spirituali, & sensitiuo; Nam bonum delectabile dicitur bonum possessum causans delectationem, seu terminans delectationem quæcumq; illa sit, siue spiritualis, siue sensualis. Vnde delectatio secundum S.Th.1. p. cit. est quies appetitus in bono possesso, ergo absq; vllo ordine ad aliud, habet suam bonitatem, siue quod idē est: Ratione sui est appetibile.

2.Cócl.& eius Ratio.

S.Tho.

118 Confirmatur auth. Arist. 10. Eth. cap.2. vbi ait. Ridiculum enim videtur quærere propter quid aliquis velit delectari. Confirmatur etiam auth.D.Th.2.2.q.145. sæpius repetita a.3.ad 1.& est confirmatio etiam precedentis conclusionis vbi ait. *Dicendum, quod honestum dicitur, quod propter se appetitur appetitu rationali, qui tendit in id,quod est conueniens rationi. Delectabile autem propter se appetitu sensitiuo.*

Confir. Arist.

S.Th.

119 Respondeo tertiò.Bonum vtile non potest habere rationem finis. Probatur, quia bonum vtile non est appetibile ratione sui, sed ratione alterius. Ita Arist.lib.1.Magnorum Moralium cap.3. vbi ait. Bonorum, alia sunt fines, alia non; quemadmodum sanitas quidem finis, atque sanitatis causa, ne vtiquam finis est. Ita etiam D.Th.1.p.q.5.a.6.ad 2.Cuius præclarum testimonium adducam pro confirmatione,& coronide huius triplicis conclusionis. Ait enim loc. cit. ad 2. *Dicuntur tamen illa propriè delectabilia, quæ nullam habent aliam rationem appetibilitatis, nisi delectationem; cum aliquando sint, & noxia, & inhonesta. Vtilia verò dicuntur, quæ in se non habent vndè desiderentur, sed desiderantur solum, vt sunt ducentia in alterum, sicut sumptio medicinæ amara. Honesta verò dicuntur, quæ in se ipsis habent vnde desiderentur.*

3.Cócl.& eius Ratio.

Arist.

S.Th.

120 Colligitur ergo ex dictis,quod ratio constitutiua causę finalis est bonitas vera,vel apparens propter se appetibilis. Coroll.

121 Quoad tertium, est prima obiectio contra primam conclusionē. Bonum honestum ordinatur ad bonū in communi, siuè ad vitam beatam; ergo non potest habere rationem finis. Respondeo negando consequentiā, quia hic non loquimur de vltimo fine simpliciter, sed de fine non vltimo, ad cuius essentiam sufficit, vt habeat bonitatem vi, & natura sua expetibilem. 1. Obiectio, & eius Enodatio.

122 Secunda obiectio contra primam cōclusionem. Bonum honestum ordinatur ad delectationem,ergo non potest habere rationem finis. Respōdeo negando consequentiā, quia delectatio consurgit tanquam effectus, siue passio ex bono conuenienti appetitui rationali. 2. Obiectio, & Enodatio.

123 Tertia obiectio, & est contra secundam conclusionem. Bonum delectabile secundum sensum est appetibile ratione boni honesti, ergo non potest habere rationem finis. Consequentia est nota: Antecedens probatur,quia delectabilia gustus, & tactus, quæ pertinent ad conseruationem indiuidui, & speciei ordinantur ad bonum honestum. 3. Obiectio, & Enodatio.

124 Ad hanc obiectionem dico breuiter, quod bonum delectabile secundum sensum in esse moris, & vt appetitus ipsius sit honestus, ordinatur ad bonum honestum, non verò in esse naturæ,& vt appetitus eorū inhonestus sit, quod sufficiens est ad hoc, vt habere rationem finis; Nam finis abstrahit à fine honesto, vel inhonesto, sed tātum exigit,quod ratione sui sit appetibilis, siue terminet appetitū; Delectabilia autem secundum sensum ratione sui possunt terminare appetitum, siue rationalem, siue sensitiuum; Explicatur hoc exemplo:etenim sciētiæ per se sunt appetibiles, nihilominùs vt appetitus earum sit honestus, implicitè, vel explicitè debent ordinari in finem honestum.

125 Quar-

Digitized by Google

125 Quarta obiectio,& eſt contra tertiam reſponſionem. Vtile ſecundũ ſe poteſt appeti,& de facto quandoq; appetitur,vt pecunia ab auaro; Ergo poteſt habere rationem finis. Reſpõdetur,quod hoc eſt ex peruerſitate dirigentis; nos autem hic loquimur de vtili ſecunda ſe: etenim vtile natura ſua ſemper ordinatur ad aliud, ſicut in exemplo tacto; pecunia natura ſua ordinatur ad commutationes, vel expenſiones.

4. Obiectio, et enodatio.

LECTIO IX.

An ratio cauſæ finalis non ſolum inueniatur in entibus poſitiuis, ſed etiam negatiuis?

126 IN hac lectione priùs notabo aliqua, deindè ſatisfaciam quæſito: tandem adducam vnã obiectiunculam,& ſoluam illam.

127 Quoad primum noto, quod ens poſitiuũ hic ſumitur pro ente habẽte ſuum actum eſſendi: ens autem negatiuum,ſiue priuatiuum (nàm hic confusè accipitur ad noſtrum intentum) ſumitur pro carentia cuiuſcumque actus,ſint perfectionis. Vlterius, quod priuatio ſumitur dupliciter: vno modo pro carentia rei cõuenientis,vt cæcitas: altero modo pro carentia rei diſconueniẽtis, vt eſt carẽtia doloris.

Animadueſio.

128 Quoad ſecundum reſpondeo primò: In vnoquoque prædicamento poteſt reperiri aliqua bonitas ſufficiens ad conſtituendum finem, ſiue,vt melius dicam: Vnum quodque prædicamentũ poteſt habere rationẽ cauſæ finalis. Ratio eſt: quia vnumquodque prædicamentum habet aliquam perfectionem,ratione cuius alicui ſuo modo poteſt eſſe conueniens. Excipitur ab hac reſponſione relatio, quæ tantum ratione ſui fundamenti eſt appetibilis; nàm quamuis habeat bonitatem traſcendentalem, nihilominus eſt debiliſſima, & ratione fundamenti eſt tantum expetibilis.

1. Concl. et eius ratio.

129 Reſpondeo ſecundò: Carẽtia rei conuenientis nullo modo poteſt habere rationem cauſæ finalis. Ratio patet ex dictis ſupra, quia malum ſub ratione mali nullius appetitus poteſt eſſe obiectum. Vndè eſt commune axioma: Nemo intendens ad malum operatur. Ita Ariſt. 1. Eth. cap. 1. S. Th. inf. q. 8. a. 1. S. Aug. 2. Cõfeſ. cap. 6. & alij communiter.

2. Cõcluſio,& eius Ratio.

Ariſt. D. Th. S. Aug.

130 Reſpondeo tertiò; Carentia rei diſcouuenientis, ut E. g. priuatio doloris, non poteſt eſſe cauſa finalis, ſed tantum medium. Ratio eſt, quia ſemper volumus iſtas priuationes ex motiuo boni, quo priuant.

3. Concl. & eius Ratio.

131 Quoad tertium eſt obiectiũcula. Inter duos fines poteſt quis velle minus bonum cognitum, vt tale; Ergo poteſt velle defectum maioris boni; Ergo carentiam, ſiue priuationem, vt finem. Ad hanc obiectionem concedo antecedens: Nàm de medijs eſt in opinione poſitum: Vtrũ aliquis poſſit eligere minus vtile; & nego cõſequentiam, primam, & ſecundam, quia quando quis vult finem minus bonum non reſpicit defectum maioris bonitatis, ſed ipſam bonitatem, quam includit.

Obiectio, & enodatio.

LECTIO X.

Vtrum res indifferens ad bonum, & malum poſsit eſſe finis?

132 VNum notabo pro ſolutione huius difficultatis, deindè ſoluam illam duobus reſponſionibus; tandem adducam vnam obiectionem in cõtrarium, & ſoluam illam.

133 Quo ad primum noto, quod bonum, vt ſupra diximus dupliciter ſumitur: vno modo traſcendentaliter, ſiue fundamentaliter, alio modo relatè: Bonum traſcendentaliter ſumptum

Animad.

idem

idem est, ac integrum, siue perfectum: & isto modo nõ potest habere vllam indifferentiam, nàm quælibet res est integra, & perfecta suo modo. Bonum relatè sumptum idem est, ac bonum conueniens voluntati, siue volenti; & sic potest esse indifferens: nàm potest dari aliquid secũdum suam speciem, quod neq; sit conueniens, neq; discõueniens homini.

134 Ad difficultatẽ ergo respondeo primò: Bonũ trascẽdẽtaliter sumptũ potest fũdare rationẽ finis. Ratio est, quia vt sic non est indifferens, & potest fundare rationem conuenientiæ, ratione cuius per se sit appetibile. 1. Concl. & eius ratio.

135 Respondeo secundo: Res indifferens, quæ nec habet conuenientiam, vel disconueniẽtiam veram, vel apparentem, non potest habere rationem finis. Ratio est, quia vt sic non est bona, & ex consequenti non appetibilis: Ergo nullo modo potest habere rationem finis. 2. Cõclus. et eius ratio.

136 Quoad tertium: Obijcies: quia aliquando videntur aliquæ res mouere appetitum, ea sola ratione, quia non existimantur disconuenientes, neque conuenientes, vt apparet in quibusdam, qui ita se sinunt trahere ab vno oppositio, vt sinant se trahi etiam ab altero. Respondetur, quod similes personæ quotiescunq; se determinant ad vnum ex his oppositis, semper hoc faciunt ratione alicuius bonitatis considerate in ipso. Obiectio, & respon. sio.

LECTIO XI.

An apprehensio bonitatis sit ratio formalis finalizandi?

137 IAm diximus, bonitatem esse rationem formalem proximam, qua finis constituitur in actu primo ad finalizandum: potest autem modo esse difficultas: An bonitas realis, & à parte rei sit ratio formalis proxima, qua constituitur finis in actu primo ad finalizandum? An bonitas apprehensa, siue ipsa apprehẽsio bonitatis sit ratio formalis, quæ moueat voluntatem ad amandum? Pro cuius explicatione tria faciam. Primò supponam vnum tanquam certum; Secundò statuam sententiam nostram duabus responsionibus: tertiò adducam sententiam contrariam cum suis rationibus, & soluam illas.

138 Quoad primum suppono tãquam certum: Voluntatem nullo modo posse ferri in incognitum etiam per diuinam potentiam, vt inf. q. 9. videbitur; quia est potentia cæca. Quãuis hoc D. Bonauent. negauerit quæst. quadã in fine lib. de Mystica Teologia. Solũ potest esse difficultas, an prærequiratur actus iudicij, an simplex apprehẽsio finis: sed de hoc alibi, fortasse inf. q. 9. Id quod in præsenti solũ vocamus in dubium est; An cognitio intellectus, quæcumque illa sit, sit ratio formalis mouendi voluntatem, an tantum conditio essentialiter prærequisita? Præsuppositum. D. Bonau.

139 Quoad secundum respondeo primò: Apprehensio nullo modo potest esse ratio formalis mouendi voluntatem, sed id tantum conuenit bonitati reali. Ita D. Th. 1. contra Gent. cap. 75. & 1. p. q. 80. a. 1. ad 2. Caiet. hic Monceſinus, & alij. Probatur primo test. D. Th. desumpto ex 1. parte loc. cit. vbi ait: *Id quod apprehenditur, & appetitur est idem subiecto, sed differt ratione; apprehenditur enim, vt ens sensibile, vel intelligibile, appetitur vero, vt est conueniens, aut bonum.* Vbi clarè videtur, quod sensibilitatẽ, vel intelligibilitatem cõparat potẽtiæ apprehensiuæ, conuenientiam, uel bonitatẽ potentiæ appetitiuę: ergo conuenientia, vel bonitas est, quæ mouet voluntatem ad agendum. 1. Concl. S. Tho. Caietan. Montes. Prob. ex S. Th.

140 Secundò ex 1. p. q. 82. ar. 4. & q. 22. de Verit. a. 10. quia volũtas trahitur extra ab obiecto ad differentiã intellectus, qui trahit intra se obiectũ. Ergo bonitas est formalis ratio finalizandi. Secundò.

141 Tertiò ex 1. 2. q. 67. ar. 6. quia Tertiò.

ca-

caritas sub diuersa cognitione est eadem in via,& in patria. Ergo signum est, quod bonitas est ratio formalis finalizãdi. Consequẽtia est certa,quia eadẽ est ratio specificatiua in genere habitus,& potentię. Ant. probatur 1. ex D.Paulo 1. ad Corinth.13. vbi ait Charitas numquam excidit.

142 Probatur quartò ex D.Th. loco cit. quia quotiescunq; imperfectio non est de essentia alicuius, idem est numero quãdo perficitur, vt patet in homine dũ fit uir,& in albedine,dùm intẽditur. Sed de essẽtia charitatis nõ est imperfectio: quia est amor,qui potest esse habiti,& non habiti: Ergo est eadem perfectio in gloria. Quartò.

143 Secundò probatur ratione, quia illa est ratio formalis finalizandi,per quam finis allicit voluntatem, vel illam mouet ad operandum: sed hæc est bonitas realis ipsius finis, non verò cognitio ipsius bonitatis; Ergo. Maior est certa ex dictis: Minor probatur, quia sanitas allicit infirmum, non vero apprehensio sanitatis: similiter pecunia mouet auarum, non verò apprehensio pecuniæ: Neque certè alter istorum mouetur à sanitate, vel pecunia, vt in intellectu tantum, sed vt in re. Probatio ex ratione.

144 Confirmatur: quia frustra adhiberentur media ad conquisitionem sanitatis, vel pecuniæ, si esse reale ipsarum nõ moueret: quia dùm est in intellectu, possidetur. Confirm.

145 Probatur tertiò, quia illa est ratio formalis finalizandi, qua obtenta quiescit appetitus: sed hæc est bonitas realis: Ergo. Maior probatur, quia tunc quiescit appetitus, cùm obtinet finem intẽtum; Minor enim probatur, quia bonitas, vt apprehensa potiùs acuit, quam quietat appetitũ; consequentia est legitima. 2. Ratio.

146 Respondent aduersarij, quod apptehẽsio bonitatis sit ratio *sub qua* motiua voluntatis, ipsa vero bonitas realis sit ratio, *quę*. Sed contra; quia ratio formalis, *sub qua* variat actus, & potentias. Sed diuersa apprehensio non variat actus volũtatis; Ergo. Probatur minor, quæ sola probanda est: quia eadem est charitas vię, & patrię, & nihilominus diuersa est cognitio fidei à cognitione beata. Præterea impugnatur authoritate D. Th. de veritate q.25.ar.1.ad 6. vbi ait: Quod *diuersitas apprehensorum per accidens se habet ad appetitiuas uires distinguendas, nisi diuersitati apprehensionis diuersitas apprehensorum coniungeretur*. Vlterius impugnatur alio testimonio sumpto ex 1.2.qu.67. art.6. ad 2. vbi clarè loquitur pro nostra sententia in hunc modum. *Dicendum, quod charitas non habet pro obiecto ipsam cognitionem: Sic enim non esset eadem in via, & in patria, sed habet pro obiecto, ipsam rem cognitã, quæ est eadem, scilicet ipsũ Deum.* Aduersariorum Euasio, et eius præclusio.

147 Respondet Med. istis impugnationibus, quod tunc diuersitas apprehensionum diuersificat actus, & potentias, quando est coniuncta cum diuersitate apprehensorum. Respõsio Medinæ.

148 Sed contra primo; Ergo potius diuersitas apprehẽsorum est formalissima ratio mouendi, & finalizãdi. Impugnatio.

149 Secundo, quia quotiescunq; est diuersa ratio formalis, *sub qua*, etiam diuersificatur ratio formalis, *quę* quatenus conducit ad specificationem actus, vel potentiæ, ut patet in habitibus,& potentiis; Ergo vel diuersitas apprehensionis non est ratio *sub qua*; vel si erit ratio, *sub qua* arguit etiam diuersitatem bonitatis, quæ apprehenditur,& sic tota ratio diuersificandi vim appetitiuam erit diuersa bonitas realis, quę apprehenditur. 2. Impugnatur.

150 Respondetur secundò: Cognitio requiritur, vt conditio omninò necessaria ad hoc, ut finis causet. Ita Arist.3.de Anima cap.10.ubi ait: *Appetibile non mouere nisi mente, & imaginatione perceptum.* Vbi etiam D.Th. & 1.p. q.82. ar.4.& hic q.3.ar.4.ad 4. D.Aug.10. de Trin. cap. 1. vbi ait. *Rẽ prorsus ignotã amare omninò nullus potest.* Hęc cõclusio potest explicari hoc modo, quod sicut cõtactus est per se, & necessario requisitus ad hoc, vt 2. Concl. Arist. S.Th. D. Aug.

cau-

cauſa efficiens agat: ita apprehenſio eſt per ſe, & neceſſariò requiſita ad hoc, vt finis finalizet. Vt bene Monteſ. habet hic quæſt.31.

Monteſ.

151 Probatur autem ratione, quia voluntas eſt quædam inclinatio in bonum ſibi conueniens: ſed non cognoſcit conuenientiam boni, niſi ei proponatur ab intellectu; ergo: Maior eſt certa, quia eſt appetitus rationalis: Minor etiam, quia dicitur potentia cæca: Conſequentia eſt legitima. Secundò, quia ad hoc vt realis cauſa realiter cauſet, debet habere aliquam exiſtentiam: ſed finis dum cauſat non habet quandoque exiſtentiam in re; ergo debet illam habere, ſaltem in intentione.

Ratio Concl.

152 Quoad tertium: Eſt ſententia in contrarium aſſerens apprehenſionem eſſe rationem formalem finalizandi. Ipſam ſequuntur. Med.hic: Sõcin.5.Metaph.9.3.Capr.in 2. diſt. 16. q.1.a.3. in ſolution. argumentorum. Et eſt prima ratio pro ea deſumpta ex tribus teſtimonijs D.Th.

Medina. Soncin. Capreol.

153 Primum eſt, deſumptum ex 1.p.q.8.a.2.ad 1. *Appetibili non accidit eſſe apprehenſum per ſenſum, vel intellectum, ſed per ſe ei conuenit: Nam appetibile non mouet appetitum, niſi inquantum eſt apprehenſum; Vnde differẽtiæ apprehenſi ſunt per ſe differentiæ appetibilis; Vnde potentiæ appetiuæ diſtinguuntur ſecundum differentiam apprehenſorum, ſicut ſecundum propria obiecta.* Reſpondeo, quod teſtimonium nihil aliud probat, quam, quod apprehenſio ſit conditio neceſſariò requiſita ad hoc vt bonitas apprehenſa moueat, vel diuerſificet: Patet ex ipſa locutione S. Tho. nam non concludit ipſe (vt patet) quod potentiæ appetitiuæ diſtinguuntur ſecundum differẽtiam apprehenſionum, ſed ſecundum differentiam apprehenſorum: Si autẽ ex mente ipſius apprehenſio eſſet ratio formalis diuerſificandi appetitus, debebat concludere ſic: Vnde potentiæ appetitiuæ diſtinguuntur ſecundum differentiam apprehenſionum, ſicut ſecundum propria obiecta.

1. Fũdam. ex S. Th.

Reſpõſio.

154 Patet hoc etiam ex ipſa ratione, quam adducit in corp.art. Ibi enim intentum ſuum erat probare, quod appetitus ſenſitiuus eſſet potentia diſtincta ab appetitu rationali: nam hoc quæſierat in tit.art. & facit hanc rationem: Alterius generis eſt apprehenſum per intellectum, & apprehenſum per ſenſum: ergo appetitus rationalis eſt alia potentia ab appetitu ſenſitiuo. Vbi clarè videtur, quod sẽper ſpecificatiua appetituum nominat ipſa apprehenſa, & nõ apprehenſiones. Neq; vrget id, quod dicit, quod differentiæ apprehenſi ſunt per ſe differentiæ appetibilis, quia comparat inter ſe bonum ſẽnſitiuum apprehenſum per sẽſum, & bonum rationale apprehensũ per intellectum, & iſta bona ſunt diſtincta ſpecie, & origo diſtinctionis ſpecificæ, non verò ipſæ apprehenſiones, vel ſenſus, vel intellectus.

155 Secundum teſtimonium deſumitur ex hac 1. 2.q. 30. a. ad 2. vbi dicit. *Obiectũ autem appetitus eſt bonum apprehenſum: vnde ad diuerſitatẽ appetitus actiui pertinet diuerſitas apprehẽſionis.* Sed eadem interpretatio adhibenda eſt huic teſt. quam adhibuimus teſt. ſuperiori. Patet enim ex iſtis verbis, quod ſemper obiectum appetitus dicitur bonum apprehẽſum. Tertium teſtimonium etiam deſumitur ex hac p.2.q.31.art.3. ad 1. vbi dicitur: *Cum obiectum appetitus animalis ſit bonum apprehenſum, diuerſitas apprehenſionis pertinet quodammodo ad diuerſitatem obiecti.* Sed certè nihil magis dicit in hoc teſtimonio, quam in duobus præcedentibus. Vbi nota miram connexionem doctrina D.Thomæ.

2. Teſtimonium D.Tho. et Reſpõſio.

156 Poſſunt etiam hæc teſtimonia D.Th. explicari iuxta explicationem Monteſ. hic quæſt.3. nimirum, quod ſicut ad hoc vt cauſa efficiens agat, neceſſarius eſt per ſe contactus phyſicus ad paſſum, ita ad hoc vt finis finalizet, neceſſaria eſt per ſe apprehenſio, ſiue applicatio intellectus: Et hoc intendit S.Th. quando dicit, quod diuerſitas apprehenſionis pertinet quodammodo ad diuerſitatem obiecti,

Monteſ.

Digitized by Google

ti, vel apprehensi. Et hoc est verum etiam admissa sententia Suarez Suarez. t.1.De Incarn. disp.31. sect.6.dicentis de potentia absoluta non esse necessarium contactum physicum, vt causa efficiens agat.

157 Secunda ratio est, omnis causa eatenus causat, quatenus est 2.Fũdam. et respon. prior; sed finis est prior in intentione, sio. ergo causat quatenus est in intentione. Respondeo breuiter, quod finis habet tantum hanc prioritatem in causando ab intentione tanquam à conditione.

158 Tertia ratio: Sola apprehensio variat speciem actuum ap- 3.Fũdam. et respon- petitus: ergo ipsa est formalissima sio. ratio finalizandi: consequentia est legitima: antecedens probatur, quia finis honestus apprehensus, vt inhonestus, reddit actum, qui versatur circa illum, inhonestum, & è cõtra finis inhonestus apprehensus, vt honestus, facit actum honestum. Respondeo negando antecedens; ad probationem dico breuiter, quod tunc apprehensio concurrit vt applicans diuersã rationẽ formalem finalizandi: applicat enim (supposita ignorantia inuincibili) finem honestum sub ratione boni inhonesti, & finem inhonestum sub ratione boni honesti.

159 Quarta ratio: Multoties id, quod nullam habet bonitatem à par- 4.Fũdam. et respon- re rei, nec illam potest habere, sed so- sio. lum quia existimatur bonũ, mouet appetitum: ergo sola existimatio est ratio formalissima finalizandi. Ad hanc obiectionem respondeo etiam precedenti solutione; nimirum, quod illa existimatio se habet tanquam applicatio alicuius bonitatis realis falsò conceptæ ab intellectu in ea re, quæ proponitur sequenda voluntati: Hoc autem sufficit ad hoc ut causa finalis moueat, quippè cum causet morali quodam modo, medio intellectu proponente conuenientiam, uel disconuenientiam rei.

LECTIO XII.

In quo consistat causalitas finis in actu secundo?

160 IN quacumq; causa duo potissimùm requirũtur ad productionem sui effectus, & ratio proxima agendi, qua constituitur in actu primo, & ipsa causalitas in actu secundo, seu exercitium rationis proximæ ad agendum. Determinauimus hactenus, in quo consistit ratio proxima agendi causæ finalis? uidendum est modo, in quo consistat ipsa causalitas, seu exercitium ipsius rationis proximæ ad agendum: siue quid sit causalitas causæ finalis. Pro cuius explicatione supponitur unum tanquam certum, & communiter receptum. Deinde aliquibus responsionibus decidam difficultatem. Tandem adducã duas sententias in contrarium cum suis rationibus, & soluam illas.

161 Quoad primum suppono tanquam certum, & communiter receptum, causalitatem causæ finalis consistere in quadam motione metaphorica. Id, quod apertè tradidit Arist.1. de Generat. cap. 2. illis uerbis. *Est enim factiuum causa, vt vnde principiũ motus: cuius autem, gratia non actiuum: nam sanitas non factiuum est, nisi iuxta metaphoram.* Quorum uerborum sensus est, quod causa efficiens est id, unde principium motus: causa uerò finalis non est actiua, nisi iuxta metaphoram. Vocatur autem causalitas finis metaphorica, ducta translatione à causa efficiente: nam sicut causa efficiens agendo propriè mouet, sic causa finalis alliciendo, & inuitando dicitur traslatè mouere. Difficultas ergo est: In quo nam consistat ista causalitas metaphorica. Præsuppos. Arist.

162 Quoad secundum respondeo primò quæsito: Causalitas finis non consistit in hoc, quod finis exhibeat se præsentem uoluntati excitando illam, 1.Cocl.& eius Ratio.

Digitized by Google

& inuitando ad sui amorem. Probatur: quia ista exhibitio finis facta uoluntati, qua ipsam excitat, & inuitat ad sui amorem, pertinet ad actum primum ipsius finis: ergo non est causalitas ipsius: Consequentia est clara: Antecedens probatur dupliciter; primò, quia nihil reale imprimit ipsi uoluntati, nam tunc haberet rationem causæ efficientis, ut uidebimus in responsione sequenti: Nec etiam ipsa uoluntas exit interdum in actum ex illa præsentatione, quia est libera: ergo absolutè dicendum est, quod pertineat ad actum primum: nam impossibile est dari causalitatem in exercitio alicuius causæ, & non ponere aliquid productum ab ea, siue ut motus, siue ut res.

Confirm. 163 Confirmatur hæc ratio, quia causa efficiens ex hoc, quod est præsens passo, & applicata præcisè dicitur tantum constituta in actu primo: ergo etiam causa finalis ex hoc quod est præsens, & obiecta voluntati dicitur causa in actu primo.

2. Concl. et Ratio. 164 Respondeo secundò: Causalitas finis non consistit in aliquo reali impresso uoluntati antecedenter ad suam volitionem, & distincto ab ipsa volitione. Probatur: quia causa finalis non causat efficiendo, sed alliciendo: ergo causalitas ipsius non potest consistere in aliquo reali impresso voluntati: Antecedens est clarũ apud omnes, nam in hoc distinguitur causa finalis ab efficiente: Consequentia probatur, quia omnis realitas debet habere aliquam causam efficientem, quantumuis sit leuis, & diminuta, vt sunt species intentionales; nam est quid creatum, & consequenter existẽs in rerum natura media causa secunda efficiente.

3. Concl. 165 Respondeo tertiò: Causalitas finis nil aliud est, quam actio voluntatis, prout est à fine: Duas formalitates habet actio volũtatis, quà est propter finem: Vnam, quod sit à fine, & alteram quod sit à voluntate; Vt est à fine, dicitur causalitas finis. Ita S.Th. S.Tho. q.22. de Verit. & 1.contra Gent. cap. 75. Montes. hìc quæst.2.concl.3. quãuis concl.1. dicat, causalitatem finis inchoatam consistere in illa excitatione, supra responsione prima nostra impugnata, qua voluntas mouetur ad agendum, & alij, quos refert ipse numero 20. Montes.

Probatio ex S. Th. 166 Probatur primò ex S. Th.lib. 1.contra Gent.cit.cap.75.vbi ait, *Causalitas finis in hoc consistit, quod propter ipsum alia desiderentur*. Et quæst. 22. de Verit.a.2.dicit: *Sicut influere causæ efficientis, est agere: ita influere causæ finalis, est appeti.*

1. Ratio. 167 Probatur secundò ratione: quia causalitas finis debet esse quid distinctum ab ipso fine in actu primo: Sed nihil aliud potest assignari, quod sit distinctũ à fine in actu primo, præterquam ipsa operatio voluntatis, prout est à fine: ergo in ipsa consistit causalitas finis: Maior patet, quia in creaturis actus secũdus debet esse distinctus ab actu primo: Minor etiam patet ex prima, & secunda responsione nostra: Consequentia est legitima.

2. Ratio. 168 Probatur tertiò ratione, quæ fortasse coincidit cum precedente, sed est in meliorem formam redacta: quia operatio volũtatis est propter finem: ergo dicit dependentiam à fine: ergo est causalitas finis, prout à fine: Antecedens, & prima consequentia videntur veræ, si attentè considerentur: Secunda cõsequentia probatur; quia nihil aliud videtur causalitas cuiuscũq; causæ, quam dependentia quędam ab ipsa, ut est fieri quoddam ipsius. Confir. Confirmatur hæc ratio, quia eadem substantialis vnio in sententia probabili admittente unionem, vt est à materia, est causalitas materiæ, & vt est à forma, est causalitas formæ: ergo similiter, &c.

Obiectio, & responsio. 169 Sed contra hanc rationem obijciet quis; quia operatio illa voluntatis est effectus finis: ergo ea potest esse causalitas finis. Respondeo, quod prout est à uoluntate, est effectus finis, non verò vt est à fine. Vrgebit, quia debet esse distinctio realis inter effectum, & causalitatẽ, alioqui

non

Digitized by Google

non esset prior natura causalitas suo effectu. Respondeo, quod sufficit distinctio virtualis, vt patet in gradibus metaphysicis, quorum vnus quodammodo est effectus alterius, qui consequitur ad illum, & in hac distinctione virtuali saluatur prioritas naturæ inter causalitatem, & effectum. Instabit adhuc, quia saltem causa actu causans debet esse distincta realiter à suo effectu: At non distingueretur finis actu finalizans realiter à suo effectu, si causalitas ipsius esset eadem formaliter, ac causalitas uoluntatis, quæ est efficiens ipsius. Respondeo, quod ratione uirtutis causatiuæ, quam inuoluit finis actu causans, distinguitur realiter à suo effectu, hoc est ab operatione uoluntatis, ut est ab illa.

1. Sēt. opposita. Conimbric.

170 Quo ad tertium: aduersus primam nostram sententiam responsionem est sententia Conimbricensium 2. Phys. cap. 7. q. 21. dicentium, causalitatem finis consistere in illa exhibitione sui excitando, & alliciendo uoluntatem ad sui ipsius amorem.

Argum. & respon. sio.

171 Probatur, quia finis hoc ipso, quod est sufficienter cognitus, statim per suam bonitatem excitat uoluntatem ad sui amorem; ergo in hac excitatione consistit sua causalitas. Respondeo, quod non semper excitatur uoluntas per ostensionem, & præsentationē bonitatis finis; & dato, quod excitaretur, hæc excitatio, aut esset operatio voluntatis, vt est à fine, & iam habemus nostram sententiam; aut est aliquid imperatum voluntati, & hoc nequit esse, vt supra probatum est; aut est ipsemet finis applicatus voluntati, & ipsa voluntas intuens finē, & adhuc finis dicitur consistere in suo actu primo.

2. Sēt. opposita.

172 Est secunda sententia aduersus secundum nostram responsionem asserens, motionem metaphoricam finis consistere in aliquo reali intentionali, quo trahit voluntatem ad se. Et probatur, quia voluntas mouetur à fine, vt illum amet; ergo antecedenter ad hunc amorem imprimitur ei aliquid à fine: alioqui voluntas maneret sicut antea.

Argum. & respō. sio.

173 Probatur autem, quod hoc, quod imprimit, debet esse intentionale: quia sicut finis mouet secūdum esse intentionale, quod habet, ita illud, quod producit debet esse intentionale. Ad hanc rationem nego consequētiam, ad probationem dico, quod sufficit, vt voluntas non maneat eadem ac antea, quod illa operatio sua sit, vt à fine.

Replica, et Enodatio.

174 Sed vrgebis: quia per concursum simultaneum, qui est idem ac operatio causæ secundæ vt prior à Deo, non facit Deus, vt eadem operatio sit à causa secunda; ergo neq; etiā finis per causalitatem suam, quæ est eadem, ac operatio volūtatis, vt prior à fine, faciet, vt sit à voluntate. Respondeo disparem esse rationem: quia causa efficiens est, quæ producit, & communicat esse; causa verò finalis non producit esse, sed mouet efficientem ad producendum esse, & ideò potest ipsa imprimere aliquod esse, si erit prima antecedenter ad causalitatem causæ secundæ, non uerò causa finalis.

Sētentia Caiet. reiicitur.

175 Fuit etiam circa hanc difficultatem quidam modus dicendi Caiet. 2.2.q.17.art.5. asserentis causalitatem causæ secundæ esse quid innominatum, & explicari tātum per hoc, quod dicitur: *Cuius gratia*. Sed reijcitur communiter; quia: *Cuius gratia* tam conuenit actui primo, quàm actui secundo. Et hæc sufficiāt pro commentatione primi art. D. Th. Posset moueri hic difficultas; An finis sit obiectum adæquatum uoluntatis, an etiam media concurrunt ad obiectum adæquatum ipsius? Sed infra q. 8. a. 1. disputabitur.

D. Th.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Vtrum agere propter finem sit proprium rationalis creaturæ.

176 IN corpore huius ar. ponit quatuor cõclusiones S. Th. Prima est: Necesse est omnia agẽtia agere propter finem. Ratio est, quia in causis essentialiter subordinatis deueniendum est ad aliquam causam primam; alioquin si prima subtrahatur, necessarium foret subtrahi etiam secundam: sed causa finalis est prima; ergo omnia quæ agunt, agunt propter finẽ. Probatur minor, quia materia non consequitur formam, nisi secundum quod mouetur ab agente; nihil enim potest se reducere de potentia in actũ: Agens verò non mouetur ad agendũ, nisi determinetur ex intentione finis, quia si non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc, quam illud. S. Tho.

177 Secunda conclusio: Proprium est naturæ rationalis, vt tendat in finem, quasi se agens, vel ducens, vel mouens in finem. Ratio est, quia ipsa cognoscit rationem finis: Prætereà, quia habet dominium suorum actuũ.

178 Tertia conclusio: Natura irrationalis tendit in finem, non se mouens in finem, sed vt mota ab alio: Ratio est, quia non cognoscit rationem finis, neque habet dominium suorum actuum.

179 Quarta conclusio; Bruta tendunt in finẽ apprehensum; Insensibilia vero in finem non apprehensum. Ratio potest colligi ex S. Doct. quia illa habent cognitionem sensitiuam: ista verò omninò cognitione carent.

180 In responsione ad primum argumentum dicit, quod quando homo se mouet in finem, necesse est, ut cognoscat finem: quando uero mouetur in finem imperio alterius, non est necesse, ut cognoscat finem: quia tunc ita se habet erga finem, ac creatura irrationalis.

181 In responsione ad tertium, dicit S. Tho. quod in carentibus ratione non potest esse uoluntas: (sub intelligit etiam lib. arbit.) quia obiectum uoluntatis est bonum vniuersale: sed intellectus tantum est, qui cognoscit bonum vniuersale. Ergo.

182 Plures difficultates emergunt ex hoc art. Prima est circa primam conclusionem. An verum sit in uniuersum, quod omnia agentia agant propter finem? sed hæc difficultas disputatur 2. Phys. cap. 8. & 9. contra nonullos Philosophos, qui negauerunt causam finalem, & dixerunt omnia fieri, vel à casu, uel ex necessitate ipsarum causarum, & ideò illã omittimus. Interim uideri potest Arist. qui loc. cit. eam pluribus rationibus confirmat. Et D. Th. 3. contra Gent. cap. 2. & 3. Et ratio, qua Sanctus Th. ipsam confirmat in hoc art. est efficacissima. Arist. S. Tho.

183 Secunda est: An Deus agat propter finem? Nàm Sãctus Th. postquam dixit omnia agentia agere propter finẽ, restrinxit hanc propositionẽ uniuersalẽ ad solas creaturas rationales, & irrationales: Et ideò videndum est primo: An Deus agat propter finẽ? Secundo: An homo, siue Angelus? Tertiò: An bruta? Quartò: An creaturæ insensibiles? Quintò: quia dicemus proprium hominis esse agere propter finem: An finis exerceat suam causalitatem respectu intentionis, & desiderii ipsius, an etiam circa electionẽ mediorum? Vnde manet etiam magis explicata difficultas illa super artic. pręcedetem: An omnes, & solæ actiones humanæ sint propter finem? Est ergo.

LE-

Digitized by Google

LECTIO I.

Vtrum Deus operetur propter finem?

184 EST hæc difficultas ſanè difficilis explicatu. Et mirum eſt, quomodo Deus, qui ſuprema natura intellectualis eſt, & cęteris creaturis finem præſcribit, ipſe nõ facilè percipiatur, quomodo agat propter finem. Quapropter ad eius explicationem Primo præmittam aliqua: Secundo aliquibus reſponſionibus ſatisfaciam quæſito: Tertio adducam unam ſententiam in contrarium, & ſatisfaciam ſuis rationibus.

Animadueꝛtio. 185 Quoad primum. Præmitto, quod dupliciter poteſt conſiderari finis: Vno modo, ut dicit habitudinẽ cauſæ; alio modo, ut habet rationem puri obiecti, & termini appetitus. Ita D. Th. inf. art. 3. Præmitto ſecundo, quod ut cõſtat ex materia de Voluntate Dei, & de Trinitate: Actiones Dei, aliæ ſunt neceſſariæ, aliæ liberæ: Actiones neceſſariæ, aliæ ſunt eſſentiales, ut intellectio, & uolitio; aliæ notionales, ut generatio, & ſpiratio; ſed iſtæ meliori uocabulo dicuntur emanationes. Actiones uero liberæ, dicũtur creatio, & conſeruatio, &c. Quæ quidem, ſi ſumantur ſecundum ſe, & ex parte Dei ſunt ipſa eſſentia Dei: ſi vero ſumantnr ex parte creaturæ, nihil aliud important, niſi ipſam creaturam productam, & relationem realem conſurgentem in ipſa ad ſuum S.Th. Creatorẽ. Ita S.Th. p.1.q.45.a.3. vbi dicit Creatorem importare tãtum relationem realem in creatura. Præmitto tertio, quod ſenſus tit. triplex eſſe poteſt. Primus; An Deus operetur propter finem, qui ſit finis ipſius Dei? Secundus: An Deus operetur propter finem, qui ſit finis ſuarum actionum. Tertius: An Deus operetur propter finem, qui ſit finis termini, & effectus producti per ſuam actionem. Et omnibus iſtis modis diſputabitur.

1. Cõcl. & eius Ratio. 186 Quoad ſecundum reſpondeo primo. Si finis ſumatur prout dicit puram rationem obiecti, & termini, Deus operatur propter finem. Ratio eſt, quia Deus operatur propter bonitatem ſuam, & actus ſuæ diuinæ voluntatis, ſiue neceſſarij, ſiue liberi, ſunt circa bonitatem ſuam. Declaratur hæc concluſio cum ſua ratione: Dupliciter enim poteſt conſiderari diuina bonitas: vno modo in ſe: alio modo vt eſt ratio volendi creaturas: ſecundum ſe conſiderata eſt neceſſariò volita à Deo; quia habet omnem plenitudinem perfectionis, & appetibilitatis: Vt verò eſt ratio volendi creaturas eſt libera volitio, quia non dicit neceſſariam coniunctionem, ſeu connexionem cum illis.

S.Tho. 187 Et hæc doctrina quanta, & qualis, eſt tota S.Th. 1.p.q.19.a.3. vbi cum propoſuiſſet hanc difficultatem: *Vtrum quidquid Deus vult ex neceſſitate velit.* Reſpondet in corpore art. *Voluntas enim diuina neceſſariam habitudinem habet ad bonitatem ſuam, quæ eſt proprium eius obiectum. Vnde bonitatem ſuam eſſe, Deus ex neceſſitate, vult: ſicut & voluntas noſtra ex neceſſitate vult beatitudinem. Sicut & quælibet alia potentia neceſſariam habitudinem habet ad proprium, & principale obiectum, vt viſus ad colorem: quia de ſui ratione eſt, vt in aliud tendat.*

188 Et in fine corporis pro confirmatione ſecundæ partis noſtrę cõcluſionis ſubiungit. *Vnde cum bonitas Dei ſit perfecta, & eſſe poſſit ſine alijs, cũ nihil ei perfectionis ex alijs accreſcat, ſequitur, quod alia à ſe eum velle non ſit neceſſarium abſolutè.* Et ad ſecundum iterum addit. *Dicendum, quod licet Deus ex neceſſitate velit bonitatem ſuam, non tamen ex neceſſitate vult ea, quæ vult propter bonitatem ſuam, quia bonitas eius poteſt eſſe ſine alijs.*

2. Concl. et eius ratio. 189 Reſpondeo ſecũdò: ſi finis ſumatur, vt dicit habitudinem cauſæ, Deus non agit propter finem, qui ſit finis ipſius. Probatur quia Deus nullam habet cauſam: nam eſt cauſa ſu-

ſuprema omnium cauſarum conſtituens cæteris rebus finem: ergo non agit propter finem, qui ſit finis ſui ipſius: Probatur conſequentia, quia alioqui haberet cauſam finalem.

190 Confirmatur primo hęc ratio; quia ſi haberet causã finalẽ ſui ipſius, haberet etiam cauſam efficientem: ſed repugnat habere cauſam efficientem; ergo cauſam finalem. Tota vis huius confirmationis conſiſtit in maiori, quæ probatur: quia vel haberet cauſam finalem ſibi conſtitutam à ſe, vel ab alio: Non à ſe, quia non poteſt cõcipi, quod aliquis conſtituat ſibi cauſam finalem totius ſui eſſe, quia cum ſit prima omnium præſupponitur ad eſſe; ſequitur ergo, quod ſit ſibi cõſtituta ab alio: At qui habet cauſam finalem ſibi conſtitutam ab alio, habet etiam cauſam efficientem ſui ipſius; quia finis eſt *gratia cuius aliquid fit*: ergo Deus nullo modo agit propter finem, qui ſit finis ſui ipſius. Confirmatur ſecundò, quia finis eſt præſtantior eo, quod ordinatur ad finem: ſed nihil poteſt eſſe præſtantius Deo: ergo nihil poteſt eſſe finis ipſius.

1. Confir.

2. Confir.

191 Reſpõdeo tertiò: Actiones neceſſariæ Dei, ſcilicet eſſentiales, & notionales, non ſunt propter finem, qui ſit finis ipſarum, ſumpto fine, vt dicit habitudinem cauſæ. Probatur, quia hæ actiones ſunt idem omninò cum Deo, ſunt enim purè immanentes: ſed Deus nullam poteſt habere cauſam finalem ſui ipſius, vt in præcedenti concluſione dictum eſt: ergo actiones neceſſariæ Dei eſſentiales, & notionales non ſunt propter finem.

3. Cõcl. & eius Ratio.

192 Hinc clarè ſequitur, quod neq; Pater cum generat Filium, neque Pater, & Filius cum ſpirant Spiritũ Sanctum agunt propter finem. Ratio eſt, quia tam principijs vtriuſque emanationis, quam ipſis emanationibus, & terminis earum repugnat habere finem; quippè cum omnia ſint Deus: ergo nullo modo poteſt dici illas perſonas tunc agere propter finem, quia vt aliquis dicatur agere propter finẽ, neceſſarium eſt, quod finis, propter quem agit, ſit finis, aut ſui ipſius, aut ſuæ actionis, aut termini producti per ſuam actionem.

Coroll. et eius Ratio.

193 Dices: generatio Filij, & ſpiratio actiua Spiritus Sancti preſupponũt cognitionem, & amorem ſuorum terminorum, nempè Filij, & Spiritus Sancti: ergo ſunt propter finem. Patet conſequentia, quia ſatis eſt, vt aliqua actio ſit propter finem, quod præſupponatur in ſuo principio cognitio, & amor bonitatis ſui termini. Antecedens ſupponitur ex materia de Trinitate, quia cognitio, & amor eſſentialis Filij, & Spiritus Sancti præſupponuntur ordine rationis ſuis proceſſionibus. Reſpondeo admiſſo ant. negando conſequentiam: Ad probationem dico, quod ad hoc vt aliqua actio ſit ſimpliciter propter finem, neceſſariũ eſt, quod cognitio, & amor ipſius finis ſe habeant vt mouentia, & determinantia ad talem actionem: Cognitio autem, & amor eſſentialis Filij non mouet, & determinat Patrem ad generationem Filij, ſed ad hoc eſt determinatus ex perfectione ſuæ naturæ: Idem dicitur de Patre, & Filio reſpectu proceſſionis Spiritus Sancti. Vel dic breuiſſimè, quod cognitio, & amor eſſentialis Filij, & Spiritus Sancti, eſt eorum tanquam purorum terminorũ, & obiectorum, non autem tanquam finis habentis habitudinem cauſę; vnde non ſunt propter finem.

1. Obiectio incidẽs, eiusque reſolutio.

194 Dices ſecundò. Modus perfectiſſimè operãdi propter finem eſt dirigere ſuas actiones in ſuos terminos, & fines; nam propterea diſtinguitur homo à brutis, quod ille dirigit ex ſe actiones ſuas in finem, hæc verò non: ergo non eſt denegandus Deo iſte modus operandi quoad proceſsiones diuinas. Reſpondeo, quod iſte modus operandi arguit perfectionem in natura intellectuali creata, non verò in natura increata; nam maior perfectio eſt Patris generãtis Filium, & vtriuſq; ſpirantis Spiritum Sanctum, quod ſint determinati ad iſtas actiones notionales ex fęcunditate, & perfectione diuinæ naturæ, quam quod determinentur,

2. Obiectio, & reſponſio.

Digitized by Google

tur, & moueantur ex cognitione, & amore essentiali vtriusque termini, quia hoc vltimum arguit dependentiam.

195 Addo etiam, quod dirigere se in finem non est modus perfectissimè operandi in natura intellectuali creata quoad omnes suas actiones, sed tantum quoad eas, quibus tendit in finem; Nam visio beata est actio perfectissima, & nihilominùs per illã non se dirigit in finẽ, sed est ex natura obiecti determinata: similiter cognitio, & volitio vltimi finis in communi est determinata, saltem quo ad specificationem, & nihilominus dicit maximam perfectionem.

196 Respondeo quartò: Actiones liberæ Dei consideratæ secundum se, vel ex parte Dei, non sunt propter finem, qui sit finis earum, sumpto fine, vt dicit habitudinem causæ. Ratio huius responsionis est eadem, ac præcedentis: quia ex S.Th. 1.p.q.25.a.1. ad 3. & q.45.a.3.ad 1. Actiones liberæ ad extra, vt sunt creatio, & conseruatio, vel aliqua alia productio actiuè consideratæ, sunt ipsa essentia Dei: sed essentia Dei nullam habet causam: ergo non sunt propter finem, qui sit finis ipsarum.

4. Cócl. & eius Ratio.

S.Th.

197 Respondeo quintò: Actiones liberæ Dei sumptæ ex parte termini producti, sunt propter finem, qui sit finis ipsarum, nempè termini producti, sumpto fine vt dicit habitudinẽ causę. Responsio hæc est adeò certa, vt de ea nullo modo possit dubitari. Probatur primò ex Sacra Scriptura. Nam Prouerb. 16. dicitur. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Deus.* Præterea Apocalyp. 1. *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis.*

5. Concl.

Probatio ex Sacra Script.

198 Probatur secundò ratione, quia euidens est, quod quidquid habet causam efficientem, habet causam finalem. Probatur tertiò ratione desumpta ex S. Th. p.p.q. 19. per totam. Quia diuina bonitas est ratio producẽdi creaturas: ergo vult illas propter suam bonitatem tanquam propter finem: nam finis, & bonum idem sunt. Ant. in quo est difficultas; probatur discursu eiusdem Sancti Th. p.p.q. 19. cit. art. 2. quia vnumquodque agens, non solum habet naturalem inclinationem respectu proprij boni, vt acquirat ipsum, cum non habet: vel vt quiescat in illo, cum illud habet, sed etiam vt proprium bonum in alia diffundat, secundum quod possibile est; Nam videmus, quod omne agens, in quantum est actu, & perfectum, facit sibi simile: sed Deus est perfectissimus agens: ergo cum possideat ex se suam bonitatem, & perfectionem, habet inclinationem, vt illam diffundat alijs, secundum quod possibile est: ergo ratio producendi creaturas est sua bonitas.

Probatio ex Ratione.

S.Th.

199 Confirmatur primò hęc ratio alia ratione desumpta ex eodem S.D. loc.cit.a.5. quia Deus vult vnum esse propter aliud; nimirum formam propter operationem, & perfectionem suam: irrationalia propter creaturam rationalem, iuxta illud; *Omnia subiecisti sub pedibus eius; & omnia propter semetipsum*: Ergo vult creaturas propter finem. Vbi aduerte optimam subtilitatem Sancti Thomæ dicentis in fine corporis art. *Vult scilicet Deus hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc*, quasi, quod vnum sit causa volitionis alterius.

1. Confir.

200 Confirmatur secundò alia ratione desumpta ex eodem Sãcto p.p. q.45.a.2. vbi ait, quod agens imperfectum in operatione sua intẽdit acquirere suam perfectionem: sed Deus, qui est agens perfectissimus in suis operationibus intendit solum communicare perfectionem suam, quæ est eius bonitas. Et hæc sufficiunt pro hoc secundo puncto; legatur S.Th. p.p.q. 19. cit. & q.45. a.4. cum suis interpretibus, quia quæ ibi dicit non paruam facem præferunt his, quæ hactenus diximus; legatur etiam Curiel hìc, & alij commentatores. Et his facilè soluentur quæcumque in contrarium possunt obijci.

2. Confir.

S.Tho.

Curiel.

201 Quoad tertium Soncinas 5. Metaph. non existimauit absurdum con-

Sent. opposita. Soncin.

concedere, quod finis verè,& propriè
1.Fũdam. & respon' sio. exerceat ſuam cauſalitatẽ erga Deũ, aut erga eius voluntatem propter ſequentes rationes. Prima eſt,quia cauſalitas finis eſt cauſalitas metaphorica,quæ non repugnat Deo. Sed dico, quod cauſalitas finis quamuis ſit metaphorica eſt vera,& realis cauſa volitionis, quæ nullo modo poteſt conuenire Deo.

2.Fũdam. et reſponſio. 202 Secunda ratio. Deus vult vnũ tanquam finem alterius, ſcilicet operationem eſſe finem vniuſcuiuſque rei:ergo reſpectu voluntatis diuinę finis habet cauſalitatem. Reſpondeo: Nego conſequentiam,quia finis tunc exercet cauſalitatem reſpectu rei productæ.

3.Fũdam. et reſpon. ſio. 203 Tertia ratio.Deus dirigit inanimata,& bruta in ſuos fines:ergo verè, & propriè agit propter finem. Et huic rationi etiam nego conſequentiam, quia conſtituere finem alteri non eſt agere propter finem, qui ſit finis ſuæ actionis, ſed tantum termini producti.

4.Fũdam. et reſpõ ſio. 204 Quarta ratio. Quamuis nihil extra Deum ſit, vel poſſit eſſe finis reſpectu ipſius,vel ſuę volitionis,nihilominus ipſamet ſua bonitas eſt finis ipſius,vel ſuæ operationis. Reſpondeo, quod ſi diuina bonitas comparetur ad ipſum Deum, vel actus ſuos (ſiue neceſſarios,ſiue liberos) modo ſupra explicato,habet puram rationem termini, vel obiecti: Si verò ſumatur vt eſt ratio volendi creaturas,habet tantum reſpectu creaturarum rationem finis: reſpectu verò ipſius Dei ſemper retinet rationem puri obiecti,vel termini terminantis,noſtro modo intelligẽdi, actus ſuæ voluntatis.

5.Fũdam. et reſponſio. 205 Quinta ratio eſſe poteſt. Omnis actus liber debet eſſe formaliter propter finẽ: ſed actus eſſentialis Dei, qui terminatur ad creaturas eſt liber: ergo debet eſſe formaliter propter finem. Ad hanc rationem concedo maiorem,ſi claudat tantum ſub ſe actus liberos creaturæ rationalis: ſed nego illam, ſi claudat ſub ſe actus diuinæ voluntatis reſpectu fi[illegible],ſecũdum habitudinem cauſæ reſpectu ſui,non verò creaturarum. Et ad minorem concedo illam: deinde nego ſimpliciter conſequẽtiam, quia vt eſſet vera ſimpliciter, cauſa finalis deberet exercere cauſalitatem reſpectu ipſius actus diuinæ volitionis,quod eſt abſurdũ.

Replica, & Enodatio. 206 Inſtabis, quia diuina bonitas eſt ratio à priori,noſtro modo intelligendi,ipſi Deo volẽdi creaturas: ergo exercet,noſtro modo intelligẽdi, cauſalitatem finis reſpectu ipſius actus. Dico, quod quamuis diuina bonitas ſit ratio à priori volendi ipſas creaturas, tamen reſpectu actus diuinæ voluntatis nullam poteſt habere cauſalitatem: quia poteſt, noſtro modo intelligendi, dari in Deo,quod vnum ſit ratio à priori alterius, & nihilominus non importet cauſalitatem;vt patet in eſſentia diuina, quæ eſt ratio à priori intellectus, & voluntatis, & non eſt cauſa illorum; ſimiliter in attributis vnum eſt ratio à priori alterius,& non eſt cauſa illius: Nam ideò Deus eſt æternus, quia immutabilis; ideò immutabilis,quia actus purus; & nihilominus nulla hìc intercedit vera cauſalitas. Sed aduertendum quodquamuis dicamus, quod diuina bonitas ſit ratio à priori actus diuinæ voluntatis, vt terminatur ad creaturas,non eſt tamen ratio à priori, vt terminatur ad ſe,quia vt ſic habet rationem puri termini, & obiecti.

6.Fũdam. et reſponſio. 207 Sexta ratio.Deus vult creaturas propter manifeſtationem ſuæ naturæ, & perfectionum: ergo propter aliquem finem exercentem cauſalitatẽ reſpectu ſuæ volitionis. Reſpondeo neg. conſ. quia velle creaturas propter manifeſtationem ſuæ naturæ, & ſuarum perfectionum, eſt tantum conſtituere illis hunc finem; ideſt, vt ratione perfectionum participatarum,quas habent,manifeſtent diuinas perfectiones alijs creaturis.

7.Fũdam. ex Ariſt.et reſpõſio. 208 Septima ratio. Ex Ariſt. 2. Phyſ. Finis, & efficiens non poſſunt eſſe idem numero: ergo non poteſt Deus eſſe cauſa efficiens, & finalis. Reſpondeo quod ibi non loquitur Ariſt.

Digitized by Google

Arist.de fine, & efficiente in ordine ad tertium, vt loquimur hìc de Deo, quem ponimus causam efficientem, & finalem respectu creaturarum; Ait enim ibi, quod forma geniti,quæ est finis generationis,nõ potest esse eadẽ numero cum forma generantis,sed tãtum in specie; quod verum est, quia generans intendit principaliter communicare suum esse specificum, siue generare sibi simile in forma. Et ex hoc patet iam quomodo Deus agat propter finem.

209 Octaua ratio. Deus mouet creaturas concursu præuio, & simultaneo:ergo agit propter finem. Negatur consequentia,quia si loquamur de fine particulari creaturæ, vult Deus vnum esse propter aliud; si loquamur de sua bonitate, est tãtum ratio agendi, &c.

LECTIO II.

An proprium sit Angeli, & hominis agere propter finem?

210 AB hac lectione breuiter me expediam. In ea de more tria faciam. Primò aduertã aliqua:Secundò resoluam difficultatem: Tertiò adducam duas obiectiunculas, & satisfaciam eis.

211 Quoad primum. Aduerto tãtum, quod hanc difficultatem resoluã solum quoad hominem:sed quidquid dico de homine intelligatur etiam dictum de Angelo; quia eadem est natura quo ad libertatem. Solum potest esse differentia, quia Angelus proponit rationem finis suæ voluntati vnico intuitu conceptam; homo verò per discursum. Verum ab hac differentia ego abstraho.

1. Animaduersio.

212 Aduerto secũdò:quod,vt colligitur ex S. Th. in hoc art.& aliunde, quatuor sunt modi operandi propter finem. Primus modus est imperfectissimus; & est operari propter finem, non constituendo sibi finem, neq; cognoscendo illum vlla ratione,neque cognitione sensitiua,neque intellectiua,neq; dirigendo se in illum;sed tantum appetitu naturali ferri in illum; Et iste modus conuenit ratione carentibus: lapis enim non statuit sibi finẽ, non cognoscit illum, non se dirigit in illum,sed tantum appetitu innato fertur in eum; hoc est in centrum.

2. Animaduersio.

1. Modus operandi propter finem. S.Tho.

213 Secundus modus nõ est adeò imperfectus; & est operari propter finem, non constituendo sibi finem, neq; cognoscendo rationem finis cognitione intellectiua,sed tantũ cognoscendo cognitione apprehensiua,non dirigendo se in illum,sed solum appetitu sensitiuo vehendo se in finem: Et iste modus conuenit brutis: Bruta namq; non cognoscunt finem cognitione intellectiua, sed solum apprehẽsiua, neque statuunt sibi finem, neque se mouent in finem, sed appetitu sensitiuo currunt in finem.

2.Modus.

214 Tertius modus operandi propter finem est magis perfectus, & est operari propter finem, statuendo sibi finem,non in communi sumptum, sed in particulari,cognoscendo cognitione intellectiua rationem finis,dirigendo,& mouendo se in finem,& appetitu rationali amando, & quærendo illum: Et iste modus conuenit Angelo, & homini, vt statim dicemus, qui cognoscunt rationem finis, statuunt sibi finem in particulari, & dirigunt se in finem.

3.Modus.

215 Quartus modus operandi propter finem est omnium perfectissimus, & est operari propter finem,statuendo alijs finem in communi, & in particulari cognoscendo rationem finis cognitione intellectiua, & mouendo cæteros in finẽ:& iste modus cõuenit Deo, qui cæteris creaturis statuit finem in communi, & in particulari, & mouet illas in finem suum: Et isti modi operandi propter finem maximè aduertendi sunt pro his,quæ dicemus in sequẽtibus lectionibus;nam ab eorum intellectu pendet maximè resolutio earum.

4.Modus.

Digitized by Google

3. Animaduersio.

216 Aduerto tertiò, quod cognoscere rationem finis est cognoscere rationem boni, vt est propter se appetibile, & vt est ratio appetendi alia. Vnde sequitur, quod cognoscatur habitudo mediorum ad finem, & ipse finis, vt est ratio volẽdi media; in quo importatur coordinatio quædam, quæ pertinet propriè ad cognitionem intellectiuam. Potest dici etiam, quod cognoscere rationem finis est cognoscere rationem boni communiter sũpti in particulari fine inuentam.

1. Cõcl. & probat. ex S.Th.

217 Quoad secundum: Ptoprium est hominis agere propter finem. Est conclusio manifesta S. Th. in hoc art. & cõmunis; & probatur ratione eiusdem Sancti Doctoris. Quia illi conuenit propriè agere propter finem, qui cognoscit rationem finis: sed homo propriè cognoscit rationem finis: ergo homo propriè agit propter finem. Probatur maior, quia ipse formaliter operatur gratia finis: nam finis est gratia cuius aliquid fit: ergo est ratio agẽdi alia: ergo importat quandam habitudinem ad ea, quę fiũt ratione ipsius, & ea ad ipsum; ergo qui cognoscit talem habitudinem, & proportionem, propriè, & formaliter operatur gratia ipsius: Minor patet, quia homo habet cognitionem intellectiuam, cuius est propriè cognoscere habitudinem vnius ad aliud: Consequentia est euidens.

Confir.

218 Confirmatur hæc ratio, quia homo se dirigit, & mouet in finem, & cognoscit ipsam rationẽ boni in communi, quæ est ratio volendi cætera.

1. Obiectio, & Enodatio.

219 Quoad tertiũ. Est prima obiectiuncula. Quia bruta vidẽtur cognoscere rationem finis: ergo non est solius hominis propriè, & formaliter agere propter finem: Ant. probatur experientia, quia si occurrat oui lupus inter plura animalia, fugit lupum, & non cætera animalia. Similiter canis, dum occurrit ei biuium, relinquit vnam viam, & eligit aliam. Idem apparet in apibus, formicis, & araneis, quæ certè omni videntur pollere iudicio. Respondeo negando ant. Ad probationẽ dico, quod hæc omnia faciunt naturali instinctu. Ita S. Th. 1. p. q. 83. a. 1. in corp. vbi ita loquitur. *Quædã autem agunt iudicio, sed nõ libero, sicut animalia bruta. Iudicat enim ouis videns lupum, eum esse fugiendum naturali iudicio, & non libero: quia non ex collatione, sed ex naturali instinctu hoc iudicat.* D.Th.

2. Obiectio, & Enodatio.

220 Secunda obiectiuncula. Bruta apprehendunt bona sensibilia sub ratione conuenientiæ; cuius signum est, quia fugiunt disconuenientia, & contraria. Sed iam respondnm est, quod hoc faciunt iudicio, & instinctu naturali; Vnde videmus, quod nunquam in aliquo disconuenienti naturæ sensitiuæ, sciunt quærere, aut reperire quandam rationem boni conuenientis, ratione cuius illud amplectuntur, sicut facit homo.

LECTIO III.

An bruta agant propter finem?

221 IN hac lectione recolendæ sunt, quæ secundò, & tertiò aduertimus in præcedenti lectione. Ipsis animaduersis.

1. Concl. et probat. ex S. Th.

222 Respondeo primò. Bruta propriè, & formaliter non agunt propter finem. Constat hæc responsio ex precedenti lect. Et est etiam Sancti Th. in hoc art. Quia non cognoscunt rationem finis, neque se dirigunt in finem, sed diriguntur, & mouentur in finem ab authore naturæ: ergo, &c.

2. Cõcl. & Ratio.

223 Respondeo secundò. Bruta agunt propter finem (illo modo non adeo imperfecto in precedenti lectione explicato) scilicet cognoscendo finem cognitione sensitiua. Est sententia comunis Philosophorum, & Theologorum. Ratio est, quia appetunt appetitu animali bonum apprehensum cognitione sensitiua.

1. Obiectio, & responsio.

224 Sed obijcies primò cõtra primam responsionem: Quia bruta appetunt

petunt bonum delectabile, quod supra diximus habere rationem finis. Respondeo,quod non appetunt bonũ delectabile, vt exercet rationem finis formaliter sumpti; hoc est, vt cognitum vt est propter se appetibile, & vt est ratio appetendi alia: sed quadam naturali sympathia.

2. Obiectio, & respõsio.

225 Obijcies secundò: Quia istud bonum delectabile exercet causalitatem metaphoricam respectu appetitus brutorum, scilicet media apprehẽsione, vt dictum in secunda conclusione: sed hæc obiectio remanet soluta ex præcedenti solutione, quia talis motio metaphorica non est finis sub ratione finis.

3. Obiectio ex Aristot. et responsio.

226 Obijcies tertiò: Quia Arist. 8. Phys. cap.4. dicit: Bruta in suis motibus posse sistere. Respondeo, quod prouenit, quia naturali instinctu apprehendunt vt tristabile ambulare, & vt delectabile sistere.

4. Obiectio, & respõsio.

227 Obijcies quartò contra secũdam responsionem: Quia si bruta agũt propter finem apprehensum naturali instinctu,& ex determinatione authoris naturæ: Ergo nullo modo dicendũ esset quod agant propter finem. Nego consequẽtiam, quia ad hoc vt aliqua res agat propter finem, sufficit vt non agat à casu, vt in sequenti lectione patebit. Bruta autem vltra hoc quod non agunt à casu, apprehendunt finem modo dicto; in quo differunt à ratione carentibus.

LECTIO IV.

An creaturæ carentes cognitione, & sensu agant propter finem?

1.Concl. Arist. D.Th.

228 REspondeo primo: Creaturæ carentes cognitione, & sensu agunt aliquo modo propter finẽ. Ita Arist.2.Phys.c.7.& 8. vbi ex professo probat hanc veritatem. S. Th. hìc, & sparsim per totam primam secundæ,& p.p.q.103. & 3.contra Gent.cap.25.

Ratio Concluſ.

229 Probatur primò ratione à priori: Quia finis est prima omnium causarum, & ablato fine auferrentur omnes operationes aliarum causarum: ergo hæ creaturæ aliquo modo debent agere propter finem. Probatur secundò à posteriori: Quia huiusmodi creaturæ producunt effectus semper, vel vt in plurimum, determinatos: ergo non agunt à casu, sed propter finem.

2.Cõcluſ. et Ratio.

230 Respondeo secundò: Modus quo istæ creaturæ agunt propter finẽ est imperfectissimus omnium; nimirũ ille in lectione secũda explicatus, quo neque cognoscunt, neque se dirigunt in finem. Patet ad sensum: Quia istæ creaturæ nulla cognitione apprehendunt finem; Vnde potiùs aguntur in finem,quàm agant propter finem.

1. Obiectio,& responsio.

231 Sed obijcies primò. Istæ creaturæ aguntur in finem: ergo nullo modo agunt propter finem, nam vt sic finis non exercet causalitatem suam respectu ipsarum. Respondeo negando conſ.,quia finis exercet causalitatem suam respectu operationum suarum etiam prout sunt ab ipsis. Explicatur hoc;etenim omnis operatio cuiuscũq; causæ, & est à Deo tanquam à causa prima, & est ab ipsa causa creata tanquam à causa secunda; quamuis autem finis non cognoscatur ab istis creaturis, cognoscitur à Deo, qui dedit illis appetitum naturalem ad suos fines. Et hoc sufficit, vt dicantur aliquo modo operari propter finem: Nam finis rapit etiam illas suas inclinationes ad se prout ab ipsis.

Replica, et respõsio.

232 Sed vrgebis: Huiusmodi appetitus, & motus prout sunt à causis naturalibus sunt ex appetitu innato vniuscuiusque causæ, & propria determinatione,& inclinatione: ergo nõ ex fine. Respondeo, quod talis determinatio oritur à fine; nam appetitus, & inclinatio oritur à forma, & forma quæcumque illa sit respicit finem, vel sibi à se constitutum, vel ab alio.

Digitized by Google

LECTIO V.

An causa finalis exerceat causalitatem suam circa intentionem, & desiderium sui ipsius, an solum circa electionem mediorum?

233 IN hac lectione est nobis colluctatio cum Patre Vazquez, qui vt infra videbimus, voluit finem tantum exercere causalitatem suam respectu electionis mediorum. Vazquez. Qnare ad hanc difficultatem enodandam, primò supponam aliqua ad fundamentum nostræ sententiæ, & intellectum faciliorem tituli: Secundò aliquibus responsionibus satisfaciam quæsito: Tertiò adducam sententiam Patris Vazquez cum suis rationibus, & soluam illas.

234 Quoad primũ. Suppono, quod finis duplex est; Vltimus, & Non vltimus. Vltimus est, quem nobis constituet Deus: Nõ vltimus, quem ipsi nobis ipsis constituimus. Rursus finis vltimus duplex est: in communi sumptus, & est ipsa ratio boni vt sic: & in particulari sumptus, & est ipse Deus clarè visus. 1. Suppositio.

235 Suppono ulterius, quod actuũ nostræ voluntatis; alij sunt necessarij, alij liberi: Actus necessarij sunt cum determinatione ad vnum: actus verò liberi cum indifferentia ad vtrumlibet. Rursus, Actuum necessariorum alij sunt necessarij quò ad specificationem, & exercitium, vt est actus visionis beatæ: alij verò sunt necessarij tantum quoad specificationem, non verò quoad exercitium, vt in sententia communiori est primus actus voluntatis circa bonum in communi: Quamuis D.Th.p.p. q.82.a.1.ad 3. videatur innuere illum etiam esse necessarium, quoad exercitium. 2. Suppositio. D.Th.

236 Similiter è cõtra actuum liberorum alij sunt liberi quoad exercitiũ & specificationem: alij tantum quoad exercitium. Actus liberi quoad exercitium, & specificationem sunt actus circa bonum in particulari, vel electio ipsius volũtatis: Actus verò liberi tãtum quoad exercitium sunt actus primi circa bonum in communi, vt dixi. Dicuntur autẽ actus necessarij quoad specificationem illi, qui sunt determinati ad vnum obiectum in specie; sicuti si diceremus, quod si aliquis sederet ad mensam, & non opponeretur ei nisi panis, iste talis si vellet comedere, necessariò deberet comedere panem; Actus verò liberi quoad exercitium dicuntur illi, qui sunt indifferentes ad ponendum actum, vel non ponendum, sicut patet in exemplo allato de eo, qui sedet ad mensam; Posset enim hic talis in eo casu ponere, vel non ponere exercitium comestionis; Vnde patet etiam qui sint actus determinati quo ad exercitiũ, & specificationẽ simul, & qui liberi quoad specificationem, & exercitium simul. Sed de his latiùs infra q.10. art. Præterea aduertendum est, quod quidam sunt actus necessarij, qui proueniunt ex cognitione imperfecta finis, & obiecti, cuiusmodi sunt actus primo primi; quidam verò necessarij ex perfecta cognitione finis, vt est visio beata.

237 Suppono tandem, quod alij actus voluntatis sunt circa finem; & alij circa media. Actus voluntatis circa finem non habitum sunt intentio, & desiderium; Actus verò circa finem possessum est fruitio, vel delectatio: sed delectatio propriè dicitur de brutis. Actus verò circa finem vt abstrahait à possesso, vel non possesso est simplex volitio, vel amor. Actus voluntatis circa media sunt electio, & vsus actiuus. De quibus diffusius infra cum agemus de serie actuum voluntatis. 3. Suppositio.

238 Modò procedit principaliter difficultas de his actibus scilicet. An finis exerceat suam causalitatem tantùm circa electionem mediorum, &

vsum

vsum actiuum, an etiam circa desiderium sui, & alios actus erga se ipsum? Nos maioris claritatis gratia decidemus difficultatem quoad omnes fines & actus.

1. Concl. & eius ratio.

239 Quoad secundum ergo respõdeo primò: Finis vltimus in communi sumptus non exercet propriè, & in rigore suam causalitatẽ respectu primi actus voluntatis, si iuxta probabilẽ sententiã erit determinatus quoad specificationem, & exercitium: Si autem erit liber quoad exercitiũ exercebit suam causalitatẽ respectu ipsius quoad hanc rationem. Probatur hæc responsio quoad primam partẽ: Quia homo per istum actum non se dirigit in finem, sed dirigitur ab authore naturæ: ergo finis propriè, & in rigore non exercet causalitatem respectu ipsius, nam propterea non exercet in rigore causalitatem respectu brutorũ, & creaturarum sensu carentium.

Confir. ex S. Th.

240 Confirmatur hæc ratio ex Sãcto Th. in hoc art. ad 1. vbi ait, quod quando homo mouetur in finem non est necesse, vt cognoscat finem: quia perinde se habet erga finem, ac creatura irrationalis. Probatur quoad secundã partẽ eadem ratione, qua probata fuit prima pars ratione è cõtrario sumpta: Quia tunc quoad exercitium istius actus se dirigit in finem.

2. Cõcl. et eius Ratio.

241 Respondeo secundò. Finis vltimus in particulari sumptus exercet in rigore causalitatem suam respectu amoris, & fruitionis beatæ. Probatur, quia Deus cognoscitur perfectissimè sub ratione finis per visionem beatam: ergo exercet in rigore causalitatem suam respectu amoris, & fruitionis beatæ, quæ necessario consequuntur ad visionem beatam.

Obiectio incidens ad maiorem elucidationẽ cõclusionis, et responsio.

242 Sed obijciet quis: Amor, & fruitio beata sunt actus necessarij; sed circa actus necessarios finis non exercet formaliter causalitatem suam sub ratione finis; ergo finis vltimus in particulari sumptus siue Deus clarè visus non exercet causalitatem respectu horum actuum. Respondeo, quod dupliciter aliquid dicitur necessariũ; vno modo ex meritis obiecti; altero modo ex directione alicuius superioris agentis; Circa actus qui sunt necessarij ex meritis obiecti, finis exercet causalitatem suam sub ratione finis; Circa actus, qui sunt necessarij ex directione superioris agentis, finis nõ exercet causalitatem suam sub ratione finis, sed tantũ materialiter; Amor autem, & fruitio beata sunt actus necessarij ex meritis obiecti; & ideò finis circa illos exercet formaliter causalitatem suam sub ratione finis; Actus verò brutorum, & creaturarum sensu carentium sunt necessarij ex directione authoris naturę, & ideò finis solum materialiter siue non sub ratione finis circa illos exercet causalitatem eorum.

3. Concl. et Ratio.

243 Respondeo tertiò: Finis non vltimus in particulari sumptus respectu motuum qui sunt primo primi, vel indeliberati non exercet formaliter causalitatem sub ratione finis. Probatur, quia voluntas in his motibus non se dirigit in finem sub ratione finis, sed tendit in ipsum tanquam appetitus brutalis.

4. Cõcl. et 1. Ratio.

244 Respondeo quartò: Finis non vltimus respectu illorum trium actuũ erga se ipsum scilicet intentionis, vel desiderij, & simplicis volitionis, & amoris verè, & formaliter exercet causalitatem suam. Probatur primò ratione communi: Quia vere homo qnoad istos actus se dirigit circa finẽ, cognoscendo illum sub ratione finis; ergo verè, & formaliter finis exercet causalitatem suam circa illos.

2. Ratio.

245 Probatur secundò ratione particulari: Quia duo sunt de ratione finis; vnum, quod sit appetibilis propter se; alterum, quod sit ratio appetendi alia: Sed vt est appetibilis propter se exercet causalitatem suam respectu illorum trium actuum supra commemoratorum; & vt est ratio appetendi alia, exercet causalitatem suã circa electionem mediorum; ergo finis non solum exercet causalitatem suam circa electionem mediorum, sed etiam circa intẽtionem, & alios actus

erga

erga se; Hæc consequentia est directè contra Vazquez, qui vt infra videbimus voluit finem nullo modo exercere causalitatem circa volitionem sui; & planè robustissima, quippè quæ ortum ducat à defininitione finis. Probatur maior, in qua nititur totus iste discursus ex definitione finis. Quia finis est gratia cuius aliquid fit; in qua certè definitione duo inuoluuntur, & quod sit appetibilis propter se, & quod sit ratio appetendi alia; nam prius est, quod aliquis intendat finem in se, & quod postea velit alia, si efficaciter finem intendit: vbi clarè appareret, quod finis prius propter se appetatur, & postea propter ipsum appetantur alia.

246 Cõfirmatur hæc ratio ex S.Th. q. 22. de verit. a.2. qui dicit quod influxus finis est appeti.

5. Concl. et Ratio.

247 Respondeo quintò: Finis non vltimus completè, & in rigore exercet causalitatem suam circa electionẽ mediorum. Probatur, quia finis est ratio eligendi media. Confirmatur, quia per electionem mediorum homo se dirigit in finem, nam est actio vndequaque libera. De hac conclusione nulla est controuersia.

Sentent. Vazquez, et eius 1.Fũdam. & respõsio.

248 Quoad tertium. Vazquez hìc disputatione tertia voluit, finem nullo modo exercere casalitatem circa volitionem sui. Et arguit primo: Finis est gratia cuius aliquid fit; ergo aliquid præter ipsum finem, & volitionem sui, est effectus causæ finalis, scilicet media, & electio mediorum. Sed iam huic argumento patet respõsio ex nostra quarta conclusione, & ratione. Ad ipsum enim negamus cons., si intendit excludere causalitatem finis respectu volitionis sui; si autem intẽdit, quod non sit completa causalitas finis vsque dum eligantur media, vt optimè aduertit Montes. hìc q.6.cit.1.concluſ. concedimus consequentiam. Et hinc nihil contra nos; nam nos vltrò concedimus causalitatem finis efficaciter intenti non compleri, nisi vsque ad electionem mediorum.

Montes.

249 Secundò arguit Vazquez: Finis in ordine ad volitionem sui, non aliter mouet voluntatem, quam appetitum brutorum: sed appetitus brutorum non est propter finem: Ergo neq; volitio finis est propter finem. Respõdeo huic argumento, quod si loquamur de ultimo fine in communi, concedo maiorem; propter rationem allatam in prima nostra respõsione. Si autem loquamur de fine non vltimo, & in particulari, nego maiorem: quia finis cognoscitur ab homine sub ratione finis, non autem à bruto.

2.Fũdam. et respõsio.

250 Arguit tertiò: Actus qui est propter finem, imperatur ab aliquo alio actu voluntatis priori: sed intentio, & desiderium nullum alium actũ voluntatis præsupponunt circa finem: ergo non sunt formaliter propter finem.

3.Fũdam.

Respõsio Suarez.

251 Huic argumento respondet Suarez, quod etiam ad intentionem finis præcedat alius actus, scilicet amor eiusdem finis, à quo sumit initium intentio. Sed hæc solutio reprobatur à Mõtes. hìc ad tertium. Primò, quia in rigore metaphysico loquendo non opus est, vt ad intentionem finis præcedat amor eiusdem: Secundò, quia remanet difficultas de illo amore, qui est propter finem, à quo alio imperetur, & sic dabitur processus in infinitum.

Respõsio Montes.

252 Quapropter respondet ipse ad argumentum dicens: Dicendum ergo nobis est, quod vt finis exerceat suam causalitatem, non opus est, vt ad intentionem finis præcedat alius actus in voluntate, sed satis est, quod præcedat cognitio illius; nam finis in apprehensione mouet ad intentionem sui, & in intentione ad electionem mediorum.

Verior respõsio.

253 Vtraque solutio posset sustineri, sed pro nunc amplectimur secũdam. Neque rationes Montes. vrgent contra Suarez; Ratio prima, quia vt infra videbimus, cum de serie actuum voluntatis agemus, aliqui ponũt actũ amoris in voluntate antecedẽtem volitionem finis; Neque secunda, quia non daretur processus in infinitum, nam

Digitized by Google

nam ille amor moueretur ex cognitione finis,ſicut ipſe dicit,intentionem moueri ex cognitione finis, & ſiſteretur ibi. Verum de his infra.

ARTICVLVS III.

Vtrum actus humani recipiant ſpeciem ex fine?

254 IN hoc artic.' duo facit Sãctus Thomas. Primo ſupponit vnum,& illud probat.Deinde ſtatuit duas concluſiones, & etiam probat illas. Ambroſ.

255 Quoad primũ ſupponit, quod actus humani poſſunt ſumi per modũ actionum, & paſſionum. Probat hoc primo ratione generali: Quia actus humani ſunt motus quidam: ſed motus quodammodo diſtinguuntur per actionem,& paſſionem;ergo actus humani poſſunt ſumi per modum actionum, & paſſionum. Secundò probat ratione particulari; quia homo per actus humanos mouet ſe ipſum, & mouetur à ſe ipſo: ſed quatenus mouet ſe ipſum, importatur formalitas actionis: quatenus verò mouetur à ſe ipſo, importatur formalitas paſſionis: ergo,&c.

256 Quoad ſecundum ſtatuit primam concluſionem. Si actus humani ſumantur per modum actionum, ſpecificantur à fine. Ratio eſt, quia finis eſt principium humanorum actuum; nam procedunt à voluntate deliberata excitata per finem: ſed quælibet actio ſumit ſpeciem ab actu, qui eſt principium agendi;quia actus eſt, qui ſpecificat; ergo ſi actus humani ſumãtur per modum actionum, ſpecificantur à fine tanquam ab actu,qui eſt eorum principium.

257 Secunda concluſione.Si actus humani ſumantur per modum paſſionum,etiam ſumunt ſpeciem ſuam à fine tanquam à termino. Probatur quia finis eſt terminus actuum humanorũ, quia id,ad quod terminatur actus humanus, eſt id, quod voluntas intendit tanquam finem;ſicut in agentibus naturalibus forma generati,quę eſt conformis formæ generantis, intenditur tanquam finis: ſed paſſio ſpecificatur ab actu,qui eſt terminus motus noſtri: ergo ſi actus humani ſumãtur per modum paſſionum, etiam ſpecificantur à fine tanquam à termino. Probat ſecundo hanc concluſionem S. Th. authorit. Ambroſij; quia actus humani, & actus morales idem ſunt ſecundum Ambr.nam prefat.in luc.prope finem ait, quod Mores propriè dicuntur humani: ſed actus morales propriè ſortiuntur ſpeciem ex fine: ergo actus humani,&c. Ambroſ.

258 In reſponſione ad tertium dicit primò S.Th. quod idem actus numero (intellige moralis) ſecundum quod ſemel egreditur ab agente non ordinatur, niſi ad vnum finem proximum,à quo habet ſpeciem: ſed poteſt ordinari ad plures fines remotos,quorum vnus eſt finis alterius.

259 Dicit ſecundò, quod idem actus numero in eſſe naturæ ſecundũ dum ſpeciem naturæ poteſt ordinari ad diuerſos fines voluntatis; ſiue ad diuerſos fines morales. Ratio eſt,quia fines morales accidunt rei naturali. Confirmat etiam exemplo, quia eadem occiſio hominis ſecundum ſpeciem naturæ poteſt ordinari ad conſeruationem iuſtitiæ, & ad ſatisfaciendum iræ.

260 Dicit tertiò, quod idem actus ſpecie in genere moris poteſt eſſe multiplex ſpecie in genere naturæ. Quia ſpecies in genere naturæ accidunt actui ſpecifico in genere moris.

261 Super iſtum articulum oritur vnica difficultas: An actiones ſumant ſpeciem ſuam ex principio,quo agens agit? Quæ quidem quæſtio eſt purè philoſophica, & ideò omittenda. Sed vt ſequamur morem interpretum, & doctrina Sancti Thomæ magis clareſcat, illam diſputabimus. Eſt ergo.

LE-

Digitized by Google

LECTIO VNICA.

An actiones sumant speciem suam ex principio, quo agens agit?

262 IN hac lectione iuxta morē quatuor faciam: Primò explicabo titulum. Secūdò iaciam quoddam fundamentū nostræ sententiæ. Tertiò stabiliam sententiam nostram rationibus efficacibus meo videri. Quartò adducam tres sententias in contrariū cū suis rationibus, quæ possunt militare pro illis, & soluam illas.

263 Quoad primum: Sciendum est ex philosophicis, quod causarum efficientium: aliæ sunt æquiuocæ: aliæ vniuocæ. Causæ æquiuocæ dicuntur illæ, quæ plures, & diuersus effectus producunt, vt Sol: Causæ vniuocæ dicuntur illæ, quæ sunt determinatæ ad vnum particularem effectum, vt ignis. Rursus, quod in omni agente præter ipsam formam substantialem, quæ est principium radicale agendi, datur principium proximū agendi. Hìc nos loquimur naturaliter de causis tam æquiuocis, quam vniuocis, & de ipso principio proximo ad agendum: An scilicet actiones specificentur à principio, & ratione proxima agendi? Quamuis enim posset etiam queri: An specificentur à principio radicali, nihilominus hoc non curamus, quia si actio semel dicat ordinem ad principium proximum, & specificetur ab illo, cōsequenter dicit ordinem ad principium radicale, & quodammodo sumit suam speciem etiam ab illo.

1. Animaduersio.

264 Præterea aduertendum est, quod sunt quædam principia proxima agendi ex se sufficienter determinata, & constituta in actu primo ad agendum, vt est calor respectu calefactionis: quædam verò principia ex se non sunt sufficienter determinata, & constituta in actu primo ad agendum, sed indigent vniri cum suis obiectis, vt sunt potentiæ cognoscitiuæ, & appetitiuæ. Ita colligitur ex S. Th. infra q.72.a.3.& p.p.q.77.a.3. De omnibus actionibus sumptis per ordinem ad ista principia quomodocumq; sumpta loquimur. S.Th.

2. Animaduersio.

265 Quoad secundum: Fundamētum singulare, quod iacio ad fundandam, & stabiliendam nostram sententiam est, quod ista tria, motus, passio, & actio, quamuis in vna entitate modali reali identificentur, nihilominus distinguuntur formaliter, siue realiter, siue ratione ratiocinata, hoc parum refert ad rem nostram. Motus enim formaliter loquendo est transitus mobilis de actu imperfecto ad perfectum, siue est actus quidam imperfectus tēdens ad actum perfectum; vel vt generalius loquamur est transitus mobilis de vno in aliud: Ex sua enim natura, neque dicit ordinem ad passum, neq; ad agēs, sed abstrahit ab vtroq;. Passio verò est receptio in passo, siue dicit ordinem ad passum. Actio verò est exitus ab agente, vel à principio efficiente, & dicit tantum ordinem ad agens in sua formalissima ratione cōsiderata. Videte Complut. nostros 3. Phys.q.2.& 3. Fundam. nostræ, Concl. N. Complut.

266 Confirmatur hæc doctrina de actione, & passione, exemplo calefactionis, quod adducit Sanctus Th. in hoc art. Ait enim S. Doctor in corpore huius art. *Calefactio actio nihil aliud est, quam motio quædam à calore procedens: calefactio verò passio nihil aliud est quam motus ad calorem.* Iam veniamus ad stabiliendum nostram sententiam. Confir. S.Th.

267 Quoad tertium generaliter dico: Omnes actiones in sua formalissima ratione consideratę specificantur à principio proximo, quo agens agit. Est conclusio expressa Sancti Thomæ in hoc art. vt luce meridiana clariùs patebit attentè legenti illum. In quo Sanctus Th. magis clarè locutus est, quam in alijs locis, quæ infra adducam. Ipsum sequuntur Montes. in hoc art. quæst. 7. & alij sinceriores Thomistæ. Cōclusio. S.Tho. Montes.

268 Probatur autem primo ratione

ne vniuersali,& solidissima:Omnis res,
1. Ratio. quæ secundum suam vltimam, & formalem rationem dicit ordinem ad aliquod extrinsecum, ab illo specificatur: sed omnes actiones secundum suam formalissimã rationem cõsideratæ dicunt habitudinem ad principium,quo agens agit:ergo ab illo specificantur: Consequentia est euidens: minor patet ex his, quæ in secundo puncto diximus pro fundamento nostræ sententiæ: maior est communiter recepta, & expressa S.Th.infra quæst. 14.a.2.Ait enim in corpore huius art. *Omnia autem, quæ dicuntur secundum ordinem ad aliquid, distinguuntur secundum distinctionem eorum,ad quæ dicuntur.* Probatur etiam, quia propterea potentiæ specificantur in omnium sententia per ordinem ad actus, & actus per ordinem ad obiecta, quia dicunt ordinem ad illa.

269 Deinde probatur conclusio in particulari de actionibus vitalibus:
2. Ratio. Quia actiones vitales sumunt speciem suam à principio vitali, nam propterea distinguuntur ab actionibus non vitalibus,quia illa dicunt ordinem ad principium vitale, istæ verò non dicũt ordinem ad principium vitale, sed ad principium, quod de ratione sui non sit vitale: ergo omnes actiones debẽt sumere speciem à suo principio proximo. Probo consequentiam. Quia vnde ortum habuit,quod actiones vitales debent dicere ordinem intrinsecum, & trascendentalem ad principium vitalem? nisi quia omnes actiones dicunt ordinem ad suum principium, & specificantur ab illo? Præterea, quæ ratio potest assignari, quod actiones vitales debeant dicere ordinem intrinsecum ad suum principium, & specificari ab illo,& non aliæ?

270 Huic rationi, nescio, quid re-
Respõsio Suarez. spondet Suarez:ait enim, quod actiones dicuntur vitales denominatione extrinseca, & accidentali. Si vult dicere,vt ipsum interpretatur hìc Montes. Montes. quod actiones vitales ratione vitalitatis distinguuntur tantum accidẽtaliter à non vitalibus, sicut homo albus distinguitur specie accidentali ab homo nigro.

271 Contra hoc est, quia sicut viuens à non viuente distinguitur essen- Impugnatio.
tialiter, ita actiones vitales à non vitalibus distinguũtur essentialiter; nam sunt emanationes ab intrinsecissima (vt ita dicam) eorum natura medijs potentijs proximis vitalibus, & non vitalibus.

272 Tertia ratio efficax pro hac 3.Ratio.
sententia, & est maior explicatio huius rationis. Quia operationes animæ vegetatiuæ, vt sunt à solo Deo, sicut generatio, habent, & possunt habere eundem specie terminum, ac ipsemet vt sunt ab homine, & nihilominus sunt specie distinctæ: ergo signum est, quod specificatio ipsarum nõ sumitur à termino,sed à principio.

273 Hinc iam manifestè videtur,quã optimè,& quam solidè dixerit Sãctus S.Tho.
Thomas in hoc ar.actiones humanas, si sumantur vt actiones, specificari à fine tãquam à principio, quippè cum actiones in uniuersum sumant suam speciem à principio:& finis,ut propositus voluntati ab intellectu,unitur in unum principium completum cum ipsa uoluntate respectu actuum humanorum. Sed iam ueniamus ad sententias contrarias.

274 Quoad quartum. Est prima 1.Sẽtentia Suarez.
sententia Suarez 2.tom.Metaph.disp. 48.sect.3. dicentis actionem non specificari à principio solo, sed magis ex termino,aut ex utroque simul. Et putat hanc esse sententiam Arist.5.Phys. Arist.
quatenus docet motum specificari à termino.

275 Secunda sententia est Vazq. 2.Sẽtentia Vazquez.
in expositione huius art. qui dicit doctrinam Sancti Th. non esse vniuersaliter veram: Sed actiones animales,siue cognoscitiuæ, siue appetitiuæ, vt actiones specificantur à principio: & vt passiones à suo termino. Si verò erit sermo de actionibus non animalibus, & tunc actiones,quæ procedunt à causis vniuocis, specificantur à suo principio;non verò actiones,quæ procedunt à causis æquiuocis,vt à Sole.

Digitized by Google

3.Sẽtentia Curiel.

276 Tertia ſententia eſt Curielis dub.1.in hoc art.qui dicit duo. Primũ eſt, quod actio duplicem habitudinẽ importat: vnam ad principium ſuum effectiuum,quia eſt aliquid,quo reducitur ad actum ſecundum ſuæ actiuitatis: alteram ad obiectum; quia eſt ipſa communicatio,vel productio termini,ſeu ſaltem attactio obiecti.Hinc infert quod actio formaliter ſpecificatur à termino;efficiẽter verò à principio: non quia principium ſit radix ſpecificationis,ſicut forma dicitur radix differẽtiæ,ſed quia poſtulat actionem talis ſpeciei. Secundum quod dicit P. Curiel eſt, quod quædam principia(vt ſupra nos notauimus)ſunt ex ſe ſufficienter determinata ad actionẽ, quædam verò non, ſed indigent vniri cum ſuis obiectis;Vnde infert,quod quando principia ſunt per ſe ſufficiẽter determinata, ſpecificatio actionis ſolum ſumitur ab obiectis:quãdo vero ex ſe non ſunt ſufficienter determinata, ſpecificatio actionis ſumitur, modo dicto, formaliter ab obiecto, & efficienter à principio efficiente.

Impugnatur ſentẽtia Curielis.

277 Certè hæ ſententiæ remanent impugnatæ ex rationibus pro noſtra ſententia adductis. Sed placet impugnare ſpecialiter ſententiam Curielis quo ad id, quod dicit, quod actiones ſpecificantur efficienter à principijs efficientibus. Primo, quia nunquam audiui in philoſophia iſtum modum loquendi, quod ſpecificatio ſumatur efficienter ab aliquo actu; ſed ſemper audiui, quod ſumatur formaliter. Secundo, ſi actiones dicũt habitudinem ad ſuum principiũ efficiens: ergo iſta eſt habitudo traſcendentalis intrinſecè imbibita in ipſis, & conſequenter formalis,& cõſequenter ſpecificatiua; Vnde ſemper ſpecificatio actionis eſt à ſuo principio effectiuo. Tertio, quia vnius rei non poſſunt eſſe duæ differentiæ ſpecificatiuæ oppoſitæ: ergo non poteſt actio ſpecificari efficienter à ſuo principio effectiuo,& formaliter à termino. Quarto,quia actio ex ſua formaliſſima ratione importat tãtùm habitudinem ad agens, vt patet exẽplo calefactionis adducto à S. Th. nam vt dicit ordinem ad obiectũ, habet rationem paſſionis. Verum adducamus rationes, quæ pugnant pro his ſententijs.

1. Fũdam. pro contrar. ſent. ex S.Th.

278 Prima ratio ſumitur ex pluribus teſtimonijs S.Th. nam quæſt.6.de Potentia art.8.dicit, *Actiones ſpecificari ex terminis.* Et p.p.q.77.a.3. loquitur ſub diſiunctione dicens: *Actio ſpeciem recipit ſcilicet ex principio, vel ex fine,ſeu termino.* Et infra q.18. a.2. dicit: *Quod ſicut res naturalis habet ſpeciem ex ſua forma,ita actio habet ſpeciẽ ex obiecto.* Idem repetit q.72.a.1. vbi ait: *Actus voluntarij diſtinguuntur ſpecie ſecundum obiecta.* Ergo ex mente S. Th. actiones nõ ſpecificãtur à principio agendi. Ad hæc omnia loca Sancti Th. reſpondeo breuiter: quod quando dicit S. Doctor, quod actiones ſpecificantur ab obiecto ſumit actiones identicè,ſecundum quod dicunt formalitatem paſſionis, vt clarius in hoc art. quam locis adductis explicauit mentem ſuam: Sed reſpondeo ſingillatim ad loca ſingula.

Reſponſ. ad 1. locũ D.Th.

279 Ad primum adductum ex p.p. dico, quod ibi exp. eſsè docuit noſtram ſententiam, & id, quod docuit in hoc art. Nam ibi quærit: an potentiæ diſtinguantur per actus, & obiecta,& concludit affirmatiuè: Sed præmittit iſtam doctinam, quod ſunt aliquæ potentiæ,reſpectu quarum obiectum ſe habet vt principium actiuum, & vt terminus, vt ſunt potentiæ apprehenſiuę,& appetitiuæ,vt ſupra nos notauimus:alię uerò ſunt potentiæ,reſpectu quarum obiectum ſe habet tãtum ut terminus, ut eſt potentia augmentatiua. Actiones potentiarũ primi generis,inquit Sanctus,ſpecificantur à ſuis obiectis tanquam à principijs,& terminis. Actiones autem potentiarum ſecundi generis ſpecificantur ſolum ab obiectis tanquam à terminis, quia obiecta non habent rationem principij reſpectu ſuarum actionum. In quo nihil contra nos. Nam nõ negat ibi S.Th., quod actiones ut actiones ſpecificentur à ſuis prin-

Digitized by Google

principijs, ut patet exemplo infrigidationis,& calefactionis, quod adducit dicens: *Differt enim calefactio ab infrigidatione ſecundum quod hæc à calido ſcilicet actiuo ad calidum: illa autẽ à frigido ad frigidum procedit*. Remanet ergo uerum,quod actiones,ut important rationem paſſionum, ſpecificentur ab obiecto, non uerò ut ſunt formaliter actiones.

Reſpõſio ad alia loca D. Th.

280 Ad loca adducta ex p.2. ſimiliter reſpondetur: Nam in primo loco quærit S.Tho. An actio hominis habeat bonitatem,uel malitiam ex obiecto? Et ſi ipſe non eodem modo locutus eſſet in hoc loco,ſicut in præſẽti art. quem cõmentamus, ubi agit de ſpecificatione actuum humanorum in communi, non locutus eſſet conſequenter. In ſecundo loco,qui adducitur,ex p.2.quærit etiam. An peccata differant ſpecie ſecundum obiecta? Et reſpondet affirmatiuè. Et uno art.interpoſito proponit art.tertium,in quo quærit. An peccata diſtinguantur ſpecie ſecundum cauſas? Et reſpondet etiam affirmatiuè. In quibus locis ſi S. Th. non intelligeretur ſecundum doctrinam datam, manifeſtè ſibi contradiceret,quod non eſt dicendum.

2.Fũdam. ex ratione, & reſponſio.

281 Secunda ratio. Actiones aliquæ habent contrarietatem ex termino, ut patet de calefactione,& infrigidatione:ergo ex termino ſumunt ſpeciem ſuam. Reſpondeo neg. ant. loquendo de actionibus formaliſsimè ſumptis, quia ut ſic ſumunt ſpeciem à principijs, vt patet exemplo adducto ex S.Th. paulò ſuperiùs de calefactione,& infrigidatione.

3.Fũdam. & reſponſio.

282 Tertia ratio. Terminus eſt vltimus actus:ergo ex termino actio habet ſpeciẽ ſuam. Reſpõdeo,quod terminus eſt vltimus actus reſpectu actionis, vt importat realitatem paſſionis, & ex illo vt eſt formaliter paſſio debet ſumere ſpeciem ſuam, non verò vt actio; nam vt ſic dicit ordinem præcisè ad principium ſuum tanquam ad actum vltimo conſtituentem illam in ratione actionis.

283 Quarta ratio. Principium reſpectu actionis ſe habet vt terminus *à quo*: ergo actio non poteſt ſpecificari ab illo. Reſpondeo negando ant. ſimpliciter loquendo: Nam principiũ reſpectu actionis formaliter ſumptæ ſe habet vt actus; vt expreſſis verbis docuit S.Th.hìc. Poteſt autem concedi, quod ſit terminus *à quo* reſpectu actionis vt inuoluit formalitatem motus:ſed nihil inde contra nos.

4.Eũdam. et reſponſio.

284 Quinta ratio. Actio in quantum actio eſt productio termini: ergo ex termino debet ſumere ſpeciem ſuã. Reſpõdeo neg.ant.primo. Quia datur actio, quæ ſit acquiſitiua termini, vt eſt viſio beata: Secundo,quia actio,vt actio formaliſsmè sũpta, eſt egreſſus ab agente. In quo duo importantur, vnum in recto, nimirum ordo,vel habitudo ad principium, à quo egreditur:Alterum in obliquo,nempè terminus, quem producit, & ad quem dicit ordinem,vt eſt formaliter paſſio.

5.Fũdam. et reſponſio.

Replica Curiel, et Enodatio.

285 Sed vrget Curiel: Quia ordo, quem dicit actio ad ſuum principiũ, eſt traſcendentalis, qui nõ poteſt ipsã ſpecificare: Nam ſicut potentia actiua, & habitus,quamuis dicant ordinẽ traſcendentalem, & communem ad ipſum operans, nihilominùs nõ ſpecificantur ab ipſo,ſed ab obiecto, quod reſpiciunt:ita actio,quamuis importet ordinem ad ſuum principium, nõ debet ſpecificari ab ipſo, ſed à ſuo obiecto. Reſpondeo neg. ant. Ad probationem dico, quod diſpar eſt ratio; nã potentia,& habitus ex natura ſua ſunt inſtituta propter operationem, vnde ex primario ſuo conceptu debent dicere ordinem ad actionem,& obiectũ, & ſpecificari ab illo. Actio verò ex natura ſua eſt egreſſus ab agente,ſiue exercitium virtutis ſuæ actiuæ; Vnde ex primario, & differentiali ſuo cõceptu debet importare ordinem ad illum, & ſpecificari ab illo.

6.Fũdam. et reſponſio.

286 Sexta ratio. Ab eodem principio actiuo exeunt actiones ſpecie diuerſæ, vt à Sole calefactio, & illuminatio:ergo debent ſpecificari à ſuis terminis. Reſpondeo,quod ab eodem principio exeũt diuerſæ actiones ſub

diuersa ratione formali. Nam idem Sol prout continet calorem est principium calefactionis; prout continet vim illuminatiuam est principium illuminationis: Sicut eadē anima prout continet gradum vegetandi est principium vegetationis: prout continet gradum sentiendi est principium sensationis, & sic de alijs gradibus. Potest hæc doctrina etiam exemplificari in agentibus artificialibus, qui secundum diuersas ideas influunt in diuersas actiones. Et hæc sufficiant pro hac lectione.

Dubium incidens, et eius resolutio.

287 Posset moueri aliud dubium super istum art. An quando Sanctus Th. docet in hoc art. Actus humanos sumere speciem ex fine, loquatur de illis in esse moris, an in esse naturæ? Sed certè superfluum est immorari in hac disputatione: nam luce clarius patet ipsum loqui de actibus humanis in esse moris. Primo, quia in hac parte loquitur vt Theologus moralis. Secundo, quia in argumento. *Sed contra* huius art. vtitur isto argumēto D. Augustini, nimirum: *Secundum quod finis est culpabilis, vel laudabilis, secundum hoc sunt opera nostra culpabilia, vel laudabilia*. Tertio ob responsionem quā adducit ad tertium argumentum. Nō propterea autem excluditur, quod finis etiam specificet actus humanos in esse naturæ, quia voluntas nostra siue vt natura, siue vt libera, semper respicit finem. Sed illa fuit mens principalis S. Thomæ in hoc art.

D. Aug.

ARTICVLVS IV.

Vtrum sit aliquis finis vltimus humanæ vitæ?

288 IN hoc artic. duo facit principaliter Sanctus Thomas. Primo supponit aliqua tanquam certa, secundo respondet quæsito quatuor conclusionibus.

289 Quoad primum. Supponit quod in finibus datur duplex ordo, vnus intentionis, alter executionis. Rursus, quod in eis potest dari duplex dependentia; Vna per se; altera per accidens.

290 Quoad secundum. Resp. primo quæsito: quod in finibus per se subordinatis in ordine intētionis debet dari vnus vltimus finis, à quo incipiat intentio, Ratio est, quia si non esset vltimus finis, nihil appeteretur, nec aliqua actio terminaretur, nec etiam quiesceret intentio agentis. Patet hoc ex Philosopho 8. Phys., quia in causis subordinatis, remota prima, remouentur secundæ, siue (remoto primo mouente) remouentur reliqua mouentia. Arist.

291 Resp. secundò: quod in ordine executionis debet dari vnum primum medium, à quo incipiat executio. Ratio est, quia si non esset primum in his, quæ sunt ad finem, nullus inciperet aliquid operari, nec terminaretur cōsilium, sed in infinitum procederet.

292 Respondet tertio, quod in finibus per accidens subordinatis, siue coniunctis potest dari processus in infinitum. Ratio est, quia causæ per accidens sunt indeterminatæ.

293 Respondet quarto: quod in medijs per accidens coniunctis etiam potest dari processus in infinitum. Ratio est eadem, ac præcedens.

294 Super istum art. oriuntur tres difficultates. Prima circa id, quod supponit Sanctus Th. tanquam certū, scilicet dari fines per se subordinatos: An fines subordinati, siue intermedij, aut non vltimi habeant rationem finium? Secunda circa primam conclusionem: An re vera detur vnus vltimus finis humanæ vitæ? Tertia circa secundam conclusionem: An etiam in medijs per se subordinatis deueniendum est ad vnum, ad quod terminetur consilium, & quod sit proximum fini vltimo; & an detur medium primum, à quo incipiat executio? Vnde sit.

LE-

Digitized by Google

LECTIO I.

An finis intermedius, siue non vltimus habeat rationem finis ?

295 HÆC difficultas est valde necessaria pro cognitione bonitatis, & malitiæ actuum humanorum; nam ex ipsius decisione pendet maximè cognitio illius difficultatis: An idem actus possit habere duas bonitates, vel malitias morales? Quare breuiter, & dilucidè illam expediam. Et pro eius decisione tria faciam: Primo explicabo titulum: Secundo statuam nostram sententiam: Tertio referam sententiam contrariam cum suis rationibus, & solutionibus illarum.

Animadu. 296 Quoad primum: Aduertendũ est, quod omissis alijs diuisionibus; Finis solet diuidi in finem vltimum, & proximum, siue non vltimum, vel intermedium. Finis vltimus dicitur, qui in alium finem non ordinatur. Finis proximus, siue non vltimus, vel intermedius dicitur, qui in alium finem ordinatur. Ab alijs solet finis diuidi in vltimum negatiuè, & in vltimum positiuè. Finem vltimum negatiuè dicunt esse eum, qui propter se est appetibilis, & non ordinatur in alium finem. Finem vltimum positiuè dicunt esse eum, qui propter se est appetibilis, sed ordinatur in alium. Verum hæc diuisio coincidit cum præcedenti, quam maioris claritatis gratia adduxi, & deseruiet ad faciliorem solutionem argumentorum. Vnde difficultas nostra procedit de fine proximo, siue non vltimo, vel intermedio: An re vera habeat rationem finis: An ex eo, quod ordinatur ad alium, habeat potius rationem medij?

Concluſ. 297 Quoad secundum: Dico absolutè, & firmiter, quod finis intermedius habeat veram rationem finis. Ita Arist. 1. Eth. cap. 7. & 2. Phys. cap. 3. tex. 29. & 2. Metaph. cap. 2. D. Th. in hoc art. & alijs locis infra adducendis. Montes. hìc disp. 2. quæst. 1. Complut. nostri 2. Phys. disp. 14. quæst. 1. & alij. Arist. S. Th. Montes. N. Complut.

298 Probatur primo auth. Arist. locis citatis, sed præcipuè 1. Eth. cap. 7. vbi ait: Voluptatem, & virtutem appeti propter fælicitatẽ: Sed voluptas, & virtus habent rationem finis; nam bonum delectabile, & bonum honestum, quæ clauduntur in voluptate, & virtute sunt per se appetibilia, etiam si ordinentur ad vlteriorem finem: ergo, &c. Probatur 1. ex Arist.

299 Probatur secundo auth. D. Th. in hoc art. vbi fatetur, non dari processum in infinitum in finibus per se subordinatis: ergo clarè sentit dari fines intermedios, qui habeant veram rationem finis. Item art. præced. ad 3. ait: *Idem actus numero secundum quod semel egreditur ab agente, non ordinatur nisi ad vnum finem proximum, à quo habet speciem: sed potest ordinari ad plures fines remotos, quorum vnus est finis alterius.* Quid clariùs? Præterea infra q. 12. a. 2. quærit: *An intentio sit tantum vltimi finis?* Et respondet, quod non semper intentio est vltimi finis, ea ratione, quia intentio comparatur ad finem, sicut motus localis ad suum terminum; sed motus localis nõ solum respicit vltimum terminum, in quo vltimate quiescat, sed terminos intermedios: ergo etiam intentio non solum respicit vltimum finem, sed fines intermedios. Vbi vide quam clarè S. Th. admittat fines intermedios. Probatur 2. ex S.T.

300 Probatur tertio ratione fundamentali: Quia de ratione finis vt finis, est, quod sit propter se appetibilis, abstrahendo ab hoc, quod sit ordinabilis, vel non ordinabilis in alium finem: Sed fines intermedij sunt per se appetibiles, vt patet de sanitate, quæ quamuis sit finis vltimus in vna serie, potest tamen ordinari in alium finem: ergo fines intermedij habent veram rationem finium. 3. Probatio ex ratione.

301 Probatur maior in qua nititur totus iste discursus à pari: quia de ratione

Digitized by Google

tione cauſæ efficientis eſt, quod habeat tãtam formam propriam, & vim actiuam ad agendum,non verò, quod non ſubordinetur alteri; Nam cauſa ſecunda eſt vera cauſa ſecunda efficiens, quamuis ſubordinetur primæ cauſæ efficienti. Similiter de ratione principij eſt, quod habeat vim, vt ex illo inferatur concluſio,nõ verò,quod ipſum nõ ſit illatum ex alio principio: ergo de ratione finis eſt,quod habeat ſolum bonitatem propter ſe appetibilem,non vero, quod non ordinetur in alium; Nam ordinari, & non ordinari in alium finem, ſunt differentiæ, quæ adueniunt fini vt ſic: Et finis,qui non ordinatur in alium,eſt vltimus finis ſimpliciter; finis verò, qui ordinatur in alium,eſt finis intermedius.

302 Probatur quartò alia ratione deſumpta ex S. Th.loco proximè adducto ſatis efficaci meo videri, & eſt cõfirmatio præcedentis rationis.Quia finis reſpectu voluntatis,& actus intẽtionis tendentis in illum,eſt terminus: Sed terminus vt terminus abſtrahit ab vltimo,& non vltimo, & ſolum ex ſe dicit vim, & efficaciam limitandi, & finiendi motum in ſe,ſiue motus ille tendat in vlteriorem terminum,ſiue non:ergo finis abſtrahit ab vltimo,& non vltimo, & ſolum ex ſe dicit vim finalizandi,& terminandi actum intẽtionis, vel deſiderij in ſe, ſiue reſpiciat, ſiue non reſpiciat vlteriorem finem. Conſequentia eſt legitima: Maior patet exemplo omnium obiectorũ reſpectu potentiarum,à quibus reſpiciuntur:Minor ſolum probanda eſt,& probatur ex ipſa definitione termini: Nam terminus eſt finitio rei; Probatur rurſus hæc minor, & exemplo termini motus adducto à S. Th. loc. cit. Nam duplex eſt terminus motus localis,ait S.Th.Vnus vltimus,& totalis, in quo quieſcit totus motus: Alter intermedius,qui eſt terminus vnius partis motus, & principium alterius partis;ſicut patet in motu,quo itur de A. in C. per B.vbi terminus,C., eſt ultimus,& B.,eſt terminus non vltimus, & intermedius: ergo terminus vt terminus abſtrahit ab vltimo, & non vltimo,ſiue intermedio.

1. Ratio ex S.Th.

303 Quoad tertium: Eſt ſententia Vazquez in hoc art.diſp.4. cap.2. qui aſſerit,quod eo ipſo, quod aliquid eſt volitum tanquam finis, nõ poteſt alio modo eſſe volitum cum ſubordinatione ad ulteriorem finem. Probat hanc ſuam ſententiam primo ex Ariſt. 2. Phyſ. cap.3. qui ait, finem eſſe cuius gratia cætera fiunt; ergo ſi cætera fiũt gratia ipſius, ipſe non fit gratia alterius.

Sententia Vázquez, & 1.arg. ex Ariſt.

304 Reſpondetur, quod definitio finis tradita ab Ariſt. debet intelligi proportionabiliter etiam de fine intermedio:eo nimirum ſenſu, quod ſecundum eam formalitatem,qua cætera fiunt gratia ipſius, ipſe non fit gratia alterius, quamuis poſtea ipſe poſſit ordinari ad ulteriorem finem.

Reſpõſio.

305 Secundò ex eodem Ariſt. 8. Eth. cap.2. ubi ait, quod per bonum utile conſequimur bonum honeſtum, & delectabile: Sed per bonum honeſtum, & delectabile, quæ habẽt rationem finium,nihil aliud conſequimur: ergo nullo modo ordinantur ad ulterius bonum.Reſpondeo,quod bonum honeſtum ordinatur ad fælicitatem; Idem poteſt dici de bono delectabili: Verum quandoque bonum delectabile ordinatur ad alium finem, quam ad fælicitatem; ut patet de potione dulci,quæ ordinatur ad ſanitatem.

2.Argum. ex Ariſt. & reſpõſio.

306 Tertiò,ratione: Quia de ratione finis eſt,ut ſit propter ſe appetibilis:ergo non poteſt ordinari ad ulteriorem finem: alioqui non eſſet propter ſe appetibilis. Reſpondeo diſtinguendo ant. De ratione finis eſt, vt ſit propter ſe appetibilis, abſtrahendo à ſubordinatione ad ulteriorem finem, uel à non ſubordinatione ad ulteriorem finem,concedo ant. Nõ abſtrahẽdo ab iſta ſubordinatione,uel nõ ſubordinatione ad ulteriorem finem, nego antecedens: quia ut diximus ſupra de ratione finis ultimi tantum eſt non ſubordinari ad ulteriorem finem. Et ad conſ. nego illam ſimpliciter. Et ad eius probationem dico, quod hæc eſt

3.Argum. ex ratione, & reſpõſio.

diffe-

Digitized by Google

differentia inter finem intermedium, & purum medium; quod ipsum medium solum est appetibile propter finem; finis uerò intermedius est appetibilis propter se cum ordinatione ad ulteriorem finem; Vnde fit, ut etiam sit appetibilis propter alium.

Confirm. & respon.

307 Confirmatur hæc ratio, quia bonitas finis est absoluta: ergo non potest referri in alium finem. Respõdeo, quod bonitas finis ultimi est absoluta simpliciter: bonitas finis intermedij absoluta simpliciter, sed secundum quid relatiua: bonitas uerò medij simpliciter relatiua.

4. Argum. & respõsio.

308 Quartò etiam ratione. Quia creaturæ ideò dicuntur volitæ à Deo tanquam medium, quia ordinantur ad manifestationem suæ bonitatis: ergo eo ipso, quod aliquid dicit ordinem ad aliud, est uolitum tanquam medium. Respondeo breuiter, quod creaturæ nullam possunt habere bonitatem secundum se respectu diuinæ uoluntatis, bene autem respectu uoluntatis creatæ; & ideò quamuis ordinentur ad aliud, possunt habere rationem finis.

Coroll.

309 Hinc iam infertur, quod unus, & idem actus in *esse naturæ*, potest habere plures bonitates, uel malitias morales in *esse moris*, quia potest habere plures fines bonos, uel malos subordinatos. Quod quomodo accidat infra q. 18. & 19. latiùs declarabimus.

LECTIO II.

An detur vnus vltimus finis humanæ vitæ?

310 IN hac difficultate primò explicabo tit. Secundò satisfaciam quæsito. Tertiò adducam unam obiectiunculam in contrarium.

Animadversio.

311 Quoad primum: Aduertendũ est, quod hìc loquimur de finibus per se subordinatis; nam de finibus per accidens coniunctis nullus est hìc sermo; quia certum est eos posse multiplicari in infinitum, ut patet si quis uellet uictoriam in bello; lucrum in negotiatione; sanitatem in curatione infirmitatis, & sic de cæteris; Vel si quis uellet, ut ait hìc Sanctus Th. ad 3. uoluntate reflexa aliquid, ut si uellet sanitatem, & uellet se uelle sanitatem, & iterum uellet illam tertiam uolitionem, & sic in infinitum. S. Th.

312 Rursus duplex potest esse ultimus finis: Vnus in cõmuni, ut bonitas, uel felicitas ut sic: Alter in particulari, ut est Deus, in quo reperitur tota plenitudo bonitatis. Deniq; finis aliquis dupliciter potest intelligi ultimus: Vno modo in aliqua serie, ut in serie medicinalium est sanitas, & in serie militari uictoria: Altero modo simpliciter respectu cuiuscumq; seriei finium subordinatorum, non solum respectu actuum voluntatis, sed etiam respectu obiectorum, vel finium particularium ab ipsa voluntate intentorum. De vtroque isto fine hìc nobis loquendum est; & de ipsis secundum se.

1. Cocl. & eius Ratio.

313 Quoad secundum: Certum est, quod detur vnus vltimus finis in particulari totius humanæ vitæ, qui est Deus Optimus Maximus. Ratio est, quia in ipso inuenitur omnis plenitudo bonitatis, & ab ipso procedunt, & ad ipsum tendunt omnes creaturæ. Quomodo autem ipse Deus agat propter finem? Tractauimus super art. secundum huius quæstionis. An autem homo, quando operatur, operetur sẽper propter vltimum finem, qui est Deus? In sequentibus art. videbimus.

2. Concl.

314 Respondeo secundò: Certum est in quacumque serie finium particularium per se sub ordinatorum deueniendum esse ad vnum vltimum finem: Sicut in qualibet serie finium subordinatorum, certum est, dari vnũ primum finem, qui moueat mediantibus alijs finibus intermedijs voluntatem. Hanc responsionem clarè probãt duæ rationes allatæ à S. Th. in argumento *Sed contra*, & in corpore huius art.

Digitized by Google

art.Et sunt etiam Arist.2.Metaph.cap. 2.& 8.Phys.cap.

315 Prima ratio est:Quia in qualibet serie volitorũ debet dari vna vltima ratio boni:ergo vnus vltimus finis: Cons.est euidens,quia bonum,& finis vt respiciuntur à voluntate, conuertuntur: Ant. probatur isto discursu: Quia in qualibet serie volitorum debet dari aliqua ratio boni, quæ appetatur: Nam bonum est, quod omnia appetunt: Sed si non daretur vna vltima ratio boni, nullum bonum daretur, quia fines intermedij habent bonitatem cum subordinatione ad bonitatem vltimi finis,qua ablata auferretur omnis bonitas quomodocumque ab ea dependens; sicut ablato primo efficiente auferuntur secunda efficiẽtia. Neque valet respondere, quod fines intermedij sint propter se appetibiles: Quia quamuis habeant istam appetibilitatem propter se, nihilominus habent illam cum subordinatione ad vlteriorem finem.

1. Ratio ex D. Th. et Arist.

316 Secũda ratio est per reductionem ad impossibile: Quia finis mouet voluntatem ad agendum, & terminat actum voluntatis: Ergo si non daretur vnus vltimus finis, neque moueretur voluntas ad actum intentionis; neque vnquam quiesceret tendendo in illũ; quia neque esset, quod ipsam primo moueret; neque haberet, vbi vltimo firmaret pedem, sicut columba Arcæ.

2 Ratio.

317 Respondeo tertiò: Quod datur vnus vltimus finis simpliciter, & in communi, ad quem referuntur nõ solum actus voluntatis, sed etiam ipsa obiecta,siue fines omnes in particulari ipsius voluntatis. Hæc conclusio est manifestè D.Th.in art.6. huius quæst. & illam pono hìc ad videndum, an re vera ratio,qua vtitur S.Th.hic ad probandum dari aliquem finem humanæ vitæ,abstrahendo ab vltimo simpliciter, & vltimo in particulari, probat etiam dari vltimum finem in communi, à quo pendeant omnes actiones humanæ,& obiecta,siue fines particulares earum; Nam sunt aliqui,de quorum numero est Curiel hìc, qui dicũt, quod non probat dari vnum vltimum finem in communi: quia bene posset dici, vt vitetur processus in infinitum, quod dentur plures vltimi fines: Sed meo videri re vera ipsa probat dari vnum vltimum finem in communi, & ea vtitur etiam S. Tho. infra art. 6. ad idem intentum.

3. Concl.

S.Th.

Curiel.

318 Est ergo ratio: Si non daretur vnus vltimus finis in communi omniũ actionum humanarum, & finium particularium, earum fines ultimi particulares nullo modo mouerent uoluntatem: ergo ad hoc, ut moueatur uoluntas,& agat, debet dari saltem unus ultimus finis in communi, à quo incipiat eius motio: Cons.est euidẽs: Ant. probatur: Quia unusquisque eorum finium,qui dicuntur ultimi, uel haberet totam plenitudinem bonitatis: uel pàrtem ipsius bonitatis. Non potest dici primum, quia unus non haberet bonitatem alterius, quippè cum distinguerentur saltem numero: Concedendum est ergo secundum, quod haberet partem bonitatis: Sed uoluntas nullo modo mouetur ab aliquo particulari bono, nisi quatenus in eo apprehendit rationem boni in communi: Nam ipsum bonum in communi est obiectum suum adæquatum: ergo deueniendum est saltem ad unum ultimum finem in communi, qui moueat uoluntatem.

1. Ratio S.Th.

319 Secundò sic argumentor: Eadẽ ratione probatur 8. Phys. ab Arist. & à D.Th.1.p.q.2.a 3. dari unum primum motorem,siue unam primã causam efficientem: Ergo pariter eadem ratione probari potest dari unam primam causam finalem: quia utrobique est par ratio seruata proportione.

2. Ratio D.Th. et Arist.

320 Respondebis, quod sicut per rationem desumptam ex motu non potest deueniri in unum primum omnium motorem, sed in plures primos motores: ita per eamdem rationem non potest deueniri in unum primum finem, sed in plures primos fines finalizantes.

Euasio.

321 Sed contra primò: Quia eo ipso illi plures motores essent causæ eiusdem

1. Impugnatio.

Digitized by Google

eiusdem ordinis: ergo mobilia nō penderent ex eis per se, & connaturaliter, vt modo pendent ex vno primo motore, & non magis vnum mobile penderet ab vno motore, quam ab alio. Ita pariter philosophandum est de illis vltimis finibus: nam nō magis voluntas moueretur ab vno, quam ab alio. Præterea contra hanc responsionem faciunt omnes rationes D. Tho. art. seq.

322 Secundò impugnatur responsio; Quia illæ primæ causæ efficientes, seu primi motores differrēt saltem numericè, & ita vnus nō haberet perfectionem, per quam distinguitur ab alio, quod est contra rationem primi motoris. Ita similiter illi fines, vt supra dixi, distinguerētur numero ad inuicem, & vnus nō haberet bonitatem alterius, quod est contra rationem vltimi finis simpliciter. Remanet ergo rationē D. Th., qua probat in finibus per se subordinatis nō posse dari processum in infinitum: quia voluntas nō intenderet, &c. concludere etiam de vltimo fine in cōmuni, & simpliciter.

2. Impugnatio.

323 Quoad tertium: Est vnica obiectiuncula in contrarium: Quia potest Deus producere creaturas in infinitum perfectiores, ac perfectiores: ergo quis posset quamlibet illarum in infinitum appetere, & sic daretur processus in infinitum in finibus particularibus. Respondeo, quod illæ creaturæ semper essent actu finitæ, & sic semper actu moueretur, & terminaretur appetitus humanus circa illas.

Obiectio, & respōsio.

LECTIO III.

An in medijs per se subordinatis deueniendum est ad vnum, ad quod terminetur consilium, & inquisitio, & quod sit proximum fini vltimo? & an detur medium primum, à quo incipiat executio?

324 TItulus est clarus, nam in medijs subordinatis duplicem ordinem etiam possumus distinguere: vnum electionis, seù inquisitionis: alterum executionis; & de utroque isto ordine procedit difficultas. Ad quam breuiter respōdeo duabus conclusionibus.

325 Prima cōclusio est. Debet dari aliquod primum medium proximū fini, ad quod terminetur cōsilium, vel inquisitio, & vnde incipiat electio. Ratio est; quia nunquā quiesceret homo ab inquisitione, & cōsilio, nec inciperet eius electio: quia prima electio est de illo medio, quod est proximū fini.

1. Concl. & Ratio.

326 Secunda cōcl. Debet dari aliquod primū mediū in ordine executionis, siue vnū medium remotum à fine, à quo incipiat executio, & tendat versus finem gradatim per alia media. Ratio est eadem, quia nunquam inciperet executio. Nam iste est ordo in medijs, quod medium, quo est proximius fini, prius eligitur, & quo est remotius à fine, prius ponitur in executione, & è contra, quod est magis remotū à fine, posterius eligitur, & quod est magis proximum, posterius datur executioni. Ita S. Th. in hoc articulo, & Montes. hoc loco disp. 2. q. 1. dub. vlt.

2. Concl. & Ratio. S.Th. Montes.

327 Sed est vna obiectio in contrarium: Quia sequeretur, quod purum medium haberet rationem finis, nam ponitur ordo inter media, & omnia alia media ordinantur ad vltimum medium, quod est immediatum, & proximum fini. Respondeo, quod quamuis sit ordo, & gradatio inter media, tamen vnum simpliciter non ordinatur ad aliud propter se, sed propter finem; Siue clarius: quod quamuis media coordinentur inter se, tamen omnia sunt propter finem.

Obiectio, & enodatio.

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

Vtrum vnius hominis possint esse plures vltimi fines?

328 IN hoc art. clarissimè loquitur Sanctus Th., & responsio ipsius ad difficultatem est ista: *Impossibile est, quod voluntas vnius hominis simul se habeat ad diuersa sicut ad vltimos fines.* Et hoc triplici ratione. Prima est: Quia de ratione vltimi finis est, vt compleat totum hominis appetitum: ergo vnius hominis non possunt esse simul plures vltimi fines: Ant. probatur à S. Th. isto discursu: Quia vnumquodque appetit suam perfectionem; ergo illud appetit aliquis, vt vltimum finem, quod appetit vt bonum perfectum, & completiuum sui ipsius: ergo, &c. Prima cons. principalis etiam probatur: Quia si de ratione vltimi finis est, vt impleat totum hominis appetitum; ergo vnus est, qui illum implet, & alter excluditur, vel si alter includitur, signum est, quod non sunt ambo vltimi fines completi, & totales.

329 Secunda ratio est: Quia vltimus finis est id, quod naturaliter desideratur: sed id, quod naturaliter desideratur est vnum: ergo vnus debet esse vltimus finis. Probatur maior: Quia sicut in processu rationis principium est id, quod naturaliter cognoscitur: ita in processu rationalis appetitus, qui est voluntas, oportet esse principium id, quod naturaliter desideratur: Minor etiam probatur: Quia natura non tendit nisi ad vnum: Consequentia est legitima.

330 Tertia ratio est: Vltimus finis habet rationem primi principij in genere appetibilium: sed in quolibet genere est vnum primum principium: ergo vnus debet esse vltimus finis hominis: Maiorem huius argumenti supponit Sanctus Th. probatam in art. præcedenti: Minor supponitur etiam vt certa, & patet inductione in omnibus, quæ concluduntur sub vno genere: Consequentia est legitima.

331 Ex hac ratione vltimò infert S. Th. quod sicut omnium hominum est naturaliter vnus finis vltimus: ita vnius hominis est vnus finis in particulari: quia sicut se habet vltimus finis simpliciter ad totum humanum genus: ita se habet vltimus finis huius hominis ad hunc hominem.

332 In responsione ad tertium dicit, quod libertas voluntatis non habet vt faciat opposita esse simul.

333 Pro explicatione huius articuli quatuor sunt examinandæ difficultates. Prima est: An homo possit sibi cõstituere plures vltimos fines adequatos, & totales? Secunda: An dum homo peccat mortaliter, constituat sibi vltimum finem in creatura? Tertiò. An dum peccat venialiter? Quartò: An saltem Deus possit homini constituere plures vltimos fines? Est ergo. Quatuor oriuntur difficultates in hoc art.

LECTIO I.

An homo possit sibi constituere plures vltimos fines?

334 IN hac lectione: Primo explicabo titulum: Secundo supponam aliqua: Tertio satisfaciam quæsito: Quarto adducam obiectiones in contrarium, & soluam illas.

335 Quoad primum: Aduertendum est, quod hìc loquimur de vltimo fine completo, & totali: Rursus, quia duplex est finis vltimus totalis: vnus in communi, & formalis: alter particularis, & materialis; de utroque loquemur. Denique, quia tripliciter potest considerari, quod homo sibi constituat plures fines: Primò successiuè: Secundò simul, & copulatiuè: Tertiò simul, & disiunctiuè; quoad 1. Animaduersio.

omnes

Digitized by Google

omnes istos modos absoluemus difficultatem.

2. Animaduersio.

336 Quoad secundum. Suppono tanquam certum cum Sancto Thoma in hoc art., quod ultimus finis totalis est bonum, quod implet, & satiat totũ hominis appetitum, ita ut nihil extra ipsum appetendum relinquatur: Vel ut alij dicunt, est bonum undequaque perfectum uniuscuiusq; includens totam latitudinem boni ipsi possibilis. Et ratio est, quia sicut finis alicuius rei est terminus sui appetitus, ita finis ultimus est ultimus terminus, in quo omninò quiescit appetitus: sed nullus omnino quiescit in bono, cui deest aliquid perfectionis sibi possibilis; nã semper inclinatur, & appetit totum illud bonum, siue perfectionem, cuius est capax: ergo nullum bonum potest habere rationem ultimi finis totalis respectu alicuius, nisi contineat totam latitudinem perfectionis ei possibilis.

3. Animaduersio.

337 Vlterius suppono, quod homo potest determinare sibi ultimum finem, uel sequendo lumen fidei, uel rationem naturalem rectam, uel errãtem. His notatis facilè, & dilucidè resoluemus difficultatem, quæ certè aliquo modo labyrinthea est propter multa, quæ dicunt, & in ea inuoluunt authores; ergo incipiendo à certioribus.

1. Concl. et eius ratio.

338 Quoad tertium. Respondeo primò. Finis ultimus humanarũ actionum sumptus in uniuersali, & formaliter non potest esse nisi unus; Ita cõmuniter. Ratio est, quia ut diximus in prima nostra suppositione, de ratione finis ultimi alicuius rei est, ut contineat totam latitudinem perfectionis illi possibilis: Sed hæc non potest esse nisi una; quia si essent duæ, neutra earum continebit totam perfectionem illi possibilem; nam una non includeret perfectionem alterius. Præterea hanc conclusionem probant tres rationes S. Th. adductæ in art.

S. Th.

2. Concl. et eius ratio.

339 Respondeo secundò. Homo siue sequendo lumen fidei, uel quamcumque cognitionem supernaturalẽ, siue rationem naturalem rectam, tenetur constituere sibi Deum ut ultimũ finem. Ratio est, quia ipse est vltimus finis noster: tum in ordine naturę: tum in ordine gratiæ: ergo ipsum tenemur constituere vltimum finem nostrum. Ant. est certum de fide, vt in lectione quarta videbimus: Nam de Deo, vt est author naturæ dicitur Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*; unde, & ipsum hominem. De ipso verò vt est author gratiæ dicitur Ioann. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum, &c.* Item Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Denique 1. Ioann. 3. *Videbimus Deum sicuti est.* Consequentia est clara: Quia vnaquæque creatura tenetur sequi finem suum.

Confirm.

340 Confirmatur hæc ratio: Quia ad hoc obligatur homo lege diuina positiua, iuxta illud Deuteron. 30. & Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, &c.* & lege naturæ. Aduerto autem hìc, quod homo non semper actu tenetur constituere sibi Deum vltimum finem: Nam præceptũ charitatis est affirmatiuum. De quo in materia de Charitate.

3. Cõclusio, & eius Ratio.

341 Respondeo tertiò: Homo successiuè potest habere plures vltimos fines particulares. Ratio est, quia dum est in gratia, habet Deum pro ultimo fine, & postmodum dum peccat, habet creaturam, vt infra dicemus. Item dum peccat alio peccato, ponit rursus in alia re vltimum finem: ergo, &c.

4. Concl. & eius ratio.

342 Respondeo quartò: Si homo sequatur lumen fidei, vel rationem naturalem rectam, non potest constituere sibi plures fines vltimos particulares, neque totales, neque partiales integrantes vnum finem totalem. Ratio est: quia lumen fidei inclinat ad credendum finem nostrum vltimum esse Deum clarè visum; & ratio naturalis recta dictat, vnum esse supremum auctorem rerum omnium, & finem earũ. Præterea ratio naturalis, si non erret, conformatur directioni authoris naturæ, siue dirigitur ab ipso authore,

Digitized by Google

naturæ: Sed non potest homo dirigi ab ipso authore naturæ in plures fines vltimos totales, vt infra videbimus: ergo,&c.

5. Cõcl.et eius Ratio.

343 Respondeo quintò: Si homo sequatur rationem naturalem errantem, poterit sibi constituere plures fines vltimos particulares partiales integrantes vnum finem totalem. Ratio est: quia non repugnat, quod aliquis ignorantia, vel errore ductus, iudicet totum suum bonum non posse reperiri in aliqua re simplici, sed in aggregato ex multis; ita quod in qualibet re sit aliqua pars sui boni, & in omnibus simul totum suum bonum.

Confir. D. Aug.

344 Confirmatur hæc ratio, quia ex D. Aug. 9. de Ciuit. Dei quidam posuerunt vltimum finem in quatuor, scilicet in voluptate, in quiete, in bonis naturæ, & in virtute. Et Sanctus

S.Th.

Th. in responsione ad 1. huius art. interpretatur, quod omnia illa accipiebant in ratione vnius boni perfecti ex his constituti. Vlterius: quia quidam

Arist.

ex antiquis philosophis, vt refert Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 8. posuerunt beatitudinem in bonis animi, scilicet virtute, & sapientia, & in copia externarum rerum.

6. Cõcl. & eius Ratio.

345 Respondeo sextò. Si homo sequatur rationem naturalem errantẽ, nullo modo potest sibi cõstituere plures fines vltimos totales particulares simul, & copulatiuè, ita vt vtrumque velit consequi simul tanquam finem sufficientem ad satiandum suum appetitum. Ratio est: quia est impossibile, quod pluribus rebus, vel obiectis cõueniat ratio vltimi finis totalis, & adequati respectu eiusdem appetitus: ergo est impossibile, quod quis cõstituat suum vltimum finem totalem in pluribus rebus. Ant. probatur: quia eo ipso, quod vna res est vltimus finis respectu alicuius, dicit totam latitudinem perfectionis, & bonitatis illi possibilis: ergo excludit aliam: alioquin si includeret illam, non haberet rationem vltimi finis.

346 Prima cõsequentia etiam probatur: quia quamuis ille, qui appetit aliquod obiectum, vel rem aliquam, vt finem vltimum, possit ignorare rationem vltimi finis in actu signato, tamen in actu exercito non potest illam ignorare; hoc est, quamuis ignoret, quod illa ratio secundum quam appetit aliquod obiectum, sit ratio formalis vltimi finis, & ratio appetendi illud; nihilominus non potest eam ignorare in se; nimirum, quod ipsa sit tota, & completa perfectio, & bonitas sua: Quia sicut in exercitio totus suus appetitus fertur in illam, ita in exercitio debet illam concipere, & iudicare, vt totum bonum suum; Implicat autem, quod quis concipiat duo obiecta, & duas res distinctas, quarum quælibet sit totum bonum suum; & ideò nec etiam potest illas sibi proponere, vt duos fines vltimos.

7. Cõcl. & eius explicatio.

347 Respondeo septimò: Si homo sequatur rationem errantem, non potest constituere sibi plures fines vltimos particulares totales disiunctiuè; ita vt non intendat consequi omnes simul, sed vnum illorum. Explicatur hæc responsio. Potest quis iudicare exempli gratia, quod duæ res sint ultimus finis suus, ita vt quælibet illarum sit sufficiens ad satiandum suum appetitum, & sit totum bonum suum, & ferri in alterutram illarum, non in ambas simul. Hoc dico ego, quod nullo modo potest esse propter istum discursum.

Ratio cõcluſ.

348 Quia qui isto modo appetit duas istas res tanquam duos suos ultimos fines, cognoscit se esse capacem bonitatis, & perfectionis, quam utraq; uel alterutra illarum continet: Sed quælibet ex istis rebus isto modo concepta non est sufficiens ad satiandum eius appetitum: ergo non potest in illis constituere suum ultimum finem. Maior patet, quia si cognoscit illas posse satiare suum appetitũ: ergo cognoscit etiam se habere capacitatem in ordine ad illas; quia sunt correlatiua ista duo. Minor, in qua est tota difficultas, probatur: Quia supposito, quod una expleat suum appetitum, remanet in eo adhuc capacitas ad alteram;

Digitized by Google

ram;nam appetitus eius extenditur,& dicit ordinem ad illam: ergo signum est, quod quælibet illarum non est ex se sufficiens ad satiandum suum appetitum; nam semper remanet explēda talis capacitas. Prima consequentia est euidens ex suppositione nostra.

Aduersariorum euasio.

349 Respondebit quis huic rationi, quod si istæ duæ res distinguantur specie, quælibet illarum non potest concipi vt sufficiens ad satiandum appetitum ipsius appetentis, benè autem si distinguerentur numero; quia conuenirent in una ratione formali appetibilitatis,quæ non esset maior in una, quam in altera, & consequenter non magis una, quam ambæ simul adæquarent capacitatem appetentis.

Præclusio.

350 Sed contrà: quia aut is, qui appetit duas res tanquam duos ultimos fines solo numero distinctas appetit illas, ut sunt unum formaliter, aut quatenus distinguuntur numero? Si dicatur primum,sequitur quod formaliter unus sit ultimus eius finis, & materialiter duo: nam una, & eadem ratio reperiretur in duabus rebus materialiter sumptis. Si dicatur secundum,sequitur manifestè,quod non diligat quamlibet earum per se, ut totū suum bonum;quia non potest appetere vnam quatenus distinctam ab altera numero, nisi appetat differentiam, seu id,quo distinguitur ab ea.

Replica, & respō sio.

351 Cōtra istam impugnationem potest esse unum argumentum, quia duæ causæ numero distinctæ possunt producere unum numero effectum: ergo duo fines. Admisso ant. negatur cons. quia illæ duę causę subordinantur uni primæ, & pariter illi duo fines uni ultimo.

1. Obiectio,

352 Quoad quartū: Prima obiectio in contrarium est; Homo dum peccat mortaliter ponit suum ultimum finem in creatura: Sed potest quis simul cōmittere plura peccata mortalia: ergo potest simul se conuertere ad plurimos ultimos fines.

353 Huic obiectioni uariè solent adhiberi solutiones;sed illa mihi uidetur solidior,quam adhibet Conradus, & Curiel hic, nimirum, quod quando peccator peccat simul pluribus peccatis, conuertit se ad obiecta immediata peccatorum tanquam ad bona partialia integrantia unum suum ultimum finem totalem. De quibus fusiùs in lect.seq.

Resp. Conrad. Curiel.

2. Obiectio, & enodatio.

354 Secunda obiectio. Iustus dum peccat uenialiter habet pro ultimo fine creaturam: sed simul habet pro ultimo fine Deum,quia est in gratia: ergo habet simul duos fines. Maior probatur; quia peccatum ueniale non est referibile in Deum: ergo debet respicere aliquam creaturam tanquam suū ultimum finem;cum omnis actio humana debeat habere suum ultimum finem. Circa solutionem huius obiectionis multum laborant DD. & uarias adhibent respōsiones, sicut circa primam. De qua re infra lect. tertia. Pro nunc dico, quod iustus dum peccat uenialiter non habet creaturam pro ultimo fine totali, & simpliciter, sed solum habet illam pro fine partiali, quem appetit ratione finis ultimi formalis,& communiter sumpti. Deus autem est finis eius totalis partialis.

1. Replica, & re, sponsio.

355 Sed instabit quis contra istam responsionem; ergo sequitur, quod Deus non sit ultimus finis totalis particularis iusti; nam ratione finis formalis, & in communi appetit Deum, ut finem particularem, & obiectum peccati uenialis. Respondeo,quod nō dicitur obiectum peccati uenialis finis partialis respectu iusti,quasi componens unum finem totalem cū Deo, sed quia habet bonitatem limitatam, & finitam, nec in totum satisfacientē appetitui iusti, sed pro aliqua leui portione,quam ita respicit,'ut sit propensus ad relinquendum illam,& amplectendum oppositum.

356 Explicatur hoc exemplo amicitiæ; Etenim amicitia humana quam uis habeat pro fine principali amicū, & nullo modo displicere illi in re graui compatitur tamen secum aliquas leues offensas ipsius,ita ut de se inclinet etiam ad tollendum illas;Ita pariter

Digitized by Google

ter amicitia iusti erga Deum; quamuis ipsũ habeat pro vltimo fine, quem omnibus rebus anteponat, & nullo modo displicere illi in re graui, compatitur tamen secum aliquas leues offensas, ad quas tollendas etiam ipsa amicitia inclinat ob amorem ipsius Dei dilecti super omnia; Vnde semper remanet, quod Deus sit finis vltimus totalis particularis iusti.

2. Replica, & responsio.

357 Sed adhuc instabis: Obiectum peccati venialis nullo modo est referibile in Deum: ergo iustus peccans venialiter semper cõuertitur ad creaturam tanquam ad vltimum finem. Respondeo, quod quamuis obiectum peccati venialis non sit referibile in Deum, nihilominus non ita se conuertit iustus ad illud, vt præferat illud Deo; Vnde nullo modo amat illud tãquam vltimum finem simpliciter: Peccans autem mortaliter ita se conuertit ad obiectũ peccati mortalis, vt omninò interpretatiuè præferat illud Deo: quia non potest intelligi, quod velit displicere ei in re graui, & non velit præferre id, ad quod conuertitur ipsi Deo.

3. Replica.

358 Ex responsionibus, quas adhibuimus peccãti mortaliter, & venialiter potest colligi forte argumentum contra nos; nam dicimus, quod peccans pluribus peccatis mortalibus respicit eos tanquam fines vltimos particulares, & qui peccat venialiter respicit etiam ipsum tanquam finem partialem: ergo nulla est differentia inter peccatum mortale, & veniale.

Respõsio.

359 Dico quod sit hæc differentia, quod qui peccat mortaliter pluribus peccatis præfert bona illa partialia, quæ appetit omninò amicitiæ Dei; iustus autem peccans venialiter præfert solum bonum illud quod appetit seruori amicitiæ Dei.

Instan.

360 Sed conta. Ergo peccans pluribus peccatis mortalibus diligeret plures vltimos fines totales, quia hoc est diligere plures fines totales, præferre omninò bonum eorum diuinæ amicitiæ.

Respõsio.

361 Respondeo, quod quamuis secundum se dicantur plures fines totales, tamen comparati ad inuicem in ordine ad vnum appetentem dicuntur fines partiales.

3. Obiectio, et enodatio.

362 Tertia obiectio. Peccator dum iustificatur habet pro vltimo fine Deũ, & creaturam: ergo habet simul duos vltimos fines: Probatur antecedens, quia consequentia est clara. Et primo quoad primam partem. Quia prius ordine naturæ habet actum dilectionis Dei super omnia, & actum pœnitentiæ, nam istis actibus disponitur ad recipiendam gratiam; ergo habet Deum tanquam finem vltimum; nam impossibile est, quod quis diligat Deum super omnia, & non habeat ipsum pro vltimo fine. Probatur etiã ant. quoad secundam partem. Quia pro illo priori non intelligitur remissum peccatũ; nam non intelligitur adhuc introducta gratia, & remissio peccati est effectus gratię: ergo dicitur conuersus ad creaturam. Ad hanc obiectionem nego antecedens quoad secundam partem dico. Et ad probationem etiã nego antecedens, quia pro illo priori intelligitur etiam inrroducta gratia; nam illi actus pendent in genere causæ efficientis à gratia, & præcedunt illam in genere causæ materialis.

4. Obiectio.

363 Quarta obiectio. Angelus in primo instanti, quo peccauit auertit se à Deo tanquam à fine supernaturali, non verò tãquam à fine naturali; nam secundum istum modum neque peccauit, neque potuit peccare contra Deum: ergo post peccatum remansit conuersus ad Deum, ut ad finem naturalem, & conuersus ad creaturam ratione peccati. Idem argumentum potest fieri de puero; nam iuxta aliquorum sententiã non nascitur auersus à Deo tanquam à fine naturali; sed solum tanquam à fine supernaturali: ergo quatenus non nascitur auersus à Deo tanquam à fine naturali, habet illum pro fine naturali, quatenus non nascitur auersus ab illo tanquam à fine supernaturali, dicitur conuersus ad creaturam.

364 Respõdeo huic obiectioni negando

Digitized by Google

gando aut, quia Angelus eo ipso, quo
Respõsio. peccauit, auertit se à Deo tanquam à fine supernaturali,& naturalis nam ratio naturalis dictat, vt qui est ordinatus in finem supernaturalem, sequatur suis operibus directionem præceptorum, quibus ducitur in suum finem supernaturalem. Quod autem dicitur, quod non potuit peccare contra Deũ tanquam finem naturalem, intelligitur de peccato directè commisso contra ipsum, tanquam in finem naturalem, non autem de peccato directè commisso contra ipsum Deum, vt finem supernaturalem, & indirectè, & ex consequenti contra ipsum vt finem naturalem, iuxtà solutionem datam. Ad id autem, quod dicitur de puero; aliqui cõcedunt eũ esse auersũ solum à Deo, vt à fine supernaturali; negant tamen, quod dicatur conuersus ad creaturam: quia peccatum originale dicit solam auersionem. Vnde iuxta hanc sententiam puer habet solum Deum pro fine naturali. Potest autem responderi, quod pueri ratione peccati originalis sunt auersi à Deo etiã tanquam à fine naturali. Sed de his suis locis Deo dante.

365 Vltima obiectio potest esse
5. Obiectio, & responsio. contra istam sententiam: quia actus supernaturales antecedentes ad gratiam simpliciter tanquam dispositiones, respiciunt Deũ, ut vltimum finem; ergo tunc peccator habebit duplicem finem. Respondeo, quod habent Deum vt finem non vltimum, sicut dicitur de peccato veniali iusti, quod habeat creaturam pro fine, sed non vltimo.

LECTIO II.

An homo dum peccat mortaliter, constituat suum vltimum finem in creatura?

366 DIgrediuntur authores ad tractandam hanc quæstionem hoc loco occasione accepta à S. Th. in arg. *Sed cõtra* huius art. & propter specialem difficultatem, quam ingerit argumentum supra allatum de peccante simul pluribus peccatis, nam propria sedes eius est infra q. 88. Vnde nos etiam communem morem sequentes, illam hìc tractamus; & ad eius explicationem, primò stabiliam sententiam communem, quod nimirũ peccator, dum peccat mortaliter, ponat vltimum finem in creatura: Secũdò, quia sunt varij modi dicendi, quomodo peccator ponat suum vltimum finem in creatura; adducam illos, & eos confutabo: Tertiò stabiliam sententiam meam in hac parte: Quartò adducam sententiam contrariam sententiæ communi cum suis argumentis, & satisfaciam illis.

367 Quoad primum: Communis sententia est, quod homo, dum peccat mortaliter, constituit suum vltimum finem in creatura. Probatur primò pluribus locis Sacræ Scripturæ. Primus est Hierem. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas.* Secundus est Ioann. 12. *Dilexerunt homines gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Tertius est ad Philipp. 3. quam affert S. Th. in argumento *Sed contra* huius art. ubi dicitur de gulosis: *Quorum Deus venter est; Quia scilicet* (ait S. Th. loco cit.) *constituunt suum vltimum finem in deliciis ventris.* Quartus est clarior ad Eph. 5. ubi uocat Sanctus Paulus auaritiam: *Idolorum seruitutem.* Communis sẽtentia, et probatur ex S. Script.

368 Probatur secundò ex D. Aug. lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 5. ubi ait: *Omnem humanam peruersitatem, quæ etiam vitium vocatur esse, fruendis vti velle, & vtendis frui.* Sed fruitio de qua hìc loquitur S. Aug., est de rebus tanquam de vltimo fine: alioqui non esset peruersa, & uitiosa simpliciter, ut ipse eam uocat; quia si quis frueretur *rebus vtendis*, dirigendo illas in vltimum finem, non peccaret; ergo homo dum peccat mortaliter, quod est idẽ, ac *frui vtendis* modo explicato ex S. Aug., ponit vltimũ finẽ in creatura. 2. Probatio ex D. Aug.

369 Ra-

Digitized by Google

369 Ratio alia potest esse huius sẽtentię tacta ex S.Th.inf.q.88.a.4.quia peccatum mortale tollit ordinẽ charitatis in ultimum finem;nam propterea distinguitur à ueniali:ergo dirigit hominem in creaturam.

Probatio ex ratione.

370 Probatur tertiò ratione, quia homo dum peccat mortaliter,præfert creaturam Deo: Sed præferre creaturam Deo,est ponere in ea ultimum finem:ergo homo dum peccat mortaliter,ponit in creatura suum ultimum finem. Probatur maior, quia homo dũ peccat mortaliter, diligit magis creaturam, ad quam conuertitur saltem interpretatiuè, & in exercitio, quàm ipsum Deum;ergo præfert illam Deo. Minor etiam probatur; quia dum homo præfert creaturam Deo, in exercitio, & interpretatiuè iudicat illam posse explere suum appetitum: ergo ponit in ea suum vltimum finem. Hæc est sententia communis, & ab omnibus Theologis recepta præter vnum Adrianum, vt infra referam. Solum est dissentio inter Theologos de modo,quo ponat in ea suum vltimum finem? Vnde veniamus ad secundum punctum.

1. Modus dicendi Valent. Medin.& Montes.

371 Quoad secundũ. Primus modus dicendi est Valent. Med. Montes. hìc,& aliorum recentiorũ,qui dicunt, quod homo dum peccat mortaliter, in obiecto peccati ponit finem proximum,& in se ipso finem ultimũ: Quia ex inordinato amore sui peccat. Et confirmat hanc suam sententiam test. D. Aug. lib.14. de Ciuit. Dei cap. vlt. vbi ait: *Fecerunt ciuitates duas amores duo,terrenam scilicet amor sui vsque ad contemptum Dei, cælestem verò amor Dei vsque ad contemptum sui.*

D. Aug.

Hic modus dicẽdi impugnatur 1.

372 Sed iste modus dicendi mihi videtur insufficiẽs: Primò, quia homo est finis *Cui* obiecti peccaminosi, & ipsum obiectum peccaminosum finis *Cuius*: ergo propterea non tollitur ab obiecto peccaminoso ratio vltimi finis simpliciter.

Impugnatur 2.

373 Secundò, quia beatitudo est vltimus finis simpliciter hominis, & est finis *cuius* respectu ipsius, hoc est ordinatur ad ipsum tanquam perfectio ad perfectibile, & actus ad potẽtiale: ergo quamuis homo sit finis *Cui* respectu obiecti peccaminosi,non tollitur ab obiecto peccaminoso ratio vltimi finis simpliciter. Et confirmatur hæc ratio, quia finis *Cuius*, & finis *Cui* faciunt vnam rationem finis adæquati. Præterea finis *Cuius* non ordinatur tanquam medium ad finem *Cui*.

Impugnatur 3. ex S.Th.

374 Tertiò, quia hæc est mens D. Th.in multis locis:nam infra q.2.a. 7. propterea dicit; quod anima non potest esse vltimus finis hominis, quia ipsa est in potentia ad vltimum finem: Similiter homo peccator est in potẽtia ad obiectum peccaminosum: ergo non potest ipse habere rationem vltimi finis respectu sui ipsius. Vlterius in resp.ad secundum art.quod beatitudo habet rationem boni concupiti, & homo rationem boni *Cui* tale bonum cõcupiscitur, & propterea nõ potest ipse habere rationem vltimi finis. Deniq; 1.p.q.60. a.4. ad 3.ait, quod dilectio naturalis dicitur esse ipsius finis, non tanquam *Cui* aliquis uelit bonum, sed tanquam bonum, quod quis vult sibi: ergo semper ex mente S.Th. bonum, quod quis vult sibi, habet rationem vltimi finis.

2. Modus dicẽdi ex Curiele.

375 Secũdus modus dicendi aliorum, quos tacito nomine refert Curiel hìc dub. vnico §. 5. vers. *Quod si propter*, est, quod homo dum peccat mortaliter, constituit vltimum finem, non in se ipso præcisè sumpto, sed vt affecto perfectione illa apparenti, quã continet creatura illa,ad quam cõuertitur. Qui modus dicendi duplicem sensum potest habere: vnũ,quod homo habeat rationem finis *Cui* respectu illius perfectionis,& bonitatis creaturæ,qua dicitur affectus; alterum, quod ipse cum illa perfectione cõpleat vnã rationem finis *Cuius*. In primo sensu potest admitti iste modus dicendi. In secundo sensu nullo modo: Quia in casu,quo homo peccaret pluribus peccatis mortalibus, simul haberet plurimos vltimos fines; nam nõ posset ipse vt auarus,& voluptuosus, v.g. componere,

Digitized by Google

nere, & integrare vnum vltimum finẽ, nec ipsemet, vt auarus ordinari ad semetipsum, vt voluptuosum, vel è contra.

3. Modus dicendi Vasq.

376 Tertius modus dicẽdi est Vazquez hìc disp. 5. cap. 1, qui vt explicet suam sententiam, dicit, quod tribus modis dici potest vltimus finis: Primò; quando ulterius non refertur in alium finem, & hic finis solet dici vltimus *negatiuè*, siue vltimus finis operis; Secundò dicitur vltimus finis operantis, ad quem operans refert se ipsum, & omnia sua tanquam in optimum, & maximum amabile; Tertiò dicitur aliquis vltimus finis non operantis, sed operis, ita, & taliter, quod opus nõ solum in alium finem non referatur, sed opponatur vero vltimo fini operantis vero amore amicitiæ dilecto, & dissoluat amicitiam cum illo. Hoc posito dicit, quod homo dum peccat mortaliter, ponit hoc tertio modo suum vltimum finem in creatura.

3. Modus dicẽdi impugnatur.

377 Sed iste modus dicendi non placet. Si sensus eius est, quod creatura, siue obiectum peccati mortalis nõ sit finis ipsius operantis, scilicet hominis. Quia homo dum peccat mortaliter, refert opus suum, & dirigit se ipsũ in creaturam, ad quam conuertitur: ergo illa creatura est finis operantis.

Verior modus dicendi Mõtes.

378 Quoad quartum: Dico ego cũ Montes. hìc disp. 2. quæst. 3. §. 2. n. 52. quod homo dum peccat mortaliter, ponit suum vltimum finem in creatura *positiuè*: Hoc est creatura, ad quam conuertitur peccator, est finis *Cuius* vltimus operis, & operantis, scilicet ipsius peccatoris.

379 Notà, quod ille dicitur finis vltimus *negatiuè* sumptus, qui non refertur ad alium; ille autem dicitur finis vltimus *positiuè* sumptus, ad quem alia referuntur.

Ratio fũdamentalis.

380 Ratio fundamentalis est, quia homo dum peccat mortaliter, auertitur a Deo vt ab vltimo fine *positiuè*; siue à Deo, qui debet esse vltimus finis operis sui, & ipsiusmet: ergo conuertitur ad creaturam tanquam ad vltimum finem *positiuè*, vel quæ sit finis operis sui, & ipsiusmet operantis.

Obiectio, & enodatio.

381 Dices. Homo dũ peccat mortaliter, non refert se, neque omnia sua in creaturam, ad quam conuertitur, vt patet experientia in eo, qui furatur; nam nõ refert se, & omnia sua ad furtum: ergo non ponit in creatura vltimum finem. Respondeo, quod quamuis in actu signato non referat omnia in creaturam, refert tamẽ in actu exercito eo ipso, quod præfert creaturam Deo, in quem omnia sua referre debet.

Sententia Adriani.

382 Quoad quartum est sententia Adriani Quolib. 7. q. 3. dicentis; quod homo dum peccat mortaliter, non cõstituit eo ipso suum vltimum finem in creatura, neque præfert creaturam Deo, neque diligit illam plusquam Deum.

1. Fũdam. & responsio.

383 Primò, quia multi peccant ex ignorantia, & zelo indiscreto putantes se obsequium præstare Deo: ergo isti non ponunt suum vltimum finem in creatura. Respondeo negando cõsequentiam; quia sicut ignorantia, & zelus indiscretus non excusat eos à peccato, sic non tollit, quod non ponant suum vltimum finem in creatura.

2. Fũdam. & prima responsio ex Vazq.

384 Secundò, quia potest quis peccare in gratiã amici, verbi gratia, falsum iurare, & nihilominus non sit paratus pro eo vitam dare, neq; etiam digitum: ergo non magis diligit amicum, quam seipsum, & consequenter non habet illum pro suo vltimo fine. Respõdeo primò cum Vazquez, quod dum quis peccat in gratiam amici, eo actu plus diligit amicum, quàm se, quia tunc non attendit ad sui commoditatem, sed ad commoditatem amici.

2. Resp.

385 Respondeo secundò, quod dũ peccat, constituit suum vltimum finem in illa complacentia, quam vult exhibere suo amico.

3. Resp.

386 Breuiùs, & meliùs resp. huic argumento, quod in actu exercito ponit vltimum finem in amico, quia in exercitio præfert illum Deo.

387 Tertiò; si quis auferret reum à carcere cõtra voluntatem patris iudicis,

Digitized by Google

3. Fũdam. & respon- sio.

dicis, non propterea magis diligeret reum, quàm patrem: ergo si quis faciat aliquid contra voluntatem Dei in materia graui, non propterea magis diliget creaturam, quàm Deum. Respondeo negando ant. nam in eo actu exercito filius magis diligeret reum, quàm patrem.

4. Fũdam. & respon- sio.

388 Quartò: Potest esse casus, quod aliquis sit paratus fornicari cum meretrice, & dari illi vnũ aureum; ex alia parte verò potest esse paratus dare decem aureos pauperi, vel vitam pro Deo: ergo non magis diligit creaturam quam Deum. Respondeo, vt respondi tertio argumento, quia in actu fornicationis nullo modo curat Deũ.

5. Fũdam.

389 Quintò: Quia sequeretur, quod homo posset habere plures vltimos fines simul; nam posset committere plura peccata simul: ergo, &c. Huic argumento variè respondent Doctores.

1. Respõ- sio, & eius impugna- tio.

390 Principalis responsio est aliquorum Thomistarum, quę etiam tribuitur Caietano, quod in isto casu homo sit vltimus finis, quia ex amore sui peccat. Sed certè ista solutio sufficiẽter manet impugnata ex impugnatione primi modi dicendi.

2. & ap- tior re- sponsio.

391 Respondeo ergo cum cõmuniori sensu, quod ille qui committit plura peccata mortalia vnico actu, appetit obiecta eorũ peccatorum tanquam fines partiales componentes vnum finem totalem.

PP. N. Salmant.

392 Aduertat hoc vnum, qui legit, in hucusque dictis in nostris lectionibus etiam consulere N. Sapientissimos PP. Salmanticenses, qui vt vera germina Sapientiæ D. Thomæ, eruditissimè perlustrant mentem ipsius Angelici Doctoris tom. 3. q. 1. de vltimo fine.

LECTIO III.

An homo dum peccat venialiter, constituat vltimum finem in creatura?

393 INsudant Doctores in explicatione huius difficultatis, quæ certè difficilis est explicatu, & vnusquisque abit in suam sententiam. Quare primùm referam varias sententias in hac parte. Dicam quid ego sẽtio. Denique adducam obiectiones in contrarium, & soluam illas.

S.Th.

394 Quoad primum. S.Th. ambiguè locutus est in hac controuersia in diuersis locis. Primò infra quæst. 88. a. 1. ad 2. ait. *Veniale peccatum non excludit habitualem ordinationẽ actus humani in gloriam Dei, sed solum actualem: quia non excludit charitatem, quæ habitualiter ordinat in Deum.* Secundò in resp. ad 3. inquit: *Dicendum quod ille, qui peccat venialiter, inhæret bono tẽporali non vt fruens; quia non constituit in eo finem, sed vt vtens referens in Deũ non actu, sed habitu.* Tertiò 2. 2. q. 24. a. 10. ad 2. dicit. *Quod enim amatur in peccato veniali, propter Deum amatur habitu, & si non actu.* Quartò q. 7. de Malo a. 1. ad 4. *Ille, qui peccat venialiter, non fruitur creatura, sed vtitur ea, refert enim eam habitu in Deum, licet non actu, neque in hoc contra præceptum facit, quia non tenetur semper actu referre in Deum.*

1. Sẽtent. Caiet. Medina. Aluarez.

395 Ex his locis D. Th. colligitur prima sententia Thomistarum dicentium; quod peccatum veniale habitualiter referatur in Deum. Hi sunt Caiet. Med. Aluarez, & alij. Cæterum in modo explicandi illam non conueniunt. Caietanus enim 2. 2. citata q. 24. a. 10. ait, quod peccatum veniale ideò habitualiter refertur in Deum, quia non excludit charitatem, quæ quantum est de se amaret, & referret obiectum peccati venialis in Deum, si esset

Digitized by Google

esset amabile, & referibile in Deum.

Conrad. Med. Conradus ait: Quia nõ auertit à Deo, vt est finis vltimus. Medina: Quia peccans venialiter ordinat peccatum veniale ad se, qui cum sit in gratia, refertur in Deum, & consequenter, & mediatè ipsum peccatum veniale ordinatur in Deum.

Duæ rationes huius sent. 396 Rationes autem huius sententiæ sunt duæ. Prima, quia si peccatum veniale habet pro fine vltimo creaturam: Ergo erit mortale. Secunda, quia omnis actus humanus debet habere finem vltimum simpliciter: ergo & peccatum veniale: sed nequit esse creatura, alioqui esset mortale: Ergo Deus non actu, nec virtute, sed habitu.

Impugnatur hæc sententia primo. 397 Sed hęc sentẽtia impugnatur: Quia peccatum veniale nullo modo est referibile in Deum: ergo non potest habere habitu pro fine vltimo Deum. Prætereà impugnatur explicatio Caiet. à Curiele hìc, & simul etiã impugnatur ipsa sententia principalis: Quia charitas non est principium per se peccati venialis, sed tãtum concomitans: ergo dicendum est, quod ipsa nullo modo ordinet peccatũ veniale in Deum. Impugnatur etiam explicatio Conradi: Quia si peccatum veniale non auertit à Deo: ergo dicẽdum est, quo habeat pro fine vltimo Deũ, quod impugnatum est; Vel si nõ habet pro fine vltimo Deum, explicãdum est quomodo habeat pro fine vltimo creaturam. Deniq; reijcitur etiã modus explicandi Medinæ à Curiele: Quia homo vt appetit sibi obiectum peccati venialis non refertur in Deũ: ergo neque ipsum peccatum veniale: quia vt medium secundum ordinetur ad finem, debet medium primum, ratione cuius ordinatur, ordinari in finẽ. Prætereà, quia dum aliquis est in peccato mortali, non refertur in Deũ, & tamen potest peccare venialiter: ergo, &c.

Caiet. Curiel.

Med. Curiel.

Impugnatur 2. 398 Ratio etiam efficax ad impugnandam hanc sententiam. Quia furtum in magna quantitate non ordinatur in Deum: ergo neque furtum in parua; quia sunt eiusdem speciei.

2. Sẽtent. Azorij. 399 Secunda sententia est, quod creatura sit vltimus finis *negatiuè*, non *positiuè* peccati venialis. Ita Azor. lib. 1. c. 1. q. 5. Ratio, quod sit vltimus finis *negatiuè* est: Quia peccatum veniale non ordinatur ad alium finem simpliciter. Quod autem non sit finis *positiuè*: Quia alij fines non ordinantur ad finem peccati venialis; siue quia peccans venialiter, non ordinat cętera sua ad obiectum peccati venialis.

Impugnatur hæc sent. à Curiele. 400 Verum hæc sententia etiam impugnatur, & potissimè à Curiele hoc modo. Quia repugnat, quod detur simul vnus vltimus finis *positiuè*, & alter vltimus *negatiuè* ipsius peccantis venialiter; Nam si vltimus finis *negatiuè* comparetur ad ultimum finẽ *positiuè*, erit non ultimus. Sicut repugnat, quod detur unum quod sit primum *positiuè*, & alterum quod sit primum *negatiuè*; nam si conferantur ad inuicem, unum debet esse primum, & aliud secundum.

3. Sẽtẽtia Salas, & duplex eius fundament. 401 Tertia sentẽtia est, quod creatura non est finis ultimus simpliciter peccati uenialis, sed secundum quid, & in sua serie. Ita Salas tract. 1. disp. 8. sect. 3. n. 44. Citatur etiam pro hac sẽtentia Vazquez. Sed ego inf. referam eius sententiam secundum quod ab ipso proponitur. Probatur hæc sentẽtia. Primò, quia non est necesse, quod quilibet actus humanus habet ultimũ finem simpliciter. Secundò, quia peccatum ueniale distinguitur à mortali per hoc, quod mortale opponitur amicitiæ diuinæ, & charitati; ueniale uerò feruori charitatis.

Impugnatur 1. 402 Sed ista sententia potest impugnari ad hunc modum: Primò, quia non explicat, quomodo creatura sit finis secundum quid peccati uenialis.

Impugnatur 2. 403 Secundò, quia si homo dum peccat uenialiter, constituit suum finẽ secundum quid in creatura: ergo secundum quid præfert illam Deo: ergo non distingueretur peccatum ueniale à mortali, quia tota ratio peccati mortalis est præferre creaturam Deo; Etenim magis, & minus non uariat speciem.

Digitized by Google

4.Sentẽtia Vasquez.

404 Quarta ſentẽtia eſt Vazquez hìc diſp.5. cap.2.qui dicit; quod homo per peccatum ueniale conſtituit ultimum finem in creatura, qui dicitur finis operis; ſiue finis *negatiuè* cõtrarius,non Deo dilecto charitate,ſed feruore charitatis. Quia amatur creatura gratia ſui, & non alterius, & non ordinatur in Deum,& amor illius opponitur feruori charitatis.

Impugnatur multipliciter.

405 At certè hęc ſententia non effugit ſuas impugnationes. Nam obiectum,ſiue finis peccati uenialis,eſt finis etiam operantis,& non ſolum operis. Prætereà, quia non datur ultimus finis *negatiuus*, & *poſitiuus*,ut ſupra dictum eſt. Denique hoc explicandum eſt; quomodo peccatum ueniale opponatur feruori charitatis, dum peccans uenialiter ponit ſuum finem in creatura,quæ nec refertur, nec referri poteſt in Deum.

5. Sẽtẽtia Curiel.

406 Quinta ſententia Curielis ſuper iſtum art. conſiſtit in tribus dictis. Primum eſt, quod iuſtus peccans uenialiter,neque actualiter,neque habitualiter refert in Deum finem proximum peccati uenialis; quia ut dictum eſt non eſt referibilis in Deum. Secũdum quod iuſtus non appetit obiectũ peccati uenialis, ut finem ſimpliciter, & totalem,ſed ut finem partialẽ. Quia iuſtus appetit illud ut bonum, ſed nõ ut bonũ totale, aliàs recederet à Deo: ergo vt bonum partiale. Tertium dictum, quod finis vltimus peccati venialis ex intentione operantis, non eſt Deus,ſed bonum ſatiatiuum ſui appetitus; quia iuſtus non refert obiectum peccati venialis in Deum, ſed in bonum ſatiatiuum ſui appetitus.

6.Sentẽtia Monteſ.et eius fundamenta.

407 Sexta ſententia eſt Monteſ. in hoc art.diſp.2.q.3.§.3. qui dicit,quod qui peccat venialiter, habet creaturã pro fine,ſed nõ vltimo: qui verò peccat mortaliter, habet creaturam pro fine vltimo. Probat primò, quia non eſt neceſſe, vt quis ſemper operetur propter vltimum finem in particulari. Hæc ratio non proponitur ſic expreſsè,ſed colligitur ab ipſo. Secũdò,quia non diligit creaturam ſuper omnia, neque illam præfert Deo. Tertiò,quia ex D. Auguſt. quem ſequuntur omnes Theologi; actus matrimonialis propter ſolam delectationem,eſt peccatũ veniale:ergo peccatum veniale conſiſtit in hoc, quod eſt velle bonum delectabile tanquam finem,non referendo illud ad honeſtum finem. S.Aug.

Approbãtur hæ poſtremæ ſententiæ.

408 Hæ certè ſententiæ Curielis, & Monteſ. videntur probabiliores, & non diſcrepantes inter ſe,ſi rectè explicentur. Nam Curiel quatenus dicit, quod qui peccat venialiter,tendit in obiectum peccati venialis tanquam in finẽ partialem,videtur dicere,quod tendat in finem non vltimum,qui non ſit totaliter ſatiatiuus ſui appetitus. Monteſ.verò quatenus dicit,quod qui peccat venialiter,habet pro fine non vltimo creaturã,ſiue bonum delectabile ipſius,videtur dicere,quod tendat in creaturam tãquam in bonum partiale, quod nõ ſit ſatiatiuum totius ſui appetitus; Vnde ex his colligitur mea ſententia, & venio ad ſecundum punctum.

Verior sẽtentia, & eius explicatio.

409 Quoad ſecundum: Mea ſentẽtia eſt,quod qui peccat venialiter, ponit finem in creatura, qui non ſit vltimus in particulari, & ſatiatiuus ſui appetitus. Explico hanc ſententiã. Duo ſunt fines noſtrarum operationum in indiuiduo: Vnus in communi, vt in ſeq. art. videbimus, qui eſt bonitas vt ſic, & eſt ratio appetendi cætera bona, & obiecta particularia: Alter in particulari, & eſt ipſa bonitas in particulari,ad quam quis conuertitur,ſiue res cui applicat bonitatem, & finem in communi.

Concl.

410 Dico ergo,quod homo quando peccat venialiter, habet pro fine partiali,ſiue non vltimo,qui non ſit ſatiatiuus, & repletiuus ſui appetitus, creaturam,ad quam conuertitur. Probatur hæc ſententia ſic explicata.

Prob.1.

411 Primò: Quia homo dum peccat venialiter, ſemper conſeruat ſuam intentionem principalem directam in Deum tanquam in finem vltimum.

Prob.2.

412 Secundò,quia non eſt neceſſe, vt omnibus obiectis particularibus, quæ

Digitized by Google

quæ appetit, applicet, & ponat rationem totalẽ vltimi finis, siue bonitatis in communi, sed sufficit vt velit illa tãquam bona propter finem vltimum in communi: Nam ipsa bonitas vt sic est essentialiter, & necessariò requisita ad eliciendum nostros actus.

413 Tertiò fauet argumentum ductum ex Aug. pro sententia Montes. quia actus matrimonialis propter solam delectationem non excludit Deũ, vt vltimum finem: ergo dum homo vacat isti actui, saltim interpretatiuè habet pro fine partiali, & non satiatiuo delectationem.

Tertiò. S. Aug.

414 Quartò, quia non est necesse vt iustus semper saltem expresè respiciat Deum tanquam vltimum finẽ particularem; vt patet in eo, qui iustificatur per Sacramentum cum sola attritione. Ex his iam colligitur differẽtia inter peccatum mortale, & veniale, quod mortale habet pro fine vltimo completo, & satiatiuo creaturam; Quia præfert illam absolutè Deo: veniale verò solum pro fine non vltimo, & partiali scilicet non satiatiuo.

Quartò.

415 Quoad tertium. Prima obiectio colligitur ex præfatis locis D. Th. Quia peccatum veniale non excludit charitatem, quæ habitualiter ordinat in Deum: ergo peccatum veniale habet habitu pro fine vltimo Deum. Respondeo negando consequentiã, quia peccatum veniale nullo modo est ordinabile in Deum.

1. Obiectio ex S. Th. Respõsio.

416 Præterea, quia ille, qui peccat venialiter vtitur creatura: ergo refert illam in Deum non actu, sed habitu.

Secundò.

417 Respondeo, quod ideò ait S. Th. quod ille, qui peccat venialiter vtitur creatura, quia peccatum veniale non tollit ordinem charitatis in Deum tanquam in vltimum finẽ: nã re vera aliquo modo fruitur illa cũ illã habeat pro fine, & fruitio sit circa fine.

Resp.

418 Demum, quia in loco citato 2. 2. supponitur, quod ametur aliquid in peccato veniali, non actu, sed habitu: ergo habitu refert charitas peccatum veniale in Deum.

Tertiò.

419 Respondeo iuxta commẽtum Caiet. ibi, quod ideo S. Th. ait, quod charitas amat aliquid habitu in peccato veniali, quia si esset referibile in Deum, quantum est de se, illud referret.

Resp. ex Caiet.

420 Vel respondendum secũdum vnam doctrinam Curielis præclaram. Quia charitas quantum est de se inclinat ad tollendum peccata venialia.

2. Resp. ex Curiele.

421 Secunda obiectio colligitur ex Aug. Quia humana peruersitas est frui vtendis, scilicet creaturis: ergo si homo peccans venialiter ponit suum finem in creatura, fruitur illa, & per consequens erit peruersitas, siue vitium mortale.

2. Obiectio ex Aug.

422 Respondeo, quod ex D. Aug. non quæcumque fruitio creaturæ est peruersitas, & peccatum mortale, sed illa, qua fruitur creatura tanquam vltimo fine simpliciter, & totali. Datur enim latitudo in fruitionibus creaturarum; nam quædam est leuis, vt illa, quæ est creaturæ vt finis partialis: & quædam grauis, vt illa, quæ est creaturæ tanquam finis totalis.

Respõsio.

423 Tertia obiectio. Si peccans venialiter habet pro fine partiali, & non satiatiuo, creaturam: ergo creatura, & Deus componerent vnum finem totalem, quod non est dicendum; quia Deus est ultima satietas nostra. Respondeo, quod creatura non dicitur finis partialis respectu peccantis uenialiter, quia simul cum Deo tanquam cum alia comparte componat unum finem totalem; Sed quia appetitur ut bonum limitatum non continens totam latitudinem bonitatis; Sicut etiã creatura respectu Dei dicitur ens partiale, non quia Deus sit cõpars ipsius, sed quia est ens limitatum, uel finitũ.

3. Obiectio, & 1. resp.

424 Explicari potest hæc responsio exemplo eius, qui scit amicum suũ posse satisfacere cuicumque suo appetitui, sed nihilominus quærit ab alio aliquam suam satisfactiunculam.

425 Vel dicẽdum quod obiectum peccati uenialis dicitur finis partialis ad differentiam peccati mortalis, cuius obiectum dicitur finis totalis. Vel dicendum etiam, quod obiectum peccati

2 Resp.

3 Resp.

Digitized by Google

cati uenialis ſupponat Deum,qui tanquam finis totalis repleat totum appetitum hominis.

426 Sed urgebit quis: Quia ex ea parte, qua quis appetit creaturam ut finem partialem, ſupponit deeſſe eam partem Deo fini totali,& ſatiatiuo noſtro. Reſpondeo, quod hoc procedit, uel ex ignorantia,quia omnis peccans eſt iguorans; uel ex inconſideratione; uel ex quadam confidentia, ſicut ſolet fieri inter amicos, quorum quandoq; unus leuiter offendit alterum iudicans non curare adeò illam leuem offenſam.

Replica & enodatio.

427 Nota hic etiam cum Curiele, quod de ratione ultimi finis non eſt, ut nihil præter ipſum appetatur; ſed quod ita appetatur, & rapiat appetitum poſt ſe,ut trahat illum, & inclinet ad relinquendum illud leue obiectum ſibi oppoſitum, quod appetit. Explicari poteſt hoc exemplo amicitiæ, uel charitatis, quæ ſecum compatitur aliquas leues offenſas amici, ſed nihilominus de ſe inclinat ad tollendum illas.

Animaduerſio.

428 Quarta obiectio. Quomodocumque quis ponat finem in creatura, auertitur à Deo ſecundum eam formalitatem,ſecundum quam conuertitur ad creaturam; nam acceſſus ad terminum *ad quem* eſt receſſus à termino *à quo*: Ergo peccatum ueniale non diſtingueretur à mortali, quia grauitas culpæ conſiſtit in auerſione à Deo.

4 Obiectio.

429 Huic obiectioni facilè, & breuiter poſſem reſpondere,quod auerſio à Deo, quæ fit per peccatum ueniale, eſt leuis, & ideò adhuc diſtingueretur à mortali. Nihilominus dico, quod dupliciter poteſt quis ſe conuertere ad creaturam tanquam ad finem: Vno modo, ut illã præferat abſolutè Deo, & eſtimet illam totum bonum ſuum: Alio modo, non ut illam præferat, & eſtimet totum bonum ſuum, ſed quodammodo ita reſpiciat illam, ut de ſe ſit inclinatus ad repudiandum illam propter Deum; Qui primo modo ſe conuertit ad creaturam,peccat mortaliter; qui ſecundo modo,uenialiter.

Reſpõſio.

LECTIO IV.

An Deus poſsit conſtituere homini plures vltimos fines?

430 DVpliciter homo poteſt tendere in finem: Vnò modo ex directione propria: Alio modo ex directione diuina. Iam uidimus quomodo non poſſit ipſe ſibi conſtituere plures fines ſimul; uidendum eſt modo, an Deus poſſit illi conſtituere plures ultimos fines? Ad cuius euidẽtiam primò notabo quędam: Secundò reſoluam difficultatem: Tertiò ſatisfaciam quibuſdam obiectionibus.

431 Quoad primum. Noto, quod dupliciter poteſt conſiderari Deus: uno modo,ut auctor gratiæ: Alio modo,ut author naturæ; quoad utramq; conſiderationem examinanda eſt difficultas. Præterea difficultas poteſt procedere de finibus copulatiuè, uel diſiunctim acceptis, & de finibus partialibus integrantibus unum finem totalem; & quoad omnia iſta puncta reſoluenda eſt difficultas.

Animaduerſio.

432 Quoad ſecundum. Deus in neutro ordine,neque in ordine naturæ, neque in ordine gratiæ poteſt homini conſtituere plures fines ſimul. Probatur, quia ratio formalis ſiue eſſentialis ultimi finis in hoc conſiſtit, quod ſit tota bonitas, & perfectio noſtra: Sed iſta ratio non poteſt eſſe in duabus rebus, quarum quælibet per ſe ſit ultimus finis noſter: ergo Deus &c. Minor ſolum probanda eſt,& probatur: Quia uel quælibet illarum contineret totum bonum noſtrum; uel neutra;uel altera tantum: Non primũ, quia cum cuilibet illarum deeſſet bonitas, & perfectio alterius,neutra illarum poſſet continere totum bonum noſtrum: Non ſecundum, quia nulli conueniret ratio ultimi finis; ſequitur ut dicatur tertium, & tunc illa ſolum eſſet ultimus finis noſter.

1. Cõcl. & eius Ratio.

Vlte-

Digitized by Google

433 Vlterius: Deus in nullo ordine, scilicet gratiæ,& naturæ potest constituere homini plures ultimos fines disiunctim. Ratio est eadem, ac præcedentis conclusionis. Quia supposito,quod Deus constitueret homini duos ultimos fines sub disiũctione, ad utrumque finem homo diceret ordinem, & capacitatem: ergo si consequeretur unum,semper remaneret cũ capacitate,& ordine ad alterum: ergo finis obtentus non adimpleret totam capacitatem ipsius, quod est contra rationem ultimi finis. Et sic potest dici de alio.

2. Cõcl.& eius Ratio.

434 Denique:Deus non potest cõstituere homini unum ultimum finem aggregatum ex duabus rebus. Probatur: Quia illæ duæ res,uel erunt ambæ creatæ,uel una creata,& altera increata, uel ambæ increatæ: Non potest dici primum: quia si sumantur omnes res creatæ simul, non continent, nec possunt cõtinere perfectionem, quam potest homo appetere, ac proindè nõ possunt satiare ipsius appettitum:Neq; potest dici secundum,quia Deus continet eminenter omnem perfectionem creatam; ergo frustra adderetur res creata ad constituendum unum finem ultimum hominis cum Deo; Tertium nullo modo potest excogitari, nequidem admitti,quia implicat quod dentur duæ res increatæ ad componendum unum ultimum finem, quamuis enim in diuinis sint tres res, non sunt tamen tria bona substantiuè.

3.Cõcl.& eius Ratio.

435 Quoad tertiũ est prima obiectio contra secundam conclusionem, Posset Deus constituere se ultimum finem creaturę,uel ut authorem gratiæ, uel ut authorem naturæ: ergo posset constituere homini plures ultimos fines sub disiunctione. Respondeo primo, quod non potest Deus clarè uideri, ut author naturæ, quin uideatur clarè ut author gratiæ, & consequenter non posset se constituere ut finem nostrum clarè uisibilem sub ista disiunctione.

1. Obiectio contra 2.concluſ.& resſponsio.

436 Respondeo secũdò, quod admisso,quod posset clarè uideri, ut author naturæ absque eo, quod uideretur ut author gratiæ,tunc non satiaretur perfectè appetitus humanus, quia adhuc diceret capacitatem ad ipsum secundum eam rationem,secundum quam non uideretur,

2.Resp.

437 Secunda obiectio contra tertiam conclusionem. De facto beatitudo nostra consistit in uisione trium personarum,quæ dicuntur tres res:ergo,&c.Respondeo quod tres personæ dicuntur tria summa bona adiectiuè, non uerò substantiuè; Vnum enim in diuinis est summum bonum substantiuè, & consequenter unus ultimus finis substantiuè, sicuti unus est Deus substantiuè. Et de isto ultimo fine nos loquimur: an possit constare pluribus rebus, & ut hæc responsio clarior fiat.

2. Obiectio contra 3.conclusionẽ, & responsio.

438 Nota, quod quamuis admittamus in Deo tres existentias relatiuas, nihilominus non urget argumentum, quod sint tria bona, & consequenter tres fines; quia bonum quod est ultimus finis sumitur à perfectione, & esse absoluto, & substantiuo.

1. Animaduersio.

439 Nota ulterius maioris claritatis gratia, quod personæ diuinæ ex se non sunt bonæ: quia bonitas sumitur à perfectione absoluta;relationes autem diuinæ ex se dicunt solam perfectionem relatiuam.

2. Animaduersio.

ARTICVLVS VI.

Vtrum homo omnia,quæ vult, velit propter vltimum finem?

440 IN corpore huius art.ponit Sanctus Th.unicam conclusionem, & eã probat duplici ratione. Concl. est Necesse est, quod omnia, quæ homo appetit, appetat propter ultimum finẽ. Prima ratio est; Quicquid appetit homo, appetit sub ratione boni: Sed istud bonum, uel erit perfectum, & sic erit

Digitized by Google

erit ultimus finis, uel erit imperfectũ, & sic dicit ordinem ad ultimum finẽ: ergo quidquid appetit homo,&c. Minor solum quo ad illud, quod dicit, nimirum: si erit bonum imperfectum dicit ordinem ad bonum perfectum, solum probanda est, & probatur à S. Th.: Quia inchoatio alicuius semper ordinatur ad cõsummationem ipsius, vt patet tam in his, quæ sunt à natura, quam in illis, quæ sunt ab aliqua arte: Ergo inchoatio perfectionis tendit in perfectionem consumatam, quæ est vltimus finis. Secunda ratio. Ita se habet vltimus finis quo ad motionem appetitus, sicut primum mouens respectu aliorum mouentium: Sed causę secundæ non mouent, nisi secundũ quod mouentur à primo mouente: ergo secunda appetibilia non mouent, nisi secundum quod mouentur à primo appetibili, quod est vltimus finis; Vel nõ mouent nisi in ordine ad primum appetibile.

441 In solutione ad tertium dicit Sanctus Th., quod non est necesse, ut semper aliquis cogitet de vltimo fine, quandocumque aliquid appetit, vel operatur; sed virtus primæ intentionis manet in quolibet appetitu cuiuscũq; rei, etiam si de vltimo fine non cogitetur. Confirmat hoc exemplo. Quia non oportet vt qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine.

442 Ad elucidationem huius articuli duas difficultates proponemus. Primo est: An quidquid vult homo, velit propter vltimum finem in communi? Secunda: An quidquid vult homo, velit per vltimum finem in particulari, nempè Deum?

Superiſtũ art. duæ mouẽtur difficultates.

LECTIO I.

An quidquid vult homo, velit propter vltimum finem in communi?

443 IN hac difficultate est cõtrouersia inter Scotũ, & Thomistas, & inter ipsos Thomistas. Ad cuius euidentiam primò notabo aliqua ad intellectum tituli, & facilioré resolutionem ipsius difficultatis: Secundò stabiliam meam sententiam aliquibus respõsionibus: & Tertiò adducam sententias contrarias nobis cũ suis fundamentis, vel rationibus, & soluam illas.

444 Quoad primum. Noto quod duplex est finis vt sæpiùs diximus: Alter dicitur finis in communi: Alter in particulari. In hac lectione loquemur de fine in communi; in sequenti de fine in particulari. Præterea relatio, vel ordinatio actionis in vltimum finem triplex esse potest: Vna actualis; Altera virtualis; Tertia habitualis. Relatio actualis dicitur actus intentionis, quo quis actu dirigit actiones suas in vltimum finem. Relatio virtualis dicitur, qua quis in virtute præcedentis intentionis actualis refert actiones suas in vltimum finem. Relatio habitualis dicitur, qua quis neque actu, neque virtute, sed habitu refert actiones suas in vltimum finem: Siue illa, qua actus ordinatur in finem ratione habitus existentis in ipso operante; Vt cum quis existens in gratia operatur naturaliter, nihil cogitans nec actu, nec virtute de Deo, tunc illi actus dicuntur habitu, hoc est ratione gratiæ, & charitatis referri in Deum. Sed iste modus relationis non ab omnibus Theologis recipitur. Animad. uersio.

445 Rursus relatio virtualis, & implicita in vltimum finem potest esse altera; nimirum, quando actio ratione obiecti proximi refertur in vltimum finem, quia scilicet obiectum proximũ natura sua refertur in vltimum finem, sicuti virtus natura sua dicitur ordinari in Deum, vel in finem honestum, & vltimum. Huic relationi virtuali potest reduci illa, qua actus ratione propensionis, & inclinationis naturalis voluntatis refertur in vltimum finem. Ita omnes Theologi hìc.

446 Quoad secundum. Respondeo primo: Non est necesse, quod quidquid vult homo, velit semper actu formali- 1. Cõcl. et eius Ratio.

maliter, & expresse propter ultimũ finem in communi. Ratio est, quia non semper homo dum uult aliquid, cogitat actu, & expresse de ultimo fine in communi, ut patet experientia; Vnusquisque enim experitur in se, quod nõ semper actu cogitat de ultimo fine quando uult aliquid: ergo non omnia, quæ uult homo, uult propter ultimum finem expresse, & formaliter: Patet consequentia, quia intentio finis sequitur cognitionem finis. Ita communiter Theologi hìc præter fortasse Scotum. Dico *præter fortasse Scotum*. Quia Montes. hìc interpretatur illum ita sensisse.

Scotus. Montes.

447 Respondeo secundò: Quidquid uult homo, uult propter ultimum finem in communi uirtualiter, & implicitè, quatenus illud, quod appetit tanquam bonum particulare, natura sua refertur in bonum in communi; Vel quatenus bonum partiale natura sua in bonum totale, & completum. Hæc est expressa mens S. Th. in hoc art. ut patet ex prima ratione suæ conclusionis. Ita ipsum communiter interpretantur omnes Thomistæ specialiter Montes. Aluarez, & alij: Solum est difficultas inter eos: An mens Sancti Thomæ fuerit etiam, quod homo dum uult aliquid, uelit illud propter ultimum finem implicitè, ita quod expresse aliquando debuit præcedere actus intentionis formalis circa ultimum finem. Quod in seq. responsione examinabimus.

2. Concl. S. Th. Aluar. Montes.

448 Probatur ergo unica ratione fundamentali D. Th. in hoc art. quæ est prima in ordine: Quia quidquid uult homo, uult quatenus bonum, uel totale, & completum; Vel partiale, & incompletum: Si quatenus bonum totale, & completum: ergo iam appetit illud sub ratione ultimi finis: Si tãquam bonum partiale, & incompletũ: ergo etiam appetit illud propter ultimum finem uirtualiter, & implicitè, quatenus bonum partiale natura sua dicit ordinem ad bonum totale. Probatur hæc ultima consequentia, quæ sola probanda est. Quia unaquæque pars natura sua dicit ordinem ad totum, & inchoatio boni perfecti ad bonum perfectum, ut patet in natura, & arte, ut ait S. Th. in hoc art. Remanet ergo firmum ex hac ratione, quod quidquid uult homo, uelit expresse, & formaliter propter ipsum ultimum, quando illud appetit sub ratione boni totalis, & completi; Vel uirtualiter, & implicitè, quatenus uult aliquid, quod natura sua refertur in ultimum finem.

Ratio cõclus. S. Th.

449 Confirmatur hoc testimonio D. Aug. lib. 13. de Trin. cap. 3. vbi ait. Quidquid enim aliud quisque latenter velit ab hac voluntate (scilicet beatitudinis) quæ omnibus hominibus nota est, non recedit. Hæc interpretatio D. Th. vera potest admitti, nec est contraria interpretationi nostræ.

Confir. ex Aug.

450 Respondeo tertiò. Probabile est ex mente Sancti Th. & ex ipsa ratione, quod in volitionibus humanis debuit præcedere aliquando formalis, & expressa volitio vltimi finis. Ita Caiet. & Conradus hìc relati à Montes. hoc eodem loco; Cæterum Caiet. non videtur ita expresse hoc dicere.

3. Concl. S. Th. Caiet. Conrad.

451 Ipse autem Montes. duo dicit in hac parte pro explicatione mentis D. Th. Primum, quod non est necessarium ex loco ab intrinseco, & ex necessaria cõnexione terminorum, quod expressa, & formalis volitio vltimi finis in communi præcedat cæteras volitiones bonorum particularium, propter tres rationes. Prima est, quia non est necessarium vt præcedat, expressa cognitio vltimi finis. Secunda, quia etiam si præcedat expressa cognitio vltimi finis, potest voluntas pro sua libertate non elicere actum circa vltimum finem, & conuertere se ad alia obiecta particularia. Tertia, quia ad hoc vt volitiones bonorum particularium tendant virtualiter, & implicitè in vltimum finem, sufficit, vt ipsa bona particularia natura sua tendant in vltimum finem absque eo, quod præcedat expressa volitio vltimi finis.

1. Expositio Montes. cũ tribus rationibus.

452 Secũdum quod dicit est, quod regulariter loquendo, & vt in pluri-

Digitized by Google

mum expressa volitio vltimi finis in communi præcedit cæteras volitiones bonorum particularium. Et hoc accidit primò, quando homo peruenit ad vsum rationis, tunc enim voluntas elicit actum expressum circa vltimum finem. Secundò, quando homo post sõnum, vel aliquid huiusmodi, quod interrupit suas operationes, resumit operationem: Tres etiam rationes affert huius dicti.

2. Expositio Montes. cũ tribus alijs rationib.

453 Prima (quæ non mihi videtur adeò efficax) est, quia semper præcedit in voluntate expressa intentio vltimi finis in aliqua serie: ergo etiam dum voluntas vult aliquod bonum, debet in ea præcedere expressa volitio vltimi finis in communi.

1. Ratio.

454 Secunda, quia volitiones particularium bonorum sunt propter vltimum finem, & beatitudinem in cõmuni: ergo debet eas præcedere volitio expressa vltimi finis in communi; nam ly *propter* importat causalitatẽ; Neq; potest intelligi, quod finis sit causa implicitè volitionũ bonorum particularium absq; eo, quod semel ipse sit expresse volitus, & intentus. Hæc certè ratio plus concludit, quam ipse intendit, si attentè consideretur.

2. Ratio.

455 Tertia ratio. Quia in homine est appetitus naturalis erga beatitudinem in communi: ergo debet dari aliquis actus elicitus in eo circa illam.

3. Ratio.

456 Hæc sententia est probabilis, & probabiliter explicat mentem Diui Thomæ. Sed responsio mea, vt iacet, magis latè patet, & non determinat tempus, quo homo eliciat istum actũ expressum circa finem vltimum in cõmuni, & videtur magis ad mentem D. Th. Nam illam eruo ex secunda ratione sui articuli, & ex resp. ad tertium: quia ex mente Sancti Th. Secunda appetibilia non mouent appetitum, nisi moueat primum appetibile: ergo ex mente D. Th. & ex ipsa veritate etiam deueniendum est ad vnum primum appetibile, siue vltimum finem in cõmuni, expresse, & formaliter intẽtum. Probo consequentiam, quia finis intentus efficaciter mouet.

Verior expositio mentis S.Th.

1. Ratio.

457 Secunda ratio, quia in resp. ad tertium ait S. Th. quod non oportet, vt aliquis semper cogitet de vltimo fine, sicut qui vadit per viam, non oportet, vt in quolibet passu cogitet de fine: Ergo S. Th. supponit, quod aliquando vltimus finis in communi debeat esse formaliter, & expresse intentus. Probo cõsequentiam, quia si non oportet vt semper cogitet: ergo sufficit ipsum semel cogitasse, & intendisse.

2. Ratio.

458 Tertia ratio, efficax certe (meo videri) deducitur etiam ex S. Th. 1. p. quæst. 82. Quia homo habet appetitum naturalem circa vltimum finem, & beatitudinem in communi: ergo nõ potest facilè intelligi, quod aliqua res habeat appetitum innatum circa aliquid, & aliquando non moueatur circa illud, vt patet in insensibilibus, & sensibilibus: Cons. est nota: Ant. probatur tripliciter à D. Th. vt bene aduertit Caiet. ibidem. Primò, quia intellectus hęret naturaliter primis principijs: ergo etiam voluntas fini; nam ut patet ex 2. Phys. Finis in operabilibus est ut principium in speculabilibus. Secundò, quia fundamentum, & principium aliorum oportet in esse naturaliter, quia natura est primum in unoquoque. Tertiò, quia fundamentum, & principium alicuius rei debet esse immobile, quia omnis motus est ab aliquo immobili.

3. Ratio. S. Th. Caiet.

459 Quoad tertium. Est sententia Scoti in 4. dist. 49. §. *Ex his sequitur*, qui dicit, quod non omnia, quæ homo appetit, appetit propter ultimũ finem. Quæ quidẽ sententia directè videtur contraria nostræ secundę responsioni.

1. Sententia Scoti.

460 Probatur autem primò: Quia potest aliquis appetere aliquod singulare bonum, nihil cogitando de ultimo fine. Respondeo, quod in eo casu illud singulare bonum natura sua, & implicitè diceret ordinem ad ultimum finem, & consequenter implicitè appeteretur propter ultimum finem.

1. Fũdam. & respon. sio.

461 Secundò, quia potest quis appetere aliquid, quod sit contra ueram beatitudinem, vt occidere se ipsum.

2. Fũdam. & respõsio.

462 Simi-

Digitized by Google

462 Similiter homo fidelis dum peccat mortaliter, operatur cõtra ueram beatitudinem: ergo non omnia, quæ uult homo, uult propter beatitudinem. Ad hoc argumentum antequã

Caiet. respondeat Caiet. dicit, quod Scotus non distinxit inter beatitudinem formalem, & materialem, & certè hoc apparet.

463 Respondeo igitur, quod occisio sui ipsius, & peccatum mortale etiã

Respõsio. ordinatur secundum se ad beatitudinem in communi; Nam conuertitur ad ista obiecta homo, quia appetit beatitudinem in communi.

464 Tertiò, quia uoluntas est libera: ergo potest agere, & non agere

3. Fũdam. & respon. sio. propter ultimum finem. Respondeo negando consequentiam, quia eo ipso quod operatur, implicitè, & uirtualiter operatur propter ultimum finem.

465 Quartò, quia nunquam daretur uerbum otiosum, nam semper esset

4. Fũdam. & respon. sio. propter ultimum finem. Respondeo, quod uerbum dicitur otiosum, quia non ordinatur ad ultimum finem in particulari, qui est Deus.

466 Secunda sententia est directè contraria nostræ tertiæ responsioni.

2. Sẽtẽtia Suarez. Vazq. Aluarez. Dicit enim, quod non est probabile, quod uolitio expressa ultimi finis aliquando debet precedere reliquas uolitiones ipsius uoluntatis. Ipsam sequuntur Suarez tom. 1. Metaph. disp. 24. sect. 2. n. 26. Vazq. hic disp. 6. cap. 1. & alij, & uidetur etiã esse Aluarez hic disp. 8. quatenus conatur respondere argumentis factis pro nostra responsione.

467 Probatur igitur primò hæc

1. Fũdam. & respon. sio. sententia: quia nullum est probabile fundamentum pro sententia opposita. Sed certè clarè patet, quam sint probabilia fundamenta nostræ sententiæ.

468 Secundò, quia etiam si præcesserit formalis, & expressa uolitio

2. Fũdam. & respon. sio. ultimi finis, interrumpitur; ergo exui illius cæteræ uolitiones bonorum particularium non ordinantur in ultimũ finem. Huic argumento respondeo cũ

Montes. Montes. negando ant. quia remanet uirtualiter in uolitionibus bonorum particularium, sicut uoluntas accedẽdi ad terminum in uoluntate uiæ.

469 Et hæc videtur etiam expressa mens D. Aug. lib. 13. de Trin. cap. 3. S. Aug. Vbi postquam dixit, omnes homines uelle beatitudinem in communi, subiunxit: *Quidquid enim aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate* (scilicet ultimi finis) *quæ omnibus satis nota est, non recedit.*

470 Sed instant authores contrariæ sententiæ: Quia nullo modo uolũtas vltimi finis in communi connectitur cum volitionibus bonorum particularium, nam discontinuatur per sõnum, per obliuionem, per inaduertentiam, & per alia huiusmodi: ergo non potest remanere virtualiter in eis. Replica aduersariorum.

471 Respondeo, quod voluntas vltimi finis virtualiter moraliter connectitur cum volitionibus particularium bonorum. Duplex enim est discontinuatio actuum: Vna physica, siue metaphysica, vt meliùs loquamur, quæ fit per reuocationem actus, vel per actum contrarium: Altera moralis, quæ fit per obliuionẽ, inaduertentiam, desuetudinem, somnum, prandium, & alia similia, quæ quamuis, metaphysicè loquẽdo, discõtinuent actũ, nihilominus moraliter loquendo illũ non discontinuant, præcipuè si sint ad modicum tempus. Sic ergo dicimus, quod discontinuatio volitionis vltimi finis in communi nõ fit primo modo, quia nullus per actum contrarium, uel per reuocationem actus abhorret ab vltimo fine, nisi fuerit adeò peruersus, vt vellet dicere ex proposito: Nolo beatitudinem in communi: qui actus neque etiam de facili esset admittendus. Discontinuatur ergo volitio vltimi finis in communi secundo modo, quæ non tollit omnem continuationem. Et sic semper remanet virtualiter in uolitionibus particularium bonorum resumptis post somnum, prandium, &c. Enodatio.

472 Tertiò probatur sententia cõtraria principaliter: quia sequeretur nullum verbum esse otiosum; nam si semel iustus per habitum charitatis 3. Fũdam. & respon. sio.

ordinauerit omnes suos actus in Deū, ex vi huius ordinationis, virtualiter omnes actus sequentes dicunt ordinē ad Deum, & consequenter verbum otiosum haberet virtualiter pro fine vltimo Deum, & sic nō esset otiosum. Respondeo negando sequelam. Ad probationem dico, quod verbum dicitur otiosum, quando caret fine proximo debito, & honesto; Et tunc natura sua non est ordinabile in Deum; Vnde nec virtualiter ex prima, & expressa directione charitatis potest ordinari in Deum.

Replica, & enodatio.

473 Sed vrgebit aduersarius: sequeretur ex hac responsione quodlibet peccatum mortale esse verbum otiosum; quia caret fine debito, & honesto. Respondeo neg. seq. quia peccatum mortale ex natura sua tendit ad finem indebitum, & inhonestum: Verbum autem otiosum ex natura sua respicit obiectum indifferens, & est malum, & culpabile, quia in indiuiduo nō ordinatur ad finem debitum, & honestum: Vel clarius potest responderi, quod peccatum mortale dicitur mortale, quia natura sua tendit ad obiectū malum, quod ex consequenti dicitur indebitum, & inhonestum. Verbū vero otiosum dicitur malum, quia ex natura sua nec respicit finem honestum, nec inhonestum, & in indiuiduo ad nullum finem ordinatur.

4 Fūdam. & responsio.

474 Vltimò probatur, quia omnia opera infidelis referentur in idolum virtute illius prioris voluntatis, qua se dicauit idolo. Resp. neg. sequelam: quia opera moraliter bona infidelis natura sua non sunt referibilia in idolum: Per voluntatem autem illam primariam referuntur in idolum quæ sunt referibilia.

LECTIO II.

Vtrum quidquid vult homo, velit propter vltimum finem in particulari, qui est Deus?

475 IN hac lectione primò explicabo titulum: Secundò aduertam aliqua: Tertiò resoluam difficultatem aliquibus conclusionibus: Quartò adducam sententiam contrariam cum suis argumentis, & soluam illa.

Explicatio tituli.

476 Quoad primum. Duplex esse potest sensus tituli: Primus: An omnes actiones hominis, etiam peccaminosæ, vt sunt à Deo quo ad entitatem, sint propter ipsum tanquam propter vltimum finem? Secundus: An omnes actiones hominis, prout sunt ab ipso homine, sint propter Deum tanquam propter vltimum finem? Et vtroque sensu tractabitur difficultas. Etenim omnes actiones hominis etiam peccaminosæ quo ad entitatem, & sunt à Deo, & sunt ab ipso homine, & ideò quoad vtrumque sensum tractabitur difficultas.

Animaduersio.

477 Quoad secundum. Aduerto primò, quod duplici appetitu operatur homo: & appetitu naturali: & appetitu electiuo. Secundò, quod duo importantur in quolibet peccato, & entitas subiecta malitiæ, & ipsa malitia. Tertiò, quod actiones hominis dupliciter possunt referri in Deum, vel implicitè, & ex ipsa natura operis: Vel ex affectu ipsius operantis.

1. Cōcl. & eius Ratio.

478 Quoad tertium. Respondeo primò. Omnes actiones humanæ in tota sua latitudine sumptæ (exceptis actione peccaminosa, nam de ipsa specialiter erit sermo in responsione sequenti) prout sunt à Deo sunt propter ipsummet Deum, tanquam propter vltimum finem. Probatur primò ex Prouerb. 17. *Omnia propter semetipsum operatus est Deus.* Item

Apoc.

Apoc. c. 22. *Ego sum Alpha, & Omega, principium & finis.* Probatur secundò. Quia Deus est agens intellectuale, quod mouetur ad operationem propter bonitatem suam.

2. Cõcl. & eius Ratio.

479 Respondeo secundò. Actio peccaminosa hominis quoad entitatem, vt est à Deo, est propter seipsum tanquam propter ultimum finem. Ratio est, quia illa entitas est efficienter à Deo: Ergo debet finaliter terminari ad ipsum. Ita Montes. in hoc art. disp. 2. q. 4. §. 2. Med. Aluarez, & alij.

Montes. Aluarez. Medina.

3. Cõcl. & eius Ratio.

480 Respondeo tertiò. Omnes actiones hominis (excepta actione peccaminosa, nam de ipsa loquar specialiter responsione seq.) sunt implicitè, & virtualiter saltem propter Deũ tanquam propter ultimum finem; siue quidquid appetit homo, appetit propter Deum tãquam propter ultimum finem implicitè, quando expresè non dirigit suas actiones in ipsum tãquam in ultimum finem. Est resp. hæc clarissimè D. Th. 1. p. q. 44. a. 4. ad 3. ubi ait. Omnia appetũt Deũ, ut finem, appetẽdo quodcumque bonum, siue appetitu intelligibili, siue sensibili, siue naturali, qui est sine cognitione: quia nihil habet rationem boni, & appetibilis, nisi secundum quod participat Dei similitudinem.

481 Et quæst. 60. eiusdem primæ partis art. 5. ubi quærit: *An Angelus naturali dilectione diligat Deum plusquam se ipsum?* Resp. affirmatiuè hac ratione *Quia igitur bonum vniuersale est ipse Deus, & sub hoc bono continetur etiam Angelus, & homo, & omnis creatura: quia omnis creatura naturaliter secundum id, quod est, Dei est.* Et solutione ad 4. idem repetit dicens. *Dicendum, quod Deus secundum quod est vniuersale bonum, à quo dependet omne bonum naturale, diligitur naturali dilectione ab vnoquoque.* Et solutione ad 5. addit. quod Angelus, & homo peccans, dilectione naturali diligit plus Deum, quã se ipsum. Deniq; eadem 1. p. q. 6. a. 1. ad 2. ait: *Dicendum, quod omnia appetendo proprias perfectiones, appetunt ipsum Deum, in quantum perfectiones omnium rerum sunt quædam similitudines diuini esse.*

Animadue rsio.

482 Nota, quod iste discursus D. Th. fundatur in hoc axiomate. Vnumquodque in rebus naturalibus, quod secundum naturam hoc ipsum, quod est alterius, est principalius, & magis inclinatur in id, cuius est, quam in se ipsum: Nam uidemus, quod pars semper se exponit ad conseruationem totius.

Probatio ex Ratione.

483 Probatur autem hæc conclusio primò ratione ducta ex D. Th. locis allatis. Quia quælibet bonitas creata est participatio bonitatis increatę: ergo qui appetit bonitatem creatã, uirtualiter, & implicitè saltem appetit bonitatem increatam, & consequenter actiones eius morales uirtualiter saltẽ sunt propter Deum. Probatur consequentia; Nam propterea diximus in lectione superiori, & concedunt omnes authores, quod quidquid uult homo, uelit propter ultimum finem in communi, quia bonum particulare, & imperfectum ordinatur ad bonum uniuersale, & perfectum ex sui natura.

Euasio Vazq.

484 Resp. Vazquez huic rationi, quod eatenus homo appetit ultimũ finem in communi, quatenus in bono particulari est quædam ratio communis cum ipso bono in communi; nimirum *bene se habere, & carere malo*, quæ quidem ratio non est ei communis cum ipso Deo; sed solum bonitas creata dicitur participatio bonitatis increatæ quatenus effectus ipsius. Vnde homo appetendo bonitatem creatam non debet dici, quod uirtualiter appetat illam propter ultimum finem in particulari, nempè Deum.

Prȩclusio.

485 Sed contra. Quia ista ratio, quę dicitur communis bono in communi, & bono in particulari, nempè *carere malo*, & *bene se habere*, adhuc est illi communis cum bono in particulari, nimirum Deo; Quia quidquid boni inuenitur in ente creato, inuenitur in Deo, & est illi communis demptis imperfectionibus, quia est participatio bonitatis suæ.

486 Re-

Digitized by Google

Euasio Curielis.

486 Respondet secundò Curiel, quod non semper bonitas creata ordinatur in Deum, quia quandoque ex directione hominis habet adiunctam malitiam, quæ repugnat Deo.

Præcluſio.

487 Sed contra. Quia bonitas in particulari, quæ non habet adiunctam malitiam non repugnat Deo. Rursus: Etiam bonitas, quæ habet adiunctam malitiam, secundam materiale entitatis suæ non repugnat Deo: ergo quomodocumque, &c.

2. Ratio.

488 Probatur secundò conclusio. Quia homo in omni opere suo appetit suam beatitudinẽ, & bonum, quod possit explere suum desiderium: Sed beatitudo, & bonum hoc intrinsecè reperitur in Deo: Ergo virtualiter appetit Deum.

Euasio Curiel.

489 Huic rationi resp. Curiel; negando minorem, si intelligatur de bono, vel beatitudine, quam homo sibi ipsi constituit, quia multoties ponit eam in re repugnante ipsi Deo.

Præcluſio.

390 Sed certè hæc resp. non infringit rationem nostram. Quia in quacumque re ponat homo beatitudinem suam, semper in ea intrinsecè inuenitur ipse Deus, excluſa malitia.

3. Ratio.

491 Probatur tertiò. Quia dum homo appetit aliquid, appetit illud; vt sit vel, vel vt viuat, vel vt perfectus sit: ergo appetit necessario omnia, quæ sunt simpliciter necessaria; ad hoc vt sit, viuat, & perfectus sit: sed ad hæc simpliciter necessarius est ipse Deus, quia ab ipse intrinsecè omnia dependent; ergo, &c.

Euasio Curiel.

492 Respondet Curiel huic rationi, quoad solum concludit, quod in omni operatione sua velit homo Deũ esse, non vero quod ex amore ipsius moueatur ad operandum, quod est necessarium ad hoc, vt dicatur velle omnia propter Deum, tanquam propter vltimum finem ex directione sua.

Præcluſio.

493 Sed contra. Quia mouetur homo ad operandum propter ista triuolita expresè: ergo implicitè, & virtualiter propter Deum à quo intrinsecè dependent; Vel, vt ita dicam, propter Deum, qui intrinsecè clauditur in eis; Nam propterea etiam operantur implicitè propter vltimum finem in commnni.

Euasio Vazq.

494 Secundò resp. Vazq. huic arg. & spernit illud tanquam friuolum. Primò, quia omnis, qui appetit aliquod bonum, non desiderat hoc ipso viuere, & esse, neque de eo quidquam cogitat. Secundò, quia licet desideraret viuere, & esse, non desideraret eo ipso Deum esse; quia non semper qui desiderat uiuere, cogitat de causis uitæ. Tertiò, quia licet de illis cogitaret, & uellet Deum esse, uellet quodammodo Deum esse, ut ipse tale bonum consequeretur, & uiueret.

Præcluſio.

495 Sed pace ipsius Vazq.; videat unusquisque an suæ responsiones friuolæ sint? Nos enim, quando dicimus, quod, dum quis appetit aliquod bonum, ut sit, & uiuat, non dicimus, quod appetat Deum, neque cogitet de illo expresè, sed solum implicitè, & uirtualiter, ut etiam concedit, uel tenetur concedere ipse Vazq. de ultimo fine in communi. Vnde quandocumque quis appetit aliquod bonum, appetit implicitè uiuere, & esse, uel suam perfectionem, & consequenter Deum. Tertium dictum, quod habet apparentiam probabilitatis, remanet impugnatum in impugnatione responsionis Curiel.

4. Concl. Montes.

496 Respondeo quartò. Homo dũ peccat, quit entitatem peccati implicitè propter Deum, ut ultimum finem excepta malitia. In hac conclusione discordamus cum Montes. Sed ipse nõ uidetur sibi consequens, cũ concedat entitatem peccati, ut est à Deo, ordinari in ipsum tanquam in ultimum finem, & neget eam esse propter ipsum, ut est ab homine, cum eadem deberet esse ratio propter entitatem, & bonitatem suam physicam. Est autem Aluarez, & aliorum Thomistarum, & probatur omnibus rationibus, quibus probata est præcedens conclusio seruata proportione.

Aluarez.

Ratio cõclusionis.

497 Sed probatur specialiter. Quia entitas peccati præcisa malitia habet suam bonitatem physicam; ergo secundum

cundum istam rationem, ut est ab homine, implicitè est propter Deum.

498 Quoad tertium. Est sententia nobis contraria, quæ vniuersaliter tenet, non omnia, quæ homo appetit, esse propter Deum vt vltimum finem, & specialiter illa, quæ appetit affectu peccaminoso. Ipsam sequuntur Vazquez hìc disp. 6. cap. 3. Curiel. dub. vnico. Montes. quoad actus peccati, & alij.

Sententia opposita Vazq. Curiel. Montes.

499 Primum argumentum huius sententiæ est. Quia peccatum auertit à Deo: ergo non potest esse propter Deum. Respondeo, quod non auertit à Deo secundum entitatem physicam, sed tantum secundum malitiam, quia secundum entitatem physicam bonum est.

1. Fũdam. & respon. sio.

500 Secundum argumentum. Quia peccator est agens liberum, qui potest intentione sua auferre illum ordinem ad Deum, quem res habet à natura: ergo quamuis entitas peccati ordinetur in Deum, nihilominus, vt est ab homine auertit ab illo. Respondeo, quod peccator re vera intentione sua euertit ordinem, quem dicit creatura in Deum, dum peccat, & ipsa abutitur contra voluntatẽ Dei; sed non potest facere, vt entitas actus peccati in quãtum est physicè bona, natura sua non ordinetur in Deum; cum particulare bonum natura sua tendat in summum, & vniuersale bonum, à quo dependet, quod est Deus.

2. Fũdam. & respon. sio.

501 Tertium argumentum. Quia nõ potest eadem actio, ut semel egreditur ab agente, ordinari in duos vltimos fines: At peccatum quoad entitatem ordinatur in Deum, & quoad malitiam in creaturam: ergo, &c. Respondeo, quod non est inconueniens, vt idem actus secundum diuersam formalitatem ordinetur in duos fines vltimos.

3. Fũdam. & respõsio.

502 Quartò arguit Vazq. dicens: Quis enim auderet dicere, quod latro dum furatur, furetur propter Deum: Adulter dũ adulterat, adulteret propter Deum? Respondeo, quod vnusquisque auderet dicere, si explicaretur iuxta sententiam nostram,

4. Fũdam. & respõsio.

503 Quintò. Quando homo vult aliquid propter beatitudinem in communi, vult illud, quia in eo reperitur illa ratio communis vtriusque, scilicet *bene se habere, & carere malo:* sed ista ratio non est communis bono particulari, & Deo: ergo, &c. Hoc argum. est impugnatum supra, & solutum in responsione ad primum nostrum argumentum.

5. Fũdam. & responsio.

504 Sextò tãdem arguit Vazquez. Quia ea ratione quis amat omnia propter beatitudinem, quia vult esse beatus: ergo ea ratione quis amat omnia propter Deũ, quia vult esse Deus, vel saltem vt iudicet, & habeat in se Deum, quod absurdum, & ridiculum est. Respondeo primò, quod non semper quis actu illo expresso fertur in beatitudinem in communi, sed implicitè, quatenus vult bonum particulare, quod de se est participatio boni in cõmuni; ita pariter dicitur de Deo.

6. Fũdam. & respon. sio.

505 Secundò, quodnam inconueniens est, & quæ res ridicula dicere, quod dum quis amat aliquod bonum, quod participatiuè est Deus, amet esse Deum per trasformationem, vel amet habere Deum in se? Si hoc videtur absurdum, & ridiculum Vazq., nõ mihi, nec benè philosophanti de amore.

2. Resp.

ARTICVLVS VII.

Vtrum sit vnus vltimus finis omnium hominum?

506 IN corpore huius articuli. duo facit Sanctus Thomas: primò supponit vnũ: deinde statuit duas conclusiones.

507 Quoad primum. Supponit, quod vltimus finis dupliciter sumitur: Vno modo secundum rationem vltimi finis in communi: Alio modo secundum id, in quo vltimi finis ratio inuenitur.

508 Quoad

Digitized by Google

508 Quoad ſecundum. Eſt prima concluſio.Quantum ad rationem ultimi finis omnes conueniunt in appetitu ultimi finis. Ratio eſt, quia omnes appetunt ſuam perfectionem adimpleri, quæ eſt ratio vltimi finis.

509 Secunda concl.Quãtum ad id, in quo ratio vltimi finis inuenitur,non omnes homines conueniunt in vltimo fine. Ratio eſt, quia quidam appetunt diuitias, tanquam bonum conſummatum: Quidam vero voluptatem: Quidam vero,&c.

510 Circa iſtũ art.nihil occurrit dicendum. Solum aduertendum eſt, quod in eo D. Th. tradit diuiſionem vltimi finis in communi,& vltimi finis in particulari.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum in illo vltimo fine aliæ creaturæ conueniant?

511 IN corpore huius art. etiam duo facit Sanctus Tho. Primò ſupponit alteram diuiſionem finis: Secundò reſpondet quæſito duabus concluſionibus.

512 Quoad primũ.Supponit,quod finis dupliciter dicitur:ſcilicet *cuius*, & *quo*, ideſt ipſa res,in qua ratio boni inuenitur: & vſus,ſiue adeptio illius rei.

513 Quoad ſecundum. Eſt prima concluſio. Si loquamur de vltimo fine hominis,quantum ad ipſam rem,quæ eſt finis:ſic in vltimo fine hominis omnia alia conueniunt. Ratio eſt, quia Deus eſt vltimus finis hominum, & omnium aliarum rerum.

514 Secunda concluſio. Si loquamur de vltimo fine hominis quantum ad conſecutionem finis: ſic in hoc fine hominis nõ communicant creaturę irrationales.Ratio eſt,quia homo,& alię creaturæ rationales cõſequuntur ultimũ finẽ cognoſcendo,& amando Deũ, quod non competit alijs creaturis.

515 In hoc art. ſolum aduertenda eſt diſtinctio finis obiectiui, & finis formalis.

Epilogus totius doctrinæ huius quæſtionis.

516 DIcam in compẽdio ordine quodã quidquid tractatum eſt in hac quęſtione,ut faciliùs teneatur memoria. Epilogus totius quæſt. 1. D.Th.

517 Nomẽ ergo finis ex prima ſua ſignificatione ſignificat terminum,ſiue extremitatem alicuius rei:ſicut punctũ extremum lineæ dicitur finis lineæ, mors dicitur finis uitæ, &c. Ex ſecundaria ſua ſignificatione, ſignificat id, cuius gratia aliquid fit;ſicut finis Oratoris eſt perſuadere, Medici ſanare, &c.Et ratio eſt,quia licet id,cuius gratia aliquid fit,ſit primum in intẽtione; eſt tamen ultimũ in executione. Definitur, quod ſit id,cuius gratia aliquid fit. Diuiditur in finem in communi,& finem in particulari; ſiue in finem formalem, uel materialẽ: Finis in cõmuni dicitur ipſa ratio ſummi boni: Finis in particulari ipſa res, in qua inuenitur ratio ſummi boni.

518 Rurſus finis in particulari diuiditur in finẽ obiectiuũ,& in finẽ formalẽ: Finis obiectiuus dicitur res adepta:Finis formalis dicitur ipſa adeptio rei.Finis eſt obiectũ appetitus rationalis ſub ratione finis; quia eſt idem formaliter cum bono,diſtinctus tamẽ pęnès cõceptũ explicitũ ab ipſo bono, ſi ſumatur fundamẽtaliter,uel traſcẽdẽtaliter,aut materialiter. Vnde propriũ eſt hominis agere propter finẽ. Actiones ipſius,quæ abſolutè, & ſimpliciter dicũtur uerſari circa finẽ,ſiue eſſe propter finẽ,sũt actiones humanę,quę pẽdent à volũtate deliberata,ſiue à libero arbitrio,ſiue quarum ipſe eſt dominus. Actiones imperatæ ipſius in eſſe rei poſſunt habere rationem vltimi finis, non vero vt imperatæ. Actiones elicitæ etiam in eſſe rei, & ordine reflexo, poſſunt habere rationem vltimi finis. Verum quando funguntur officio ultimi finis, non dicuntur actiones humanæ.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO II. D. TH.

De his, in quibus hominis beatitudo consistit, in octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum beatitudo hominis consistat in diuitijs?

1 IN corpore huius art. primò explicat S. Th. quotuplices sunt diuitiæ; Secundò respõditur duabus cõclusionibus quæsito.

2 Quoad primũ dicit, quod duplices sũt diuitiæ ex Arist. 1. Polit. cap. 6. scilicet naturales, & artificiales. Naturales diuitiæ dicũtur, quibus homini subuenitur ad defectus naturales tollẽdos, sicut cibus, potus, vestimẽta vehicula, habitacula, &c. Artificiales, quibus secũdum se natura non iuuatur, vt denarij; sed ars humana eos adinuenit propter facilitatem commutationis.

3 Quoad secundum est prima cõclusio. In diuitijs naturalibus beatitudo hominis esse non potest. Ratio quia ordinatur ad hominem sicut ad finem, nàm quęruntur ad sustentandam naturam hominis.

4 Secunda conclusio. Diuitiæ artificiales multo minus rationem finis habere possunt. Quia ipsæ ordinantur ad artificiales.

ARTICVLVS II.

Vtrum beatitudo hominis consistat in honoribus?

5 RESpõsio D. Th. est, quod beatitudo non potest cõsistere in honoribus. Ratio est, quia honor est testimoniũ, vel signum excellentiæ, quæ est in honorato: Et ideò potius consequitur honor beatitudinem, quam in eo consistat principaliter.

ARTICVLVS III.

Vtrum hominis beatitudo consistat in fama, siuè in gloria?

6 REsponsio S. Th. est, quod in fama, vel in gloria hominis beatitudo cõsistere nõ potest: Quia fama, siuè gloria ex Amb. est clara cũ laude notitia; sed clara hominis cum laude notitia causatur à sua beatitudine inchoata, vel perfecta. Ergo, &c.

ARTICVLVS IV.

Vtrum beatitudo hominis consistat in potestate?

7 REspondit Sanctus Tho. quod impossibile est beatitudinem in potestate consistere. Primò quia potestas habet rationem principij, vt patet 3. Metaph. beatitudo autem habet rationem finis. Secundò, quia potestas se habet ad bonum, & ad malum; beatitudo autem est proprium,

& perfectum hominis bonum.

8 Circa hos quatuor art. aduertendum est, quod Sanctus Th. determinauit beatitudinem non consistere in aliquo exteriori bono creato ipsius hominis. Nã omnia bona exteriora hominis reducũtur ad ista quatuor capita præfata, nimirùm ad diuitias, honores, gloriam, & potestatẽ. In sequentibus quatuor art. concludit illam non consistere in aliquo bono intrinseco ipsius hominis.

9 Vlterius aduertendũ est, quod in eo quatuor rationibus generalibus confirmat in communi quatuor præcedentes conclusiones. Prima ratio est, quia beatitudo, cum sit summum hominis bonum, non compatitur secum aliquod malum: omnia autem prædicta possunt inueniri in bonis, & in malis. Secunda, quia beatitudine adepta necesse est, vt nullum bonum necessarium homini desit: sed singulis præmissorum adeptis possũt adhuc multa bona necessaria homini deesse, puta sapientia, sanitas corporis, &c. Tertia quia ex beatitudine nõ potest malum alicui prouenire, quod non conuenit præmissis. Quarta, quia homo ordinatur ad beatitudinem per principia interiora, cum ad ipsam naturaliter ordinetur: sed præmissa quatuor bona sunt magis à causis exterioribus, & vt plurimũ à fortuna, vndè & bona fortunę dicũtur: ergo, &c.

ARTICVLVS V.

Vtrum beatitudo hominis consistat in aliquo corporis bono?

10 REsponsio. Impossibile est beatitudinẽ hominis cõsistere in bonis corporis, siuè in cõseruatione bonorum corporis. Ratio est, quia esse hominis ordinatur ad finem vltimum: Ergo non potest esse vltimus finis conseruatio ipsius humani esse. Secunda ratio, quia dato, quod conseruatio humani esse esset finis rationis, et voluntatis, nõ posset dici, quod finis hominis esset aliquod corporis bonum; Quia ipsum corpus est propter animam, et omnia bona corporis ordinantur ad animam, sicut ad finem.

ARTICVLVS VI.

Vtrum beatitudo hominis consistat in voluptate?

11 IN hac art. duo facit Sanctus Tho. Primò distinguit inter voluptatem specialem, et corporalẽ. Secundò satisfacit quæsito duabus conclusionibus.

12 Quoad primũ supponit, quod alia est voluptas, quæ sequitur bonum perfectum: alia, quæ sequitur bonum corporale apprehẽsum per sensum. Ratio suppositionis est, quia ex hoc quis delectatur, quia habet bonum perfectum, vel in re, vel in spe.

13 Quoad secundum. Respondet primò, quod voluptas, siue delectatio, quæ sequitur bonum perfectum, non est ipsa essentia beatitudinis, sed quoddam consequens ad ipsam, sicut per accidens. Ratio est, quia ipsa non est bonum perfectum hominis, sed quid consequens ad ipsum bonum perfectum.

14 Respondet secundò, quod voluptas corporalis, neq; per se, neq; per accidens est ipsa beatitudo. Ratio est, quia bonum apprehensum per sensus est minimum quiddam inter bona hominis, et consequenter ipsa delectatio, quæ fluit ab ipso.

15 In responsione ad primũ ait S. Tho. quod delectatio non appetitur propter aliud tanquam propter causam

Digitized by Google

ſam finalem: ſed tanquam propter formam, vel propter motiuum. Ratio primæ partis eſt, quia ex eadem virtute naturæ eſt, quod graue feratur deorsũ,et quod ibi quieſcat. Vnde ſicut bonũ per ſe ipſum appetitur, ita,et delectatio propter ſe. Ratio ſecundæ partis eſt,quia ex hoc delectatio habet, quod appetatur, quia eſt quies in bono deſiderato: Ergo bonum ad quod ſequitur eſt cauſa motiua, vel formalis reſpectu ipſius.

ARTICVLVS VII.

Vtrum beatitudo hominis conſiſtat in aliquo bono anima?

16 IN hoc art. duo facit S. Tho. primò ſupponit aliqua: Deidè tribus cõcluſionibus ſatisfacit quæſito.

17 Quoad primũ ſupponit, quod finis dupliciter dicitur, ſcilicet ipſa res, quam adipiſci deſideramus, et vſus,ſeù adeptio, vel poſſeſſio rei. Vlterius ſupponit, quod anima vel poteſt conſiderari ſecundum ſuam eſſentiam præciſis potentijs, et habitibus: vel quantum ad potentias,et habitus,et actus.

18 Quoad ſecundum Reſpondet primò: ſi loquamur de vltimo fine hominis,quantum ad ipſam rem,impoſſibile eſt, quod vltimus finis hominis ſit ipſa anima ſecundum ſe.Ratio eſt quia ipſa eſt in potentia ad vltimum finem.

19 Reſpondet ſecundò: Si loquamur de vltimo fine hominis quãtum ad ipſam rem, impoſſibile eſt, quod aliquid animæ,ſiue ſit potentia, ſiue habitus, ſiue actus, ſit vltimus finis eius.Ratio eſt, quia iſta bona ſunt incompleta, et imperfecta, ſiue vt expreſſius loquitur S.Th.quodlibet bonũ inherẽs animę eſt bonũ participatũ,et per conſequens particulatum.

20 Reſpondit tertiò: Si loquamur de vltimo fine quantum ad ipſam adeptionem rei, ſic ad beatitudinem hominis pertinet aliquid ex parte animæ.Quia homo per animam beatitudinem conſequitur.

21 In ſolutione ad ſecundum ait S.Th.quod beatitudo amatur tanquã bonũ concupitũ, ipſe autẽ homo tanquam id,cui concupiſcitur bonum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum beatitudo hominis conſiſtat in aliquo bono creato?

22 REſponſio D. Tho. eſt. Impoſſibile eſt beatitudinem hominis eſſe in aliquo bono creato. Ratio eſt quia Beatitudo eſt bonũ perfectũ,quod totaliter quietat appetitum:ſed in nullo bono creato poteſt inueniri hęc ratio boni:Ergo,etc. Cõcludit poſtmodum conſequẽter D.Th.quod in ſolo Deo cõſiſtit beatitudo hominis. Ratio eſt, quia appoſitus humanus habet pro obiecto bonũ vniuerſale,et perfectũ: Hoc autẽ bonũ naturale,et vndequaque perfectum non reperitur, niſi in ſolo Deo:Ergo in ſolo Deo,etc.

23 Circa totam iſtam quæſtionẽ nihil occurrit dicendum,niſi ſolum, quod cum Sanctus Tho. in 1.quæſt. egerit de vltimo fine in communi,ſequitur ad tractandum de vltimo fine in particulari:ſiue Beatitudine in particulari: ſed quia vltimus finis, ſiue beatitudo in particulari duplex eſt: Obiectiua: & formalis: ſiue res adepta: & adeptio rei; Ideò in hac quæſtione agit de beatitudine obiectiua; & primis quatuor art.remouet beatitudinem à bonis fortunæ hominis,in qua poſuerunt illam aliqui philoſophi;In ſequentibus tribus art. remouet illam à bonis naturæ:à bonis corporis, & bonis animæ:Et in vltimo art. vniuerſaliter à quocumq; bono creato: Et eã ponit in ſolo Deo. Vnde vltimus noſter finis obiectiuus eſt ſolus Deus,& eſt de fide.

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

Quid sit beatitudo? in octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum beatitudo sit aliquid increatum?

1 IN hoc art.1.supponit vnum D. Tho. deindè respondit quęsito duabus cõclusionibus.

2 Quoad primũ supponit, quod finis dicitur dupliciter: Vno modo ipsa res adepta: Alio modo ipsa adeptio rei.

3 Quoad secundum. Respondit primò, si beatitudo sumatur quãtum ad causam, vel obiectũ, siuè pro ipsa re adepta, sic est aliquid increatum. Ratio est, quia est ipse Deus, qui solus sua infinita bonitate potest hominis voluntatem perfectè implere.

4 Respondit secundò: Si beatitudo sumatur quantum ad essentiam, vel formaliter, sic est aliquid creatum in ipso homine existens. Ratio est, quia beatitudo taliter sumpta nihil aliud est, quàm adeptio, vel possessio, vel fruitio finis vltimi.

LECTIO VNICA
Super hunc Art.

Vtrum beatitudo nostra formalis de facto sit creata, vel saltem de potentia Dei possit esse increata?

5 REspondetur primò: Beatitudo nostra formalis de facto est creata, ita vt quilibet Beatus videat Deum visione creata, & non increata ipsius Dei. Hæc conclusio est adeo certa, vt cõtraria sit proxima hæresi, & saltem temeraria, quia opponitur omnibus PP. & Cõc. 1. Cõclus. & probatur ex S. Scriptura.

Probatur primò ex Sacra Scriptura. Nàm Ioan.1.cap.3.dicitur *Videbimus Deum sicuti est.* Et 1.Chorinth.13. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem*; Sed visio, qua nunc videmus in enigmate, est creata: Ergo etiam visio, qua videbimus facie ad faciem.

6 Probatur secundò ex Concil. Trid.sess.6.cap.7.vbi ait: *Causa formalis nostræ iustificationis est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit*: Ergo visio beata, quæ correspondet, vt præmium huic iustitiæ, erit, non qua ipse beatus est, sed qua nos beatos faciet. Probatur secũdò ex Trident.

7 Probatur tertiò ratione. Si animæ essent formaliter beatæ visione increata, qua Deus beatus est, essent æquales beatitudines: Sed ex Scripturis, & Cõcilijs, specialiter ex Florẽtino in decreto de purgatorio, beatitudo erit inæqualis pro meritorum inæqualitate: Ergo. Sequela maioris, in qua est difficultas, probatur: quia operatio, seù visio increata non possit magis, & minus communicari. Probatur tertiò ex ratione.

8 Neq; valet respondere, quod Diuina Essẽtia modo se magis, & minus communicet per modum obiecti. Quia bene potest hoc fieri, cum id, quod se habet per modum puri obiecti, possit se magis, & minus communicare, non vero, id quod se cõmunicat per modum actionis, vel principij actiui. Imò quod ipsa Diuina Essẽtia magis, & minus modo videatur, totũ Euasio, & Pręclusio.

pen-

Digitized by Google

pendet ex lumine gloriæ, quod est magis in vno,quam in alio Beato.

Confirm. 9 Confirmatur hæc ratio,quia si vnitas personalis Verbi modo communicaretur pluribus naturis humanis,omnes illæ naturæ æqualiter subsisterẽt subsistẽtia Verbi:Ergo si omnes Beati viderent Deum visione increata æqualiter ipsum viderent:Cõs. est legitima:Ant.patet, quia subsisterent omnes subsistentia infinita, & æqualiter perfecta.

2.Ratio. 10 Probatur tertiò ratione satis efficaci. Quia beatitudo formalis est actus vitalis. Sed actus vitalis debet procedere ab ipso viuente: Ergo non potest esse increata. Maior potest probari ex Sacra Scriptura Ioan. 17. vbi dicitur: *Hæc est vita æterna, vt cognoscãt te Deum,&c.* Minor probatur, quia actio specificatur à suo principio.Consequentia est euidens.

3.Ratio. Caiet. 11 Probatur quartò ratione Caiet.Quia agens sumit denominationẽ ab actione, quæ procedit ab ipso, & transit in externam materiam, vel ab actione,quæ procedit ab ipso,& recipitur in ipso: Ergo nullus potest denominari Beatus à visione increata, quia hæc solùm reciperetur in ipso.

2. Concl. & 1. Ratio. Montes. Aluar. 12 Respondetur secundò. Beatitudo formalis, neq; de potentia Dei potest esse increata. Ita Montes. Aluar. & alij: Probatur primò ratione tertia præced. Quia de ratione actionis vitalis est,vt sit à principio intrinseco: Sed Deus non potest supplere hoc principium intrinsecum,cum habeat rationem causæ formalis; Ergo,&c.

2. Ratio ex S.Th. 13 Secundò probatur ratione D. Th.q.2. de Verit.art.1. in corp. Diuinitas nõ potest esse actus corporis,ita vt ea corpus formaliter viuat,aut fiat rationalis creatura: Ergo non potest esse actus animæ rationalis,vt ea formaliter fiat sciens, & videns. Consequentia videtur clara ex paritate rationis:Ant. probatur, quia alias ex Natura Diuina,& humana fieret vna tertia natura tãquã ex duobus extremis, & corrũperetur vtriusq; naturæ veritas: nàm illud, quod est vtriusq; vnitate naturæ,debet esse,vel per modum actus;vel potentiæ, quod repugnat Diuinæ Naturæ.

3.Ratio. 14 Tertiò probatur. Quia cognitio increata comprehendit Deum: Ergo Beatus, siuè intellectus creatus comprehẽderet Deum, quod est absurdum,imò implicat.

Aduersariorum responsio. 15 Respondebit, quis huic rationi,quod modo Deus se communicat Beatis per modum speciei intelligibilis,& non cõprehenditur,ita pariter si cõmunicaret se per modum visionis beatæ.

Cõfutatio 16 Sed contra; quia comprehensio attenditur ex parte principij actiui: Ergo quotiescumq; datur actio, vel virtus infinita cognoscitiua,debet dari etiam comprehensio obiecti.

1.Sententia opposita, & 1. fundamẽt. & responsio. 17 Contra primam nostram respõsionem fuerunt aliqui Theologi Parisienses,qui(vt referunt expositores D.Tho. hìc)dixerunt Angelos, & homines esse beatos visione increata.Prima ratio huius sententiæ esse potest: Quia beatitudo formalis est summum bonum rationalis creaturę: Sed nihil est summum bonum creaturæ rationalis, nisi Deus: Ergo. Respondeo, quod beatitudo obiectiua est summum bonum creaturæ: beatitudo autem formaliis est adeptio summi boni.

2.Fũdam. & respõs. 18 Secunda ratio: Deus secũdum sententiam probabilem vnitur intellectui beato de facto per modum speciei expressæ:Sed species expressa est idem cum intellectione, seu productione Verbi:Ergo,&c. Respondetur, quod siue species expressa, seu Verbum sit idem cum visione increata, siuè non, vtraque vnitur intellectui beato per modum obiecti: Pro quo nota, quod non est de ratione Verbi, vt sit quid productum ab intellectione sui, siuè sit idem formaliter cum illa:quia ipse filius cognoscit semetipsum,& Spiritus Sanctus cognoscit Verbum, & non producunt Verbum.

19 Tertia ratio: Impossibile est dari

Digitized by Google

3.Fũdam. dari aliquam similitudinem creatam, quæ repræsẽtet Deum sicuti est, iuxtà D.1.p.q.9.1.t. art.2. Sed visio beata est similitudo Dei iuxtà illud Ioan.3. *Scimus autem, quod cum apparuerit similes ei erimus, quam videbimus Deum sicuti est*: Ergo visio beata est increata.

20 Respondetur primò, quod ibi
1.Respõs. S.Th.loquitur de similitudine creata, hoc est, specie impressa, quæ nullo modo potest dari, non verò de specie expressa, quæ secundum probabilem sententiã Thomistarum datur. Et ratio cur illa non possit dari, & ista sic, est, quia illa se tenet ex parte obiecti, & proportio debet commensurari cùm illo: hæc autem ex parte in-
2.Respõs. tellectus. Respondetur Secũdò, quod visio non est similitudo, sed actio acquisitiua similitudinis, siuè ipsius essentiæ Dei.

21 Contra secundam conclusio-
2. Sentẽt. Io. de Ripa. nem fuit quidam Ioan.de Ripa, vt cõmuniter referunt expositores in hoc loco, qui tenuit de potẽtia Dei posse cõmunicari nobis visionem Dei increatam, & consequenter etiam dilectionem, qua formaliter videremus, & amaremus Deum.

22 Probari potest hæc sententia
1. Fundament.& respõsio. primò: quia fuit communicata humanitati Christi existentia, & subsistentia Verbi: Ergo potest communicari intellectui Beato visio increata. Respondetur nego consequentiã, quia existentia, & subsistentia Verbi fuerunt vnitæ humanitati Christi, per modum termini substantialis, in qua nulla inuoluitur contradictio: Visio autẽ increata deberet vniri per modum actionis vitalis, quod omninò esse non potest.

23 Secundò: quia, vt docet Vgo
2. Fundament.& respõsio. de Sancto Victore tom.3. lib.de Sap. intellectui animæ Christi fuit communicata scientia Verbi increata: Ergo intellectui Beato poterit etiam cõmunicari. Respondeo neg. ant. nàm ex communi sententia est penitus falsum.

ARTICVLVS II.

Vtrum beatitudo sit operatio.

24 IN hoc Art. Sanctus Th. loquitur de beatitudine nostra formali, & cõcludit dicẽdo: Necesse est beatitudinem hominis operationem esse: Probat: quia beatitudo est vltima hominis perfectio: sed vltima hominis perfectio est operatio: Ergo, &c. Maior patet, minorem probat Sanctus: quia Perfectio consistit in actu: Ergo vltima perfectio hominis erit vltimus actus eius, qui dicitur operatio.

25 In respõsione ad quartum dicit S.Th. quod in actiua vita, quæ circa multa occupatur, est minus de beatitudine, quam in cõtemplatiua, quæ versatur circa vnam primam veritatis contemplationem. Ratio est, quia quantò operatio potest esse magis cõtinua, & vna, tantò plus habet rationem beatitudinis: Sed vita actiua circa multa occupatur, & eius operatio facilè interrumpetur.

Super istum articulum est.

LECTIO I.

Vtrum beatitudo formalis nostra consistat essentialiter in illapsu Dei in essentiã animæ, siue vnione immediata Diuinæ Essentiæ, cùm essentia animæ?

26 IN hac difficultate primò aduertã aliqua: Deindè satisfaciam quæsito: Tertiò adducam sentẽtiam in contrarium, & satisfaciam suis rationibus.

27 Quoad primũ. Aduerto, quod dupliciter potest intelligi Deus vnitus animę: Vno modo substantialiter: Alio modo accidẽtaliter. Vnitus substan- Prima Animadu.

Digitized by Google

ſtãtialiter intelligeretur anima,ſi ſubſtantia ipſius Dei immediatè vniretur ſubſtantiæ animæ, vt apparet in vnione hypoſtatica Verbi, cum humanitate noſtra. Vnitus accidentaliter intelligeretur,ſi modo aliquo accidenti producto ab ipſo Deo fieret vnio inter ipſum Deum,& animam, vt eſt vnio,quæ fit per gratiam. Alia vnio phyſica; & realis non poteſt excogitari inter Deum,& animam, quæ non reducatur ad vnam ex iſtis.

28 Aduerto ſecundò, quod vnio accidentalis inter Deum, & animam poteſt fieri medio accidenti abſoluto, vel relatiuo, vel medio accidenti in actu primo, vel in actu ſecundo, vt eſt operatio. Secunda Animad.

29 Quoad ſecundum. Reſpondeo primò: Beatitudo noſtra formalis nõ conſiſtit eſſentialiter in illapſu, ſiue vnione ſubſtantiali Diuinæ eſſentiæ, cum eſſentia animæ. Probatur ratione fundamentali D.Tho. ſumpta, ex hoc art. Quia poſita quacumq; vnione ſubſtantiali inter Deum,& animã, adhuc anima non eſt vltimo perfecta:Ergo beatitudo formalis non poteſt conſiſtere in iſta vnione, ſiue illapſu: Conſequentia eſt nota, quia beatitudo eſt vltima hominis perfectio:Ant.probatur, quia poſita tali vnione,adhuc anima intelligitur perfectibilis per ſuas potentias, & actus. 1. Concl. & eius ratio. Ex S.Th.

30 Confirmatur primò hæc ratio, quia ideò per Sanctum Th.art.7.præcedentis quæſtionis,beatitudo noſtra obiectiua nõ poteſt conſiſtere in ipſa anima, quia ipſa dicitur in potentia ad vltimum finem, ſiuè beatitudinem obiectiuam. 1. Confirmatio.

31 Confirmatur ſecundò, quia de facto Verbum Diuinum fuit vnitum ſubſtantialiter Chriſti humanitati, & tamen ex vi illius vnionis præcisè humanitas Chriſti non fuit beata; ſimiliter Chriſtus vnitur nobis ſubſtãtialiter, & tamen per talem vnionem non efficimur Beati. Idem argumentum fieri poteſt de intima vnione Dei cum creaturis per attributum immẽſitatis,& per ſuam eſſentiam,præſentiam,& potẽtiam:Dicitur enim Deus præſens per eſſentiam, quia immediate per ſuam eſſentiam producit, & conſeruat illam: per potentiam, quia omnia ſubduntur ſuæ poteſtati. Vide S.Th.1.1.q.8. 2. Confirmatio.

32 Reſpondetur ſecundò: Beatitudo noſtra formalis non poteſt conſiſtere in vnione accidentali facta medio accidenti abſoluto, vel relatiuo, vel in actu primo inter ipſum Deum, & animam. Ratio eſt eadem, ac præcedentis reſponſionis; Quia anima in tali caſu adhuc eſt in potentia ad vlteriorem perfectionem. 2. Cõcluſ. & eius ratio.

33 Confirmatur,quia Deus nobis vnitur per gratiam,& charitatem,quę eſt maxima vnio accidentalis, imò,& per lumen gloriæ, & tamen præcisè per iſta non efficimur Beati.Et quamuis ſit excogitabilis quæcumq; alia vnio accidentalis præciſa illa,quæ fit per operationem, ſemper currit eadem ratio. Ita communiter Theologi in hoc loco. Confirm.

34 Reſpondetur tertiò; Neceſsè eſt vt ait S.Th.in hoc art.ponere beatitudinem noſtrã formalem in vnione accidentali facta per operationem inter Deum,& animam.Quia hæc eſt vltima perfectio hominis. Sed de hac re latius in ſequentibus. 3. Concl. & eius ratio. Ex S.Th.

35 Quoad tertium. Contra communem ſententiã eſt Henricus quodlib.13.q.12. qui dixit beatitudinem noſtram eſſentialem conſiſtere in illapſu intimo Dei in animam; Et explicauit hanc ſuam ſentẽtiam exemplo ferri candentis,in quo ſubſtantia ignis videtur intimè penetrata,& vnita. Et quamuis Vazq. velit illum excuſare, nihilominùs ſic communiter ab omnibus Theologis interpretatur. Dixit enim duo; & quod Deus vnitur intimè animæ eo modo, quo ignis ferro candenti:& quod in ratione obiecti vnitur intellectui, & volũtati,& purgat eas,vt intellectus magis ipſum intelligat,& voluntas amet,& quod magis beatitudo noſtra cõſiſtat in primò,quã in ſecũdò.Quæ ſentẽtia ſic explicata communiter reijcitur à Theologis. Sentent. Henrici. Vaſquez.

36 Eſt

Digitized by Google

36 Est autem prima eius ratio sūpta ex Diuo Dionys. cap.7. De cælesti Hyerarchia:vbi dicit,quod amans quodammodo trasformatur in rem amatam : sed Deus maximè amat Beatos: Ergo intimè vnitur eis. Respondeo, (quidquid sit de hac speciali vnione, vel illapsu) beatitudinem nostram non consistere essentialiter in ea: quia vt dictum est, solùm censeretur anima perfecta in actu primò.

1. Argumentum ex Dionysio, & responsio.

37 Secunda ratio: Perfectior est vnio substantialis essentiæ Dei cùm anima,quàm vnio, quæ fit per operationem: Ergo in illa debet consistere beatitudo nostra essentialiter: cons. est nota.Ant. probatur, quia illa est vnio intrinseca, hæc autem extrinseca,& per obiectum.

2.Argum.

38 Respondeo neg. antecedens, quia illa est vnio in actu primo, hæc autem in actu secundo:Ad probationem dico, quod quamuis illa sit intrinseca,hæc autem extrinseca,solum arguit maiorem perfectionem in esse rei,nō verò in esse actus:etenim operatio semper in esse actus est perfectior quacumq;alia vnione,siuè entitate in esse rei. Addo etiam, quod vnio beata,quæ fit per operationem, est etiam maximè intima ipsi animæ, nàm fit vnum in esse intelligibili, cū obiecto increato.

Respons.

39 Confirmatur:quia vnio hypostatica est perfectissima: Ergo etiam vnio beatifica immediatè in anima. Respondetur,quod solum confirmatio hæc concludit has vniones esse perfectiores alijs in esse entis.

Confirm. & respon. sio.

40 Tertia ratio. Beatitudo dicitur gratia consumata: sed gratia consumata est in essentia animæ: Ergo.Ad hanc rationem dico breuiter, quod beatitudo dicitur gratia consumata, quia nihil vlterius remanet nobis sperandum. Vlterius concesso,(vt reuera concedendum est in aliquo sensu, quod beatitudo sit gratia consumata,) non propterea dicendum est, quod sit in essentia animæ, quia non omnis gratia est in essentia animæ, nisi solum iustificās.Nàm gratia præueniens, quæ non est simpliciter prima,est formaliter actus noster supernaturalis.

3. Argument.& responsio.

41 Quarta ratio:Sequeretur,quod Beatus diceretur semetipsum beatificare,si beatitudo formalis consisteret in operatione: quia operatio vitalis efficienter procedit ab illo. Respondetur conced.seq.iuxta hunc sensum. Verum simpliciter non est dicēdum, quod homo beatificet se ipsum, quia hoc totum habet ex gratia Diuina.

4. Argument.& respōsio.

LECTIO II.

Vtrū beatitudo nostra formalis consistat per se primo in aliqua potentia, habitu, vel aliquo actu primo distincto ab essentia animæ, & operatione?

42 IAM difficultas hæc ex resolutione præcedentis difficultatis remanet absoluta, sed vt demus locum maiori claritati, & distinctioni,illam excitamus.

43 Respondetur breuiter: Beatitudinem nostram nullo modo posse consistere in habitu,potentia, vel aliquare ex prædictis.

44 Probatur primò. Ex Sacra Scriptura Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum.* Ioan. 14. *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* 1. Corinth.13. *Tunc cognoscam sicut, & cognitus sum.* 1.Ioan.3. *Videbimus Deum sicuti est.* In quibus locis clarè videtur poni beatitudo nostra in operatione.

Concluſ. Prob.1.ex S.Script.

45 Probatur secundò, ex extrauaganti Benedicti XII.qui ait,animas purgatas ante diem iudicij videre Deum,& frui ipso.

Prob.2.ex EXTRAVAG.

46 Probatur tertiò, communi Sent. Patrum,& Theologorum. Denique probatur ratione præcedenti

Prob.3.ex SS.PP.

Di-

Digitized by Google

Diuo Tho. non vlterius repetenda.

47 Contra hanc noſtram, & communem ſententiam eſt D. Bonau. in 4. diſt. 49. q. 1. qui dicit beatitudinem noſtram conſiſtere per ſe primò in habitu, & etiã citatur Hẽricus pro hac ſententia. Et probatur primò. Habitus perfectior eſt, quàm operatio: Ergo in eo cõſiſtit per ſe primò beatitudo formalis: Ant. probatur, nàm conſ. eſt nota: quia habitus eſt cauſa efficiens operationis.

Sentent. D. Bonau. & Henrici, & 1. fundam.

48 Reſpondetur neg. ant. Ad probationem dico, quamuis habitus efficienter producat actum, nihilominus ex eo, quod ordinatur ad ipſum, tanquam ad finem, & entitatem magis actualem, ſecundum hanc rationem eſt eo imperfectior.

Reſponſ.

49 Secundò: Operatio, qua creatura intellectualis coniungitur cùm ſuo fine, præcontinetur in habitu, à quo dependet: Ergo per ſe primò cõſiſtit beatitudo in habitu. Reſpondeo neg. conſ. quia illud eſſe, quod habet operatio in habitu, à quo dependet, eſt ſatis imperfectum: nàm eſt idem, ac actus primus, ſiuè habitus potens exire in talem operationem.

2. Fundament. & reſponſ.

50 Tertiò: Gratia habitualis eſt de eſſentia viſionis beatæ, alioqui homo exiſtens in peccato mortali de potentia Dei poſſet videre Deum: Ergo, &c. Reſpondetur, quod gratia eſt eſſentialiter prærequiſita ad viſionem beatam.

3. Fundament. & reſponſ.

51 Quartò: Operatio nullo modo eſt perfectior ipſo operante, quia ipſa eſt accidens, operans autem ſubſtantia. Prætereà propter hanc rationem, nullo modo ordinatur ad ipſam tanquam ad finem: Ergo, &c. Reſpõdeo, quod in ratione accidentis operatio eſt imperfectior operante; In ratione autẽ actus perfectiui, ipſa operatio eſt eo perfectior, Et ad ipſam operationem ordinatur operans, tanquam ad finem, quo aliud aſſequitur.

4. Fundament. & reſponſ.

LECTIO III.

Vtrum beatitudo noſtra formalis ſit operatio à nobis procedens?

52 HÆC difficultas in eo conſiſtit: An beatitudo noſtra, quam diximus conſiſtere in operatione (quæcumq; illa ſit, ſiuè intellectus, ſiuè voluntatis) ſit à nobis actiuè concurrẽtibus? An verò paſſiuè, ita vt Deus ſolum illam creet, & producat in nobis? Ad cuius euidentiam primò reſpondebo quæſito vnica concluſione: Secundò adducam Sententiam contrariam cum ſuis argumentis, & ſatisfaciam illis.

53 Quoad primum. Reſpondeo: Beatitudo noſtra formalis eſt operatio actiuè procedens à nobis. Ratio prima eſt: quia eſt operatio vitalis: ſed operatio vitalis eſt efficienter à nobis: Ergo, &c.

Cõcluſio, & 1. Ratio.

54 Secunda ratio deſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 4. vbi definitur, quod liberum arbitrium non ſe habet merè paſſiuè, neq; tanquam inſtrumentum inanime reſpectu actuũ ſupernaturalium, quibus diſponitur homo ad iuſtificationem: Ergo neq; Beatus ſe merè paſſiuè habebit reſpectù beatitudinis formalis, (ſiue ſit operatio intellectus, ſiue voluntatis.)

2. Ratio ex Trid.

55 Tertia ratio deſumitur ex Clement. *ad noſtrum de hereticis*, vbi definitur, quod ex parte Beati requiritur lumen gloriæ ad videndum: Ergò ſignum eſt, quod Beatus concurrat actiuè ad viſionem ex mente huius Clementinæ.

3. Ratio.

56 Quarta ratio deſumitur ex Scripturis Sacris: nàm pluribus locis dicitur, quod nos videbimus Deum: Sed eſt ferè euidens lumine naturali, quod viſio noſtra, vel quælibet alia operatio immanens ſit à nobis actiuè, & vitaliter concurrentibus: Ergo, &c.

4. Ratio ex S. Scriptura.

57 Hæc concluſio firmata his ratio-

tionibus est adeo vera, vt sententia opposita, (quam modo referemus) sit temeraria, & proxima errori, nàm nostra fundatur in Sacris Scripturis, Conc., & communi consensu Theologorum. Non tamen contraria est hæretica, neq; absolutè erronea, quia non est expressè definita in scripturis, neque in Concilijs, sed virtute tãtum, & implicitè.

58 Quoad secundum. Est sententia contraria, quæ dicit, operationem (in qua consistit beatitudo nostra formalis) produci effectiue à solo Deo in ipso Beato mere passiuè se habente. Ipsam sequuntur Ocam; Gabriel, Marsil. & alij relati, & confutati communiter ab expositoribus D.Th. hoc loco.

Sententia Ochami Gabrielis Marsilij.

59 Ratio prima huius sententiæ est: quia lumen gloriæ producitur effectiue à solo Deo: Ergo, & visio, quæ procedit ab isto lumine: Probatur cõsequentia: quia si solus Deus produdit lumen, quod perfectius est: Ergo ipse solus producet etiam visionem, quæ imperfectior est. Respondetur, (quidquid sit de maiori, vel minori perfectione luminis,) visio Beata nõ potest produci à solo Deo, quia est actiõ vitalis.

1. Argum. & respõs.

60 Secunda ratio: quia sequeretur, quod Beatus cùm æquali lumine gloriæ, si haberet intellectũ perfectiorem, clariùs videret Deum, ac alter Beatus: Sequæla probatur, quia tunc intellectus perfectior influeret actiue. Respondetur neg. seq. Ad probationem dico, quod tota ratio influxus in visionem beatam sumitur proximè, & totaliter ab ipso lumine gloria.

2. Argum. & respõs.

61 Dicet quis: quid ergo faciet melior intellectus? Dico, quod conducit ad hoc, vt sit capacior tali lumine, & magis dispositus ad eleuationem.

Replica, & enodatio.

62 Tertia ratio: Visio beatifica est supernaturalis, tùm *quoad substãtiam*, tùm *quoad modum*: Ergo à solo Deo producitur. Respondetur, quod & si visio beata sit supernaturalis, & *quoad substantiam*, & *quoad modum*, scilicet *vitalitatem*; producitur etiam à Beato per lumen gloriæ, tanquam à causa secunda. Addo etiam, quod sit sententia probabilis, quod vitalitas actus supernaturalis sit naturalis, eo quod lumen gloriæ non sit principium vitale, sed ipsa anima viuens ipsius visionis, quo ad vitalitatem. Sed videte Aluarez de Auxil. disp. 64.

3. Argum. & respõs.

Aluar.

63 Quarta ratio: De ratione præmij est, vt procedat à sola persona præmiante: Sed visio beata est præmium: Ergo à solo Deo debet procedere. Ad hanc obiectionem; nego maiorem simpliciter; quia si Rex aliquis alicui militi daret in præmiũ gubernationem alicuius Prouinciæ, tunc gubernatio illa procederet effectiuè à milite. Similiter si Rex daret alicui militi veterano satis de ipso benemerito locum in mensa sua in præmium, & vltra hoc sustentaret brachium mutilum ad poculum sumendum, tunc præmium illud esset effectiuè etiam ab ipso milite, & à Rege. Sic ergo concludimus, quod visio beata, & fruitio beata effectiuè procedit à Beato, & à Deo: à Beato tanquam à causa secunda: à Deo tamquam à causa prima, sicut & meritũ beatitudinis ab vtroque hoc modo processit

4. Argum. & respõs.

64 Quinta ratio: Sequeretur, quod Beatus posset cessare à beatitudine, quia omnis creatura libera potest cessare ab actione, cuius ipsa est causa effectiua. Neg. sequelam: Ad probationem dico, quod Beatus necessariò exit in operationem beatam, sic exigente natura rerum.

5. Argum. & respõs.

Digitized by Google

LECTIO IV.

Vtrum per Diuinam potentiam visio beata, siue operatio, in qua consistit beatitudo nostra formalis possit à Deo produci in ipso beato merè passiuè se habente?

65 REspondetur. Operatio, in qua consistit formalis nostra beatitudo, neq; per Dei potentiam potest produci in ipso Beato merè passiuè se habente ab ipso Deo. Est communis sententia Thomistarum. Ratio est, quia est operatio vitalis. Concl. & eius Ratio.

66 Confirmatur, & simul explicatur hæc ratio: quia ex suppositione, quod Deus produceret hanc operationem, visionem v. g. in ipso Beato merè positiuè se habente, tunc deberet Beatus videre Deum: nàm quælibet forma debet tribuere suum effectum formalem subiecto cui inhæret: Ex alia parte nõ videret Deum, quia ipse non influeret actiuè in talem visionem; Ergo simul videret, & non videret, quod est manifesta contradictio. Confirm.

67 Contra hanc responsionem sunt plures Theologi Palud. Soncin. & Victoria, & alij relati à Commentatoribus in hoc art. qui dicunt posse Beatum per Dei potentiam passiuè se habere ad suam beatitudinem formalem. Sentent. Paludani, Soncinat. & Victor.

68 Et probatur primò: Quia potest Deus facere, vt humanitas, quæ exigit subsistere, & existere per propriam subsistentiam, & existentiam, subsistat, & existat subsistentia aliena; vt patet in Mysterio Incarnationis: Ergo potest facere, vt operatio, in qua consistat nostra beatitudo formalis, recipiatur in Beato merè passiuè se habente. 1. Fũdam.

69 Respondetur neg. cons. quia deratione subsistentiæ, & existentiæ est, vt sint vltimæ actualitates naturæ, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco communicatæ; Beatitudo autem nostra, cum sit operatio vitalis, ab intrinseco exigit, vt sit ab ipso beato. Respons.

70 Secundò: quia actus contritionis, & charitatis primus, quo homo disponitur ad gratiam, procedit à solo Deo: Ergo operatio in qua, &c. Respondeo neg. ant. quia procedit à Diuina motione intrinsecè inhærente ipsi homini, & ab ipso homine. 2. Fũdam. & respõs.

71 Tertiò: quia intellectio, & volitio secundum probabilem sententiã sunt qualitates: Ergo posset illas Deus producere in aliquo intellectu, vel voluntate mere passiuè se habente. Respondeo neg. consequentiam in sententia ista; quæ quamuis sint de prædicamento qualitatis, exigunt tamen vitaliter exire à suis potentijs. Vlterius dico secundum meam sententiam, quod sunt veræ actiones vitales de prædicamẽto qualitatis, quia non includunt motum: sed sunt actus perfecti. Ita N. Complut. tract. de Anima disp. 21. 3. Fũdam. & respõs. Complut.

72 Quartò: quia potest per Dei potentiam separari verbum productum per intellectionem ab vno, & poni in alio: Ergo, &c. Respondeo neg. ant. imò addo, quod nec etiam potest produci à solo Deo. Primò, quia S. Th. 1. p. q. 34. art. 1. in fine corporis ait de verbo: *De ratione sua habet, quod ab alio procedit, scilicet à notitia concipientis*. Secundò quia de ratione sua est, vt sit terminus vitaliter productus. Duæ enim sunt de ratione Verbi; vnum, quod dicat ordinem ad rem dictam: alterum quod dicat ordinem ad dictionem, vel dicentem: Vndè ficut implicat, quod sit Verbũ, & non dicatur aliquid, ita implicat, quod sit Verbum, & non sit, qui dicat, vel proferat illud. 4. Fũdam. & respõs. S. Th.

73 Vrgebit aduersarius: Potest Deus producere terminum productũ per augmentationem, & nutritionem se solo; Ergo terminum productum per intellectionem, qui est Verbum. Replica.

74 Respondetur neg. conſ. Primò, quia terminus productus per vegetationem, & nutritionem non pendet ab iſtis actionibus in conſeruari: Verbum autem pẽdet ab intellectione in conſeruari. Secundò: quia de ratione termini producti per vegetationem, eſt, vt ſit etiam viuens per aliã actionem, ab ea qua producitur: De ratione autem verbi eſt, vt ſit viuẽs per eam actionẽ, qua producitur, nàm nõ habet aliam vitã, niſi actualẽ dependentiam à potentia vitali, & ab anima, à qua fit. Horum ſignum manifeſtum eſt, quod terminus operationum animæ vegitatiuæ manet viuens tranſacta actione, qua fit, ſcilicet per informationem animæ introductam in corpore, vel in materia: terminus verò productus per intellectũ, & voluntatem non manet, niſi quandiù durat influxus harũ potẽtiarum.

Enodatio.

75 Vrgebit vlteriùs aduerſarius; quia poteſt Deus producere qualitatem aliquam in intellectu, quę in ratione qualitatis conueniat cum Verbo, non autem in ratione repreſentatiui. Reſpondetur iſtam qualitatem in eo caſu nullam habere rationem Verbi, quia de ratione Verbi eſt, vt ſit terminus viuens vitãliter productus. Addo etiam, quod nec etiam, vt dicunt alii, poſſet produci in ratione qualitatis in intellectu, & non in ratione repreſentatiui, vel expreſſiui: quia iſtæ duæ rationes ſe habent, vt quid ſuperius, & inferius, & non poteſt produci ratio generica ſine ratione ſpecifica, vel ratio ſpecifica ſine ratione indiuiduali.

Replica, & enodatio.

76 Quintò probatur principaliter ſententia oppoſita, quia poteſt Deus producere intellectum, vel voluntatem dicentem, vel volentem ſeparatas ab anima, & illos coniungere animæ: Ergo, &c. Reſpondeo neg. ant. quia intellectus, & voluntas non poſſunt vitaliter operari ſeparati ab anima: nàm vita eorum etiam pendet ab actuali emanatione ab anima; quia ſunt potentiæ vitales.

5. Fũdam. & reſpõſ.

77 Vnde de ratione Verbi eſt, quod emanet à dictione (idem dico de termino volitionis, nolitione, & volũtate) de ratione autẽ dictionis eſt, quod emanet proximè à potentia intellectiua, & radicaliter ab anima, & de ratione potẽtiæ intellectiuæ, quod emanet ab anima. Addo etiã vnã rationẽ à poſteriori, quia ſi per poſſibile, vel impoſſibile darẽtur intellectus, & volũtas operantes ſeparati ab anima, non eſſet meritum, neq; demeritũ, nec præmium, nec pœna.

Replica, & enodatio.

78 Vrgebit aduerſarius: poteſt dari quantitas ſeparata à ſubſtantia, cùm aliis accidentibus ſibi immediatè inhærentibus: Ergo intellectus, & voluntas ſeparati ab anima, cum ſuis operationibus. Reſpondeo neg. conſ. quia de ratione quantitatis, & aliorũ accidentium eſt ſolum inhærentia aptitudinalis: de ratione autem intellectus, & voluntatis cùm ſuis actionibus, prẽter inhærentiam aptitudinalem, eſt emanatio vitalis ab ipſa anima.

ARTICVLVS III.

Vtrum beatitudo ſit operatio ſenſitiuæ partis, aut intellectiuæ tantum?

79 SVpponit priùs S. Tho. in hoc artic. quod ad beatitudinem poteſt aliquid pertinere tripliciter: Vno modo eſſentialiter: Alio modo antecedenter: Tertiò modo cõſequenter. Hoc ſuppoſito.

80 Dicit primò, quod: Operatio ſenſus non poteſt pertinere eſſentialiter ad beatitudinem. Primò, quia beatitudo hominis eſſentialiter conſiſtit in coniunctione ipſius ad bonum increatum, quod eſt vltimus finis, cui homo coniungi non poteſt per ſenſus operationem. Secundò, quia per ſenſus operationem coniungimur bono corporali, in qua non conſiſtit noſtra beatitudo.

81 Di-

Digitized by Google

81 Dicit secundò, quod: Operationes sensus pertinent antecedenter ad beatitudinem imperfectam, qualis in hac vita haberi potest: Quia operatio intellectus præexigit operationem sensus.

82 Dicit tertiò, quod: Operatio sensus pertinet consequenter ad illam beatitudinem perfectam, quæ expectatur in Cælo: Quia post resurrectionem, ex ipsa beatitudine animæ fiet quædam influentia in corpus, & in sensus corporeos, vt in suis operationibus perficiuntur. Est ratio hæc desumpta ex August. ad Dioscorum epist. 46. t. 2.

83 Dicit quartò, quod: Operatio, qua mens humana Deo coniungetur in beata vita, non dependebit à sensu.

84 Pro explicatione huius artic. posset moueri quæstio; An oculis corporis possit clarè Deus videri? Sed hæc quæstio pertinet ad primam partem quæst. 12. vbi statuitur pars negatiua. Rursus posset agi de gloria corporis: Sed de hoc inf. q. 4. art. 6. De qua etiam re S. Tho. in Additionibus q. 82. 83. 84. & 85. Et Theologi omnes in 4. dist. 44. & 49. & Montes. inf. q. 5. art. 8. disp. 8. q. 1. & sequentibus.

Duæ difficultates ex hoc ar. exortæ.

S. Th.

Montes.

ARTICVLVS IV.

Vtrum si beatitudo est intellectiuæ partis, sit operatio intellectus, an voluntatis?

85 IN hoc art. supponit S. Tho. quod duo requiruntur ad beatitudinem formalem: Vnum tanquam essentiale: alterum tanquam accidens, vel propria passio; sicut in homine duo reperiuntur, & ipsa essentia rationalis, & risibilitas, quæ est passio fluens ab ipsa rationalitate. Hoc posito.

86 Respondet primò difficultati dicendo; Impossibile est, quod beatitudo essentialiter consistat in actu voluntatis. Probat, quia beatitudo est consecutio vltimi finis: Sed consecutio vltimi finis non consistit in ipso actu voluntatis: Ergo: Probat minorē in qua est difficultas; Quia actus voluntatis, qui est circa finem, vel est desiderium, vel delectatio, vel amor: (quam actum, quamuis expressè non numeret S. Th. tamen virtualiter ipsū numerat, dùm numerat actū desiderij, & delectationis, quia amor abstrahit à fine absente, vel præsente. Vnde in alterutro actu cōmemorato imbibitur,) sed desiderium non est consecutio vltimi finis, quia est motus ad finem; delectatio autem aduenit fini iam assequuto; amor abstrahit à fine possesso, vel non possesso: Ergo, &c.

87 Confirmat S. Th. hanc rationē exemplo auari: nàm auarus non consequitur pecuniam ex eo, quod illam desiderat, sed quia manu apprehendit, vel alio modo illam consequitur, & postmodum delectatur in pecunia habita.

88 Respondet secundò consequēter, quod essentia beatitudinis consistit in actu intellectus. Ratio est, quia cōsequimur vltimum finem per hoc, quod fit nobis præsens per actum intellectus.

89 Respondet tertiò, quod beatitudo ex consequenti consistit in actu voluntatis, scilicet in delectatione. Ratio est, quia volūtas in fine iā adepto cōquiescit, & delectatur. Præterea quia ex Aug. lib. 10. Confess. cap. 23. *beatitudo est gaudium de veritate*; hoc est, (vt illum exponit S. Tho.) ipsum gaudium est consummatio beatitudinis. S. Aug. S. Tho.

Ad explicationem huius art. est.

Digitized by Google

LECTIO I.

Vtrũ beatitudo nostra formalis consistat simul, & ex æquo in actu intellectus, & voluntatis?

90 AD beatitudinem nostrã formalem completam ex communi sensu Theologorum, vt optimè aduertit hic Vasq. concurrit operatio intellectus, & voluntatis. Est autem disceptatio inter eos: An vtraque essentialiter requiratur: an altera tantũ? Pro cuius difficultatis explicatione: Primò notabo vnum: Deindè statuam sententiam meam: Tertiò adducã sentẽtiam contrariam, cum suis argumentis, & soluam illa.

Vasquez.

91 Quoad primum noto, quod nomine beatitudinis formalis essentialiter sumptæ intelligo hic ipsam consecutionem, vel possessionem vltimi finis. Etenim nostra beatitudo formalis ex eo dicitur beatitudo, quia consecutio, & adeptio Dei est, vt inf. magis patebit; non verò, quia perfectissima operatio est; Quamuis enim beatitudo nostra formalis operatio perfectissima sit, non propterea necessariò sequitur, quod sit consecutio summi boni, nimirum Dei; Nàm quælibet operatio perfectissima est in suo ordine; (& specialiter operatio voluntatis,) & tamen nõ est assequutio, vel possessio Dei.

Animad.

92 Quoad secundum: Mea sententia est, quod beatitudo nostra formalis non consistit essentialiter in vtroque actu simul, & intellectus, & volũtatis; Sed in actu simplicissimo intellectus. Hæc sententia est D.Th. in hoc art. & omnium Thomistarum, & aliorum etiam extra scholam D.Tho. Solet autem probari varijs rationibus.

Concluf.

S. Th.

93 Primò ratione Durandi: Quia beatitudo nostra formalis debet esse operatio perfectissima: Sed operatio perfectissima debet esse simplex: Ergo, &c.

1. Ratio Durandi.

94 Hæc ratio quamuis possit habere efficaciam, si bene expendatur, nihilominus patitur multas difficultates; posset enim facilè respondere aduersarius, quod beatitudo nostra debet esse operatio perfectissima collectiuè; scilicet quæ complecteretur, vel colligeret in se operationem perfectissimam, & non adeò perfectã. Quia cum beatitudo formalis ordinetur ad perficiendam creaturam rationalem, & creatura rationalis sit pluribus operationibus perfectibilis, consequenter fit, vt ipsa beatitudo formalis constet essentialiter ex pluribus operationibus.

Impugnatur hæc ratio.

95 Probatur secũdò ratione Scoti: Quia beatitudo obiectiua est vna, & simplicissima: Ergo beatitudo formalis debet esse vna, & simplicissima, vt seruetur proportio inter eas.

2. Ratio Scoti.

96 Sed hæc ratio multis modis potest eludi. Primò, quia beatitudo obiectiua est increata, & infinita; beatitudo autem formalis est creata, & limitata; Vndè non est seruanda proportio omnimoda inter eas.

Ratio Scoti impugnatur 1.

97 Secundò, quia beatitudo obiectiua, scilicet Deus, quamuis sit vna, & simplicissima, diuersimodè est actingibilis à Beato: Ergo per plures operationes ex æquo, & essentialiter.

Secundò.

98 Tertiò, quia quamuis Deus ob summam suam perfectionem exigat attingi vnica, & simplicissima operatione, essentialiter tamen ratione imperfectionis subiecti perfectibilis, vel Beati, postulat attingi pluribus operationibus; Vnde hæc ratio relinquitur ipsi Scoto. Alijs rationibus solet probari hæc sententia, sed meo videri friuolæ sunt.

Tertiò.

99 Probatur ergo ratione D. Th. in hoc art. omniũ efficacissima. Quia beatitudo nostra formalis est consecutio beatitudinis obiectiuæ, scilicet Dei: Sed vnius potentiæ, scilicet intellectus est consecutio beatitudinis obiectiuæ: Ergo in vna operatione essentialiter consistit natura beatitudo

Ratio S. Thomæ.

Digitized by Google

do formalis: Consequentia est legitima: Maior est communis inter Theologos, & si quis eam negaret, ineptissimè negaret; quia non potest vnusquisq; fingere ad suum modum beatitudinem formalem, & quæstio de re transiret ad nomen. Minor ergo probatur, quia si daretur aliquis actus præter actum intellectus, qui esset cõsecutio summi boni, scilicet Dei, esset actus voluntatis: Sed nullus actus voluntatis, qui versatur circa finem, est cõsecutio summi boni; Non amor, quia abstrahit à fine possesso, & non possesso; non desiderium, quia est circa finem absentem; non fruitio, vel delectatio, quia est circa finem iam assequutum: Ergo, &c.

100 Confirmatur hæc ratio ex ipso S. Tho. Quia finis sensibilis, per aliam potentiam à voluntate distinctam acquiritur, vt patet in fine auari, qui est pecunia: Ergo etiam finis intelligibilis. Confirm.

101 Huic rationi respondet Val. hic disp. 1. q. 3. punct. 4. quod voluntas etiam cõsequitur vltimum finem per actus suos; nàm non est aliud consecutio, quã tendentia, & ordo, quo potentia actingit, & consequitur obiectum suum. Et firmat hanc responsionem test. D. Th. qui sup. q. 1. art. 8. ait. Homo, & aliæ creaturæ rationales consequũtur vltimum finem cognoscendo, & amando Deum; quod non competit alijs creaturis. Euasio Valentiæ.

102 Sed contra. Primò, quia assecutio alicuius rei non est simplex tẽdentia in eam rem, sed comprehensio, siuè tentio ipsius rei, vt patet mille exemplis, & specialiter exemplo auari: Ergo voluntas non assequitur suum obiectum, per hoc, quod suis actibus tendit in illud. 1. Præclusio.

103 Secundò; dato quod tendentia, vel ordo voluntatis in obiectum suum, sit quædam assecutio, adhuc beatitudo nostra formalis non potest consistere in tali assecutione, quia hęc assecutio præsupponit assecutionem factam per intellectum, cuius propriũ est assequi, vel comprehendere obiectum. Neq; aliquid amplius intendit D. Th. loco adducto in fauorem solutionis. 2. Præclusio.

104 Tertiò, quia si tendentia in obiectum esset assecutio obiecti, iam actus desiderij esset assecutio vltimi finis, quia est tendentia in vltimum finem. 3. Præclusio.

105 Confirmatur hæc impugnatio ex eodem D. Th. 1. p. q. 26. specialiter ad 2. vbi ponit beatitudinẽ Dei formalem essentialiter in actu intellectus, ad modum aliorum Beatorum; quia prius secundum nostrum modũ intelligendi est actus intellectus assequẽs Diuinam bonitatem, quã actus voluntatis. Confirm. Præclusionis.

106 Quoad tertium. Est sententia contraria asserens beatitudinem nostram formalem essentialiter consistere in vtroq; actu, scilicet intellectus, & voluntatis. Hanc sententiam sequuntur D. Bonau. Vgo de S. Victore, Riccard. Gabriel. Val. & alij relati hìc à Commentatoribus. Et quamuis diffideant aliqui, quisnàm actus voluntatis requiratur, conueniunt tamen omnes in hoc, quod vterq; actus, scilicet voluntatis, & intellectus essentialiter requiratur. Sententia contraria D. Bonau. Vgo de S. Victore. Riccard. Gabriel. Valent.

107 Probatur primò, hæc sententia particulariter à Val. quia beatitudo nostra formalis à Scriptura Sacra modo tribuitur actui intellectus, iuxtà illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant, &c.* & modo actui voluntatis, iuxtà illud Matth. 25. *Euge serue bone, & fidelis, intra in gaudiũ Domini tui*: Ergo æqualiter, & essentialiter consistit in vtroque actu. 1. Argum.

108 Respondetur breuiter, quod vno actui, scilicet intellectus tribuitur essẽtialiter: Alteri actui, scilicet volũtatis consequenter, & in obliquo, siue tanquam integranti beatitudinem. Respõsio.

109 Secundò probatur ex quadã extrauag. Bened. XII. qui ita loquitur: *Anima ad plenum purgata, ante diem iudicij sunt beata ex diuina visione, & fruitione*. Respondetur, quod Summus Pontifex loquitur de beatitudine integra, & perfecta. Solet adduci

Ca-

Digitized by Google

Cathechismus Rom. & eodem modo respondetur, ac responsum est ad Pōtificem.

110 Tertiò probatur ex D. Tho. inf. q. 4. art. 8. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quod perfectio charitatis est essentialis beatitudini, quantum ad dilectionem Dei, non quantum ad dilectionem proximi.* Respondetur, quod S. Th. ibi loquitur de beatitudine Integra, & perfecta, vt patet ex tit. art. in quo quærit; *Vtrum ad beatitudinem requiratur societas amicorum.* Et est sensus, quod ad beatitudinem integram, & perfectam vndequaq; requiritur essentialiter charitas erga Deum, non erga proximum; sicut si diceremus, ad integritatem, & perfectionem corporis humani requiritur essentialiter manus, pes, &c. nrq; propterea hæc membra dicerentur essentialiter de homine.

3. Argum. & respōs.

111 Quartò probatur; Quia ad beatitudinem Dei essentialem requiritur actus intellectus, & voluntatis: Ergo ad beatitudinem nostram formalem. Ant. probatur, quia Deus est Trinus, & Vnus: Ergo sua beatitudo cōsistit in hoc, quod generet Filium, & spiret Spiritum Sanctum. Conseq. prima principalis patet, quia nostra beatitudo est participatio diuinæ beatitudinis.

4. Argum.

112 Respondetur neg. ant. quia vt patet ex S. Th. suprà allato 1. p. q. 26. a. 2. Beatitudo Dei essētialiter cōsistit in actu intellectus. Ad probationē dico, quod nostro modo concipiendi priora sunt essentialia in Deo, quam personalia; Vndè priùs est, quod Deus nostro modo concipiendi sit Beatus essentialiter per actum intellectus, quam Beatus, (vt ita dicam) personaliter; Quare potest Pater, & Filius concipi Beatus prioritate originis, antequam spirent Spiritum Sāctum.

1. Respōs.

113 Addo, quod nostro modo concipiendi aliquis non intelligitur Beatus per hoc, quod producat terminum suæ volitionis; Vndè nec etiam Pater, & Filius per hoc, quod præcisè spirent Spiritum Sanctum.

2. Respōs.

114 Quintò probatur; Quia beatitudo nostra debet cōsistere in vnione perfectissima animæ cum summo bono: Sed hæc fit per operationē intellectus, & voluntatis: Ergo in vtraque operatione consistit essentialiter. Respondetur; quod beatitudo nostra formalis debet consistere in vnione perfectissima animæ cum summo bono intensiuè, non autem extensiuè; Hæc autem consistit in ea solum, quæ fit per operationem intellectus; Etenim vnio, quæ fit per operationem voluntatis, (si vnio dici potest) addit perfectionem solum extensiuam.

5. Argum. & 1. resp.

115 Addo, quod beatitudo nostra debet consistere in vnione animę cum summo bono, quę fit per cōsecutionem ipsius summi boni, quæ solum pertinet ad operationem intellectus.

2. Respōs.

116 Sextò probatur; Quia comprehēsio pertinet ad volūtatem etiā, vt ait inf. S. Tho. q. 4. art. 3. ad 2. Ergo in actu ipsius etiam consistit beatitudo. Respondetur, quod ibi loquitur S. Th. de comprehensione consecutiua ad comprehensionem intellectus, quæ propriè comprehensio non dicitur. Patet hæc expositio ex ipso cōtextu D. Th.

6. Argum. & 1. Responsio.

117 Addo etiam, quod loquatur de comprehēsione obiectiua, scilicet intellectus: quæ obiectiuè pertinet ad voluntatem.

2. Respōs.

LECTIO II.

Vtrū beatitudo nostra formalis consistat in operatione voluntatis, an verò in operatione intellectus?

118 IAM dictum est in præcedēti lectione, quod beatitudo nostra formalis non consistit essentialiter in vtroq; actu intellectus, & voluntatis; Vidēdum est modo in quonam actu seorsim sumpto consistat:

Digitized by Google

ſtat: An in actu volũtatis: An in actu intellectus. Pro cuius difficultatis reſolutione duo faciam: Primò tribus reſponſionibus ſtatuam ſententiam meam,& communem Thomiſtarum. Deindè adducam ſententias contrarias cũ ſuis rationibus, & ſoluã illas.

119 Quoad primum. Reſpondetur beatitudinem noſtram formalem non conſiſtere in actu fruitionis, ſiuè delectationis. Ratio D. Tho. in hoc art. eſt, quia beatitudo noſtra formalis debet eſſe eſſentialiter, & prima conſecutio vltimi finis: Sed fruitio nõ eſt conſecutio vltimi finis, quia præſupponit vltimum finem adeptum, & habitũ. Ergo, &c. Eſt cõmunis Thomiſtarũ, & etiam Scoti hæc cõcluſio.

1. Cõcluſ. & eius ratio ex S. Tho.

120 Reſpondetur ſecundò: Beatitudo formalis noſtra non poteſt cõſiſtere in actu amoris amicitiæ erga Deum, vt voluit Scotus. Ratio eſt etiam D. Tho. implicitè clauſa in ratione huius art. Quia amor ex ſui natura abſtrahit à bono præſente, & abſente: Nàm eſt idem amor viæ, & patriæ: Neq; valet reſponſio Scoti, quod ſint hi amores ſpecie diſtincti, quia ſequuntur cognitiones ſpecie diſtinctas, ſcilicet fidei, & viſionis. Quia cognitio ſe habet, vt conditio reſpectu actus voluntatis.

2. Cõcluſ. et ratio D. Tho.

Reſpõdet Scotus.

Impugnatur Scotus.

121 Reſpondetur tertiò: Beatitudinem noſtram formalem conſiſtere eſſentialiter in actu intellectus, nempè viſionis Dei.

3. Cõcluſ.

122 Hæc reſponſio eſt communis inter Thomiſtas, & præſertim ex noſtris Diſcalceatis tenent illam PP. N. Salmantic. to. 3. tract. 9. diſ. 1. dub. 4. P. N. Philippus à Santiſſima Trinitate, vir eruditiſſimus, & meritiſſimus noſtræ Religionis Præpoſitus Generalis. tom. 2. diſp. 5. dub. 3. & P. Gabriel à S. Vincentio in prima 2. S. Th. diſp. 2. dub. 4. quorum commentaria in iſtam 1. 2. S. Th. omninò videnda, aut potiùs admiranda ſunt ob præclaram eorum doctrinam.

N. PP. Salmanticenſes N. Pater Philip. à SS. Trinitate. P. Gabriel à S. Vinc.

123 Probatur primò ex illo loco S. Scripturæ; *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum, &c.* Et quamuis iſte locus apud aliquos non ſit efficax, quia poteſt intelligi de cognitione fidei; nihilominus multi Thomiſtæ, & Theologi, & ipſe S. Tho. intelligunt illum de cognitione clara.

Probat. ex S. Script.

124 Probatur deindè ratione D. Tho. ſæpius repetita. Quia beatitudo formalis debet eſſe conſecutio vltimi finis: Sed visio eſt cõſecutio vltimi finis: Ergo, &c. Minor ſolum probatur in qua eſt difficultas. Primò, quia intellectus trahit ad ſe res. Secundò, quia intellectio fit per aſſimilationem. Tertiò, quia intellectus facit rem præſentem voluntati.

Ratio D. Tho.

125 Nota, quod dupliciter poteſt ſumi viſio: vno modo præcisè: alio modo, vt comprehenſio: vt comprehenſio dicit ordinem ad voluntatem, quatenus illi præſentat ſummum bonum, in quo naturaliter quieſcit: Viſio, vt viſio præcisè non dicit iſtum ordinem. De viſione autem, vt eſt comprehenſio hìc loquimur. Alia ratio ad probandam tertiam reſponſionem noſtram D. Th. ſcilicet, quod primum viſibile non poteſt eſſe ipſa viſio. Ergo neq; primum volibile ipſa volitio: Quod intellige de primo volibile, vt conſtituto in vna ratione finis completi, & adæquati per finem obiectiuum, & finem formalem.

Animad.

126 Quoad ſecundum. Eſt prima ſententia contra primam noſtram reſponſionem, quæ tribuitur Aureolo à Soto in 4. diſt. 40. q. 1. ar. 3. qui dixit beatitudinem noſtram formalem cõſiſtere in delectatione, siuè fruitione conſequente ad viſionem, & amorem Dei. Probatur primò, hæc ſententia; quia in Sacra Scriptura, & à Patribus beatitudo noſtra dicitur gaudium, & fruitio: Ergo in iſtis actibus conſiſtit. Reſpondetur, quod Sacra Scriptura, & PP. loquuntur de fruitione in ſenſu cauſali; hoc eſt, vt cauſata per comprehẽſionem vltimi finis factam per intellectum. Addo, quod loquuntur de beatitudine integrali, & perfecta, quæ importat tres actus illos voluntatis circa finem, nimirùm amorem, fruitionem, & delectationem, ſi ſint

1. Sentẽt. contraria Aureoli.

1. Argum. ex S. Scriptura.

Reſpõſio.

Digitized by Google

actus distincti. Ratio est, quia modo tribuitur actibus intellectus,& modo voluntatis;& ipse Augustinus multoties dicit, quod ipsa visio est tota merces.

127 Secundò probatur ex ipso D. Tho.art.1. huius quæstionis in corp. Vbi ait: *Adeptio, vel possessio finis ultimi in homine est aliquid creatũ in ipso existens, quod nihil aliud est, quam adeptio, vel fruitio finis vltimi.* Eodem modo respondetur huic loco D. Th. ac responsum est argumento primo.

2.Argum. ex D. Th. & respõs.

128 Tertiò; quia beatitudo formalis nihil aliud est, nisi vltima quies, & satietas Beati circa summum bonum; Ergo in hac quiete, siuè gaudio cõsistit: Probatúr ant. quia hæc quies habet rationem vltimi termini, & quidquid antecedit ipsam, habet rationem tendentiæ,& motus. Respondetur neg.ant.ad probationem dico, quod assecutio præcedens ipsam non habet rationem motus,& tendentiæ, sed comprehensionis ipsius termini.

3. Argument.& respõsio.

129 Quartò: quia pœna damnatorum essentialiter consistit in tristitia voluntatis Ergo præmium Beatorum essentialiter consistit in gaudio volũtatis. Respondetur neg. ant. quia pœna damnatorum essentialiter consistit in carentia visionis.

4. Argument.& respõsio.

130 Est etiam secunda sententia Scoti in 4. dist.49.q.5 qui dicit Beatitudinem nostram essentialiter consistere in amore amicitiæ consequente ad visionem, qua Beatus amat Deũ propter ipsum Deum,& vult illi bona sua. Et hunc actum vocat ipse fruitionem.

2.Sententia Scoti.

131 Et probatur primò, quia perfectior est actus voluntatis, quam intellectus: Ergo debet beatitudo potiùs consistere in actu voluntatis, quã intellectus, quia beatitudo debet cõsistere in perfectiori actu.

1.Argum.

132 Antecedens probatur, quia dupliciter. Primò, quia ex S. Dionys. 7.Cæleſt. Hierar. primò feruntur Seraphini Cherubinis. Secundò quia voluntas est præstantior potentia, nàm per illam efficimur formaliter liberi. Tertiò: quia intellectio ordinatur ad amorem. Quartò, quia amor est posterior generatione: Ergo prior perfectione. Quintò; quia amor tẽdit in Deum, vt in se ipsum, quod est perfectius obiectum, intellectio autem, vt est in intellectu, quod est minus perfectum.

Probatio' antecedẽtis ex S. Dionys.

133 Huic argumento possem respondere priùs negando cons. quia beatitudo debet consistere in actu perfectiori, qui sit assecutio obiecti; cuiusmodi non est actus voluntatis, sed intellectus.

1.Respõs.

134 Sed respondetur secũdò neg. ant. Ad primam probationem dico, quod à D. Dionysio comparantur Seraphini,& Cherubini, vt in via; In quo statu, si comparetur voluntas cũ intellectu: vel actus vnius cùm actu alterius, semper perfectior est voluntas, quam intellectus; quia voluntas respicit Deum, vt in se, intellectus verò Deum, vt est in ipsomet intellectu. Horum autem signum est, quod hæc nomina etiam remanserunt in ipsis Demonibus, iuxtà illud Ezech.28. *Es tu Cherub extensus & protegens.*

2.Respõs.

135 Addo etiam, quod admisso, quod comparẽtur, vt in Patria: Seraphini dicuntur perfectiores Cherubinis, non ob solum amorem, sed ob visionem perfectiorem, ad quam sequitur perfectior amor. Ad secũdam probationem dico, quod voluntas dicitur præstantior intellectu per actus liberos secundum quid, & in genere moris, non autem in genere entis, secundùm quam rationem debet simpliciter attendi maior, & minor perfectio. Ad tertiam probationem dico, quod intellectio ordinatur ad amorem, tanquã ad quid consequẽs, sicut essentia ad passionem. Ad quartam probationem dico, quod passio est posterior generatione ipsa essentia, & non propterea est perfectior. Ad quintam probationem dico, quod intellectus in patria respicit Deum, vt est in se ipso.

3.Respõs.

136 Potest esse alia probatio ad probandum illud ant. quod voluntas,

Digitized by Google

2. Probatio antecendētis, & reſpōſ. tas, ſiue amor ſit perfectior intellectu, & intellectione: Quia eligibilior eſt amor, quam viſio: Sed nego hanc probationem, quia ſecundum ſe eligibilior eſt viſio, quippè cum ab ipſa ſequatur amor.

137 Probatur ſecundò principaliter. Quia per amorem amicitię Beatus perfectiùs conſequitur Deum, quam per viſionem: Ergo, &c. 2. Argum.

138 Probatur ant. primò ex Diuo Dionyſ. 7. de cæleſt. Hierarch. vbi ait, amorem eſſe vim transformatiuam amantis in amatum. Secundò ex D. Auguſt. t. 9. tract. 2. in expoſit. primæ epiſt. B. Ioan. prope finem vbi ait: *Talis eſt quiſq; qualis eius dilectio eſt; terram diligis, terra eris; Deum diligis, quid dicam, Deus eris? non audio dicere ex me, ſcripturas audiamus; Ego dixi dij eſtis.* Probatur etiam ratione, quia per actum intellectus conſequimur Deum in eſſe obiectiuo; per actum voluntatis in eſſe reali. S. Dionyſ. S. Aug.

139 Huic argumento poſſet reſponderi: admiſſo, quod per voluntatem, ſiue amorem conſequamur Deum perfectiùs: Nihilominus talis conſecutio non eſſet prima, ſed ſecūda præſupponens conſecutionem intellectus; Beatitudo autem debet cōſiſtere in perfecta operatione, quæ ſit prima conſecutio. Nihilominus reſpondetur neg. ant. Ad primam probationem ex Dionyſ. & Auguſt. dico, quod amor dicitur vis vnitiua cauſaliter, quatenus amor amantis, & reciprocus amati, ſunt cauſa ſimilis affectus; ideſt vt producat ſimiles actus. Vel dicitur vis vnitiua, quia eſt inclinatio vehemēs, & affectuoſa in amatum, ex qua prouenit, vt omnes ſuas actiones dirigat in ipſum bonum ſuum, tanquam ad bonum proprium, & ſupra bonum proprium. Ad ſecundam probationem ex ratione dico; quod per actum intellectus conſequimur Deum in eſſe obiectiuo reali, & ſecundum ſe; non autem in eſſe obiectiuo præcisè ſumpto. 1. Reſpōſ. 2. Reſpōſ.

140 Probatur tertiò. Quia ſumma bonitas, in qua conſiſtit noſtra fælicitas obiectiua, eſt obiectum voluntatis, non intellectus: Ergo in vnione voluntatis cum ipſa debet conſiſtere beatitudo formalis. Reſpondetur, quod bonum apprehenſum, & cognitum ſub ratione veri, eſt obiectum voluntatis, quæ apprehenſio, ſiuè cognitio præſequitur tanquam conditio eſſentialis. 3. Argum. & reſpōſ.

141 Probatur quartò. Impeccabilitas eſt velut paſſio conſequens ad Beatitudinem eſſentialem: Sed ipſa conſequitur ad actum amoris: Ergo actus amoris, &c. Reſpondetur, quod impeccabilitas cōſequitur ad viſionem beatam. 4. Argument. & reſpōſio.

142 Probatur quintò. Si beatitudo eſſentialiter conſiſteret in ſola viſione, poſſet quis eſſe Beatus ſine actu charitatis: Ergo cum peccato mortali, quia peccatum mortale excluditur per dilectionem: Quod eſt falſiſſimum, cum maxima miſeria ſit eſſe in peccato mortali. 5. Argum.

143 Ad hoc arg. cōceſſo ant. nego conſequentiam. Ad probationem dico, quod per viſionem etiam auferetur peccatum mortale, non ſolum quo ad actum, ſed etiam quo ad maculam. Ratio eſt, quia macula peccati ex ſua natura dicit priuationem gratiæ cum relatione rationis ad peccatum præteritum non dùm retractatū; viſio autem in radice dicit neceſſariā dilectionem, & gratiam, quæ ex natura ſua ſi emanarent, auferrent maculam peccati: Vndè ablata emanatione neceſſaria dilectionis, & conſequenter gratiæ, auferetur debitum habendi gratiam, & conſequenter macula haberet ſolam rationem negationis. 1. Reſpōſ.

144 Vel dico breuius, & clarius; peccatum quoad maculam dicit cōpletè non ſolum priuationem gratiæ, & charitatis, ſed etiam viſionis à qua neceſsè, & intrinſecè exigitur dilectio, & charitas; Vndè poſita viſione auferetur macula peccati, quoad priuationem: Et quia ex hac lectione duæ oriuntur quæſtiūculę placuit in hoc loco proponere, vt melius, quæ 2. Reſpōſ.

Digitized by Google

hucusq; diximus intelligantur, & prima illarum sit.

145 An voluntas sit præstantior potentia intellectu? Simpliciter loquendo intellectus est nobilior. Ita D.Th. 1.p.q.26.art.2. & q.82.a.3. & ibi Caiet. Ratio est, quia obiectum suum est abstractius, vniuersalis simplicius, & nobilius. Obiectum autem voluntatis contractius: Nàm voluntas fertur in bonum coniunctum rei: Intellectus autem in bonum abstractum sub ratione veri. Voluntas secundum quid est nobilior intellectu, quia quandoq; fertur in bonitatem in re nobiliori inuentam, vt in Deo. Contra est, quia charitas est perfectissimus habitus, qui est in voluntate. Respondetur, quod non est perfectior lumine gloriæ.

1. Quæstiuncula. D.Th. Caiet.

146 Secundò, quia charitas ab Apostolo præfertur fidei. Concedo ant. Sed hoc per accidens est, quia fides nõ tendit pro hoc statu in Deũ, vt in se.

147 Tertiò, quia nobilior est amor Angeli, quo amat seipsum, quã intellectio, qua comprehẽdit se ipsũ. Nego assumptum, quia semper est nobilior comprehensio.

148 Quartò, quia eligibilior est amor. Ergo nobilior. Respondetur negando ant. nàm eligibilior est visio. Ita Caiet. 1.p.q.26.a.2.

149 Concluditur tandem, quod voluntas in genere moris, & secundũ quid sit nobilior intellectu; quamuis autem possit hoc etiam negari, quia intellectus est *origo libertatis*. Peius est odium Dei, quam error. Ergo melior amor, quam visio. Ergo, &c. Nego ant. saltem in quantum natura.

150 Vtrum cum sola visione clara Dei possit stare macula peccati. Loquimur de visione Dei, & de peccato, vt modo est.

2. Quæstiuncula.

151 Et dico, quod non. Primò, quia peccatum commaculat animã, ita vt resultet in intellectu cecitas, & in voluntate deordinatio. Visio autem ex sua natura, ita clarificat intellectum, vt resultet in voluntate re-

Resolutio

ctitudo; in tota anima claritas.

152 Confirmatur, quia visio ex natura sua exigit dilectionem, siuè gratiam: Ergo peccatum amittit rationem priuationis.

Confirm.

153 Probatur secundò, quia visio exigit lumen gloriæ: lumen gloriæ gratiam. Sicut non potest dari intellectio sine potẽtia intellectiua, & anima, quæ intelligat.

2. Ratio

LECTIO III.

An beatitudo nostra essentialis consistat in actu intellectus, cum ordine ad actum voluntatis?

154 IAM dictum est beatitudinem nostram essentialiter cõsistere in visione Dei. Quæritur in præsenti lectione: An ita consistat essentialiter in visione, vt nullum dicat ordinem ad actum amoris: An verò essentialiter debeat dicere ordinem ad actum dilectionis beatificæ, vt si per diuinam potentiam Beatus videret Deum, absq; eo, quod illum diligeret, vel foueretur, dicendus esset Beatus essentialiter? Ad cuius difficultatis resolutionem primò dicam quid sentiam: Secundò referam sententias contrarias, & soluam earum argumenta.

155 Quoad primum. Dico, quod beatitudo nostra essentialis consistit in actu intellectus cum ordine, siuè connotatione ad actus voluntatis.

Concluſ.

156 Explico hanc responsionem. Dixi suprà, quod beatitudo formalis essentialiter consistit in actu intellectus, qui sit consecutio summi boni, sub ratione veri: Addo modò, quod hæc consecutio debet esse talis, vt aptitudine sua debeat causare actum dilectionis, vel fruitionis in voluntate. Non est necesse, quod hi actus voluntatis actualiter fluant, vt illa assecutio dicatur beatitudo essẽtialis, sed

suffi-

Digitized by Google

sufficeit, vt ex se sit sufficiens ad illos causandum: In quo importatur quædam habitudo, vel ordo causæ ad actus voluntatis.

157 Probatur vnica ratione fundamẽtali: Quia beatitudo essentialis debet esse consecutio efficax, qua fiat obiectum præsens voluntati: Vel debet esse consecutio, quæ habeat rationẽ possessionis, vel tentionis obiecti voluntatis: Ergo intrinsecè importatur ordo causæ aptitudinalis ad voluntatem.

Ratio cõclusionis.

158 Confirmatur; quia ex S. Tho. multis locis huius quæstionis, & præcedentis habetur, quod dilectio, vel fruitio ex consequenti pertinent ad beatitudinem formalem essentialem; Ergo importatur ordo ad istos actus. Ita Aluar. hic disp. 21.

Confirm.

Aluar.

159 Quoad secundum. Contra hanc nostram sententiam videtur esse Vasq. hic 2. 2. 8. disp. 11. cap. 10. num. 62. qui ait: quod relatio causæ respectu amoris, vel fruitionis nullo modo pertinet ad visionem, vt consecutio est.

Prima Sẽtentia cõtraria Vasquez.

160 Ratio, quæ colligi potest ex ipso est, quia de ratione beatitudinis formalis est, vt sit consecutio: consecutio autem non importat ordinem ad actus voluntatis, sed ad obiectum, quod assequitur: Ergo, &c. Respondeo, quod consecutio obiecti eo ipso, quod est consecutio efficax per modum possessionis summi boni, eo ipso imbibit rationem causæ dilectionis, & fruitionis voluntatis. Vndè importat saltem ordinem implicitum causæ ad illos.

Vnicum argumentum, & responsio.

161 Secunda sententia est aliorũ Thomistarum, qui dicunt, quod si per impossibile Beatus videndo Deum non diligeret Deum, non esset essentialiter Beatus. Vndè volũt isti, quod si Deus per suam potentiam absolutam impediret, ne sequeretur actus amoris, Beatus nullo modo esset essentialiter Beatus, neque visio esset essentialis beatitudo. In quare videntur velle contra nos beatitudinẽ formalem debere dicere ordinem actuales ad actum voluntatis. Sed certè non apparet, quomodò hęc sententia possit negare, quod beatitudo nostra essentialiter consistat in vtroq; actu, & intellectus, & voluntatis. Sed audiamus eorum argumenta.

Secunda Sententia contraria.

162 Primum est. In beatitudine ficta nõ saluatur essentialis ratio beatitudinis, antequam accedat actus voluntatis: Ergo neq; in beatitudine vera. Ant. in qua est difficultas probatur; Quia licet auarus actu possideat pecuniam, possessio illa non habet rationem vltimi finis, nisi accedat amor inordinatus.

1. Argum.

163 Huic argumento respondet Aluar. neg. cons. & reddit rationem disparitatis; Quia beatitudo ficta ex se non habet rationẽ vltimi finis, sed quia amor inordinatus inhæret illi tãquam vltimo fini: Cæterum beatitudo vera ex se habet rationem vltimi finis, & non ab actu voluntatis. Vnde non requiritur actus voluntatis.

1. Respõs. Aluarez.

164 Sed certè hæc solutio non placet: quia sicut beatitudo formalis ficta est assecutio obiecti mali, ita beatitudo vera est assecutio summi boni. Vndè respondeo neg. antec. Ad probationem etiam respondeo neg. illam, quia beatitudo ficta est vera possessio, antequam accedat actus amoris deordinatus.

Impugnatur 1. Respõsio, & verior solutio proponitur.

165 Secũdum argumentum. Nullo modo actus intellectus habet rationem assecutionis ante actum volũtatis: Quia assecutio, siue comprehensio ex D. Th. q. 4. art. 3. ad 2. pertinet ad voluntatem: Ergo, &c. Resp. neg. ant. Ad probationem dico; quod cõprehensio pertinet obiectiuè ad ipsã voluntatem. Vel dico, quod ad volũtatem pertinet comprehensio ex S. Tho. quia ipsa suo modo debet attingere summum obiectum, præsupponendo actum intellectus, qui verè est cõprehensiu.

2. Argum. ex D. Th. & respõs.

166 Sed vrgetur; quia ex S. Tho. loc. cit. ad 3. visio est obiectum comprehensionis: Ergo ipsa non est comprehensio. Respondetur, quod Sanctus

Replica, & respõs.

Digitized by Google

ctus ibi sumit visionem pro re visa, vt patet ex ipso contextu, in quo dicit: *visio, vel res visa est obiectum comprehensionis*. Vel dic, quod loquitur ibi de comprehensione lato modo, quatenus est attactio sui obiecti.

167 Dic tandem breuiter ad has obiectiones, quod S. Tho. loquitur de comprehensione, vt est dos animæ, quæ nihil aliud est, quam præsentia obiecti correspondens spei, vel habitudo voluntatis ad rem, siue finem iam præsentem.

ARTICVLVS V.

Vtrum beatitudo sit operatio intellectus speculatiui, an practici?

168 RESpondet primò S. Tho. quod beatitudo magis consistit in operatione intellectus speculatiui, quam practici. Probat primò, quia beatitudo hominis debet esse optima operatio optimæ potentiæ respectu optimi obiecti: Sed hæc operatio est intellectus speculatiui magis, quam practici: Ergo. Maior probatur; quia ex eo, quod est operatio, debet esse optima operatio; nàm propterea consistit in operatione beatitudo, quia debet consistere in aliquo optimo; & perfecto. Minor probatur, quia operatio intellectus speculatiui respicit bonum diuinum, quod est optimum obiectum.

169 Probat secundò. Quia beatitudo quæritur propter seipsam: Sed operatio intellectus speculatiui, non verò operatio intellectus practici quæritur propter seipsam: Ergo. Probatur minor; quia operatio intellectus speculatiui est contemplatio veritatis, quæ quæritur propter seipsam: operatio verò intellectus practici ordinatur ad actiones, & passiones humanas regulandas.

170 Probat tertiò. Quia per beatitudinem homo assimilatur Deo, & Angelis. Sed magis assimilatur eis per operationem intellectus speculatiui, quam per operationem intellectus practici. Ergo. Probatur minor: quia per operationem intellectus speculatiui communicat homo cum Deo, & Angelis; per operationem verò intellectus practici communicat aliqualiter cum animalibus, licet imperfectè; quia ipsa per talem operationem tendit ad dirigendum aliquas actiones communes cùm illis.

171 Respondet secundò S. Tho. quod Beatitudo imperfecta, (qualis hic haberi potest) primò quidem, & principaliter consistit in contemplatione: Secundariò verò in operatione practici intellectus ordinantis actiones, & passiones, vt dicitur in 10. Eth. Hanc conclusionem non probat S. Tho. sed proportionaliter supponit probatam ex præcedentis conclusionis probatione.

LECTIO I.

An beatitudo nostra formalis sit cognitio iudicatiua? & si est cognitio iudicatiua, in quo iudicio essentialiter consistat?

172 DVas partes habet hæc difficultas, & vtramq; breuiter absoluemus suo ordine.

173 Respondetur primò: Beatitudo nostra formalis est cognitio iudicatiua, & non tantum apprehensiua. Probatur primò; Quia beatitudo nostra formalis est operatio perfectissima: sed cognitio apprehensiua tantum est imperfecta: Ergo beatitudo est cognitio iudicatiua. 1. Cõclus. & 1. Ratio.

174 Probatur secundò; Quia per cognitionem beatificam voluntas Beatimouetur perfectè ad amãdum: Sed per solam apprehensionem non mo- 2. Ratio.

moueretur perfectè ad amandum.

3.Ratio. 175 Probatur tertiò: quia beatitudo patriæ correspondet cognitionis fidei, quam habemus in via: Sed hæc cognitio non est apprehensiua tamen, sed iudicatiua: Ergo,&c.

2.Cõcluſ. 176 Respondetur secundò. Huiusmodi iudicium non est per compositionem,& diuisionem, sicut contingit in viatoribus; sed est iudicium simplicissimum,& perfectissimum.

Ratio cõclusionis. 177 Ratio est, quia compositio, & diuisio oritur in hac vita ex imperfectione cognitionis: Sed in Patria erit perfectissima cognitio: Ergo ibi cessabit composito,& diuisio. Probatur maior, in qua est aliqua difficultas; Quia hic intelligimus per conuersionem ad phantasmata, ex quo modo cognoscendi debemus vnum apprehendere post aliud, & sic componere, & diuidere: Huius signum est, quod Angelus propterea non componit, neq; diuidit, quia non intelligit per conuersionem ad phantasmata, sed per species infusas.

Confirm. 178 Confirmatur ratio principalis; quia visio illa beata est clara de obiecto simplicissimo: Ergo,&c.

3. Concl. & eius ratio. 179 Respondetur tertiò: Beatitudo nostra formalis consistit essentialiter in iudicio, quo Beatus iudicat Deum, vt est in se, scilicet Trinum,& Vnum, summè bonum, summè iustũ, &c. Ratio est; quia Beatus videt Deũ vnica simplici visione sicuti est in se; vt patet 1. Ioan. cap. 3. vbi dicitur: *Videbimus enim eum sicuti est*. Præterea ex D. Th. inf. art. 8. pertinet ad essentiam beatitudinis, vt quis cognoscat Essentiã Primæ causæ: Sed Essentia Primæ causæ non importat solum vnum attributum: Ergo.

S. Th.

Sententia contraria Med. 180 Contra hanc vltimam respõsionem est Med. & alij Thomistæ, qui dicunt beatitudinem nostram essentialem consistere in iudicio, quo Beatus iudicat Deum esse summè bonũ; cætera etiam iudicia de Deo, quoad alia attributa, scilicet, quod sit summè iustus, summè misericors, &c. dicunt non pertinere essentialiter ad ipsam beatitudinem.

1. Argum. ex S. Scriptura. 181 Probatur primò, ex Sacra Scriptura Exod. 33. vbi Deus loquẽdo de beatitudine dixit Moysi: *Ego ostendam tibi omne bonum*. Ergo in iudicio Dei, vt est summum bonum, consistit essentialiter beatitudo.

Aesponſ. 182 Respondetur, quod per omne bonum hoc loco non intelligitur solum attributum bonitatis; sed Deus vt in se Trinus,& Vnus, iustus, bonus, &c.

2. Argum. & respõs. 183 Probatur secundò; quia voluntas sequendo istud iudicium, quo Beatus iudicat Deum esse summum bonum, præciso per cõpossibile quocumque alio iudicio, perfectè satiatur: Ergo, &c. Respondetur neg. ant. quia cum videat Deum sicuti est in se, non potest completè satiari volũtas sequendo istud solum iudicium.

3. Argum. & respõs. 184 Probatur tertiò: quia beatitudo nostra consistit in consecutione vltimi finis, quod idem est, ac summũ bonum: Ergo in isto iudicio essentialiter, & præcisè consistit. Respondetur, quod consistit in consequutione vltimi finis; vel summi boni, vt est in se; vt autem vltimus finis est in se, est Deus Trinus, & Vnus.

LECTIO II.

Vtrum beatitudo nostra consistat in iudicio speculatiuo, vel passiuo?

185 PRO resolutione huius difficultatis primò aduertam aliqua. Secundò statuam meã sentẽtiam aliquibus responsionibus. Et tertiò adducam sententiam contrariam cum suis argumentis, & satisfaciam illis.

1. Animadueſ. 186 Quoad primũ aduertò; quod solet proponi hæc difficultas sub hoc tit. An scilicet visio beata sit speculatiua, an practica? Sed coincidit cum proposito.

187 Aduertò secundò; quod cognigni-

Digitized by Google

2. Animaduers. gnitio speculatiua dicitur illa, quæ habet pro fine ipsam veritatem: cognitio verò practica, quæ habet pro fine opus extra potentiam intellectiuam. Ita Complut. nostri in log. disp. 1. proem. q. 6. §. 1. & est doctrina clarissima D. Tho. & Arist. ab eisdem Compl. loc. cit adductis.

Arist. S.Th. Complut.

188 Ratio autem esse potest, quia cognitio speculatiua ex natura sua ordinatur ad proprium obiectum, quod est veritas: cognitio autē practica debet ordinari ad obiectū, siue ad opus, à quo sumit suam denominationem.

189 Aduerto tertiò: quod dupliciter aliqua cognitio potest dici practica: vno modo remotè: alio modo proximè: Cognitio remotè practica dicitur illa, quæ est circa obiectum, quod continet regulas operationis, nihilominus ipsa non immediatè, & proximè ordinatur ad operationem in particulari: Cuiusmodi esset cognitio circa obiectum, quod continet regulas faciendi domum, nihilominus non ordinaretur proximè, & immediatè ad ipsam cōstructionem domus. Cognitio autem practica proximè dicitur illa, quæ est circa obiectum continens regulas operationis, & hic, & nunc ordinatur ad faciendum hoc, vel illud opus.

3. Animaduers.

190 Quoad secundum. Respondetur primò: Si cognitio practica sumatur primo modo: beatitudo nostra est formaliter speculatiua, & practica. Quod sit speculatiua, probatur: Quia versatur circa obiectum summè speculabile, vt est Deus in se; siuè habet pro fine veritatem summè speculabilē. Quod sit practica probatur etiam: Quia est circa obiectum continens regulas operationū creatarū; nàm est circa Deum continentem regulas, quomodò sit colendus, quomodò amandus, &c.

1. Cōcl. & eius Ratio.

191 Nota hic, quod secundum hanc considerationem Visio non extrahitur formaliter à cognitione speculatiua, quamuis dicatur practica remotè.

192 Respondetur secundò. Visio Beata primariò, & principaliter est speculatiua: Secundariò autem, & minus principaliter est practica. Ratio est, quia natura sua prius terminatur ad Deum, vt est prima veritas speculabilis; posterius autem, & minus principaliter, vt continet regulas nostrarum operationum.

2. Concl. & eius ratio.

193 Sed obijciet aliquis: Visio est vna formalissima, & simplex cognitio: Ergo debet esse æqualiter speculatiua, & practica. Respondetur, quod quamuis sit vna simplicissima cognitio, terminatur nihilominus ad obiectum, quod nostro modo concipiendi habet illas duas formalitates, quarū vna est primaria, & alia secundaria.

Obiectio, & enodatio.

194 Respondetur tertiò: Si cognitio practica sumatur secundo modo, beatitudo nostra non est formaliter practica. Ratio est, quia non ordinatur immediatè, & proximè ad opus.

3. Concl. & Ratio.

195 Confirmatur; quia non dirigit operationes voluntatis determinando, vel mouendo voluntatem per imperium, vel iudicium ad amandū, vel non amandum, ad prosequendū, vel fugiendum hoc, vel illud obiectū; Sed tantū proponēdo illi obiectum summè amabile, ad quod voluntas natura sua est determinata.

1. Confirmatio.

196 Confirmatur secundò, & explicatur magis præcedens confirmatio: Quia cognitio, quæ formaliter, & proximè est practica, dirigit actus liberos voluntatis; Sed actus dilectionis erga Deum est necessarius, & naturali sequela sequuntur Visionem Beatam; actus verò liberi circa creaturas satis remotè: Vndè remotè secundum quid, & secundario dicitur Visio Beata practica.

2. Confirmatio.

197 Respondetur quartò: Essentia beatitudinis consistit in visione, vt est speculatiua. Est cōclusio S. Th. in hoc artic. & probatur suis rationibus.

4. Cōclus.

198 Deindè additur alia ratio: Quia beatitudo essentialiter consistit in operatione, quæ habet pro obie-

Ratio Cōclusionis.

cto

cto summum bonum,& increatũ:Sed visio, vt *speculativa* habet pro obiecto summum bonum,& increatum, scilicet Deum: prout *practica* bonum creatum, scilicet operationes: Ergo essentia beatitudinis,&c.

199 Sed obiecit quis hanc respõsionem non esse de mẽte D.Th. Quia in principio art. ait beatitudinẽ magis consistere in operatione intellectus speculativi,quam practici; Et in fine corporis ait totam principaliter consistere in contemplatione: Ergo secundum quid, & minus principaliter consistit in operatione intellectus practici. Obiectio.

200 Respondetur,quod hæ particulæ denotant beatitudinem consistere in operatione intellectus practici non *essentialiter*, sed *accidentaliter*. Nàm particula *magis* facit sẽsum distinctiuum, & exclusiuum alterius extremi, sicut particula *potiùs*: particula etiã *principaliter*, iam clarè denotat ex vi suæ significationis, id quod est *principale* in beatitudine, nimirum *essentiale*, quia pro eodem sumuntur *principale*, & *essentiale* in hoc casu. Enodatio.

201 Quoad tertium.Est sententia Scoti,qui quamuis nihil expressè dicat in hac materia,tamen ex eo,quod in quæst.4.prologi §. *Ad quæst.igitur.* dixit,Theologiam viatorum esse practicam, & rationes ibi adductæ concludunt etiam visionem beatam esse practicam; ideò authores dicunt ipsũ fuisse huius sententiæ, quod beatitudo nostra sit practica. Sententia contraria Scoti.

202 Prima ratio eius est; quia visio beata ordinatur ad dirigendum operationes voluntatis,quæ dicuntur praxis: Ergo est practica. Respondetur neg.ant.*proximè,& formaliter*,sed tantùm *remotè*, & *secundariò*, vt dictum est. 1.Argum. & respõs.

203 Secunda ratio est; quia visio beatifica est summa regula humanarum actionum; quæ sunt in beato: Ergo, &c. Respondetur, quod si loquamur de actu dilectionis necessario erga Deum,dicitur tãtum regula per modum proponentis obiectum; Si verò de alijs actibus liberis,dicitur tãtum regula remota.Vndè sequitur, quod solum sit *secundariò*,& *accidentaliter* practica. 2.Argum. & resp.

204 Secũda sentẽtia est Scoti, Medin. & aliorum, qui dicunt visionem beatã, quatenus versatur circa Deũ, secundariò esse practicam. 2.Sentẽt. contraria Soti Med.

205 Probatur primò testimonio D. Th.sup.allato,quatenus primò dicit, quod visio beata sit magis speculatiua;Secundò, quod *principaliter* consistit in contemplatione:Ergo,vt versatur circa Deum, secundariò erit practica. Respondetur, vt iam suprà dictum est, quod dicitur *secundariò* practica *accidentaliter*, quia versatur circa creaturas ex mente D.Th. 1.Argum. ex D. Th.

206 Secundo probatur;quia licet visio beata sit primario contemplatio Dei,secundario tamen mouetur voluntas ad amandum Deum: Ergo est secundariò practica circa Deum. Respondetur,quod mouetur ad amãdum Deum, non per iudicium, vel imperium, quo determinatur liberè, sed per modum proponentis obiectũ; ad quod necessariò naturali sequela currat. 2 Argum. & 1. Responsio.

207 Respõdetur clariùs huic argumento,quod voluntas mouetur ad amandum Deum necessariò facta illi propositione obiecti per visionẽ beatam. Vnde talis propositio nõ dicitur practica, quia sic omnes contemplationes aliarum rerum,ad quas sequitur necessariò amor, (vt optimè notat Vasquez) deberent dici practicæ, quod est falsum.

208 Tertia sententia est Palud. in 4.dist.49.q.3.a.2.asserentis, duas esse visiones in Beato: vnam speculatiuã, quæ consistit in sola visione Dei: aliã practicam, quæ consistit in actione intellectus practici,& dilectione Dei; scilicet in hoc actu:*Deus est diligendus super omnia.* 3. Sentẽt. contraria Paludani.

209 Ratio huius sentẽtię est, quia per totam visionem Dei voluntas nõ mouetur ad amandum, nisi adsit hoc aliud dictamen practicum : *Deus est*

summoperè amandus, vel in eo oportet delectari.

210 Sed hæc sententia communiter reijcitur ab Expositoribus D. Th. & alijs Theologis cum suo fundamẽto. Quia non est necessarium illud iudicium practicum, vt voluntas moueatur ad amandum; sed sufficit ipsa visio Dei secundum se, vt moueatur voluntas; quia quælibet voluntas mouetur efficaciter ad amandum ex sola visione summi boni, vt in se. Vlterius; quia illud iudicium practicum haberet pro obiecto amorem Dei, qui est actus creatus, & sic non consisteret in eo essentialiter beatitudo.

Hæc sentẽtia reiicitur cõmuniter.

211 Super hunc art. esset mouenda alia difficultas: An beatitudo huius vitę consistat in contemplatione propter vltima verba D.Th. in corp. art. Sed seruamus illam tractandam post commentationem totius huius quæstionis, vt dicto quidquid dicendum est de beatitudine alterius vitæ, dicamus aliquid etiam ordine suo de beatitudine, tùm supernaturali, tùm naturali huius vitæ.

Animad.

ARTICVLVS VI.

Vtrum beatitudo consistat in consideratione scientiarum speculatiuarum?

212 PRæmittit Sanctus Th. in hoc artic. quod duplex est beatitudo hominis: Vna perfecta: Alia imperfecta. Beatitudo perfecta dicitur illa, quæ attingit ad veram beatitudinis rationẽ. Beatitudo autẽ imperfecta dicitur ea, quæ participat quãdam particularem beatitudinis similitudinem. Subintelligo tamen, quod S.Th. hìc distinguit beatitudinẽ huius vitæ, & alterius vitæ. His præmissis.

213 Respondet primò S. Doctor: Perfecta beatitudo essentialiter non potest consistere in consideratione scientiarum speculatiuarum. Probat: Beatitudo hominis perfecta debet consistere in cognitione alicuius rei, vel obiecti, quod sit supra intellectum humanum: Sed cognitio scientiarum speculatiuarum non est circa res supra intellectum humanum: Ergo, &c. Probatur maior; quia beatitudo est perfectio hominis: Sed nihil perficit hominem, nisi id, quod est superius homine, siue nisi id, quod est supra intellectum humanum: Id enim, quod est inferius, nõ perficit id, quod est superius; sed semper perfectiuum debet esse nobilius, & superius perfectibili. Probatur etiam minor principalis argumenti: Cognitio speculatiua est circa obiecta cognita per sensus, siue circa obiecta, ad quæ conducunt sensibilia accepta per sẽsus: Sed sensibilia sunt inferiora ipso homine: Ergo, &c.

214 Respondet secundò S.Th. in fine corporis, & in solutione ad primum, quod beatitudo imperfecta, siue beatitudo, quæ in hac vita haberi potest, consistit in consideratione scientiarum speculatiuarum. Ratio potest colligi à S. Doct. sub hac forma. Beatitudo imperfecta huius vitę est participatio quædam beatitudinis perfectę alterius vitę: Sed illa cõsistit in actu intellectus speculatiui: Ergo, & ista in cõsideratione scientiarum speculatiuarum.

LE-

Digitized by Google

LECTIVNCVLA
Breuis super hunc Art.

An ratio D. Thomæ adducta ad concludendum intẽtum sit efficax?

215 REspõdetur, quod sit efficacissima; Nàm fundatur in duobus principiis certissimis. Primum est, quod inferius non potest perficere id, quod est superius; sed semper id, quod est perfectiuum, debet esse superius. Secũdum, quod cognitio scientiarum non se extẽdit nisi ad cognitionem eorum, ad quæ deuenitur per sensibilia.

Concluſ. & eius ratio.

216 Sed contra primum principium est primum argumentum; quia accidentia perficiunt substantiam: Ergo inferius perficit superius. Respondet Caiet. quod S. Th. locutus est hìc de perfectiuo simpliciter? accidẽs autem est perfectiuum secundum quid. Responderi etiam potest, quod in ratione perfectiui est aliquo modo superius accidens substantia.

1. Obiect. & enod.

Caiet.

217 Secundum argumentum. Obiectum sensibile inanimatum perficit ipsum sensum, qui est superior eo, cum pertineat ad gradum sensitiuum. Respõdetur cum Caiet. quod sensibilia perficiunt sensum, in quantum participant quandam naturam superiorem immaterialem. Sicut etiã dicit S. Tho. in corp. huius art. quod forma lapidis perficit intellectum in quantum participat aliquod lumen intelligibile, vel aliquod huiusmodi.

2. Obiect. & enod.

Complut. N.

Nostri Complut. de Anima disp. 10. q. 4. n. 62. optimè explicant.

218 Contra secundum principiũ est; quod dantur illa principia generalissima: Quodlibet est, vel non est: omne totum est maius sua parte, ad quæ non manuducimur per sensus, quia sunt per se nota. Sed respondetur, quod hæc principia etiam imprimunt suas species sensibiles.

3 Obiect. & enod.

219 Præterea per ista principia deuenitur ad cognitionem sensibilẽ, & abstractorum: Ergo non ad ea, quę sunt inferiora intellectu. Respondetur, quod semper cognitio huius vitæ manuducitur per sensibilia, & sic non potest esse adeò perfecta, ac si haberetur cognitio non medijs sensibilibus.

Vltima Obiectio, & enod.

ARTICVLVS VII.

Vtrum beatitudo consistat in cognitione substantiarum separatarum, scilicet Angelorum.

220 REspondet primò S. Tho. quod contẽplatio solius Dei facit hominem perfectè Beatum. Ratio est; quia beatitudo perfecta debet consistere in cõtemplatione eius rei, quæ perfectè, & vltimatè beatificat: Sed contemplatio Angelorum non perfectè beatificat; quia Angeli continent veritatem per participationem: Vndè contemplatio solius Dei perfectè beatificat; quia solus Deus est veritas per essẽtiã: Ergo, &c.

221 Respondet secundò, quod cõtemplatio Angelorum est beatitudo imperfecta. Ratio est, quia Angeli sunt entia vera per participationem: Ergo non possunt perfectè, & vltimatè perficere intellectum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum beatitudo hominis sit in visione Diuinæ Essentiæ?

222 REspondet S. Th. quod vltima, & perfecta beatitudo nõ potest esse, nisi in visione Diuinæ Essentiæ. Vt autem probet hanc con-

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

Digitized by Google

cluſionem ſupponit duo. Primum eſt, quod homo non eſt perfectè Beatus, quamdiù reſtat ſibi aliquid deſiderãdum, & quærendum. Secũdum quod perfectio vniuſcuiſq; potentiæ attenditur ſecundum rationem ſui obiecti. His præſuppoſitis probat concluſionem hac ratione. Obiectum intellectus eſt eſſentia rei, ita vt nunquam perfectè quieſcat quouſq; perueniat ad cognitionem eſſentiæ, ſiue cauſæ rei: Ergo beatitudo hominis conſiſtit in viſione Diuinæ Eſsẽtiæ, ſeù primæ cauſæ. Patet conſequentia, quia alioqui non eſſet perfectè quietus.

LECTIO L.

Vtrum per Diuinam potentiam poſſit videri Diuina Eſsẽtia non uiſis attributis, & perſonis, vel vna perſona non viſa alia; Et an ſi videretur Diuina Eſſentia non visis perſonis, vel vna perſona sine alia, beatificaret talis visio?

223 HÆc quæſtio tractatur 1.p.q. 12. & ideò breuiter me expediam ab illa, & pro faciliori intelligentia videndum eſt prius, quid ſit de ratione cognitionis intuitiuæ.

224 Dico primò: cognitio intuitiua non requirit, vt ſit ſine ſpecie. Quia intuitio ſe tenet ex parte obiecti; ſpecies autem ex parte potentiæ, hoc eſt intuitio reſpicit obiectum, quo ad ſua eſſentialia, ſiue fiat cum ſpecie, ſiue ſine ſpecie. Item cognitio ſenſuum eſt intuitiua, & non excludit ſpeciem.

225 Dico ſecundò: per ſe nõ exigit obiectum preſẽs ſecundum tempus, & ſecundum locum. Quia Deus videt res futuras, & abſentes. Item Angelus videt res abſentes.

226 Dic tertiò: cognitio intuitiua intellectus noſtri pro hoc tempore exigit fortaſſe præſẽtiã rei ſecũdum locum, & tempus. Quia cognitio pendet à ſenſibus. Hinc infertur, quod poteſt eſſe cognitio quidditatiua in ipſo ſine cognitione intuitiua, ſicut cognitio roſæ in hyeme.

216 Dico vltimo: de ratione cognitionis intuitiuę eſt, vt videat rem ſicut in ſe. Quia eſt viſio rei, vt exiſtẽtis.

227 His breuiter prælibatis de natura cognitionis intuitiuę: Reſpondetur primò ad primã partẽ quæſtionis negatiuè. Ratio eſt, quia viſio beata eſt cognitio intuitiua Dei, ſicuti eſt in ſe: Si autẽ videretur eſſentia ſine attributis, & perſonis, & vna perſona ſine alia nõ videretur Deus ſicut in ſe. 1. Cõcl. & eius Ratio.

228 Confirmatur hæc ratio; quia viſio intuitiua eſt cognitio quidditatis, & exiſtentiæ rei ſecundum omnẽ ſuam rationem. Confirm.

229 Reſpondetur ſecundò. Si per impoſſibile videretur Diuina Eſsẽtia non viſis attributis, vel perſonis, aut vna perſona ſine alia, Beatus nõ eſſet perfectè Beatus. Ratio eſt D. Tho. in hoc art. quia non quieſceret intellectus, cũ non quieſcat, vſq; dũ pertingat ad cognitionem perfectam rei ſicuti eſt in ſe. 2. Concl. & Ratio. S. Th.

230 Probatur à Vaſq. etiam: quia beatitudo formalis noſtra eſt poſſeſſio ſummi boni ſicut in ſemetipſo. 2. Ratio Vaſquez.

231 In oppoſitum eſt ſententia Scoti, qui duo dicit: Primum, quod poſſit videri Eſſentia Diuina ſine attributis, & ſine perſonis: Secundum, quod ſi fieret talis visio, eſſet ſufficiẽs ad beandum. 1. Sentẽt. Scoti.

232 Probat primũ dictum; Quia Eſsentia Diuina diſtinguitur ex natura rei ab attributis, & perſonis: Ergo, &c. Reſpondetur neg. ant. Addo etiam, quod admiſſa tali diſtinctione, poſſet ſolum videri Deus cognitione abſtractiua, non intuitiua. 1. Ratio Scoti circa primũ dictum, et eius enodatio.

233 Probat ſecundò; quia de facto vna perſona Diuina, ſcilicet Filius terminat naturam humanã ſine alijs: Ergo vna perſona ſine alia poteſt ter- 2. Ratio, & eius enodatio.

terminare visionem beatam. Reſpõdetur neg.conſequẽtiam; & ratio eſt, Deus enim terminat, vel debet terminare visionem Beatam sicuti eſt in ſe;quia ſpecificatiuum visionis intuitiuę eſt res sicut in ſe;Deus autem non terminauit, nec debuit terminare humanitatem Chriſti sicut in ſe, quia ſolum exigebat humanitas perſonalitatem, quæ fuit ſuppleta per perſonalitatem Verbi.

234 Probat tertiò Scotus; quia quamuis de facto humanitas Chriſti fuit terminata perſonalitate Verbi, potuit tamen terminari ſubsiſtentia abſoluta:Ergo,&c. Reſpõdetur,quod eſt in lite positum, an detur ſubſiſtẽtia abſoluta in diuinis; Sed quidquid sit de hoc,tunc dico, quod tres Perſonæ Diuinæ mediatè terminarent naturam humanam, & eſſent vnus homo, sicut modo ſunt vnus Deus; Ita pariter visio beata eo ipſo, quod terminaretur ad ſubsiſtentiam abſolutam, terminaretur ad omnes tres perſonas.

3. Ratio Scoti,& eius enodatio.

235 Probat Scotus ſecundum dictum contra noſtram ſecundam reſponſionem; Quia Pater Æternus in illo primo ſigno originis,antequam intelligatur producere Filium,intelligitur Beatus;Ergo non eſt de ratione beatitudinis, vt terminetur ad tres perſonas.

1. Ratio de ſecũdo dicto Scoti.

236 Reſpondetur, quod aliud eſt loqui de beatitudine æterni Patris, vt eſt à parte rei; aliud vero loqui de beatitudine æterni Patris, vt poteſt concipi à nobis. Loquendo primo modo de ea, certum eſt,quod ſit comprehenſiua trium perſonarum. Loquendo autem de ea, vt à nobis concipitur, dico cum Monteſ. quod in illo priori ſigno rationis Pater intelligitur Beatus,quatenus ſua cognitio intelligitur terminari ad Filium, & Spiritum Sãctum, vt producibiles; quia in illo ſigno intelliguntur ſolum producibiles.

1.Reſpõſ.

237 Nota. Prioritas originis eſt inter perſonas. Quia prioritas originis eſt oppoſitio relatiua. Vlterius eſſentialia non dicuntur priora origine notionalibus:Quia non diſtinguũtur realiter ab illis. Demum eſſentialia,prout in Patre nõ ſunt priora origine eſſentialibus,vt in Filio,quia nõ diſtinguuntur realiter.

Animad.

238 Rurſus in poſteriori ſigno hæc eadem beatitudo Patris in re terminatur ad tres perſonas in ſe, & vt productas;quia noſtro modo concipiendi intelliguntur productæ. Vndè ſemper concipitur, quod beatitudo ſit cognititio rei,vt eſt in ſe.

239 Reſpondetur ſecundò cum Vaſq.quod in illo primo ſigno Pater æternus non intelligatur Beatus;quia cũ beatitudo eſſentialis ſit viſio Dei, vt in ſe, non poteſt in illo priori intelligi in Patre,vſq;dum intelligantur perſonæ productæ: Nàm de ſe ſemper dicit ordinem ad perſonalia, & non poteſt intelligi prior notionalibus, ſiuè perſonalibus. Et quamuis hæc ſolutio impugnetur nihilominus poteſt admitti,& eſt probabilis.

2.Reſpõſ. Vaſquez.

240 Impugnatur prædicta ſolutio Vaſq.à Mõtesino: in illo priori intelligitur Pater Deus: Ergo Beatus.Reſpondetur, quod intelligitur Beatus, quatenus ſufficiens ex ſemetipſo.

Impugnatur reſpõſio Vaſq.

241 Vlterius in illo priori intelliguntur alia attributa in ipſo: Ergo. Reſpondetur,quod alia attributa non ferunt ſecum ordinem ad perſonas, vt attributum beatitudinis, quæ debet reſpicere rem,vt in ſe.

242 Probat ſecundò Scotus ſecũdum dictum; Quia ſi per impoſſibile DiuinaEſſẽtia reperiretur in vna perſona,eſſet quidem ſufficiens ad beandum: Ergo, & quamuis ſit in tribus perſonis poteſt diuina eſſentia beare, ſi videatur in vna perſona,& non in alia.Reſpondetur neg. conſ. quia tũc ex ſuppoſitione videretur Deus sicuti eſt in ſe,nunc autem non videretur,sicuti eſt in ſe.

2. Ratio Scoti,& eius enodatio.

243 Probat tertiò Scotus ſecundũ dictum. Si fieret talis Visio quieſceret intellectus Beati: ergo eſſet ſufficiens ad beandum. Probatur antecedens. Quia de facto modo non videtur

3. Ratio Scoti, & eius enodatio.

tur Deus ſecundum quod visibilis eſt, & tamen quieſcit appetitus Beati: Ergo tunc etiam ſi non videretur ſecundum quod viſibilis eſt quieſceret appetitus. Negatur cõſequẽtia, & ratio diſparitatis eſt: quia modo habet Beatus põdus luminis ad Deum, vt in ſe, ſecundum commenſurationem luminis, quod habet: tunc non videretur Deus, vt in ſe ſecundum commenſurationem luminis, quia in illo non ſupponeretur eſſe ad comprehẽſionẽ ſufficiẽs.

2. Sententiarum Thomiſt. 243 Eſt etiam ſententia aliquorum Thomiſtarum, qui quamuis dicãt visionẽ terminari ad Eſsẽtiã Diuinam, & perſonas; nihilominus tenent Beatum beari viſione, quatenus refertur ad Eſſentiam cum attributis, non vero, vt refertur ad perſonas.

1. Argum. & 1. reſp. 244 Et probatur primo hæc ſententia; quia eſſentia Diuina eſt obiectum per ſe primum viſionis, perſonæ autem videntur ratione Diuinæ Eſſentiæ: Ergo, &c. Reſpondetur primò, quod perſonæ ſunt obiectum per ſe primum viſionis beatæ; quia viſio beata eſt viſio intuitiua, quæ debet habere pro obiecto rem, vt eſt in ſe.

2. Reſpõſ. 245 Reſpondetur ſecundò, quod dato, quod perſonæ videantur ratione eſſentiæ, nihilominus etiam perſonæ pertinent ad obiectum primariũ viſionis beatæ, quæ non diſtinguuntur realiter à Diuina Eſſentia, ſicut quamuis in ſono acuto acuties percipiatur ratione ſoni; nihilominus pertinet etiam ad obiectum primarium auditus, quia intrinſecè imbibitur in ratione ſoni.

2. Argum. & reſpõſ. 246 Probatur ſecundò: Perſonæ Diuinæ nullã dicunt perfectionem: Ergo non poſſunt pertinere ad obiectum beatitudinis primariò, & per ſe. Reſpondetur (quidquid ſit de ant.) neg. conſ. quia de intrinſeca ratione Dei eſt, vt ſit Deus Trinus, & Vnus: Ergo, vt talis debet ſpecificare viſionem intuitiuam.

3. Argum. & reſpõſ. 247 Probatur tertiò: Deum eſſe vltimum finem noſtrum eſt attributũ conueniens ei ratione Diuinæ Eſſentiæ, ſicut, & reliqua attributa: Ergo ſufficit ad beandum Deus cognitus quantum ad eſſentiam, & attributum bonitatis. Reſpõdetur, quod Deum eſſe vltimum finem noſtrum eſt attributum conueniens ei ratione Diuinæ Eſſentię, & perſonarum; quia idẽ eſt Deũ eſſe vltimũ finem noſtrũ, ac eſſe beatitudinẽ obiectiuã noſtrã terminantem viſionem beatam.

LECTIO II.

Vtrum beatitudo ſupernaturalis huius uitæ conſiſtat in actu intellectus, uel uoluntatis?

248 POnitur hæc difficultas ad explicandum magis art. S. Th. huius quæſtionis, & vt poſt tractatũ beatitudinis alterius vitæ, prælibemus aliquid beatitudinis huius vitę.

249 Ad cuius difficultatis euidẽtiam aduertendum eſt, quod beatitudo ſupernaturalis huius vitæ dupliciter poteſt cõſiderari ex S. Th. infra q. 69. a. 2. in corp. Vno modo per modũ meriti: Alio modo per modũ inchoationis, & participationis beatitudinis alterius vitæ, vt contingit in Viris Sãctis. Beatitudo per modum meriti dicitur prępparatio, & diſpoſitio, qua homo fit capax beatitudinis alterius vitæ. Beatitudo per modum inchoationis, ſiuè participationis dicitur participatio quædam imperfecta beatitudinis alterius vitæ. Fundatur etiam iſte diſcurſus, quod tota beatitudo ſupernaturalis huius vitæ, conſiſtit in ſpe firma beatitudinis alterius vitæ: Spes autem beatitudinis alterius vitæ, vel fũdatur in meritis, vel in quadam participatione, vel prælibatione illius beatitudinis, ſicut patet de ſpe fructuum, (vt exemplo D. Th. loc. cit. vtar) Aliter enim ſperamus fructus, cum videmus arborem virentẽ, aliter enim cum videmus arborem fructeſcentem: eſt enim maior partici- Animad.

pa-

Digitized by Google

cipatio fructuum hæc, quam illa, & ideo dicit S.Th.p.2.q.6.supra a.1.Dicitur enim aliquis iam finẽ habere propter spem finis obtinendi, vnde Phil.1.Eth.dicit, quod pueri dicũtur Beati propter spem.His notatis.

250 Respondetur primò:Beatitudo supernaturalis huius vitę per modum meriti, consistit in actu charitatis. Probatur: Actus charitatis est actus perfectissimus, quo meremur beatitudinem alterius vitæ: Ergo in actu charitatis consistit.Ita S.Th. loc. sup.cit. 1. Concl. & eius ratio. S.Th.

251 Respondetur secundò:Beatitudo supernaturalis huius vitæ per modum inchoationis consistit in actu intellectus præsupponente habitum charitatis, siuè rectitudinem charitatis.Ita Montes. hic, & colligitur ex S. Th.loc.cit.p.2.q.3.a.2.ad 4. & a.5.in corp.& alibi. 2.Cõclus. Montes.

252 Et probatur primò testim.D. Th.q.3.cit.a.2.ad 4.vbi ait:quod beatitudo huius vitæ magis consistit in vita cõtemplatiua, quam in vita actiua; quia beatitudo debet esse operatio continuata, & stabilis:Vita autem actiua,vt circa plurima occupata,magis interrumpitur.Item art.5.ait:Beatitudo imperfecta, qualis hic haberi potest, primò, & principaliter consistit in contemplatione; secũdariò verò in operatione practici intellectus ordinantis actiones, & passiones humanas, vt dicitur in 10. Eth. Vbi aduerte, quod hæc lectio communiter recipitur, cum sit correctio præcedẽtis alicuius lectionis falsata ex iniuria impressorum, quæ loquebatur de beatitudine alterius vitæ. 1. Ratio.

253 Probatur secundò ratione. Beatitudo supernaturalis huius vitæ per modum inchoationis est participatio beatitudinis alterius vitæ: Sed beatitudo alterius uitæ consistit in operatione intellectus præsupponente rectitudinẽ charitatis: Ergo,& beatitudo supernaturalis huius vitæ, &c.Probatur maior,in qua sola potest esse difficultas: Quia inchoatio alterius rei est quædã participatio illius; sicut flos dicitur inchoatio fructus, & est participatio formalis fructus. 2. Ratio.

254 Confirmatur hęc ratio; quia magis appropinquamus ad beatitudinem per actum intellectus, quam per actum uoluntatis;Nàm tota beatitudo supernaturalis huius uitę consistit in quadam spe firma illius beatitudinis, ad quam magis sumus vicini per intellectum, quam per volũtatem; cum illa consistat essentialiter in actu intellectus, & integraliter in actu voluntatis: Sicut quis magis est propinquus spe ad fructum in sua acerbitate,quam in suo flore. Confirm.

255 Hinc colligitur, quod beatitudo nostra formalis,& supernaturalis huius vitæ consistit, vel in actu fidei formatæ:vel in actu doni sapiẽtię: vel in contẽplatione Diuina: Sed potiùs dico, quod consistit in contemplatione dulcissima Dei,quam experti sunt multi Sancti, & specialiter S. Mater nostra Teresia:Quia talis contemplatio præsupponit maximã charitatem; & est quidam intuitus Dei quietus,& tranquillus, ad quem sequitur maxima delectatio, quod est prælibatio quædam illius supremæ beatitudinis alterius vitæ. Corollar. S. M. N. Teresia.

256 In oppositum est sententia Vasq. hic, Cani lib. 9. de locis cap.9. & Aluarez etiam hoc loco disp. 26. qui dicunt beatitudinem imperfectã supernaturalem huius vitæ consistere in actu charitatis. Sed certè rationes eorum non concludunt nisi primam nostram responsionẽ, & illas adducimus quatenus videtur pugnare contra secundam responsionem. Sententia cõtraria. Vasquez. Aluarez. Cani.

257 Prima ratio est:quia beatitudo supernaturalis huius vitæ est quoddam initium beatitudinis alterius vitæ: sed hoc initium habetur per charitatem: Ergo in actu charitatis consistit. Probatur minor; nàm maior supponitur, vt simpliciter vera,quia initium beatitudinis alterius vitæ habetur per modum meriti, quod formaliter est à sola charitate. 1.Argum.

258 Respondemus ad maiorem huius argumenti, quod initium beatitu- Respõsio.

titudinis alterius vitæ habetur per modum meriti, & per quandam inchoatam participationem; illud primum habetur per charitatem; istud secundum per actum intellectus, siuè per contemplationem.

259 Secũda ratio; quia actus charitatis est actus perfectissimus huius vitę; Ergo in eo debet consistere beatitudo supernaturalis huius vitæ. Respondetur; quod quamuis sit actus perfectissimus huius vitæ, non est cõsecutio immediata obiecti.

2. Argument. & responsio.

LECTIO III.

In quo actu consistat beatitudo naturalis huius uitæ?

260 PRO huius difficultatis resolutione aduertendũ est primò, quod duplex potest esse beatitudo naturalis nostra: Vna obiectiua: Altera formalis.

1. Animaduers.

261 Secundò, quod beatitudo naturalis formalis dupliciter potest cõsiderari, vt supra dictum est de beatitudine supernaturali imperfecta huius vitæ: Vno modo dispositiuè: Alio modo inchoatiuè, siue formaliter.

2. Animaduers.

262 Respondeo primò: Datur beatitudo naturalis obiectiua creaturæ rationalis, & est ipse Deus, vt finis naturalis.

1. Cõclus.

263 Probatur; quia creaturæ in ordine naturæ procedunt à Deo effectiuè: Ergo sunt propter ipsum Deũ etiam tãquam finem naturalem. Probatur consequentia, quia vnaquæq; creatura eo modo, quo exit à Deo, ordinatur ad Deum tanquam ad finem.

Ratio Cõclusionis.

264 Respondetur secundò: Datur beatitudo naturalis formalis: Siuè possibilis est creaturæ rationali beatitudo naturalis formalis.

2. Cõclus.

265 Probatur primò ex D. Aug. relato à Montes. hic, qui lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 11. ait. *Primos nostros Parẽtes fuisse creatos in quadam naturali fælicitate.*

1. Probatio ex D. Aug.

266 Præterea probatur test. D. Th. p. 1. q. 62. art. 1. vbi ait: Angelos fuisse creatos in beatitudine naturali. Et inf. q. 5. art. 1. docet, beatitudinem imperfectam huius vitæ posse obtineri viribus naturę.

2. Probatio ex D. Thoma.

267 Probatur etiam ex S. Th. inf. q. 5. ar. 5. vbi ait: *Dicendum, quod beatitudo imperfecta, quæ in hac vita haberi potest, potest ab homine acquiri per sua naturalia, eo modo, quo, & virtus, in cuius operatione consistit.*

268 Probatur tertiò; quia in homine est naturalis inclinatio ad suum vltimum finem naturalem: Ergo datur, vel est dabilis beatitudo naturalis; alioqui esset frustaneus appetitus naturalis.

Ratio cõclusionis.

269 Confirmatur hęc ratio; quia beatitudo naturalis nil aliud est ex S. Th. quam assequutio proprię perfectionis naturalis: Ergo datur, vel dabilis est talis beatitudo.

Confirm.

270 Respondetur tertiò: Beatitudo huius vitæ dispositiuè consistit in rectitudine voluntatis inducta, & causata per operationes virtutum naturalium.

3. Concl.

271 Ratio huius respõsionis colligitur ex S. Th. inf. q. 4. art. 4. & q. 5. art. 7. Beatitudo naturalis huius vitæ dispositiuè non est aliud, nisi debitus ordo voluntatis ad vltimum finem: Ergo in tali ordine, & rectitudine consistit. Consequentia est clara. Antecedens probatur, & explicatur. Quia ad hoc, vt quis consequatur finem aliquẽ debet esse benè dispositus ad talem finem; quæ quidem dispositio non potest consistere, nisi in voluntate, cum ipsa habeat pro obiecto finem: Et ipse finis comparetur ad voluntatem, sicut forma ad materiam. Vndè sicut materia, si non sit rectè dispositа, non potest consequi formam; ita voluntas non potest consequi suum finem nisi sit rectè dispositа.

Ratio cõclusionis. Ex D. Th.

272 Confirmatur hæc ratio; quia beatitudo supernaturalis huius vitæ, vt patet ex D. Th. in seq. q. 4. & 5. dispositiua consistit in rectitudine vo-

Confirm.

voluntatis cauſata per actus virtutum ſupernaturalium: Ergo beatitudo naturalis huius vitæ conſiſtit in rectitudine voluntatis cauſatæ per virtutes naturales.

4.Cóclus. 273 Reſpondetur quartò: Beatitudo naturalis imperfecta huius vitæ formalis conſiſtit in operatione perfectiſſima intellectus, qua creatura rationalis cognoſcit Deum per Monteſ. creaturas. Ita Monteſ. hic diſp. 5. q. 2. num. 24.

1.Probat. ex Ariſt. 274 Probatur teſtim. Ariſt. 10. Eth. cap. 7. qui dixit: Beatitudinem naturalem conſiſtere in præſtantiſſima contemplatione optimi obiecti intelligibilis.

2. Probatio ex D. Thoma. 275 Probatur ſecundò teſtim. D. Th. inf. q. 4. a. 5. vbi ait. Eſt enim beatitudo huius vitæ operatio intellectus, vel ſpeculatiui, vel practici.

3.Probat. ex ratione. 276 Probatur tertiò ratione ex dictis: Beatitudo formalis debet eſſe aſſecutio finis: Ergo beatitudo naturalis conſiſtit in operatione intellectus, qua creatura ralionalis cognoſcit Deum per creaturas; quia ipſa eſt aſſecutio Dei, vt finis naturalis.

Vltima Cóclusio. 277 Reſpondetur vltimò: In hac vita nullus poteſt eſſe perfectè Beatus etiam beatitudine naturali. Eſt concluſio D. Th. inf. q. 5. a. 3.

Ratio cóclusionis. 278 Et probatur etiam eius ratione, Beatitudo naturalis perfecta huius vitæ excludit omnem miſeriã: Sed nullus in hac vita poteſt eſſe ſine omni miſeria; Ergo, &c. Probatur maior, quia alioqui non eſſet perfectum bonum in ſuo ordine. Minor etiam liquet experientia; hæc enim vita ſubiacet multis malis, quæ vitari non poſſunt nempè, & ignorantiæ ex parte intellectus; & inordinatæ affectionis ex parte volũtatis, & infinitis (vt ita dicam) penalitatibus ex parte corporis.

Sententia oppoſita Vaſquez. 279 Contra hanc doctrinam eſt ſententia Vaſq. hic diſp. 12. cap. 3. & 1. p. diſp. 226. cap. 2. qui dicit nihil eſſe poſſe, neq; in Angelis, neq; in hominibus, quod mereatur nomen beatitudinis.

280 Prima ratio huius ſententiæ eſt; quia beatitudo huius vitæ debet eſſe initium beatitudinis alterius vitæ: ſed beatitudo naturalis non eſt initium beatitudinis alterius vitæ: Ergo non meretur nomen beatitudinis. 1.Fũdam.

281 Reſpondetur, quod beatitudo huius vitæ nõ debet eſſe initium beatitudinis alterius vitæ, neque per modum meriti, neq; per modum inchoationis, ſiuè participationis; quia illa eſt beatitudo ſupernaturalis, cuius nulla res naturalis poteſt eſſe proxima diſpoſitio. Poteſt tamen cõcedi, quod ſit initium illius beatitudinis remotum; hoc eſt, quod creatura rationalis ſit magis capax per negationem cuiuſcunq; impedimenti illius æternæ vitæ. Reſpõſio.

282 Secunda ratio eſt; De ratione beatitudinis eſt, vt ſit immobilis in bono: Sed cum beatitudine huius vitæ poteſt eſſe miſeria peccati: Ergo non meretur nomen beatitudinis. 2.Fũdam.

283 Reſpondetur, quod de ratione beatitudinis alterius vitæ eſt, vt ſit immobilis in bono: Beatitudo autem huius vitæ, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis, non includit immobilitatem in bono; quia poteſt qui ſemel eſt Beatus aliqua ex his beatitudinibus, peccare. Reſpõſio.

284 Confirmatur præcedens ratio; Cum beatitudine naturali huius vitæ poteſt conſiſtere miſeria peccati: Ergo non meretur nomen beatitudinis. Non defuerunt certè Thomiſtæ, qui admiſerunt antec. Sed ego nego ſimpliciter illud cum Mõt. quia beatitudo naturalis etiam præſupponit rectitudinem volũtatis naturalem. Confirm. & reſpõſ. ex Mõteſ.

285 Tertia ratio; Nos non poſſumus beatitudinem naturalem viribus naturæ conſequi: Ergo non poteſt dici beatitudo naturalis. Reſpondetur, quod ad conſequendam beatitudinem naturalem per ſe, quando quis deficeret ab illa, ſufficeret gratia ordinis naturalis. Vnde etiam viri- 3.Fũdam. & 1.Reſp.

Digitized by Google

bus naturæ conſequeremur illam.

2.Reſpõſ. ex Mõteſ. 286 Addo primo cũ Mont.quod ſi Angelus eſſet creatus in ſua pura natura,abſq; dono gratiæ naturalis,poſſet Deum diligere, vt finem naturalẽ ſuper omnia;non verò homo, ſi eſſet creatus in pura natura,ſed ipſe indigeret dono gratiæ naturalis.Et ratio diſparitatis eſt;quia homo ex ſua pura natura non haberet,vt vires inferiores eſſent ſubditæ rationi; Angelus autem eo ipſo,quod eſſet in pura, & integra natura conſtitutus,nõ haberet inclinationes cõtrarias. Addo ſecũdò,quod homo cõſtitutus in pura natura pro aliquo paruo tempore poſſet perſeuerare abſque dono gratiæ naturalis in amore Dei naturali.

4.Fũdam. 287 Quarta ratio;eo ipſo, quod creatura rationalis aſſequuta eſſet Deũ finẽ naturalẽ deberet neceſſitari ad amandum illum, quoad ſpecificationem; Sed nulla cognitio naturalis hoc poteſt dictare: Ergo, &c. Maior patet à paritate beatitudinis ſupernaturalis.Minor probatur; quia certitudo fidei eſt maior quacumq; certitudine naturali,& hoc non dictat.

1.Reſpõſ. 288 Ad hanc rationem reſpondetur primò: quod nos loquimur de beatitunine naturali, quam poſſumus conſequi in hac vita;vndè non vrget contra nos.

2.Reſpõſ. ex Aluar. 289 Secundò reſpondetur cum Aluar. hic diſp. 13. concedendo maiorem de anima ſeparata à corpore. Ad minorem dico, quod cognitio Dei à poſteriori,& per effectus, eſſet ſecundum quid in eo caſu perfectior cognitione fidei, ſcilicet quia adhæreret infleſſibiliter Deo ad modum ſubſtantiarum ſeparatarum. Sed hæc Theologizatio eſt certa iuxtà genium Authoris. Vndè addo, quod in caſu,quo Deus ordinaſſet creaturam rationalem ad ſe,vt Auctorem naturæ, ipſe prouidiſſet de hac impeccabilitate poſt vltimam conſecutionem ſui.



QVAE-

Digitized by Google

QVÆST. IV. D. TH.

De his, quæ ad beatitudinem exiguntur in octo Articulos diuisa?

ARTICVLVS I.

Vtrum delectatio requiratur ad beatitudinem?

1 PRæmittit S.Tho. ad responsionem ad hãc difficultatem, quod quadruplicitèr aliquid potest requiri ad aliud: Vno modo sicut præambulum, vel præparatorium ad illud; sicut disciplina requiritur ad scientiam. Alio modo, sicut perficiens, vt anima ad corpus: Tertiò modo sicut coadiuuãs extrinsecùs, vt amicus ad agendum: Quartò modo sicut concomitans, vt calor ad ignem. His præmissis.

2 Respondet dicens: Non potest esse beatitudo sine delectatione concomitante. Ratio est; quia beatitudo est adeptio summi boni: sed delectatio consequitur ad adeptionem summi boni; nàm causatur ex hoc, quod appetitus requiescit in bono adepto: Ergo, &c.

LECTIO I.

Vtrũ fruitio, siue delectatio sit actus elicitus voluntatis?

3 REspondetur primò: Fruitio est actus voluntatis, non verò intellectus. Ita S.Tho. inf. q. 10. vbi ex professo hoc docet. Probatur testim. D. Aug. lib. 10. de Trinit. cap. 10. vbi ait: Fruimur rebus cognitis, quas amamus, & de quibus delectamur propter seipsas.

Concl. ex D. Aug. & D. Th.

4 Probatur etiam ratione: Fruitio est quies in bono adepto: Ergo pertinet ad voluntatem, quia omnis quies in bono adepto pertinet ad appetitum. 1. Ratio Cõclus.

5 Probatur etiam ratione D. Th. loco sup. cit. Quia Fruitio est circa finem vltimo expectatum: sed finis est obiectum voluntatis: Ergo fruitio est actus voluntatis: Maior, in qua est difficultas explicatur à D. Tho. hoc modo, scilicet, quod fruitio sit denominatio à fructu, & fructus est idem, metaphoricè, ac finis; nàm sicut finis est id, quod vltimò expectatur; ita fructus est id, quod vltimò expectatur, & percipitur ex arbore. 2. Ratio ex D. Th.

6 Respondetur secundò: Fruitio est actus elicitus à voluntate, siue actus effectiuè procedens à voluntate. Est sententia communis Thomistarum. 2. Cõclus.

7 Et probatur primò auctor. D. Th. inf. q. 31. art. 4. vbi expressè ait. Delectatio autem appetitus intellectiui nil aliud est, quam simplex motus voluntatis. Probat. ex S. Th.

8 Probatur secundò ratione, quia delectatio, siue fruitio est operatio vitalis. Prætereà probatur; quia delectatio de bono opere, de gloria Dei, &c. est meritoria: Ergo signum est, quod sit effectiuè à voluntate; alioquin non esset meritoria. Ratio Cõclusionis.

9 Hinc iam colligitur, fruitionem, & delectationem Beatorum, quæ cõsequitur ad visionem Beatam, esse actum elicitum ab eorum voluntate; Corollar.

Digitized by Google

hoc est esse effectiuè, non verò passiuè ab eorum voluntate.

10 Contra primam responsionem nostram est sententia Soti asserentis fruitionem,& delectationem esse actũ intellectus.Cuius sententiæ certè friuolum est fundamentum, scilicet, quod frui sit capere fructum,& mercedem meritorum : sed capere fructum, & mercedem meritorum est actus intellectus;Ergo,&c.

3. Sentẽt. contraria Soti, & eius ratio

11 Sed respondetur,quod frui nõ est formaliter capere fructũ,seù mercedem meritorum,sed tantũ causaliter; nimirum, quod apprehensio, & consecutio fructus, siuè mercedis est causa fruitionis, quæ pertinet ad voluntatem.

Respons.

12 Solet etiam referri sententia D.Bonau.qui in 1.dist.1.ar.2.q.1. dixit fruitionem pertinere ad vtramq; potentiam,& intellectus,& voluntatis; sed si sensus huius sententiæ est, quod fruitio causaliter pertineat ad intellectum, & formaliter ad voluntatem,non est nobis contraria;sin autem,non habet argumẽtum, quo vrgeat nos.

2. Sentẽt. D.Bonau.

13 Contra secundam responsionem est sententia Scoti in 3. dist. 15. quæst.vnica, §. *Aliter potest dici*. Et in 4.dist.49.q.7.qui ait:fruitionem à solo obiecto effectiuè esse causatam in voluntate.Idem dicit de tristitia oppositadelectationi.

3. Sentẽt. Scoti.

14 Probatur primò hæc sententia ; quia delectatio non est volitio, neque nolitio:Ergo non est actio,sed passio voluntatis. Respõdetur, quod si volitio sumatur,vt dicit actum genericum voluntatis, sic fruitio dicitur volitio,quia est actus voluntatis. Nihilominus dico, quod fruitio sit actus quidam specialis voluntatis, scilicet quies, vel complacentia voluntatis in bono possesso.

1.Argum. & respõs.

15 Probatur secundò; quia tristitia causatur passiuè in voluntate ab obiecto:Ergo delectatio etiam.Consequentia patet, quia eadem est ratio contrariorum. Antecedens probatur,quia tristitia nobis nolentibus accidit.

2.Argum.

16 Respondetur ad hoc argumẽtum neg.ant. Ad probationem dico, quod quamuis obiectum sit disconueniens nobis,& contra voluntatem nostram;nihilominus displicentia, & dolor de tali obiecto nos afficiente, est effectiuè à volũtate.Addo etiam, quod dolor de peccatis est nobis expressè,& manifestè voluntarius.

Respõsio.

17 Confirmatur hæc ratio Scoti, quia in Deo , & Beatis non est tristitia peccatorum : Ergo tristitia peccatorum nullum importat actum. Multas adhibent solutiones Auctores huic confirmationi , quæ certè mihi videtur satis debilis.

Confirm.

18 Ego autem respondeo cum Montes.quod in Deo, & Beatis non est tristitia,& dolor peccatorum cum angore,sed quatenus dicit solam , & simplicem displicentiam . In nobis autem tristitia (quæcumq;illa sit) est cum angore.

Respõsio Montes.

19 Probatur tertiò . Ex sola coniunctione obiecti amati, vel odio habiti causatur in nobis delectatio, vel tristitia: Ergo, &c. Respondetur, quod ex coniunctione obiecti amati, vel odio habiti oritur delectatio, vel tristitia actiuè à voluntate.

20 Vltimò potest probari ista sẽtentia testim. D.Th.qui inf. q.31.a.1. ad 1.dicit,quod hæc propositio: *Delectatio est operatio*, non est prædicatio per essentiam,sed per causam.Respõdetur,omissis varijs solutionibus aliorum Thomistarum, quod benè dicitur à D. Th. quod sit prædicatio per causam; quia delectatio causatur ab alia operatione intellectus circa bonũ possessum, scilicet ab adeptione talis bonis.

3. Argument. & respõsio.

Digitized by Google

LECTIO II.

Vtrum delectatio, vel fruitio distinguatur ab amore?

Animad. 21 AD explicationem huius difficultatis noto, quod dupliciter potest considerari amor: Vno modo secundũ quãdã rationem communem, & genericam: Alio modo secundum rationem specificam, & propriam. Primo modo consideratus dicit tãtum velle alicui bonũ. Secundo modo consideratus est tãtum quædam complacẽtia boni, abstrahendo à bono absente, vel præsente, seù quædam proportio appetitus ad bonum. Ita S.Th. inf.q.25.art. 2. in corpore. Vndè colligitur, quod amor in suo esse specifico consideratus respicit bonum secundum se, abstrahendo ab hoc, quod sit præsens, vel absens.

S.Th.

1. Concl. & eius ratio. 22 His notatis respondetur primò: Amor in suo esse generico consideratus non distinguitur à delectatione, vel fruitione. Ratio est, quia illa ratio communis, & generica, scilicet, velle bonum alteri reperitur in amore, in delectatione, & in omni affectu prosecutionis.

2. Cõclus. 23 Respondetur secundò: Amor in suo esse specifico consideratus distinguitur realiter à delectatione, vel fruitione. Ita S.Th. inf.q.25.ar.2. in corp.

Ratio ex S.Tho. 24 Probatur eius ratione: Amor est causa delectationis: Ergo distinguitur ab illa realiter. Consequentia est clara, quia inter causam, & effectum debet esse distinctio realis. Antecedens probatur; quia hoc ipso, quod acquiritur illud, quod amatur, succedit delectatio.

Confirm. 25 Confirmatur discursu S.Tho. Nàm omne, quod tendit ad finem aliquem, primò habet aptitudinem, & proportionem ad finem; & ecce amor: Secundò mouetur ad finem; & ecce desiderium. Tertiò quiescit in fine post eius consecutionem; & ecce delectatio: Ergo delectatio causatur ordine suo ab amore.

Sententia cõtraria ex D.Gregorio. 26 Contra nostram sententiam videtur esse Gregorius in 1. dist. 1. q.2.art.2.concl.2. vbi ait: Amorem secundum essentiam non distingui à desiderio, neq; à fruitione; Sed fortasse intẽdit solum primam nostram responsionem. Quocunq; modo sit.

1. Argum. ex Arist. 27 Probat primò suam sententiã à definitione amoris tradita ab Arist. 2. Reth. cap.4. in principio; scilicet, quod amare sit velle alicui bonum: Sed hæc definitio essentialiter includitur in desiderio, & fruitione: Ergo, &c. Probatur minor, quia qui desiderat bonum futurum sibi, vel alteri vult illud: qui fruitur aliquo bono, fertur in aliquod bonum, quod sibi, vel alteri bonum est.

Respõsio. 28 Respondetur, quod ibi Arist. definiuit amorem secundum rationem genericam, non secundum rationem specificam. Et secundum rationem genericam non distinguitur à commemoratis actibus, vt dictum est in prima nostra responsione.

2. Argum. 29 Probat secundò; quia præsens, vel futurum sunt diffinitiuè accidentales: Ergo desiderium, quod respicit bonum futurum, & gaudium, quod respicit bonum præsens, differrunt tamen accidentaliter ab amore.

Respõs. 30 Respondetur neg. antec. quia bonum futurum est differẽtia essentialis respectu desiderij, & bonum præsens differentia essentialis respectu gaudij. Patet hoc instantia manifesta. Nàm spes est virtus essentialiter distincta à charitate ea solum ratione; quia respicit bonum futurum arduum.

Confirm. & respõs. 31 Confirmatur præcedens ratio; quia amor, desiderium, & delectatio fornicationis sunt peccata eiusdem speciei: Ergo, &c. Respondetur concedendo ant. in esse moris; neg. verò in esse naturæ, quia in esse mo-

Digitized by Google

moris opponuntur vni obiecto virtutis, temperantiæ, siue temperantiæ ipsi, in esse autem naturæ habent diuersa obiecta, vt dictum est.

Replica, & respõs.

32 Vrgebit aduersarius: Etiam spes in esse amoris distinguitur à charitate: Ergo illi actus erũt etiam distincti in esse moris. Respondetur neg. cons. quia in esse moris spes habet obiectum distinctũ à charitate, scilicet Deum, vt bonum futurum arduum; prædicti verò actus habent idem obiectum in esse moris, scilicet delectationem tactus contra regulas temperantiæ.

LECTIO III.

Vtrum obiectum fruitionis, siue delectationis beatificæ sit Deus, an visio Dei, an vtrũq; simul?

33 QVatuor nobis facienda sunt ad huius difficultatis plenam elucidationem: Primò explicandus est titulus: Secũdò notanda sunt duo pro fundamento nostræ materiæ: Tertiò stabilienda est sententia nostra: Et quartò adducendæ sunt sententiæ in contrarium cum suis rationibus, & solutionibus.

Animad. quoad primum.

34 Quoad primum sciẽdum est, quod duplex delectatio, siuè fruitio potest reperiri in Beatis: Vna, quæ consequitur ad amorem amicitiæ erga Deum, & est delectatio de bonis ipsius Dei: Altera, quę consequitur amorem concupiscentiæ erga ipsummet Beatum, & est delectatio de ipsa sua beatitudine, siuè de bonis Dei ipsi Beato bonis. Difficultas procẽdit de delectatione, quæ consequitur ad amorem concupiscentiæ.

1. Anim. quoad secundum.

35 Quoad secundum. Notãdum est primò, quod finis obiectiuus, & finis formalis, siuè res adepta, & adeptio rei constituũt vnã rationẽ finis adęquati. Ita S. Th. inf. q. 11. a. 3. ad 3. vbi habet hæc verba: *Dicẽdum, quod finis dicitur dupliciter: Vno modo ipsa res: Alio modo adeptio rei, quæ quidẽ non sunt duo fines; sed vnus finis in se consideratus, & alteri applicatus.* S. Th.

Ratio animadu.

36 Et ratione probatur primò; quia vnius hominis non possunt esse duo vltimi fines adæquati, & totales. Secundò; quia nullus appetit præcisè rem ipsam, vel præcisè adeptionem rei; sed vtramque simul, & rem, & adeptionem rei; vt patet de auaro, qui appetit non pecuniam solam, sed possessionem, siue adeptionem pecuniæ.

Animad.

37 Notandum est secũdò; quod cognitio rei dupliciter potest considerari: Vno modo, vt finis: Alio modo præcisè, vt *conditio sine qua non.* Tunc consideratur, vt finis, quando ipsa est res volita. Tunc autem, vt conditio, quando ipsa nullo modo est res volita, sed tãtum res illa, ad quam quis ducitur per cognitionẽ. Patet hoc exemplo manifestissimo. Nàm si quis appeteret contemplationem Dei, tunc cõtemplatio esset res volita: Quatenus contemplatio postmodum proponeret ipsi voluntati Dei bonitatem, haberet rationẽ conditionis sine qua non.

38 Notandum tertiò bona specialia non cõsequimur, nisi spirituali modo, scilicet per actum intellectus; sicut corporalia non consequimur, nisi per corporalia. Vndè ipse actus intellectus dupliciter potest considerari: Et vt assecutio, siue possessio rei, & vt conditio, qua ducitur voluntas.

Cõclusio.

39 Quoad tertium: Respondeo difficultati: Fruitio, siuè delectatio beatifica habet pro obiecto immediato, & adæquato Deum clarè visum; ita vt non ipse Deus præcisè, sed vtrumque simul sit obiectum ipsius.

Probat. ex S. Th.

40 Probatur primò testim. D. Th. supra adducto. Itẽ alio testim. infr. q. 31.

Digitized by Google

q.31.a.1.in corp.vbi ait:*Consequi naturalem perfectionem est totum simul.* Demum q.32.a.1.ait.*Ad delectationē duo requiruntur, scilicet consecutio boni conuenientis; & cognitio huiusmodi adeptionis*; Et paucis interiectis subdit. *Bonum conueniens adipiscimur aliqua operatione, ipsa etiam operatio propria est quoddam bonum conueniens.* Vbi notanda duo sunt:1Et quod consecutio vltimi finis pertineat ad vnam rationem finis:& quod ipsa consecutio sit quoddam bonum conueniens appetenti.

41 Ex quibus ista conficitur ratio specialiter contra Caiet,qi u(vt infr. videbimus)vult,quod cognitio sit tātum conditio: nimirum: Ex D. Tho. non solum res adepta, sed ipsa adeptio rei est bonum conueniens appetenti,& habent vnam rationem boni completi conuenientis ipsi appetenti: Ergo fruitio, quæ consequitur ad bonum adeptum, habet vtrumq; pro obiecto: Ergo fruitio Beata erit de Deo viso, siuè de Deo possesso per visionem, tanquam de proximo,& immediato obiecto. 1. Ratio Conclus.

42 Probatur secundò,& coincidit hæc ratio cum præcedenti ratione. Deus visus, & ipsa visio Dei constituunt vnam rationem finis adæquati: Ergo fruitio Beata est de vtraque. Antecedens probatur primò; quia finis, *qui*,& finis, *quo*, seù finis *obiectiuus*, & finis *formalis* constituūt vnam rationem finis. Probatur secūdò exemplo auari: nàm possessio pecuniæ,& pecunia est vnus finis completus respectu auari. Consequentia est nota;quia fruitio est de vltimo fine completo,& adæquato. 2. Ratio.

43 Confiirmatur hæc ratio;quia fruitio,quæ pendet ex amore concupiscentiæ, debet esse de bono coniūcto ipsi appetenti:Ergo fruitio Beata debet esse de Deo cōiuncto ipsi Beato per visionem beatam.Antecedens probatur;quia amor concupiscentiæ est circa bonum vtile,& possidendū. Consequentia est euidens;quia amor concupiscentiæ Beati est circa Deum possessum,& obtētum per visionem: Ergo,& fruitio,quæ ad ipsum consequitur. Confirm.

44 Quoad tertium est prima sententia Durandi nobis contraria, qui in 1.dist.1.q.2.& in 4. dist.49.q.5. ait, visionem beatificam esse proximum obiectum fruitionis; Deum verò esse obiectum remotum,& mediatum. 1. Sentēt. contraria Durandi.

45 Prima ratio ipsius sumitur ex Arist.10. Eth.cap.5.vbi docet: quod delectationes sunt laudabiles,vel vituperabiles ex operationibus, ad quas consequuntur: Ergo operationes sunt obiectum immediatum delectationum. 1.Argum. ex Arist.

46 Respondetur, quod sunt laudabiles,vel vituperabiles ex bono delectabili coniūcto per operationem; quia quæcumq;operatio moralis habet bonitatem,vel malitiam ex obiecto bono,vel malo,circa quod versatur. Respons.

47 Secunda ratio Durandi est; quia fruitio Beata est circa Deum,vt coniunctum Beato per visionem: Ergo visio est obiectum immediatum illius. 2.Argum.

48 Respondetur, quod visio,& Deus visus sunt obiectum immediatum ipsius,quia vtrumq;habet rationem finis completi,vt dictum est.Potest hoc explicari exemplo Caiet. de actione: Nàm sicut actio media inter effectum,& causam non tollit, quin effectus immediatè dicatur esse à causa: ità pariter non tollit visio mediās inter fruitionem,& Deum, quin fruitio immediatè sit circa Deum. Verū hoc exemplum,non vndiq;quadrat, sed est sufficiens aliquo modo ad explicandum intentum, vt considerāti patebit. Respōsio.

49 Tertia ratio Durandi; Obiectum desiderij in via non est Deus secundum se,sed visio Dei:Ergo fruitio,quæ consequitur ad illud,erit immediatè circa visionem solum. Antecedēs probat Durādus, quia Deus non est futurus,sed visio est futura. 3.Argum.

50 Respondetur ad hanc rationem,quod vtrumq; simul sit obiectū desi- Respōsio.

Digitized by Google

desiderij, scilicet visio Dei. Ad probationẽ antecedẽtis dico: quod Deus non est futurus in se, sed futurus Beato, quatenus fruibilis; quia est videndus.

51 Quarta ratio; quia obiectum immediatum tristitiæ damnatorum est carentia visionis Dei, non ipse Deus: Ergo obiectum immediatum fruitionis erit, &c. Respondetur, quod obiectum immediatũ tristitiæ damnatorum est carentia visionis, & ipse Deus non visus. 4. Argum. & respõs.

52 Secunda sententia est; quod obiectum immediatum fruitionis sit ipse Deus, visio autem se habet, vt conditio. Hanc sententiam sequitur Caiet. 2.2. q. 17. art. 5. Med. infr. q. 11. a. 2. Curiel in hoc art. & alij. 2. Sentẽt. Caiet. Medin. Curiel.

53 Probatur primò; Obiectum fruitionis Beatæ debet esse increatum: Ergo non potest esse visio, nisi tãtum, vt conditio. Antecedens probatur; quia debet esse vltimus finis simpliciter: finis autem vltimus simpliciter debet esse increatus. 1. Argum.

54 Respondetur neg. Antecedens simpliciter, & præcisè. Ad probationem dico, quod debet esse vltimus finis possessus. Vbi aduerte, quod respectu fruitionis amicitiæ, visio se habet, vt conditio; respectu autem fruitionis concupiscentiæ, visio est ratio formalis obiectiua. Respõsio.

55 Sed vrgetur ex parte Caiet. quia bruta non delectantur de visione coloris, neq; incontinens de cogitatione rei turpis: Ergo sẽper operatio, siue cognito est tãtum conditio. Respondetur, quod brutum delectatur de visione coloris, & incontines de operatione sua circa obiecta turpia. Replica, & respõs.

56 Probatur secundò; quia obiectum immediatum spei est Deus solum: ipsa autem visio est tãtum conditio: Ergo, & obiectum immediatũ fruitionis erit etiam Deus, & ipsa visio est conditio. Consequentia patet; quia idem est obiectum fruitionis in patria, ac obiectum spei in via. Antecedens probatur, quia spes est virtus Theologica. 2. Argum.

57 Huic argumento respõdet Vasquez, quod obiectũ spei sit id, quod speratur à Deo, non ipse Deus. Reponsio Vasquez.

58 Sed quidquid sit de hac respõsione dico; quod obiectum spei sit ipse Deus clare videndus, & sic obiectũ fruitionis, quę correspondet spei, est Deus clarè visus. 2. Respõs.

59 Sed instabit aduersarius; quia non esset spes dicenda uirtus Theologica, si haberet uisionem Dei pro obiecto: sicut non dicitur uirtus religionis uirtus theologica, quamuis habeat honorem, & cultum Dei pro obiecto. Respondetur neg. ant. quia spes habet pro obiecto immediato Deum, & uisionem tanquam finem *qui*, & finem *quo*: religio autem habet solum pro fine vltimo completo, & adæquato ipsum cultum Dei: Deus enim remotè respicitur. Neq; enim cultus Dei est possessio Dei, sicut visio Dei dicitur possessio Dei; sed ipse cultus possidetur à nobis, & coniungitur nobis. Replica, & respõs.

60 Tertiò, & vltimò probatur hęc sententia; Visio Beata non est cognita alia cognitione: Ergo ipsa erit tãtum conditio. Respondetur, quod in via per aliam cognitionem cognoscimus visionem Beatam, quæ respectu illius dicitur cognitio; Vt patet etiam de cognitione, qua quis in hac vita cognosceret contemplationem Dei esse sibi conuenientem, & bonum. 3. Argument. & 1. respõsio.

61 Addo etiam; quod in patria præcedit alia cognitio reflexa, qua proponitur visio Beata, & est tanquã conditio. Vel ipsamet visio Beata potest habere rationem conditionis, & finis: rationem conditionis, quatenus ipsamet proponit se, vt fruibilem: & finis quatenus est assequutio Dei. Ita Montes. inf. q. 11. a. 4. disp. 15. q. 2. & Vasq. hic. 2. Respõs. Montes. & Vasq.

62 Dic breuiter pro solutione huius rationis, quod cognitio proponens, *vt conditio* visionem Beatam, sit cognitio fidei in hac via; quatenus postea habetur in Patria: Vndè nõ est necesse dari aliam cognitionẽ ipsius,

sed

Digitized by Google

sed ipsa sufficit, vt sit adeptio Dei, & reflectat supra semetipsum cognoscendum seipsum.

LECTIO IV.

Quodnam sit principium elicitiuum fruitionis Beatæ?

63 DEterminatum est in præcedenti lectione, quodnam sit eius obiectum; sequitur modo determinandum, quod sit eius principium.

Animad. 64 Quocirca aduertendum est, quod etiam hic, vt in præcedenti lectione loquuti sumus, loquimur de fruitione, quæ pendet ab amore concupiscentiæ; nam certum est, quod fruitio, quæ est de bonis Dei, vt ipsi Deo bonis, est ab habitu charitatis.

1. Concl. & eius ratio. 65 Respõdetur ergo: Fruitio, qua Beatus fruitur Deo clano visu, vt sibi bono, procedit ab habitu charitatis. Probatur: Quia amor, quo quis diligit se in patria, & Deum, vt sibi bonum, procedit ab habitu charitatis: Ergo fruitio, quæ consequitur ad talem amorem. Consequentia videtur nota. Antecedens probatur primò, quia nullus alius habitus videtur ponẽdus: Secundò, quia ex S. Th. infr. q. 26. ar. 4. amor concupiscentiæ est respectu boni, quod alteri, vel nobis concupiscimus: Amor autem amicitiæ est respectu eius personæ, cui bonum concupiscimus; qui possunt procedere ab eodem habitu, nam nullam difficultatẽ addit amor concupiscentiæ supra amorem amicitiæ.

66 Ratio huius doctrinę colligitur à S. Th. ex Arist. qui ait, quod amor est velle alteri bonum.

Confirm. ex D. Th. 67 Confirmatur hæc ratio ex doctrina D. Th. pluribus locis tradita, cum de virtutibus in communi, & in particulari agit: Quia quotiescumq; non est peculiaris difficultas ad eliciendum aliquem actum, sufficit habitus illius virtutis, qui habet affinitatem cum tali actu; E. g. simplex amor castitatis, & delectatio, quæ consequitur ad ipsum, quamuis ob carentiã specialis difficultatis non indigeat habitu; nihilominus dicitur esse à virtute castitatis, quia habet affinitatem peculiarem cum illa: Ergo pariter amor concupiscentiæ, & fruitio beata consequẽs ad illam, quamuis non habeant peculiarem difficultatem, vel rationem, ob quam exigunt peculiarem habitum, debẽt procedere ab habitu charitatis, quæ habet affinitatem peculiarem cum illis.

2. Ratio. 68 Probari potest secundò, quia Beatus diligit se habitu charitatis, quatenus est aliquid Dei: Ergo secundariò habitus charitatis potest inclinare ad diligendum bonum Diuinum sibi. Antecedens patet ex S. Th. 2. 2. q. 25. ar. 4. vbi dicit, quod charitas, vt est peculiaris amicitia erga Deum, potest esse circa semetipsum, quà ipse est aliquid Dei. Consequẽtia videtur nota; quia talis actus secundarius, nullo modo repugnat actui primo charitatis, qui est circa Deum propter semetipsum. S. Th

69 Sed cõtra hanc rationem potest esse una obiectio ex S. Th. eodem art. in corp.

Obiectio, ex D. Th. 70 Nam ibi dicit, quod *sicut de principijs non habetur scientia, sed aliquid maius, scilicet intellectus*: ita ad semetipsum non habetur amicitia, sed aliquid maius. In quibus verbis videtur ponere quendam habitum in voluntate respectu proprij boni ad semetipsum, sicut in intellectu habitum intellectus respectu primorum principiorum: Ergo etiam in Patria beata deberet poni quidam specialis habitus in Beato præter charitatem, quo amaret semetipsum, & frueretur bono diuino, vt sibi bono.

Respõsio. 71 In hoc remitto me viris doctis; cũ antecedẽs non est adeo clarũ ex mẽte D. Th. nam ad amandũ semetipsũ nul-

nulla est peculiaris difficultas. Vnde nulla esset cõsequentia. Addo, quod admisso tali habitu, benè posset in patria talis habitus suppleri per charitatem, & sic non esset ponendus alter habitus.

72 Nota hìc, quod sunt variæ sẽtentiæ de habitu primorũ principiorum. Prima asserit esse acquisitum. Secunda esse à natura. Tertia partim à natura, & partim acquisitum. Animad.

73 Quidquid sit de hoc; Nullo modo ego ponerẽ habitum in volũtate super additum ad amandum semetipsum; Quia voluntas naturaliter inclinatur ad bonum proprium. Et testimoniũ D. Th. hoc non euidenter cõuincit; quia dispar est ratio de habitu intellectus, & amoris erga seipsũ; nàm nullus habet speciem cõgenitam, quibus agnoscat; Verùm vniusquisq; habet potentiam volitiuam, qua inclinatur naturaliter ad bonum proprium conseruatiuum fuisse.

74 Contra hanc nostram responsionem est Pater Suarez, qui 3. p. q. 7. ar. 4. tractans eandem difficultatem de principio elicitiuo dilectionis beatificæ animæ Christi, dicit illud esse habitum spei. Sententia contraria Suarez.

75 Vt autem probet hanc suam opinionem dicit, quod virtus spei habet quatuor actus circa Deum, quatenus est bonum nostrum amabile amore concupiscentiæ. Primus est amor, Secundus desiderium; Tertius spes; Quartus delectatio. Et quod in patria remaneat spes solùm quoad amorem, & delectationem, non verò quoad reliquos duos actus.

76 Sed certè reijcitur hæc sententia ex communi sensu Theologorũ, qui 2. 2. q. 18. a. 2. cum D. Th. dicunt habitum spei nullo modo remanere in Beatis. Et ratio est; quia habitus iste infunditur nobis à Deo propter actum sperandi primariò, & principaliter, qui solum habet specialem difficultatem, & cessat in Patria, cum iam possideatur bonum speratum. Impugn. hæc sent.

77 Ratio autem, quæ potest militare aduersus nostram sentẽtiam est; quia habitus charitatis respicit Deũ secundum se, & propter se; Ergo non potest se extendere ad actum amoris concupiscentiæ, qui non respicit Deũ propter se, sed vt vtilem, & bonum ipsi Beato. Argum.

78 Respondetur neg. consequentiam; nàm secundariò potest charitas se extendere ad actum amoris concupiscentiæ propter coniunctionem, quam habet cum amicitia vtili in ratione amicitiæ. Neq; est vllum inconueniens, quod duo actus specie inadequata distincti conueniant eidem habitui, vt patet de actibus aliarum potentiarum. Respõdetur.

79 Contra nostram sententiam videtur esse etiam Scot. in 1. dist. 1. q. 4. quatenus ad probãdum, quod beatus possit cessare ab actu amoris, vtitur hoc argumento; Quia, si Beatus nõ haberet habitum charitatis, etiam eliceret actum fruitionis: Ergo ad eliciendum actum fruitionis in Patria, non requiritur habitus, sed sufficit auxilium, siue motio supernaturalis Dei. Scotus est cõtrarius.

80 Respondetur, quod quamuis possit elici actus fruitionis sine habitu, cum solo auxilio, vel motione Dei supernaturali; requiritur, vt in illa Patria beata etiam potentiæ sint benè dispositæ per habitus. Sententia opposita Mõtesini.

81 Contra etiam est sententia Montes. infra art. 4. disp. 6. q. 7. n. 115. vbi negat habitũ delectationis. Prima ratio ipsius est, quod ad delectationem sufficit ille habitus, qui est ad operationem, ad quam sequitur delectatio. 2. Ratio Montes.

82 Ratio secunda, quia omnis habitus, siue acquisitus, siue infusus ponitur ad faciliter operandum; Sed delectatio sequitur ex natura rei, & sine vlla difficultate ad operationem: Concludit ergo, quod sufficit habitus luminis gloriæ ad visionem, vt sequatur delectatio. 2. Ratio.

83 Hæc opinio probabilis est, & etiam nostra. Et ad eius rationes dici potest, quod charitas ponitur ad rectè disponendum potentiam in ordine ad delectationem. LE-

Digitized by Google

LECTIO V.

An Beatus possit cessare ab amore, & fruitione Beata?

84 IN hac difficultate duo supponuntur, vt certa: Primũ est, quod de facto beatitudo nostra erit perpetua sic Deo disponente. Patet ex mille locis Sacræ Scripturæ, præcipuè ex illo Ioan. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Et ex illo Psal. 83. *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te*: Secundum est, quod actus amoris, & gaudij erit necessarius quoad specificationem: Quia non potest Beatus videns Deum odio habere illum, vel tristari de sua beatitudine. Tota difficultas cõsistit in hoc: An Beatus supposita clara visione Dei ab intrinseco possit cessare ab actu amoris, vel fruitionis: An vero hi actus sint ex intrinseco necessarij etiam quoad exercitium?

85 Et respondetur primò: Per Diuinam potentiam potest Beatus cessare ab actu amoris, vel fruitionis. 1. Cõclus.

86 Probatur primò; Quia actus amoris, & fruitionis distinguntur realiter ab actu visionis, & exigũt cõcursum specialem Dei: Sed potest Deus cessare à tali concursu: Ergo etiã possunt cessare tales actus remanente sola visione. 1. Ratio

87 Probatur secundò; Quia visio est prior actibus amoris, & fruitionis, & indepẽdens ab eis: Ergo potest Deus conseruare solam visionem, non conseruatis actibus amoris, & fruitionis. Antecedens est verum. Consequentia probatur; Quia quando vnum est prius altero, & indepẽdens ab illo, potest esse sine illo. 2. Ratio

88 Respondetur secundò; Beatus de facto, & ab intrinseco non potest cessare ab actu amoris, & fruitionis beatæ. Ita communiter Thomistæ hìc, & etiã alij Theologi extra Scholam D. Th. 2. Cõclus.

89 Probatur vnica ratione fundamentali sumpta ex D. Tho. lib. 3. cont. Gent. cap. 62. ratione 5. & 6. Beatus posset cessare ab actu amoris, & fruitionis, ex eo, quod posset cessare à visione: vel quia stante visione posset cessare ab ipsis actibus amoris, & fruitionis: Neutrum potest dici: Ergo non potest cessare ab actu amoris, & fruitionis. Ratio Cõclusionis ex S. Th.

90 Minor probatur, quoad primam partem, scilicet quod non possit cessare à prædictis actibus, quia cessaret à visione: Nàm nullus potest nolle suam beatitudinem, vel se esse fælicẽ: sed visio beata est nostra beatitudo, & nostra fælicitas: Ergo. Probatur minor, quoad 1. partem.

91 Probatur minor, quoad secũdam partem, scilicet, quod stãte beatitudine non possit cessare ab amore, & fruitione: Quia eatenus posset cessare ab istis actibus, quatenus apprehenderet in ipsis aliquam rationem mali; vel aliquam rationem impeditiuam maioris boni: Sed nullam rationem ex istis potest in eis apprehendere: Ergo nullo modo potest ab ipsis cessare. Maior est certa; Quia sicut voluntas, quidquid appetit, appetit sub ratione boni; ita quidquid fugit, fugit sub ratione mali, vel sub ratione impeditiua maioris boni, quod etiam est aliquod malum. Minor autem est certa, quia illi actus sũt optimi, ad quos homo potest peruenire, & visio beata facit eos cognoscere, vt in se sunt summè boni. Hac etiam ratione vtitur S. Th. inf. q. 5. a. 4. ad probandum, quod beatitudo nõ potest amitti: Et est secunda in ordine. Probatur minor, quoad 2. partem.

92 Contra primam nostram responsionem est sententia Henrici, quodlibet 12. q. 5. qui distinguit visionem beatificam in practicam, & speculatiuam: Et quatenus est practica, dicit, quod non potest per Diuinã potentiam separari ab amore, & fruitione; Quatenus verò est speculatiua potest separari. Aliqui alij Theologi dicunt simpliciter, quod per Diuinã potentiam non possit separari visio 1. Sentẽt contraria Henrici.

Digitized by Google

ab amore, & fruitione beata, vt est
Aegidius. Ægidius.

93 Probatur hæc sententia hac
Vnicum argum. & respon. vnica ratione: Visio beata; & amor; & fruitio habent necessariam connexionem in vno tertio, scilicet in Deo claro viso: Ergo eo ipso, quod ponitur visio, debet poni amor, & fruitio. Sed certè friuola est hæc ratio; quia ista cõnexio in vno obiecto non est essentialis.

94 Confirmatur à contrarijs, &
Confirm. & respõs. explicatur magis hæc ratio: Quia obiectum visionis est obiectum amoris, & fruitionis: Ergo posita visione cum suo obiecto debet poni amor, & fruitio. Respondetur, quod obiectum visionis sit obiectum amoris, & fruitionis sub diuersa ratione. Vndè potest vnus actus esse sine altero.

95 Contra secundam responsio-
2. Sentẽt. contraria Scoti. nem est Scotus relatus à commentatoribus super istũ art. qui dicit, quod Beatus non necessitatur ad amãdum Deum in patria, quoad exercitiuum; sed liberè, & contingenter fertur in illum.

96 Probat primò suam senten-
1. Argum. & respõs. tiam; Voluntati nullo modo competit ab intrinseco, vt necessariò diligat Deum: Ergo, &c. Probatur antecedens, quia ipsa est vnica potentia libera: Ergo vnus modus operandi liberè ei conuenit. Respondetur neg. ant. Ad probationem dico; quod voluntas, quamuis sit vnica potentia, operatur, vt natura, & vt libera, siuè determinatè ad vnum, & indifferenter: Sicut idemmet intellectus vnica potentia est, & prima principia intelligit sine discursu, cõclusiones verò cum discursu.

97 Probat secundò: Volun-
2. Argum. tas in hac vita liberè elicit amorem erga summum bonum cognitum obscurè per fidem; Ergo etiam in Cœlo, quamuis clarè illud cognoscatur. Probat consequentiam, quia diuersa applicatio eiusdem obiecti per cognitionem claram, & obscuram, non est sufficiens ad variandũ istos actus.

98 Ad hoc arg. negatur conse-
quentia. Ad probationem dico, quod diuersa applicatio obiecti est sufficientissima ad variandum actus eiusdem potentiæ volitiuæ, non verò ipsam potentiam, vt patet: nàm bonum apprehensum *vt absens* causat desiderium: Apprehensum *vt præsens* causat fruitionem. Et potest hoc explicari exemplo naturali: Etenim si eidẽ igni applices stuppam, statim incendit; si applices lignum viride, non statim incendit. Respõsio.

ARTICVLVS II.

Vtrum in beatitudine sit principalior visio, quam delectatio?

99 REsponsio D.Th. est: Oportet, quod operatio intellectus, quę est visio, sit potior delectatione. Ratio est, quia delectatio causatur à visione: Ergo principaliter est visio, quam delectatio. Consequentia patet; quia potior est causa effectu. Antecedens probatur: Delectatio est quietatio voluntatis in aliquo bono: sed hæc quietatio procedit à bonitate operationis: Ergo.

100 Confirmatur etiam ista ratio; Voluntas non quęrit bonum, scilicet, operationem bonam propter quietationem, vel delectationẽ; quia sic ipse actus voluntatis esset finis, quod est contra præmissa.

101 In responsione ad secundum dicit Sanctus Th. quod secũdum appetitum sensitiuum, qui est in animalibus, operationes quærũtur propter delectationem: Sed secũdum ordinẽ appetitus intellectiui delectationes appetuntur propter operationem. Ratio est: Quia intellectus apprehendit vniuersalem rationem boni, ad cuius consecutionem sequitur delectatio; Vndè appetitus rationalis

prin-

Digitized by Google

principalius intendit bonum, quam delectationem.

102 Hinc infert S. Th. (& est hæc illatio etiam confirmatio prædictæ doctrinæ) quod Diuinus intellectus, qui est institutor naturæ delectationes apposuit propter operationes.

LECTIO VNICA.

An delectationes sint appetibiles propter se; an verò propter operationem, ad quam sequuntur?

103 PRO huius difficultatis explicatione noto primò; quod aliæ sunt delectationes spirituales: Aliæ sensibiles. Spirituales dicuntur illæ, quæ consequuntur ad operationem spiritualem de obiecto honesto, & spirituali, & sũt ab appetitu rationali, & recipiuntur in ipso appetitu rationali: Sẽsibiles verò dicũtur illæ, quæ consequuntur ad operationem sensibilem de obiecto sensibili, & sunt ab appetitu sensitiuo, & recipiũtur in ipso appetitu sensitiuo. 1. Animaduers.

104 Noto secundò, quod delectationes sensibiles dupliciter possunt appeti: Vel appetitu honesto, & rationali: Vel appetitu sensitiuo, & brutali, cuiusmodi est in brutis. His notatis venio ad difficultatem. 2. Animaduers.

105 Et respondetur primò: Delectationes spirituales: vt est delectatio de visione beata: delectatio de opere virtuoso, sunt propter se appetibiles appetitu honesto. 1. Cõclus.

106 Ratio est, quia delectationes spirituales sunt bonæ, & honestæ: Ergo sunt propter se appetibiles appetitu honesto. Consequẽtia patet. Antecedẽs probatur, quia sunt de obiecto honesto, & bono, vt supponitur. Ratio cõclusionis.

107 Confirmatur, quia delectatio, quæ sequitur ad visionem beatã; delectatio, quæ sequitur ad contemplationem, & sic de alijs, sunt honestæ, quia sunt de obiecto honestissimo: Ergo, &c. Confirm.

108 Sed contra istam responsionem potest esse vna obiectiuncula incidẽs, nimirum: Actus, vt sit honestus debet respicere ipsam honestatem: Ergo actus, quo quis appetit delectationem secundum se, non est honestus. Obiectio.

109 Respondetur, quod dùm quis appetit delectationem de obiecto honesto, appetit implicitè ipsam honestatem. Respõsio.

110 Respondetur secundò. Si fiat comparatio inter delectationem spiritualem, & operationem ad quam consequitur, magis appetibilis est ipsa operatio, quam delectatio. 2. Cõclus.

111 Probatur ratione D. Tho. in hoc art. Quia magis appetibilis est causa, quam effectus: sed operatio est causa delectationis: Ergo magis appetibilis est operatio, quam delectatio, quæ sequitur ad ipsam operationem. Maior patet; quia principalior est causa, quam effectus, & per consequens appetibilior. Minor etiam est clara, nàm delectatio est quies appetitus in bono adepto per operationẽ. Cons. est legitima. Ratio cõclusionis ex S. Th.

112 Hinc infertur cum Montes. hic, quod non est peccatum appetere operationes spirituales propter delectationes, quæ consequũtur ad ipsas. Tùm quia delectationes spirituales, vt dictũ est, sunt bonæ secundum se, & honestæ. Tùm quia, sicut non tenetur quis semper velle maius bonum: ita non tenetur ordinare semper minus bonum ad maius bonũ. Et quamuis videatur aliqua peruersio ista, quod quis ordinet operationem ad delectationem, cum delectatio sit natura sua ordinata ad operationẽ, nihilominus non est sufficiens ad vitiandum actum; cum quis non teneatur semper illam seruare. Corollar. & eius ratio.

113 Confirmatur etiam ista ratio vltima, quia potest quis ordinare actum iustitiæ ad virtutem temperãtiæ. E.g. restituere alienum, vel soluere debitum, vt viuat magis temperatè Confirm.

tè: Ergo etiã ordinare licitè operationem ad delectationem, quæ ad ipsam sequitur.

3. Concl. 114 Respondetur tertiò: Delectationes sensibiles consequentes ad operationem licitam; vt ad actũ coniugalem, & comestionem, non sunt propter se appetibiles, appetitu rationali recto, sed solum propter operationes, ad quas sequuntur.

1. Ratio ex S.Th. 115 Probatur primò testimonio, & ratione simul D. Th. in resp. ad 2. huius art. quia Deus author naturæ instituit delectationes istas propter ipsas operationes: Ergo appetitu rationali recto non possunt esse volitæ, nisi propter ipsas operationes, ad quas sequuntur: alioqui peruerteretur ordo institutus ab authore naturæ in ipsis.

2. Ratio 116 Probatur secundò: quia hæ delectationes ex se nõ sunt honestæ, sed solum ex operatione, ad quam ordinantur: Ergo ex se non sunt appetibiles appetitu honesto, sed solum propter operationem, ad quam sunt ordinatæ.

3. Ratio. 117 Probatur tertiò: quia ex sententia omnium Theologorum actus coniugalis propter solam delectationem est peccatum veniale. Similiter comestio, & potatio propter solam delectationem est peccatum veniale: Ergo &c.

4. Concl. 118 Respondetur quartò: Delectationes sensibiles sunt appetibiles propter se à brutis: seù delectationes sensibiles sunt propter se appetibiles appetitu sensitiuo, vel brutali, & in esse naturæ.

1. Ratio ex S.Th. 119 Est dicta conclusio D.Th. in resp. ad 2. Et probatur; Quia bruta non appetunt aliud bonum, nisi delectabile secundum sensum: nam non appetunt bonum honestum, neq; bonum vtile, cum non cognoscant rationem boni.

2. Ratio ex S. Th. 120 Probatur secundò ratione D. Th. pro præcedenti responsione adducta è contrario assũpta. Quia Deus cõstituit delectationem pro fine appetitus brutalis: quamuis ex alia parte sit medium ad cõseruationem speciei, vel indiuidui: Ergo &c.

1. Argum. ex Arist. & D.Th. 121 Contra primam responsionẽ est primum argumentum sumptũ ex Arist. 10. Eth. cap. 2. & ex D.Th. sup. q. 2. a. 6. ad 1. nimirũ, quod voluptas in vniuersum sit propter se appetibilis: Ergo non solum delectationes spirituales. Ant. patet, quia Arist. ait: Stultũ est quærere propter quid aliquis quærat voluptatem. Et S. Tho. ait: Delectationem esse propter se appetibilem.

Respõsio. 122 Respondetur quod hæc testimonia sunt intelligenda iuxta primã, & quartam responsionem, nimirum quod delectationes spirituales sunt propter se appetibiles appetitu rationali; delectationes autem sensibiles sunt propter se appetibiles appetitu sensitiuo.

2. Argum. ex S. Th. 223 Secũdum arg. est, quia S. Th. inf. q. 34. a. 3. docet aliquam fruitionẽ esse bonum optimum, inter bona humana, sicuti est fruitio Dei: Ergo ex se est appetibilis.

Respõsio. 124 Respondetur, quod hæc fruitio ex mente D. Th. sit bonum optimum ex parte obiecti, quia est circa Deum summum bonum. Et hæc est propter se appetibilis, sed magis ipsa operatio, à qua pendet ex natura rerum.

3. Argum. 125 Tertium argumentum, quia inanimata appetunt quietẽ per se, sicut etiam animata, & bruta appetũt delectationem, quæ est quædã quies in bono proprio: Ergò etiam creaturæ rationales appetũt delectationem in bono proprio, quæ est quædam quies.

Respõsio. 126 Respondetur, quod appetitu rationali delectationes spirituales sũt per se appetibiles, sed magis operationes, à quibus ipsæ pendent, cũ appetitus rationalis reguletur ratione, qua cognoscit hanc dependentiam ex ipsa natura rerum importatam.

4. Argum. & resp. 127 Contra quartam responsionem potest esse argumentum. Quia delectationes sensibiles etiã pendent natura sua ab operationibus, ad quas sequun-

Digitized by Google

sequuntur: Ergo ipsæ operationes sunt ex se appetibiles, & delectationes propter operationes. Respondetur quod talis dependentia non cognoscitur à brutis; Et quamuis delectationes dependeant ab operationibus; nihilominus à Deo ipsæ delectationes sũt constitutæ, vt finis appetitus sensitiui.

ARTICVLVS III.

Vtrum ad beatitudinem requiratur comprehensio?

128 Respondet D. Th. Necesse est ad beatitudinẽ ista tria concurrere, scilicet Visionẽ, quæ est perfecta cognitio finis intelligibilis: Comprehensionem, quæ importat præsẽtiam finis: Delectationem, vel fruitionem, quę importat quietationem rei amantis in amato.

129 Probat; quia necesse est, quod ea, quæ requiruntur ad beatitudinem, accipiantur ex ipso ordine ad vltimum finem: sed ad finem vltimum ordinatur homo per fidem, quæ est cognitio imperfecta, cui correspondet Visio: per spem, quæ est quædam habitudo amantis ad amatum præsentialiter habendum, cui correspõdet Comprehensio: per amorem, qui est primus motus voluntatis in aliquid prærequisitus, etiam quodamodo ad spẽ, cui in beatitudine patriæ respõdet delectatio: Ergo &c. Minor probatur, & explicatur à D. Th. Quia ad finem intelligibilem ordinatur homo partim per intellectũ, partim autem per voluntatem: Per intellectum, in quantum in intellectu præexistit aliqua cognitio finis imperfecta: Per voluntatem, primò quidem per amorẽ: secundò per habitudinem amantis ad amatum, hoc est per habitudinẽ spei ad ipsum habendum præsentẽ.

130 In responsione ad 1. dicit; quod comprehensio dicitur dupliciter: Vno modo inclusio comprehẽsi in comprehendente: Alio modo nominat tentionem alicuius rei, quæ iam præsentialiter habetur.

131 In responsione ad tertium dicit; quod comprehensio (intellige prout est dos Animæ) non est aliqua operatio propter Visionẽ, sed quædam habitudo ad finem iam habitũ. Vnde videtur colligi, quod cõprehensio, vt est dos animæ, nõ sit operatio, sed habitudo voluntatis ad rem visam, vel possessam.

LECTIO VNICA.

An tres sint dotes animæ, & quænam illæ sint?

132 Agunt Doctores super istũ art. de animę dotibus: infra autem art. 6. de dotibus corporis. Nos etiam sequẽtes eorum morem, hìc agemus de dotibus animæ gloriosæ, infra etiam art. 6. acturi de dotibus corporis glorioſi. Pro cuius rei explicatione primò dicam quid sit dos animæ. Secundò statuam meã sententiam aliquibus conclusionibus: Et tertiò adducam aliquas sententias in contrarium, quas breuiter reijciam.

133 Quoad primũ sciendum est: Quod dos animæ gloriosæ est ornamentum quoddã, vel donum, quod tribuitur à Deo tanquam à Patre, vel à Christo tanquam à Sponso ipsi animæ, dum traducitur in gloriam, vel patriam, tanquam in propriam domum ipsius spõsi sui Christi. Est enim inter Christum, & animam matrimonium quoddam spirituale ex communi sensu Theologorum super istum art. & in 4. dist. 49. in hac vita ratum, & in altera cõsumatum; hoc est contractum per fidem Animad. uersio.

fidem iuxta illud: *Sponsabo te mihi in fide in sempiternum.* Et consummatum per gloriam.

134 Vnde sicuti sponsæ quando traducitur in domum sponsi solemniter, datur dos à Patre, vel à Sponso (solent enim etiam mulieres dotari à Sponsis) ad ornamentum, & sustentationem domus, & familiæ. Ita quoque anima fidelis solemniter traducitur in Cælum, dantur ei à Deo tanquam à Patre, vel à Christo tanquam à Sponso, quædam dotes ad ornamentum, & sustentationem ipsius (vt ita dicam) in gloria Beatorum. Etenim dotes animæ beatæ dicuntur metaphoricè dotes, ducta metaphora à dote, quæ tribuitur fœminæ dum traducitur solemniter in domum Sponsi. l. Dotis ff. de iure dotium.

1. Cõclus. 135 Quoad secundum; Respondetur primo tres esse animæ dotes, scilicet Visionem: Delectationem: Et Comprehensionem. Est conclusio D. Tho. in hoc artic. & probatur eius ratione.

Ratio Cõclusio ex D. Th. 136 Quia dotes animæ glorioſæ correspondent tribus motibus, quibus ipsa anima mouetur in Deum dum est in via: Sed tres sunt isti motus, quibus ipsa anima mouetur in Deum, dum est in via, scilicet Fides, Spes, & Charitas: Ergo tres sunt dotes; quæ correspondeant istis tribus motibus: scil. Visio, Delectatio, Et Comprehensio. Visio fidei: Delectatio Charitati; Et Comprehensio Spei.

Probatur maior. 137 Maior est certa apud omnes Theologos, & probatur etiam, & explicatur. Quia dotes animæ glorioſæ, quãtis ordinentur ad vniendam perfectè animam cum Deo, nihilominus habent quodãmodo rationem termini respectu motuum, quibus ipsa mouetur in Deum dum est in via, & subintrãt in locum ipsarum; Ita sicut matrimonium consumatũ succedit rato, ita dotes matrimonij consumati debent succedere, & correspondere dotibus matrimonij rati; quæ quamuis in rigore dotes non dicantur, quia dos rigorosè dicta dicitur illa, quæ datur, dum sponsa traducitur in domum sponsi; nihilominus aliquo modo motus, quibus anima in hac vita tendit in Deum, debent dici dotes, quia ordinãtur ad vnionem cum ipso Deo.

Probatur minor. 138 Minor etiam patet: Quia per virtutes theologicas anima in hac vita mouetur in Deum immediatè. Cons. est etiam nota: quia Visio est illa, quæ proportionatur, & correspondet fidei: nam cognitio clara correspondet cognitio obscuræ: Delectatio etiam est, quæ respondet charitati: nam ipsa sequitur ad amorem rei absentis: Demum Comprehensiõ est, quæ correspondet spei, quia ipsa est tentio rei speratæ, vt iam præsentis.

Ex Dictis iam clarè infertur, quænam sint dotes animæ, & satisfit secundæ parti difficultatis. Et sic.

2. Cõclus. 139 Respondeo secundò. Dotes animæ glorioſæ sunt Visio, Delectatio, Et Comprehensio: Siue Visio, Delectatio, Et Comprehẽsio solum, debent dici dotes.

1. Ratio Conclus. 140 Probatur primo hæc conclusio, remouendo eos actus, qui dici possunt dotes. Primò enim Charitas, siue dilectio charitatis non potest dici dos: Quia dos datur sponsæ, dum traducitur in domum viri: Sed charitas iam collata fuit in via: Ergo non potest dici dos. Idem dicitur de actu dilectionis, vt sic, scil. vt abstrahit à bono præsenti, vel absenti: nam ipse etiam collatus fuit animæ in via.

Aduersariorũ Responsio. 141 Dicet aliquis: Dilectio charitatis habet firmam adhæsionem erga Deum in præsentia, quam non habebat in via: Seu actus dilectionis in via est liber, & in Patria est necessarius: Ergo nouiter datur: Ergo habet rationem dotis.

Impugnatio resp. 142 Sed contra: quia ista modus firmæ adhæsionis non variat substãtiam charitatis. Præterea: quia ad rationem dotis requiritur, vt quantum.

Digitized by Google

tum ad substantiam non fuerit in via. Demum, quia necessitas charitatis prouenit ex ipsa clara visione Dei.

143 Secundò etiam securitas non potest dici dos: Quia eatenus securitas dicitur dos in sententia eorum, qui hoc tenent, quatenus est tentio: Sed securitas nullo modo potest dici tentio: Ergo, &c. Probatur Minor, quia securitas supponit tentionem, nam ideò dicitur Beatus securus, quia est certus, quod non amittet vlterius quod tenet. Intellige hìc securitatem, quæ reddit Beatum certum vlterius non amittendi Deum.

1. Probatio 1. Rationis.

144 Confirmatur hæc ratio: quia dos est immediatè de Deo: At securitas est de ipsis actibus beatificis: Nam est de visione, & fruitione: ergo, &c.

Cónfir.

145 Probatur ergo modò secundò conclusio de ipsis actibus visionis delectationis, & comprehensionis positiuè. Quia Visio: Delectatio, & Comprehensio dantur in patria, vt patet; Visio enim nouiter incipit in patria; In via enim per fidem ambulamus: Delectatio similiter incipit in patria; quia ibi fruimur bono, quod amabamus, vel desiderabamus: Comprehensio demum incipit in patria, quia ibi tenemus vt præsens, quod in via sperabamus vt absens, & futurum.

2. Ratio Cõclusionis.

146 Respondeo tertiò: Comprehensio, de qua hìc loquimur, siue comprehensio, quæ dicitur dos, non est actus intellectus, neque voluntatis, sed habitudo voluntatis ad finem iam possessum, vel Deum clarè visũ. Ita S. Th. p. p. q. 12. a. 7. ad 1. & in hoc art. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quod comprehensio non est aliqua operatio præter visionem: Sed quædam habitudo ad finem iam habitum; Vnde etiam ipsa visio, vel res visa, quæ præsentialiter adest, obiectum comprehensionis est.*

3. Concl.

S. Th.

147 Probatur, quod non sit actus intellectus: Quia alioquin essent tantùm duæ dotes; scilicet Visio, & delectatio: Nam conmprehensio, vt est actus intellectus non distinguitur, ne quidem formaliter ab ipsa visione; quia visio vt dos nil aliud est quam tentio obiecti: & comprehensio, vt actus intellectus nil aliud esset, quàm visio obiecti: Vlterius, quia ipsa comprehensio etiam terminaret fidem.

Ratio Cõclus. quoad primã partem.

148 Probatur, quod non sit actus voluntatis: Quia actus voluntatis, qui sunt circa finem in patria, sunt dilectio, & delectatio: Ergo comprehensio non potest esse actus voluntatis.

Probat. quoad 2. partem.

149 Remanet ergo, vt sit habitudo quædam, vel relatio consurgens in voluntate ad præsentiam ipsius Dei visi: Nam ipsa correspondet spei, quę est circa vltimum finem sibi possibilem: Ergo eo habito per Visionem, statim consurgit in voluntate habitudo ad ipsum, tanquam ad finem sibi coniunctum, & præsentem.

Probatio quoad 3. partem.

150 Respondeo quartò: Visio habet rationem dotis, quatenus terminat fidem actualem, vel habitualem; hoc est, quatenus sequitur ad fidem. Ratio est, quia visio secundum se habet rationem essentialis beatitudinis.

4. Cõclusio, & Ratio.

151 Præterea visio in anima Christi (vt infrà magis videbimus) ideò nõ habet rationem dotis, quia nunquam in eo fuit fides, ad quam consequuta sit.

2. Ratio.

152 Dixi in responsione, quod visio habeat rationem dotis quatenus terminat fidem habitualem, quia in pueris baptizatis visio habet rationẽ dotis, quamuis in eis præcesserit solum fides habitualis. In Angelis etiã visio non habet rationem dotis, quãuis successerit eorũ fidei: Quia Christus non dicitur sponsus Angelorum, cum sit diuersæ naturę. Similiter delectatio habet rationem dotis, quatenus sequitur amorem rei absentis: Quia quantùm ad sua essentialia reperitur in anima Christi, in qua non habet rationem dotis. Denique comprehensio etiam est dos quatenus terminat motũ spei: Quia Christus, siue Anima ipsius Sanctissima comprehẽdit, & tenet Deum, & in eo non dicitur dos.

153 Concludimus ergo, quod ra-

Digitized by Google

tio dotis supra visionem essentialem, & delectationem addit quendam respectum rationis accidentalem ad motum fidei, & charitatis: Supra ipsam comprehensionem etiam addit hunc respectum ad motum spei, quamuis aliunde sumatur sua essentia, scilicet, quod non sit actus, neque intellectus, neque voluntatis, vt dictum est.

154 Ex his ergo infertur primò, quod dotes non sint habitus, cuius sententiæ olim fuit D. Th. in 4. sent. dist. 49. q. 4. art. 3. Quia solum in Patria recipitur habitus luminis gloriæ, qui non potest dici dos, cum ex parte intellectus ponatur solum vna dos, quæ correspondeat fidei, & hæc est visio: Ad delectationem autem, vel non ponitur habitus, vel solum habitus charitatis, qui iam collatus fuit in via. 1. Coroll.

155 Infertur secundò, quod alia ornamenta, & præmia accidentaria, quæ Beatis dantur, non debent dici dotes: Quia dotes debent versari circa Deum, præmia autem accidentaria versantur circa creaturas. 2. Coroll.

156 Infertur tertiò; quod quamuis dotes prædictę reperiantur in Angelis, in ipsis tamen non habent rationem dotium; Quia Christus non dicitur Sponsus Angelorum, neque vt homo, neque vt Deus: nam neque vt homo, neque vt Deus est eiusdem naturæ cum Angelis, quod requiritur ad rationem Sponsi: Etenim ut Deus est Naturæ Diuinæ; ut homo, est naturæ humanæ. 3. Coroll.

157 Infertur etiam vltimò; quod hæ dotes excellentiori modo reperiũtur in anima Christi, quam in animabus aliorum Beatorum, & tamen nec etiam in ea habent rationem dotium: Quia Christus etiam vt homo est sponsus. 4. Coroll.

158 Quoad tertium sunt plures sententiæ, quas refert hic Vasquez. Prima est relata à S. Bonau. in 4. dist. 49. 1. p. dist. a. 1. q. 5. quæ dicit tres esse dotes animæ beatę, scilicet Visionem: fruitionem: & delectationem: Nomine autem fruitionis intelligit amorem amicitiæ. Prima sẽtentia cõtraria.

159 Sed hæc sententia iam reijcitur quoad id, quod dicit, fruitionem, ut est actus amoris amicitiæ esse dotem; quia nulla ponitur dos correspondens spei. Vlterius quia dos beati est de Deo quatenus bono sibi. 1. Sententia refellitur.

160 Secunda sententia est ipsius D. Bon. qui enumerat tres dotes, scilicet Visionem: delectationem: & tentionem; Sed nomine tentionis intelligit securitatem. Secunda sententia D. Bonau.

161 Sed hæc sententia etiam manet excluſa ex supra dictis quo ad id, quod dicit tentionem, scilicet, esse securitatem; quia securitas sequitur ad tentionem.

162 Tertia sententia est Paludani, qui ponit etiam tres dotes, scilicet visionem: fruitionem: & delectationem, & addit tentionem esse communem dotem tribus dotibus iam enumeratis. At ista sententia etiam remanet excluſa ex dictis, quia tentio est dos distincta, & fruitio, ut distincta à delectatione non est dos. Tertia sẽtentia Paludani.

163 Quarta sententia est Riccardi, qui dicit dotes istas esse habitus luminis gloriæ, & charitatis. Sed hæc sententia remanet etiam impugnata ex dictis. Vna potest esse ratio pro hac sententia; quia dos est quid permanens: Ergo debet esse habitus. Respondetur, quod etiam operationes beatificæ sunt permanẽtes, sicut etiam ipsa tentio, ut est relatio. 4. Sententia Riccardi, eius fũdamẽt. & respõsio.

164 Vltima sententia est Scoti in 4. dist. 49. q. 4. a. 3. qui dicit, quod uisio est tentio, aut comprehensio, & habet rationem duplicis dotis: & ut est uisio: & ut est comprehensio. Probat primò ex D. Th. ad 3. ubi ait: quòd tẽtio non est alia operatio, quam uisio. Respondetur iam, quod sit relatio, & ideò S. Tho. ait non esse aliam operationem. Vltima sententia Scot. & eius primum fundamẽtum, & respõsio.

165 Probat secundò, quia intellectus dum uidet Deum, dicitur comprehendere, aut tenere Deum. Respondetur hoc esse uerum, sed uisio quatenus uisio non distinguitur formaliter à se ipsa quatenus tentio: Vnde non posset constituere dotem distinctam Secũdum fundamẽtum, & respõsio.

Digitized by Google

stinctam quatenus tentio. Vlteriùs comprehensio, ut dos debet esse in uoluntate, quia est terminus spei.

ARTICVLVS IV.

Vtrum ad beatitudinem requiratur rectitudo voluntatis?

166 REspondet primò S.Th. quod rectitudo voluntatis requiritur antecedenter ad beatitudinem: Siue nullus potest peruenire ad beatitudinem, nisi habeat rectitudinem voluntatis.

167 Probat 1. ex Sacra Scriptura in argumento. Sed contra. Nam Matth. 1. dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et Hæbr. ult. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.*

168 Probat 2. ratione; Quia ad consequendum beatitudinem requiritur debitus ordo uoluntatis ad finẽ, siue ad ipsam beatitudinem: Ergo requiritur rectitudo uoluntatis ad finẽ; nam debitus ordo nihil aliud est, quã rectitudo ipsius voluntatis ad finem.

169 Probat 3. ratione; Quia finis comparatur ad id, quod ordinatur ad finem, siue ad voluntatem ficut forma ad materiam: Sed materia non potest consequi formam, nisi sit debito modo dispositа ad ipsam: ergo neque voluntas potest consequi ultimum finem, siue beatitudinem, nisi sit debito modo disposita, & ordinata ad ipsum.

170 Respondet secundò; Quod rectitudo voluntatis requiritur concomitanter ad beatitudinem alterius vitæ; Siue Beatitudo alterius vitæ nõ potest esse sine recta voluntate.

171 Probat; Quia beatitudo vltima consistit in ipsa visione Essentiæ Diuinæ, quæ est ipsa essentia bonitatis: Ergo beatus ex necessitate amat quidquid amat sub ordine ad Deum, quod est illud, quod facit voluntatem rectam; nam qui amat aliquid per ordinem ad Deum, habet voluntatem rectam.

172 Confirmat hanc rationem D.Th. Quia sicut qui nõ videt Deum, ex necessitate amat quidquid amat sub communi ratione boni, quam ipse nouit: ita qui videt Deum, ex necessitate amat quidquid amat sub ratione essentiæ bonitatis, quam iam clarè videt: Sed hoc est, quod rectificat voluntatem: Ergo, &c.

LECTIO I.

An Beati sint impeccabiles?

173 REspondeo: De fide esse Beatos esse impeccabiles. Ita S.Tho.hic, & communiter eius expositores; Et Theologi omnes in 4. dist.49. Conclusio. S.Th.

174 Probatur ex Sacra Scriptura. Primò ex psal.83. *Beati qui habitant in Domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Secundò ex 1.Petr.1. *Regenerauit nos in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam.* Tertiò Apocal.3. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* Vbi Beati dicuntur columnæ propter firmitatem in bono. Probatur etiam ex communi sensu Sanctorum Patruum, quos affert Montes.hìc. Prob. ex S.Script. Montes.

175 Denique ratione; Quia Beati vident clarè sumum bonum, scilicet Deum, & necessariò amant illum, & quidquid volunt, volunt propter illum. Sed hæc ratio magis infrà patebit. Prob. ex ratione.

176 Contra hanc doctrinam fuit error Orig. qui lib.1. Peryarchon asseruit beatos peccare posse. Et de facto Sẽtẽt. opposita Origenis.

Digitized by Google

homil.24.in Num.& homil.13. & 34. in Luc.tenuit Angelos,qui veniunt ad nos,peccare. Refertur etiam à Med. hìc quidam Faber Stapulensis, qui in lib. de triplici Maddalena repræhendit D.Th.eo, quod dixerit in hoc art. Beatos non posse peccare.

Faber Stapulensis.

177 Et probari potest primò hæc sententia ex S. Script. nam Iob. 4. dicitur. *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem*. Respondetur, quod hìc est sermo de Angelis viatoribus, vel de hominibus, quibus aliorum cura demandata est; vt patet Apocal.1.vbi *Episcopi* vocantur *Angeli*.

Ex S.Script. 1. Arg. & responsio. Apocal.

178 Solet afferri etiam S. Hieron. in fauorem huius sententiæ in cap.6. Michææ Proph. exponens illa verba: *Surge, & contende in iudicium ad montes*, ideſt, aduersum Montes scilicet, Angelos;Sed hoc S.Hieron. non dixit ex propria, sed ex aliorum sententia.

S.Hieron. Michæas Propheta.

179 Probari potest etiam ratione; Quia voluntas Beatorum est flexibilis, & libera: Ergo possunt peccare. Respondetur, quod erga Diuinã Bonitatem voluntas Beatorum est flexibilis, & libera, sed necessaria; Erga creaturas autem est libera sine defectu, quia potentia ad peccandum est libertas defectuosa; Et hic defectus non potest admitti in ea, cum reguletur Diuina Visione. Sed de hoc argumento diffusius in seq. Non desinam hìc aduertere, quod S. Th.benignè interpretatur hanc sententiam Orig.1.p.q.113.a.7.ad 4.

2. Arg. & responsio. S.Th.

LECTIO II.

Vtrum Beati sint impeccabiles ab intrinseco: An ab extrinseco?

180 DIfficultas huius lectionis in eo consistit: An scilicet beatus sit impeccabilis ex mera Dei voluntate extrinseca; quia nimirum Deus vult illũ nullo modo peccare absque eo, quod ponat in ipso aliquid intrinsecum ad hunc effectũ: An vero ex aliquo intrinseco, quod sit incompossibile cum actu peccati, siue mortalis, siue venialis?

Animaduersio.

181 Respondeo breuiter: Beatum esse impeccabilem ab intrinseco, scilicet ratione visionis beatæ, & dilectionis beatificæ, quod idem est, ac ratione status. Ita S.Th.1.p.q.62.a.8. & in hoc art. Cõclusio.

182 Probatur ratione eiusdem D. Tho. ducta ex locis cit. Beatus nihil potest velle, nisi propter Deum, siue propter summum bonum, siue propter vltimum finem: Ergo est impeccabilis ab intrinseco. Patet consequentia, quia est impeccabilis ex ipso intrinseco actu suæ charitatis. Peccatum enim in eo consistit ab intrinseco, quod id, quod quis velit, nõ velit propter Deum, cum sit deordinatio ab vltimo fine. Vnde cum quis id,quod vult,velit propter Deum, ab intrinseco non peccat. Ant. autem probatur: Quia Beatus videt in Deo totam essentiam bonitatis,& nihil habere rationem boni, nisi per ordinem ad Deum: Ergo eo ipso, quod vult aliquid, non potest illud velle, nisi propter Deum. Ratio S.Th.

183 Confirmatur hæc ratio, & est etiam maior probatio prædicti antecedentis; Quia ita se habet Beatus videns Deum ad ueram rationem boni, sicut non uidens Deum ad rationem boni in communi: Sed nullus,qui non uidet Deum, potest in suis operationibus diuertere à ratione boni in cõmuni; nam quidquid unusquisq; uult, uult sub ratione boni: Ergo nullus ex beatis, qui uidet Deum,potest diuertere à uera ratione boni, quam uidet in Deo;quod esset peccare. 1. Confir.

184 Confirmatur secundò, quia peccatum prouenit ab intrinseco ex ignorantia,uel malitia,uel fragilitate: Sed ex nullo cap. istorum potest prouenire peccatum in Beatis. Non ex ignorantia,cum beatus uideat in Deo ipsam essentiam bonitatis, & quidquid necessarium est ad regulandas actiones 2. Confir.

Digitized by Google

actiones proprias. Non ex malitia, quia actu feruētisimo charitatis fertur in Deum, necessario tum quoad specificationem, tum quoad exercitium. Non ex fragilitate, cum omnes potentiæ Beati sint benè disposítæ, & habeant auxilium suũ actuale ad operationes: Ergo nullo modo potest Beatus peccare ab intrinseco.

185 Contra nostram sententiam est sententia Scoti, qui in 4. dist. 49. q. 6. §. *Dico ergo*, tenuit Beatum esse impeccabilem ex extrinseca uoluntate Dei: nimirum, quia uult Deus illum non peccare. Ipsum sequuntur Gabriel, & alij Nominales.

Contraria Sententia Scoti, & Gabr. Nominal.

186 Probatur primò hæc sententia: Quia in Beatis manet liberum arbitrium flexibile ad bonum, & malũ: Ergo Beati possunt peccare. Huic argumento respondet S. Tho. 1. p. q. 62. cit. a. 8. ad 3. quod in Beatis remanet liberum arbitrium, ita vt possint hoc, uel illud eligere, sẽper seruato ordine ad finem; nõ uerò, quod possint peccare, quia iste est defectus libertatis. Patet in Christo, qui habuit perfectissimam libertatem absque potentia ad peccandum.

1. Arg. & responsio ex S. Th.

187 Probatur secundò: Voluntas Beatorum quamuis sit determinata in suo actu circa Deum, nõ est tamẽ determinata circa obiecta creata: Ergo potest circa illa peccare. Respondeo, quod non sit determinata circa hoc, uel illud obiectum creatum in particulari, sed benè circa quodcumque obiectum creatum cum ordine ad Deum.

2. Arg. & responsio.

188 Confirmatur ratio præcedẽs: Posset Deus imponere alicui Beato præceptum aliquod circa aliquod obiectum creatum, circa quod uoluntas ipsius manet libera: Tunc Beatus posset illud implere, & non implere: Ergo potest peccare.

Confirm.

189 Respondetur ad hanc confirmationem dupliciter iuxta quod respondetur de libertate Christi. Primò, quod stante præcepto non maneret liber Beatus quoad substantiam actus cadentis sub præcepto, sed solũ quod circumstantias.

1. Respõsio.

190 Respondetur secundò, quod esset liber quoad substantiam actus libertate contradictionis, vel negatiuè, scilicet, quia potest non ponere illum actum secundum se. Sed de hac libertate clariùs in materia de Incarnatione iam diximus.

2. Respõsio.

191 Probatur tertiò: Posset Deus reuelare alicui Beato casurum à statu beatitudinis, & consequenter damnationem suam: Ergo tunc Beatus posset Deum odio habere. Ant. potest probari, & explicari hoc modo scilicet, quia Deus vellet illi auferre suam beatitudinem.

3. Argumentum.

192 Respondetur neg. cons. Quia stante visione nunquam Beatus posset apprehendere aliquam rationem mali in Deo: iudicaret enim Deum in eo casu auferre sibi beatitudinem, vel ex iustitia, vel ex suo dominio, vel ex aliqua alia ratione.

Respõsio.

193 Confirmatur præcedens ratio: Quia reprobus ideò odio habet Deũ, quia apprehẽdit illum vt causam suæ pœnæ: Ergo Beatus potest Deum in eo casu odio habere, quia apprehendet illum tunc vt causam suæ damnationis. Respondeo, quod reprobus potest apprehendere Deum sub aliqua ratione mali, cum non videat illum clarè; Non sic autem beatus, cum clarè illum videat.

Cõfirmatio, & responsio.

LECTIO III.

Vtrum si Deus per suam Diuinam Potentiam remoueret à Beato actum charitatis, beatus tunc esset impeccabilis ex vi solius visionis beatæ?

194 POsset Deus per suam Diuinam Potentiã subtrahere suum concursum, ne consequeretur actus charitatis ad visionem beatam; tunc est difficultas: an Beatus ex sola

sola ratione Diuinę Essentiæ esset impeccabilis?

Conclusio. 195 Et respondeo, quod Beatus ex sola visione Diuinæ Essentiæ redditur impeccabilis: Siue, rectitudo voluntatis, vel impeccabilitas ità coniũcta est Diuinæ visioni, vt ex ea præcisè absque aliquo alio Beatus peccare non possit. Ita colligitur ex S.Th. S.Th. in hoc art. & 1.p.q.62.a.8.& 4. contra Gent.cap.92.

1. Ratio Conclusionis. 196 Probatur breuiter ratione sua reducta ad hanc formam: Quia visio Diuinæ Essentiæ est visio totius plenitudinis bonitatis; Siue est visio fontis bonitatis: ergo qui videt Deũ, non potest velle nisi Deum, vel quod dicit ordinem ad ipsum Deum: ergo ex vi solius uisionis non potest peccare. Antecedens est certum. Prima cõsequentia probatur sic à S. Tho. quia ita se habet Beatus videns Deum ad ipsum Deum, sicut qui nõ uidet Deũ ad bonum in communi: Sed qui non videt Deum, nihil potest uelle nisi bonum in communi, uel cum ordine ad bonum in communi: Ergo qui uidet Deum, nihil, &c. Secunda consequentia non indiget probatione, quia peccare nil aliud est, quam uelle aliquid, quod non sit Deus, uel quod non dicat ordinem ad Deum.

Euasio Vasq. 197 Hanc rationem Vasquez dicit non esse efficacem: Quia non ita se habet Deus ad bona particularia, sicut bonum in communi ad eadem bona particularia; nam bonum in communi essentialiter includitur in bonis particularibus; cum nil possit esse volitum sub ratione mali: At Deus clarè uisus non includitur essentialiter in bonis particularibus; unde posset Beatus aliquid uelle sine ordine ad Deum.

Impugnatio. 198 Sed contra: Quia essentialissimè Deus includitur in quocumque bono particulari; nam quodlibet bonum particulare est participatio Diuinę Bonitatis, & essentialiter deriuatur à Diuina Bonitate, & dicit ordinẽ ad Diuinam bonitatem natura sua: At Beatus uidendo Diuinam Essentiam uideret istum ordinem: Ergõ multò magis necessitaretur uoluntas ipsius erga bonum in communi in uolitione bonorum particularium.

1. Confir. 199 Confirmatur ratio: Quia quãuis Deus nõ includatur in bonis particularibus, sicut beatitudo in communi; nihilominus maior est subordinatio bonorum particularium Deo, quam beatitudini in communi; cum subordinatio bonorum particularium bono communi sit subordinatio ad summum vt inferiorum analogatorũ ad principale analogatum: Et subordinatio bonorum particularium ad Deum sit subordinatio secundæ bonitatis primæ bonitati.

2. Confir. 200 Confirmatur secundò: Quia quomodocumque beatitudo in communi contineatur in bonis particularibus; ideò quis non potest velle aliquid, quod non sit illi subordinatum, quia appeteret aliquid sub ratione mali: at etiam in casu, quo quis appeteret aliquid sine ordine ad Deũ clarè visum, appeteret sub ratione mali: Ergo, &c. Minor probatur; quia sicut id, quòd est contra beatitudinem in communi, vel sine ordine ad illam, apparet sub ratione mali; ita id, quod est contra beatitudinem in particulari, vel sine ordine ad illam, apparet sub ratione mali ipsi Beato.

2. Euasio Vasq. 201 Respondet secundò Vasquez rationi D. Tho. quod posset Beatus velle aliquod bonum creatum, quod esset contra rationem, nõ sub hac formalitate, quatenus est contra rationẽ; quia sic nec etiam viator appetit aliquid contra rationem, sed quatenus materialiter est contra rationem, hoc est illud bonum, quod reuera est contra rationem.

Impugnatio. 202 Sed cõtrà; quia nec etiam potest appetere illud, quod à parte rei, & de materiali est contra rationem; etenim nihil potest apprehendere sub ratione boni, quod non est subordinatum Deo.

3. Euasio Valentiæ. 203 Respondet tertiò Valentia; quod Diuina Essentia non est totum bonum formaliter, sed eminenter;

Vnde

Vnde posset Beatus velle aliquid, quod formaliter non contineretur in essentia sine ordine ad essentiam.

Impugnatur 1.

204 Sed contra. Primò, quia etiã bona inferiora in confuso, & in potẽtia continentur in bono in communi, & nihilominus sunt volita cum ordine ad illud: Ergo pariter si bona inferiora contineantur eminenter in Deo, debent esse volita cum ordine ad illum.

Secundò.

205 Secundò; quia quamuis Beatus iudicet bona inferiora contineri eminenter in Deo, iudicat nihilominus illa dicere intrinsecum ordinem ad Deum, & ablato isto ordine habere potiùs rationem mali, quam boni: Ergo nullo modo possunt appeti sine ordine ad Deum.

Confirm.

206 Confirmatur hæc secunda impugnatio, & explicatur, & probatur magis suum antecedens. Quia qui iudicat beatitudinem in communi esse totum bonum, iudicat consequenter omnia bona particularia dicere ordinem ad illam, & sine ordine ad illam non habere rationem boni, sed mali: Ergo sicut non potest illa appetere absque ordine ad illam, alioquin appeteret rationem mali: Ita Beatus iudicando beatitudinem in particulari, scilicet, Deum eminenter continere bona particularia, & consequenter illa dicere ordinem ad Deum, & sine ordine ad Deum non habere rationẽ boni, sed mali, non poterit illa non appetere sine ordine ad Deum; alioquin appeteret rationem mali.

2. Ratio Conclusionis.

207 Secunda ratio principalis pro nostra sententia sumitur ex D. Th. 4. contra Gent. cap. 92. & est quinta in ordine. Quia non potest esse peccatũ in voluntate, absque eo, quod sit aliquis defectus in intellectu, ad minùs aliqua inconsideratio voluntaria: Sed Beatus nequit habere istam inconsiderationem, neque circa Deum, neq; circa creaturas; quia videt Diuinam Essentiam, & in ipsa creaturas: Ergo, &c.

Euasio Vasq. & præclusio.

208 Hæc ratio nec etiam placet Vasquez; quia Beatus (dicit ipse) non videt creaturas in Deo. Sed certè, vt patet ex 1. p. q. 12. a. 8. ex sententia Thomistarum videt Beatus ex vi visionis Diuinæ Essentiæ etiam aliquas creaturas possibiles. Vnde semper Beatus considerat illas cum ordine ad Deũ. Et ideò nullo modo potest peccare ex vi visionis Diuinæ Essentiæ.

Sententia opposita Salas.

209 Contra istam sentẽtiam videtur esse Pater Salas tract. 2. disp. 7. sect. 8. num. 75. qui dicit esse probabile posse dari de potentia Dei visionem tam tenuem, & imperfectam, vt nequeat voluntatem Beati in bono cõfirmare. Vlterius addit posse simul admittere secum odium Dei.

Primum argum.

210 Prima ratio huius sententiæ est; quia talis impeccabilitas non potest prouenire ex parte obiecti visi; neque ex parte visionis: Ergo Beatus posset peccare. Probatur antecedens, quod non ex parte obiecti: Primò, quia obiectum mouet solum quantum ad specificationem voluntatem: Secundò, quia non mouet effectiuè, sed finaliter sicut in via. Probatur, quod non ex parte visionis: Quia visio nec etiam mouet, quoad exercitium voluntatem: Secundò, quia nec etiam effectiuè: Et tertiò, quia posset esse adeò imperfecta, vt videretur vnum attributum non viso alio.

Responsio.

211 Respondeo negando antecedens, quia impeccabilitas in voluntate beata oritur ex vtroque simùl, scilicet ex parte obiecti, vel Essentię Diuinæ visæ. Et ad omnes probationes simul dico; quod voluntas natura sua necessitatur, tùm quoad specificationem, tùm quoad exercitium; quia nihil mali potest apprehendere, nec in ipso obiecto beatifico, nec in ipso exercitio amoris erga obiectum beatificum, vt in superioribus lectionibus diximus.

212 Ad id autem, quod dicitur, quod visio obiecti non mouet effectiuè, sed finaliter: Respondeo, quod ista motio finalis est vera, & realis, quamuis nihil imprimat voluntati antecedenter ad actus suos, sed sint ipsi actus voluntatis, vt à fine. Vnde

propter

propter dependentiam essentialem inter voluntatem, & finem: Siue melius propter pondus voluntatis ad summũ finem clarè visum non potest voluntas nõ exire in actum suum erga talẽ finem. Id etiam, quod dicitur, quod visio potest esse adeò tenuis, vt videatur vnum attributum, & non aliud, est mere gratis dictũ; quia eo ipso, quod est visio Dei intuitiua, debet esse Dei secundum se, & per cõsequens quoad omnia attributa, Personas, & Essentiã, alioquin non esset visio Dei, nec staremus in casu posito.

212 Secunda ratio huius sententiæ; quia licet visio determinaret voluntatem ad actum charitatis, non determinat ad carentiam peccati venialis: Ergo. Respondeo, quod determinat ex natura sua ad actum feruentissimum charitatis excludentem omne peccatum veniale, cum nihil possit apprehendi sine ordine ad ipsum Deum.

2. Argum. & respõsio.

LECTIO IV.

Vtrum possit cum peccato habituali iam commisso componi visio Dei?

213 IN precedenti lectione egimus, num per potentiam Dei ex vi solius visionis quis posset abstinere ab actuali peccato? in præsenti quærimus: an possit cum peccato habituali iam commisso simul esse visio Dei; siue: an peccator possit cum macula peccati, remanente ipsa macula, assumi ad uidendum Deum?

214 Pro huius difficultatis explicatione suppono ex D. Th. inf. q. 86. a. 2. & ex sententia Thomistarum, quod macula peccati duo importat: priuationem gratiæ, & consequenter charitatis, & visionis beatæ, quia ab ipsa fluunt tanquam proprietates: Et relationem rationis ad peccatum præteritum non retractatum; Ex qua relatione oritur quod dicatur conuersus ad creaturam, quam dilexit per præcedens peccatum. Rursus quod visio beata dicatur gratia consummata; quia natura sua influit in actum dilectionis, & in gratiam habitualem, si ipsa non inueniretur in vidente. His notatis.

Animaduersio.

215 Respondeo difficultati: De potentia Dei non potest stare actus uisionis beatæ cum macula peccati in eodem subiecto. Hæc sententia est Montes. hìc, & Vasquez sup. q. 3. a. 8. disp. 11. cap. 10. num. 65.

Conclusio. Montes. Vasquez.

216 Potest hæc responsio cum suis rationibus explicari exemplo clarissimo; nimirum, Essentia hominis consistit in rationalitate, ad quam cõsequitur tanquam passio risibilitas, per quam excluditur proximè hinnibilitas; Si autem per Diuinam Potentiã impediretur ne flueret risibilitas, adhuc tolleretur hinnibilitas, quia ex ipsa rationalitate natus est homo esse risibilis, & non hinnibilis: Ita pariter uisio beata habet, tanquam propriam passionem gratiam; Si autem gratia impediretur tunc, &c.

217 Probatur primo ratione fundamentali: Visio Dei natura sua destruit maculam peccati, quo ad priuationem, & quo ad relationem rationis ad peccatum præteritum non retractatum, siue quoad conuersionem ad creaturam: Ergo non potest esse simul cum ipsa. Probatur antecedens: quia posita uisione in aliquo subiecto, est illi debita gratia; nam ipsa cõnaturaliter fluit ab ipsa uisione, & uisio ipsa eminenter continet illam: Ergo tollitur ratio priuationis, quæ est formæ debitæ. Similiter tollitur ratio formalis conuersionis ad creaturã per ipsam uisionem: quia ipsa uisio est actualis conuersio ad Deum, imò ad ipsam sequitur dos comprehensionis, ut supra dictum est, quæ est relatio uoluntatis ad Deum sibi præsentem per uisionem.

1. Ratio

218 Confirmatur primò hæc ratio; quia ipsa uisio est gratia consummata, & quædam amicitia cum Deo: Ergo statim per ipsam tollitur ratio

1. Confir.

inimi-

inimicitiæ. Antecedens patet, quia eo ipso, quod homo eleuatur ad visionem, acceptatur ad amicitiam cum Deo.

219 Confirmatur secundò, quia vnio hypostatica præcisa quacumque gratia habituali excludit seipsa omne peccatum; & nihilominùs eminenter continet gratiam habitualem: Ergo visio beata, quia continet eminenter gratiam habitualem excludit ex se omnem maculam peccati.

2. Confir.

220 Confirmatur tertiò: Gratia ex natura rei sequitur tanquam proprietas ad visionem: Ergo posita visione in homine est ei debita gratia; Ergo quando impediretur miraculosè gratia, tolleretur macula peccati, saltem quoad rationem priuationis.

3. Confir.

221 Probatur secundò. Visio beata est essentialis beatitudo: Sed beatitudo excludit quamcumq; miseriam: Ergo peccatum, quod est maxima miseria.

2. Ratio.

222 Contra hanc sententiam est Lorca, qui disp. 24. memb. 3. ait: hominem ex vi solius visionis posse manere in peccato, in quo erat ante visionem.

Sententia contraria Lorcæ.

223 Prima ratio huius sententiæ est; quia peccatum formaliter expellitur per gratiam: Ergo absente gratia ab homine, maneret in ipso macula peccati præexistens. Respondetur, quod etiam tollitur macula peccati per ipsam visionem beatam formaliter, quia dicitur gratia consumata, vel quia est radix gratiæ, vt patet exẽplo clarissimo: etenim, quia Anima rationalis radicaliter continet risibilitatem, quamuis non flueret ab ipsa per Diuinam potentiam risibilitas, excluderet nihilominus formaliter hinnibilitatem.

1. Arg. & responsio.

224 Secunda ratio; quia macula peccati subiectatur in anima; visio autem in intellectu: Ergo non potest macula peccati expelli formaliter per visionem. Respondetur, quod macula peccati expelleretur formaliter quo ad rationem priuationis per visionem, quæ est radix gratiæ; Sicut per solam gratiam positam in anima tolleretur deordinatio à voluntate, quia radicaliter continet rectitudinem voluntatis.

2. Arg. & responsio.

226 Vltima ratio contraria, quia potest stare cæcitas cum forma naturali: Ergo. Respondetur, quod opponitur proximè macula peccati cum visione, quatenus est gratia consumata. Vlterius, quia ita est priuatio macula peccati, vt includat moralitatem, propterea posita visione etiam destruitur quoad illam moralitatem.

3. Argum. & respon. sio.

ARTICVLVS V.

Vtrum ad beatitudinem hominis requiratur corpus?

226 IN hoc art. D. Th. tria facit principaliter: primò determinat, an ad beatitudinẽ imperfectam huius vitæ requiratur corpus? Secundò cõfutat sententiam aliquorum, qui dixerunt animas Sanctorum non esse beatas, nisi in resurrectione post diem iudicij: Et tertiò concludit: An ad beatitudinem perfectam alterius vitę requiratur corpus, & quomodo?

227 Quoad primum ait, quod ad beatitudinem huius vitæ de necessitate requiritur corpus. Ratio est, quia beatitudo huius vitæ est operatio intellectus speculatiui, vel practici: Sed operatio intellectus in hac vita non potest esse sine phantasmate, quod non est nisi in organo corporeo: Ergo, &c.

227 Quoad secundum dicit, falsã esse sententiam eorum, qui dixerunt animas Sãctorum non posse esse beatas ante diem iudicij, sed tunc quando post diem iudicij resument sua corpora. Probat primò falsitatem huius sententiæ D. Th. ex Sacra Scriptu-

S.Paulus. ra; deinde ratione ex Sacra Scriptura, quia Apostolus ad 2.Corinth.2. cap. 5.ait. *Quod quandiu sumus in hac vita peregrinamur à Domino, & ambulamus per fidem, & non per speciem*: Sed animæ Sanctorum ex eodem Apostolo loco cit. sunt Deo præsentes iuxta illud: *Audemus autem, & voluntatem habere bonam peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Deum*: Ergo manifestum est, quod animæ Sanctorum separatæ à corporibus ambulant per speciem Dei essentiam videntes, in quo consistit vera beatitudo.

228 Probat deindè ratione, quia intellectus indiget ad suam operationem corpore propter phantasmata: Sed Diuina essentia non potest videri per phantasmata: Ergo ad beatitudinem non opus est corpore.

229 Quoad tertiũ supponit; quod dupliciter aliquid requiritur ad aliud: vno modo ad constituendam essentiã rei, siue ad esse simpliciter, sicut anima ad esse hominis: Alio modo ad perfectionẽ rei, siue ad melius esse, sicut pulchritudo corporis, vel velocitas ingenij ad perfectionem hominis. Hoc supposito.

230 Dicit primò, quod corpus nõ requiritur simpliciter ad beatitudinem. Hoc supponit probatum ex refutatione præcedentis sententiæ.

231 Dicit secundò, quod corpus requiritur ad beatitudinem alterius vitæ ad bene esse. Probat, quia anima est perfectior in sua natura vnita corpori, quam non vnita corpori; nam tunc est quid completum in sua specie: Sed quantò est perfectior in sua natura, tantò perfectiùs habet suam operationem, scilicet intelligere, in qua fœlicitas consistit: Ergo, &c. Hìc notandum est, quod loquitur S.Th. de perfectione extensiua, vt in solut.ad 5. clariùs fatetur.

232 In solutione ad quintũ dicit, quod beatitudo animæ separatæ resumpto corpore crescet *extensiuè*, non *intensiuè*; Quia tunc beatitudo animæ redundabit in corpus.

Duæ difficultates super hũc art.

233 Super istum art. mouentur à Commentatoribus duæ difficultatẽs. Prima est: Vtrum animæ iustorum perfectè purgatæ videant Deum ante diem iudicij? Sed hęc difficultas clarè patet ex corp. art. Possunt videri authores hìc. Solum aduerto, quod nũc sit de fide animas perfectè purgatas ante diem iudicij videre clarè Diuinã Essentiam. Oppositum fuit error Tertull.lib.4.cont.Marc.& aliorum. Tertull.

Secunda difficultas, & eius resolutio.

234 Secunda difficultas est: An beatitudo animæ sit perfectior modò, quam post diem iudicij, quando erit vnita corpori. Et huic difficultati respondetur breuiter, quod beatitudo animæ est eadem modò essentialiter, & intẽsiuè, ac erit post diẽ iudicij, quia idem erit lumen gloriæ; Solum crescet extensiuè, quia redundabit in corpus, vt ait S.Th.in resp.ad 5.

Sent. oppos. Abulens. & impugnatur.

235 In oppositum fuit sententia Abul.q. 73.in cap.5. Matth. vbi dixit: quod maior sit gloria animarum Sãctarum nunc, quam post resurrectionem naturalem: quia quodammodo anima retardabitur à visione expedita, & prompta Dei, dum post diem iudicij informabit corpus. Sed hæc sententia reijcitur vt falsa, quia tunc corpus non aggrauabit animam.

Alia sententia Magistri, & Bonauẽt. reijcitur.

236 Est & alia sententia, quæ tenet beatitudinem animæ esse perfectiorem intensiuè post diem iudicij. Hanc sententiam tenuit Magister in 4. dist. 49.S.Bonau.& alij. Tenuit illam etiam S. Th. in 4. dist. 49. cit. Sed eam retractauit in hoc articulo. Fundamentum huius sententiæ est, quia tunc anima habebit perfectius esse. Sed hęc sententia etiã reijcitur, ut falsa; quia semper erit æquale lumen gloriæ etiã quoad intẽtionem.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

Vtrum ad beatitudinem hominis requiratur aliqua perfectio corporis?

237 IN hoc art. etiam tria facit D. Th. primò determinat difficultatem quoad beatitudinem huius vitæ; Secundò confutat opinionem Porphirij de beatitudine alterius vitæ; Tertiò determinat difficultatem de beatitudine perfecta alterius vitæ.

238 Quoad primum dicit, quod ad beatitudinem imperfectam, qualis in hac vita haberi potest, requiritur bona dispositio corporis.

239 Nota hic, quod S. Tho. non requirit bonam corporis dispositionẽ ad beatitudinem supernaturalem huius vitę, & alterius, nisi ad melius esse.

240 Ratio est, quia secũdum Philosophum beatitudo iu huius vitę cõsistit in operatione virtutis perfectæ: Sed per inualitudinẽ corporis in omni operatione virtutis homo impediri potest: Ergo ad beatitudinem huius vitæ, &c.

241 Quoad secũdum refutat opinionem Porphirij relatam à D. Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei, qui dicebat: quod vt anima sit beata, omne corpus fugiendum est. Impugnat hac opinionem S. Tho. Quia naturale est animæ corpori vniri: Ergo non potest esse de perfectione animæ, quod excludat naturaliter perfectionem corporis.

242 Quoad tertium dicit, quod ad beatitudinem omnibus modis perfectam, scilicet alterius vitæ, requiritur bona dispositio corporis *antecedenter, & consequenter*. Probat quod requiratur *antecedenter* ex Aug. in corp. & magis clarè ad 2. Quia quamuis corpus ad visionem beatam nihil cõferat; nihilominus posset illam impedire, si non esset perfectè dispositum; hoc est spiritualizatum: Ergo requiritur *antecedenter* bona dispositio corporis. Probat autem, quod requiratur *consequenter*: Quia ex beatitudine animæ fiet redundantia ad corpus, vt & ipsum sua perfectione potiatur.

243 Super istum articulum agemus de dotibus corporis, & ideò sit.

LECTIO I.

Vtrum corpora resurgent in propria perfectione naturali?

244 RESpondeo primò: De fide est, quod resurgent eadẽ numero corpora. Probatur primò ex Script. Isai. vlt. *Ossa vestra germinabunt.* Iob. 19. *Et rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea.* Luc. vlt. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* 1. Cõclusio, & 1. Ratio.

245 Probatur secundò ratione: Quia non satiaretur appetitus animæ, quem habet ad corpus: Nam vnaquæq; anima appetit suum proprium corpus. 2. Ratio.

246 Confirmatur, quia non esset vera resurrectio, si eadem anima non vniretur eidem corpori. Cõfirmatio.

247 Respondeo secundò: Resurgent corpora perfecta quantum ad naturalia. 2. Concl.

248 Probatur ex script. 1. ad Cor. 15. *Mortui resurgent incorrupti*, idest sine aliqua diminutione membrorũ exponit S. Th. in suppl. q. 86. a. 1. in argum. Sed contra. Probatio ex S. Scr.

249 Ratio colligitur ex D. Th. in Additionibus q. 81. a. 2. Quia sicut Deus humanam naturam sine defectu instituit; ita sine defectu reparabit. Hinc infertur homines cæcos, mutilos, claudos sine ipsis defectibus resurrecturos esse. Ratio S. Th.

250 De corporibus damnatorum est difficultas: An resurgant cum defecti-

fectibus, quos habuerunt in vita.

Sententia D.Th.

Id negat D.Th. Quia omnia corpora tam bonorum, quam malorum resurgent integra. Vlterius, quia resuscitabuntur à Deo, cuius perfecta sũt opera.

Sententia Durand.

Durand. uero id affirmat, quia cõgruunt cum futura eorum damnatione

D.Aug. Sententia.

D. Aug. id indecisum relinquit in Enchirid. cap. 91.

3. Concl.

251 Respondeo tertiò: Omnes homines resurgent in ætate iuuenili, quæ est circa trigesimum annum; tàm pueri, quàm senes.

Probatio ex S.Script. & ratione.

252 Probatur ad Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Probatur etiam ratione; Quia resurrectio conformabitur primæ hominis institutioni: Item, quia Christus fuit exemplar nostræ resurrectionis.

4. Concl. & prima eius Ratio.

253 Respondeo quartò: Non omnes homines resurgent in æquali statura, vel quantitate. Probatur primò ratione; Quia natura humana reparabitur, non solum, vt sit eadem specie, sed etiam vt sit eadem numero: Sed non fuit eadem quantitas numero omnium: Ergo.

Animaduersio pro 2. ratione.

254 Probatur secundò ratione D. Th. in addit. q. 81. a. 2. Supponendo prius, quod natura specifica hominis exigit aliquam determinatam quantitatem, quam non excedat, & à qua non recedat absque errore naturæ. Vlterius, quod hæc determinata quãtitas habet intra suos terminos latitudinem. Prætereà, quod extensio quantitatis in augumentatione sumitur ex calore extendente, & humido extensibili.

2. Ratio.

255 Hinc modò sic conficitur ratio: Calor extendens, & humidum extensibile non est eiusdem virtutis in omnibus: Ergo secundum maiorem, vel minorem virtutem in vnoquoque attingit terminum magnitudinis intra terminos quantitatis exigitæ à natura specifica hominis: Ergo Deus, qui reparabit naturam humanam quoad esse indiuiduale, dabit ei quantitatem exigitam iuxta virtutem caloris extendentis, & humidi extensibilis.

256 Hinc infert D. Tho. loco cit. quod quilibet resurget in ea quantitate, in qua fuisset in termino augmẽti, si natura non errasset, hoc est, excessisset, vel defecisset. Quod autem supereſt, vel deficit in homine resecabit, vel supplebit Diuina Potentia.

Corollarium ex S.Th.

257 Probatur vltimo à posteriori; Quia non erit æqualis pulchritudo Beatorum: Ergo nec æqualis quantitas. Confirmatur; Quia pertinet ad pulchritudinem corporum Beatorũ, quod non sint æqualis staturæ, & quantitatis.

3. Ratio.

258 Vna obiectio potest esse contra hoc; Quia dicitur Ephes. 4. *Quod occurremus in virum perfectum in mẽsuram ætatis plenitudinis Christi.* Sed respondetur ex Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 16. quod sensus est, quod omnes resurgent in ætate Christi virili.

Obiectio, & eius Enodatio ex Aug.

259 Respondeo quintò: Vnusquisque Beatus resurget in suo proprio sexu. Probatur primò; Quia sicut considerata natura indiuidui habetur diuersa quantitas diuersis hominibus; ita considerata pariter natura indiuidui debetur diuersus sexus diuersis hominibus.

5. Concl. & eius 1. Ratio.

260 Prætereà, quia diuersitas sexus cõpetit etiam perfectioni speciei, quia diuersi gradus suæ perfectionis implentur in diuersitate sexus.

2. Ratio.

261 Vltimò efficacissimè; Quia alioqui non resurgeret idem numero homo, si vnusquisque non resurgeret in proprio sexu.

3. Ratio.

262 Respondeo vltimò; Quamuis in Cęlis erit diuersitas sexus, tamen non erit ibi confusio mutuæ visionis. Ratio est, quia tunc aberit libido incitans ad turpes actus, ex quibus confusio causatur. Hæc ex D.Th. in suppl. q. 81. Qui plura quærit de resurrectione, adeat ipsum loc cit. à q. 77. vsque ad q. 88.

Vltima Conclusio, & eius Ratio.

LE-

Digitized by Google

LECTIO II.

Vtrum corpora Beatorum habitura sint aliquam supernaturalem perfectionem?

1. Concl.

263 Respondeo primò. De fide est, quod corpora Beatorum habitura sint aliquã supernaturalem perfectionem, vel dispositionem.

Probatur ex S. Scriptura.

264 Probatur primò ex Sacra Scriptura 1. Corinth. 15. *Seminatur corpus animale, surget spiritale.* Et rursus: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Item Matth. 22. *Post resurrectionem neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli.*

1. Ratio S. Th.

265 Probatur secundò ratione D. Th. in hoc art. Quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam: Sed in illo felici statu corpora beatorũ nullo modo aggrauabunt animam: Ergo non erunt corruptibilia: Ergo habebunt aliquam dispositionem, vel perfectionem supra naturam ipsorum.

2. Ratio S. Th.

266 Probatur tertiò ratione etiam ducta ex D. Th. 3. p. q. 56. Quia resurrectio Christi est causa exẽplaris nostræ resurrectionis iuxta illud ad Philipp. *Reformabit corpus humilitatis nostræ cõfiguratũ corpori claritatis suæ.* Sed corpus Christi post resurrectionẽ fuit gloriosum per aliquam dispositionẽ, & perfectionem supernaturalem in ipso, vt patet; nam fuit lucidum, impassibile, agile, &c. Ergo, &c.

2. Concl.

267 Respondeo secundò: Non est adeò certum, vtrum hæc dispositio, vel perfectio supernaturalis corporũ Beatorum sit aliqua qualitas distincta à dotibus, dè quibus agemus in seq. lect. An vero ipsæ dotes quatenus disponunt, & perficiunt supernaturaliter ipsa corpora?

Sensus S. Th. circa hanc cõclusionẽ.

268 S. Th. in supplem. q. 84. a. 1. id videtur affirmare. Ait enim ibi, quod in corpore beato erit aliqua perfectio effluens ab anima glorificata, per quam fiet totaliter subiectum ipsi animæ, ita vt nihil in eo sit, quod resistat voluntati spiritus: quæ quidem perfectio dos glorificati corporis dicitur. Sed postmodum determinat hanc perfectionem ad dotes corporis peculiares; vnde videtur innuere etiã quod non sit distincta ab ipsis dotibus, sed sint ipsæ dotes causantes talem dispositionem, & perfectionem supernaturalem, qua corpus glorificatum subijciatur totaliter animæ glorificatæ.

Sentẽtia Valent.

269 Valent. id etiam videtur affirmare ex mente D. Th. t. 4. in 3. p. D. Th. super q. 82. supplem. disp. 11. q. 5. p. 2. Dicit enim tria: Primum, quod prædicta qualitas redundabit ex anima in corpus, non quod effectiuè producatur ab anima in ipsum corpus, sed quia à Deo producetur in ipso corpore vnito animæ beatæ: Secundum, quod hæc qualitas perfectè disponet corpus in ordine ad animam, vt totaliter sit ei subiectum: Tertium, quod ex hac qualitate, & perfectione existent in anima tres illę dotes, scilicet impassibilitas, subtilitas, & agilitas.

Sentẽtia Montes.

270 Montes. super istum art. disp. 8. q. 1. n. 8. videtur dicere, quod hæc qualitas sint ipsæ dotes. Sic enim loquitur: *De fide est corpora beatorum, præter perfectionem naturalem, in qua resurgent, habitura esse aliquam perfectionem, aut dispositionem supernaturalem, quam vocant Theologi gloriam corporis, aut dotes gloriæ.*

271 Ego autem non audeo proferre sententiam in hac parte, sed discurro de hac qualitate sicut solet discurri de iustitia originali.

Variæ sẽtentiæ.

271 Sunt enim, qui dicunt, quod iustitia originalis, qua corpus redderetur subiectum animæ in statu innocentiæ, esset habitus distinctus à gratia sanctificante, & reliquis virtutibus infusis. Alij vero, quod non esset habitus distinctus, sed quod consisteret in ipsa gratia sanctificante, & reliquis virtutibus rectificantibus, siue subijciẽtibus corpus animę. Et vtraq; sententia est probabilis, quamuis magis

Digitized by Google

S.Th. gis D. Th. videatur inclinare in hanc secundam sententiam 1.p.q.95.

Sententia Authoris. 273 Ita dico ego de hac qualitate, qua in resurrectione fiet corpus beatum totaliter subiectum animæ, scilicet, quod probabile sit esse qualitatem distinctam à dotibus, & quod probabile sit non esse qualitatem distinctam à dotibus.

Ratio. 274 Quidquid autem sit de hoc; Certũ est, quod corpus habebit quandam dispositionem supernaturalem, in die resurrectionis, ratione cuius totaliter erit subiectum animæ. Ratio autem congruentissima huius rei esse potest: Quia illam habuit Adam pro statu felicissimo innocẽtiæ: Ergo multò magis illam habebit beatus pro statu fœlicissimo gloriæ; cum fœlicior sit hic status, quam ille. Confirmatur, quia in statu beatitudinis omnia erũt regulata, & ordinata.

LECTIO III.

Vtrum quatuor sint corporis dotes, & in quibus consistant?

275 NOmine dotium hìc intelligimus ornamenta corporis beati. Communiter à Theologis hìc, & in 4. dist. 44. & 49. & in supplem. D. Th. q. 95. dicitur, quod sint quatuor, scilicet: Impassibilitas: Agilitas: Subtilitas: & Claritas.

1. Concl. 276 Probatur sufficientia ipsarum sigillatim ex Sacra Scriptura. De impassibilitate dicitur 1. Corinth. 15. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Et clarius eodem loco: *Mortui resurgent incorrupti.* Vlteriùs: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* De agilitate dicitur Isai. 40. *Current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Et Sap. 3. *Fulgebunt iusti, & tãquam scintillæ in arundineto discurrent.* Demũ 1. Corinth. 15. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* De subtilitate eadem epist. 1. ad Corinth. 15. *Seminatur corpus animale, surget spirituale,* id est *subtile,* vt exponit Damasc. 4. Fidei Orthod. cap. 28. De claritate denique Sap. 3. *Fulgebunt iusti.* Et Matth. 13. *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum.*

Ratio cõclusionis ex S. Scr.

277 Probatur etiam aliqua ratione congruenti, nimirum: Tripliciter potest perfici corpus: Vno modo in ordine ad esse substantiale: Alio modo in ordine ad esse accidentale sine ordine ad opus: Et tertio modo in ordine ad operationem. In ordine ad esse substantiale perficitur per dotem impassibilitatis, nam per ipsam redditur inseparabile ab anima. In ordine ad esse accidentale absque ordine ad operationem, perficitur per dotem claritatis; nam per ipsam redditur corpus lucidius Sole, vt infrà videbimus. In ordine ad operationem perficitur per dotem agilitatis, & subtilitatis; quia per ipsas perficitur in ordine ad motum localem, & alias operationes. 2. Ratio.

1. Obiectio. 278 Contra istam doctrinam sunt tres obiectiones. Prima obiectio est: Quia datur dos, qua corpus perfectè subijcitur animæ: Ergo sunt plures dotes, quàm quatuor.

1. Respõsio. 279 Respondetur primò in sentẽtia eorum, qui ponunt qualitatem peculiarem redundantem ab anima in corpus, qua corpus illi totaliter subijciatur, non dici simpliciter dotẽ; quia perficit totum corpus simpliciter, & ab ipsa emanant dotes.

2. Respõsio. 280 Respondetur secundò; in sententia eorum, qui non admittunt hanc subiectionem fieri per qualitatem distinctam à dotibus, quod fiat ab ipsis dotibus: Ab impassibilitate quoad esse, iuxta Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 48. sect. 1. ab agilitate, & subtilitate quoad motum iuxta D. Th. in 4. dist. 44. q. 2. art. 2. quæstiunc. 1.

Animaduersio ex S. Th. 281 Nota hic, quod iuxta D. Th. in supplem. q. 84. a. 1. corpus per dotẽ subtilitatis subijcitur animæ in quantum est forma dans ei esse specificum:

per

Digitized by Google

per dotem vero agilitatis subijcitur ei in quantum est motor.

2. Obiectio.

282 Secunda obiectio: Requiritur dos, vt corpus subijciatur animę, quãtum ad vim apprehensiuam, & appetitiuam, ita vt imaginatio nec apprehendat aliquid, quod sit contra rationem, neque appetitus inclinetur ad illud: Ergo non sufficiunt quatuor dotes.

Respõsio.

283 Respondetur, quod sufficit ad hoc beatitudo essentialis animæ; Etenim in statu innocentiæ iustitia originalis subiectabatur in anima, quæ sibi subijciebat corpus quoad omnes vires suas concurrente etiam auxilio speciali Dei: Ita in præsenti ex ipsa anima glorificata oritur impeccabilitas, quæ ita redundat in corpus, vt corpus nihil possit apprehendere, & velle contra rationem.

3. Obiectio.

284 Tertia obiectio: Si corpus glorificatum haberet istas dotes, sequeretur, quod non esset idem numero, nam ex accidentibus, & perfectionibus diuersis colligitur diuersitas substantialis: Ergo non sunt ponẽdæ.

Respõsio.

285 Respondetur negãdo sequelam: Et ad probationem dicimus, quod tunc ex perfectionibus diuersis arguitur diuersitas substantialis, quãdo tales perfectiones oriuntur ex natura specifica, vel indiuiduali rei. Istæ etiam perfectiones non oriuntur ex natura specifica corporum, vel complexione indiuiduali eorum, sed ex beatitudine essentiali animæ, & ex voluntate Dei.

2. Concl. ex S. Th.

286 Respondeo secundò secundæ parti difficultatis: Impassibilitas corporis glorioſi consistit in exclusione cuiuscumque passionis, siue receptionis qualitatum, vel dispositionum contrariarum disponentium ad corruptionem. Ita S. Th. in supplem. q. 82. artic. 1.

Ratio cõclusionis.

287 Ratio est ex eodem S. Doctore. Omnis corruptio, vel passio fit ab aliqua forma pręualente aduersus alteram formam sibi subiectantem aliquam materiam: Sed anima perfectissimè sibi subijciet corpus in statu beatitudinis: Ergo nihil potest prævalere aduersus ipsam ad corruptionem sui corporis: Ergo, &c. Maior probatur; quia alioqui forma agens, non posset trahere ad terminos suos materiam alterius formæ. Minor probatur à D. Th. quia sicut anima in illa beatitudine erit immutabiliter subiecta Deo; ita corpus erit immutabiliter subiectum animæ.

3. Concl.

288 Respondeo secũdò: Dos agilitatis consistit in quadam perfectione, qua corpus redditur habile, & expeditum sine vlla sui fatigatione, non solum ad motum, sed etiam ad sensum, & omnes alias animæ operationes. Ita D. Th. in supplem. q. 84. a. 1. in corp. & ad 3.

Ratio cõclus. ex S. Th.

289 Ratio est eiusdem D. Th. quia corpus subijcitur animę perfectissimè, non solum in quantum est forma ipsius, sed in quantum est motrix: Sed ex hac perfectissima subiectione prouenit, vt corpus mouetur expeditè sine fatigatione: Ergo dos agilitatis, &c. Minor probatur à D. Th. in resp. ad 2. quia quantò magis virtus animę mouentis dominatur supra corpus, tantò minus est labor in motu, etiam qui fiat contra naturam corporis. Vnde videmus ait S. Th. quod illi, in quibus virtus motiua est fortior, & illi, qui habent ex exercitio corpus magis habilitatum ad obediendum spiritui mouenti, minùs laborant.

4. Concl.

290 Respondeo tertiò: Dos subtilitatis cõsistit in perfectione, qua corpus mouetur quocũq; voluerit absq; resistentia alterius corporis; siue vt ait D. Th. in supplem. q. 83. a. 1. consistit in quadam perfectione, ratione cuius corpus glorioſum dicitur spirituale, quasi omninò spiritui subiectum; Vel in quadam perfectione, ratione cuius corpus subijcitur quasi totaliter animæ tanquam formæ ad participandũ suum esse specificum spirituale; Ex quo sequitur, quod postea habeat vim ad peruadendum cætera corpora sine resistentia, & impedimento.

Animad-uersio.

291 Vt autem afferatur aliqua ratio congruens huius doctrinæ supponendum est ex D. Tho. loc. cit. quod subtilitas dicitur à virtute penetrandi;

Digitized by Google

di;nam illud dicitur subtile, quod penetrat, & subintrat partes alterius corporis. Rursus penetratio oritur ex paruitate quantitatis, vel ex paucitate materiæ; quia quantitas, vel materia impediunt penetrationem: Hinc fit, vt illa corpora dicantur subtilia, quæ minus habent de materia,& magis de forma, vt sunt corpora rara: vel illa, quibus maximè dominatur forma,& perficiuntur ab ea in suo esse specifico completissimo modo, vt sunt corpora Cœlestia, Sol, & Luna, Astrum,& similia. Dicuntur enim ista corpora esse subtilia, & tenuia, quia in eis maximè dominatur forma, & perficiuntur ab illa perfectissimo modo.

Ratio cõclusionis. 292 Hinc modò conficitur ratio. Anima glorificata maximè dominatur corpori, & perficit illud completissimo modo in suo esse specifico:Ergo tribuit illi quasi totaliter suum esse specificum spirituale: Ergo quodammodo minuitur, & attenuatur sua quantitas, & materia: Ergo redditur subtile, & penetratiuum; ac proinde dos subtilitatis consistit in perfecta subiectione corporis ad animam; vnde postmodum oritur,quod possit penetrare, & subintrare cætera corpora sine impedimento. Tota hæc doctrina colligitur ex D.Th. loc.cit. S.Th.

5. Concl. 293 Respondeo vltimò: Claritas corporis glorioſi consistit in lumine quodam existente in toto corpore Beati, & partibus eius, quo redditur lucidum,& transparens ad modum vitri lucidissimi, ita vt in ipso corpore cognoscatur gloria animæ, sicut in vitro cognoscitur color corporis cõtenti. Ita D.Th.in supplem.quæst.81. artic.1. S.Th.

Ratio cõclusionis. 294 Ratio huius responsionis est: Quia Matth.13.dicitur,quod *Iusti fulgebunt sicut Sol in Regno Cælorum.* Hęc autem claritas redundabit ex gloria animæ in corpus, & iuxta maiorem, vel minorẽ gloriã animæ, erit maior, vel minor claritas corporis. Id ipsum affirmat D.Th. loc.sup. cit. & probat authoritate Apostoli 1. Corinth. 11. vbi comparat gloriam corporum resurgentium claritati stellarum. Ait enim ibi Apostolus,*quod stella differt à stella in claritate,sic & resurrectio mortuorum.* Et hæc sufficiant de dotibus corporis, qui plura quærit, legat D. Aug.lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 18. & lib.20.etiam cap.18.& lib.22.cap.vlt. In Enchirid.cap.90. De spiritu, & littera cap.64.D.Th.in supplem.à q. 82. vsque ad q. 86. excluſiuè. Remanent solum examinandæ duæ difficultates de dote subtilitatis, & claritatis, quas breuiter tangemus. Vnde sit. D.Aug. S.Th.

LECTIO IV.

Vtrum corpus glorioſum ex vi ſolius dotis ſubtilitatis poſsit penetrare aliud corpus?

1. Concl. 295 Respondeo primò: Corpus glorioſum ratione dotis subtilitatis non habet vim ad penetrandum aliud corpus, sed indiget noua virtute Diuina, siue nouo miraculo. Ita D.Th.in supplem.q.83. a. 2. & communiter omnes Theologi præter Suarez,vt infrà videbimus. D.Th. Suarez.

Ratio cõclusionis. 296 Ratio est: quia dos subtilitatis non aufert dimensiones quantitatiuas eiusdem corporis:Ergo non potest esse simul in eodem loco cum alio corpore ex vi solius dotis subtilitatis.

Confir. 297 Confirmatur; quia dos subtilitatis tantum tribuit corpori, vt per quodcumque angustum spatium moueatur absque impedimento, & vt cætera corpora facilè illi cedant.

2. Cõclusio. 298 Respondeo secundò: Quamuis corpus glorioſum ex vi dotis subtilitatis nequeat penetrare aliud corpus, sed indigeat noua virtute Diuina; tamen talis virtus ei ad nutum aderit,vt quando voluerit, possit illud penetrare.Ita D.Th.in supplem,q.83. a.2. ad 3. & 4.

298Pro-

Digitized by Google

299 Probatur ex eodem D. Tho. loc. cit. in corp. art. Quia hæc penetratio ad libitum pertinet ad perfectionem gloriæ ipsius corporis. Præterea, quia Diuina virtus ad nutum in omnibus subueniet Beato.

Ratio cõcluſ. ex D.Th.

300 Respondeo tertiò: Corpora gloriosa quamuis possent ad libitum penetrare alia corpora gloriosa suffragante eis ad nutum Diuina Virtute, tamen non penetrabunt ea de facto. Ita colligitur ex D. Tho. in supplem. q. 83. a. 4.

3. Concl.

301 Ratio est, quia vnum corpus glorioſum non se opponet alteri. Præterea, quia inter corpora gloriosa seruatur debitus ordo, qui distinctionem admittit. Demum, quia non est decens, vt vnum corpus glorioſum ab alio penetretur.

Ratio cõcluſ.

302 Contra primam responsionẽ videtur esse Pater Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 48. sect. 3. vt refert Montes. inf. q. 5. a. 8. disp. 8. q. 3. n. 66. vbi ait, quod corpora gloriosa ex vi dotis subtilitatis penetrabunt Cœlos, vel alia corpora absque nouo miraculo: Quia sicut (ait ipse) motio, siue Virtus Diuina ad facienda miracula erat debita humanitati Christi tanquam instrumento ex vi vnionis hypostaticæ: ita ex vi subtilitatis est debita motio Diuina corpori glorioso ad penetrandũ aliud corpus absque nouo miraculo. Vnde infert ipse differentiam inter corpus glorioſum, & non glorioſum: Quod corpus non glorioſum, si deberet penetrare, aliud indigeret nouo miraculo; Corpus vero glorioſum nõ indigerret nouo miraculo, quia motio, & auxiliũ Diuinũ esset illi debitũ ex vi dotis subtilitatis; Semel enim, quod Deus illi contulit hanc dotem subtilitatis, contulit etiam illi consequenter motionem, vel auxilium Diuinum ad penetrationem.

Sententia contraria Suarez.

303 Hæc sententia, vt diximus, est contra communem sensum Theologorum: Quia dos subtilitatis, vt dictum est, non excludit dimensiones quantitatiuas corporum beatorum, quæ exigunt diuersitatem situum, & consequenter ex vi solius dotis subtilitatis non obligatur Deus ad conferendum corpori beato vim penetrandi aliud corpus, sed solum si obligaretur Deus ad istud auxilium, esset ex vi perfectionis completæ gloriæ beatorum. Vnde possumus afferre disparem rationem ad fundamentum sententiæ Patris Suarez, scilicet, quod humanitas Christi ratione vnionis hypostaticæ habet quandam necessariam connexionem cum virtute instrumentali faciendi miracula; subtilitas verò non habet necessariam connexionem cum virtute penetratiua.

Sententia Suarez reijcitur.

LECTIO V.

Vtrum corpora Beatorum futura sint clara ex lumine intrinseco, siue in ipsis existente?

304 Respondeo primò: Dos claritatis ita erit intrinseca corpori glorioso, vt totum corpus quoad omnes partes suas futurũ sit lucidum, & transparẽs ad modum vitri, imò crystalli purissimi.

1. Concl.

305 Probatur primò ex illo Matth. 13. *Fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris mei.* Deinde probatur test. Patrum. Sanctus enim Greg. lib. 18. Moral. cap. 27. exponens illud Iob: *Non adæquabitur ei aurum, neque vitrum*: ait: *Quid ergo aliud in auro, vel vitro accipimus, nisi illam supernam patriam, illam beatorum ciuium Societatem, quorum corda sibi inuicem, & claritate fulgent, & puritate translucent?* Et infrà. *Patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia.* Et S. Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. vlt. loquens de corporibus beatorum, ait: *Omnia membra, & viscera incorruptibilis corporis proferentur in laudibus Dei.* Et reddit rationem huius dicti: *Quia omnes illi, qui nunc latent corporalis harmoniæ numeri, tunc non latebunt.*

Probat. ex SS. Script. & SS. Patr. D. Greg. D. Aug.

Digitized by Google

306 Tandem probatur ratione: Quia dos claritatis redũdabit in corpus glorioſum ex gloria animæ: Sed anima actuabit omnes corporis partes: Ergo omnes corporis partes erũt luce ſuffuſæ,& tranſparentes. Maior, quæ habet aliqualem difficultalem probatur: Quia omnes corporis dotes redundabunt in illud ex gloria animæ, vt vult D. Th.locis citatis.

Ratio cõcluſ.

307 Reſpondeo ſecundò: Corpora glorioſa erũt magis,& minùs clara, ſecundum quod magis,vel minùs erit anima glorioſa.Ita D.Th. in ſupplem. q. 85.a.1.Probatur 1.ex Apoſt. 1. Corinth. 15. vbi comparat claritatẽ corporum reſurgentium claritati ſtellarum: Ait enim: *Stella differt à Stella: ita,& reſurrectiõ mortuorum*:Sed Stellæ ſunt inæquales in luce:Ergo & corpora:Sed hæc inæqualitas glorię corporis nõ poteſt prouenire,niſi ab inæqualitate gloriæ animæ: Ergo,&c.

2. Concl. & Prob. ex S. Scr.

308 Probatur ſecundò: Quia ex gloria animæ, vt dictum eſt,redundabit claritas in corpus: Sed gloria animæ eſt inæqualis; cum detur iuxta maius, vel minus meritum: Ergo, &c.

Prob. ex ratione.

309 Contra primam reſponſionem eſt argumentum; Quia lux eſt actus corporis diaphani, vel perſpicui, vt perſpicuum eſt: Sed corpora beatorum non erunt perſpicua: Sed denſa: Ergo. Reſpondetur breuiter ex D. Th. loco cit. quod claritas beatorum corporum erit ex alia cauſa, quàm ſit iſta lux, quam modò videmus, & ideò poterit reddere totum corpus lucidum, & tranſparens, quãuis ſit denſum. Habebit enim corpus glorioſum lucem non ex natura componentium, ſed ex merito virtutis.

1. Obiectio,& reſponſio.

S.Th.

310 Secundum argumentum,quia corpora glorioſa erunt colorata: Ergo opaca: Ergo non tranſparentia. Reſpondetur ex D. Th. quod claritas perficiet colorem corporum beatorum, & reddet eum magis lucidum. Neque repugnat, vt ſint ſimul color, & lux in eodem ſubiecto per Diuinam Potentiam. Patet etiam hoc in vitro viride: quamuis enim ſit coloratum, eſt nihilominus tranſparens. Et hæc de dotibus corporis. Qui plura quærit, videat D.Th.loc.cit.

2. Obiectio,& reſponſio.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ad beatitudinem requirantur aliqua exteriora bona?

311 Reſpondet primò D. Th. quod ad beatitudinem imperfectã, qualis in hac vita haberi poteſt, requiruntur exteriora bona inſtrumentaliter. Ratio eſt, quia beatitudo huius vitæ conſiſtit in operatione virtutis ſecundum Philoſophum 1. Eth. Sed ad operationem, tam virtutis cõtemplatiuæ, quam actiuæ indiget homo neceſſarijs corporis: Ergo.

Ariſt.

312 Reſpondet ſecundò, quod ad beatitudinem perfectam, quæ in viſione Dei conſiſtit, nullo modo requiruntur bona exteriora. Ratio eſt, quia huiuſmodi bona requiruntur ad ſuſtentationem vitæ animalis:Sed illa vita beata erit purè ſpiritualis: Ergo.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS VIII.

Vtrum ad beatitudinem requiratur societas amicorum?

313 REspondet primò D. Tho. quod ad beatitudinẽ huius vitæ requiritur societas amicorum instrumẽtaliter. Ratio est, quia indiget homo ad bene operandum auxilio amicorum.

314 Respondet secundò, quod ad beatitudinem alterius vitæ requiritur societas amicorum ad bene esse, non autem simpliciter, vel essentialiter. Ratio est, quia homo habet totam plenitudinem suę perfectionis in Deo; extrinsecùs autem (vt ait Aug.) gaudet de societate amicorum.

315 Super istos duos art. nihil occurrit dicẽdũ; Solũ aduertere curaui, quod studiosissimi lectores, pertractatis meis lectionibus in præsentẽ quæstionem IV. D. Tho. de Beatitudine, omninò dent operã eruditissimis elucubrationibus elaboratis per N. PP. Salmanticenses, P. Philippũ à SS. Trinitate; P. Gabrielem à Sancto Vincentio in primam secundæ S. Tho. super eandem quæstionem 4. & maximè super eius quartum articulum, ibi enim præfati Authores disputantes subtilissimè de impeccabilitate Beatorum, & de eorum dotibus, aliqua insignia, & efficacia testimonia N. Seraphicæ S.M. Theresiæ etiam afferunt pro eorum sententia.

N. Salmãtic.
N. Philippus à SS. Trinit.
N. Gabr. à S. Vinc.
N. S. M. Theresia.

QVAESTIO V.

De adeptione beatitudinis in octo art. diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum homo possit consequi beatitudinem?

1 REspondet D. Th. affirmatiuè. Prima ratio est: Quia quicumque est capax perfecti boni, potest peruenire ad beatitudinem: Sed homo est capax perfecti boni: Ergo, &c. Maior probatur, quia beatitudo est adeptio perfecti boni. Minor etiam probatur; quia homo per intellectum potest comprehendere vniuersale, & perfectum bonum, & uoluntas eius illud appetere. Secunda ratio est, quia ut in prima parte dictum est, homo est capax visionis Diuinæ Essentiæ.

LECTIO VNICA.

Vtrum ratione naturali possit demonstrari possibilitas nostræ beatitudinis?

1. Concl. & eius 1. Ratio.

2 REspondeo primò: Non potest demonstrari lumine naturæ præcisè possibilitas nostræ beatitudinis supernaturalis. Ita communiter Thomistæ. Probatur primò, quia beatitudo nostra est supernaturalis quoad substantiam; Nam est de Deo, vt in se, & procedit à lumine gloriæ: Ergo non potest per medium naturale ostendi: quia id, quod est purè naturale non habet connexionem cum supernaturali, nèc potest esse principium illius.

1. Confir. 3 Confirmatur primò; quia demõstratio nostræ beatitudinis; vel esset à priori, & per causam: vel à posteriori, & per effectum: Sed nullo modo id, quod est naturale potest habere rationem causæ, vel effectus rei supernaturalis: quia causa, & effectus debent esse proportionata: Ergo, &c.

2. Confir. 4 Confirmatur secundò, quia media supernaturalia ad finem supernaturalem, vt gratia, fides, charitas, &c. non possunt demonstrari ratione naturali: Ergo neque finis, quia finis non est consequibilis, nisi per media.

2. Ratio. 5 Probatur secundò, quia multi excellentes Philosophi, vt Aristoteles disputarunt de beatitudine, & nullam cognitionem habuerunt beatitudinis supernaturalis: Ergo signum est, quòd non est cognoscibilis lumine naturę.

2. Concl. 6 Respondeo secundò: Intellectus creatus adiutus lumine fidei, hoc est ex vno principio reuelato, & alio naturali, potest demonstrare possibilitatem nostræ beatitudinis.

Ratio cõclus. 7 Probatur, quia ex isto principio noto lumine fidei, exempli gratia: Homines, aut Angelos esse eleuatos ad ordinem supernaturalem media gratia, & charitate, quæ sunt participationes, & effectus Dei prout est in se; Et ex hoc alio principio cognito lumine naturæ, scilicet: Cognito effectu inest naturale desiderium homini cognoscendi causam quoad eam rationem, secundum quam est causa, infertur clarè, quod sit desiderium in homine ad videndum Deum, sicut est in se, ac proinde quod sit possibilis visio Dei.

8 Similiter ex isto principio noto ex fide: Deus assumpsit naturam humanam,

Digitized by Google

manam, vt hominem reduceret ad Cęlum: Et ex hoc alio noto lumine naturæ, scilicet Deus vt prima causa non potest frustrari in suis effectibus, clarè infertur, quod homo potest assequi; imò assequetur suam beatitudinem: ergo, &c.

9 Respondeo tertiò: Intellectus excitatus lumine fidei potest procedere ad concludendum probabiliter solis probationibus, & coniecturis lumine naturæ notis beatitudinem nostram esse possibilem. 3. Concl.

10 Probatur primò, quia in materia de Trinitate solo lumine naturæ excitato per fidē ostenditur mysteriū illud non repugnare rationi: nā ex eo, quod dantur processiones intellectus, & uoluntatis in nobis, ostenditur non esse repugnans rationi, & per consequens possibile. Idem dicitur de Mysterio Incarnationis: Ergo etiam potest ostendi non repugnare rationi uisio clara Dei: Ergo probabiliter ostenditur non esse impossibilis. 1. Ratio.

11 Probatut secundò etiam ratione D. Th. in hoc art. Nam posito appetitu in homine ad suam ultimam perfectionem, quæ consistit in executione perfectissimi, & uniuersalissimi boni, potest inferri probabiliter possibilitas beatitudinis, quæ nihil aliud est, quam assecutio perfectissimi boni. 2. Ratio.

12 Contra nostram sentētiam est Scotus, & Vasq. hìc, qui dicunt posse lumine naturæ demostrari possibilitatem Diuinæ uisionis: quorum argumenta concludunt solam nostram tertiam responsionem, sed quatenus pugnant contra primam proponuntur. Sententia opposita Scoti, & Vasquez.

13 Primum argumentum est: Euidens est lumine naturæ intellectum creatum uirtute propria, aut ex Dei eleuatione posse cognoscere quidquid continetur sub obiecto adęquato illius: Ergo euidens est posse cognoscere Deum prout est in se. 1. Argum.

14 Respondetur primò non esse euidēs lumine naturæ obiectum adęquatum nostri intellectus esse ens vt abstrahit ab ente naturali, & supernaturali, & consequenter non esse euidens virtute Diuina posse eleuari ad visionem Dei prout est in se. 1. Respō-sio.

15 Respondetur secundò admisso, quod ens, vt abstrahit à naturali, & supernaturali sit obiectum adęquatum intellectus creati; nihilominus adhuc potest dici, quod intellectus nō posset eleuari ad videndum Deum, vt est in se, cum esset obiectum improportionatum, & excedens. 2. Respō-sio.

16 Secundum argumentum, & est Scoti. Est euidens lumine naturæ, quod visio intuitiua conueniens oculo, conueniat intellectui: Ergo potest demōstrari lumine naturę intellectum posse videre Deum. Antecedens probatur; (nam cons. est legitima.) Quia est euidens lumine naturæ, quod perfectio conueniens potentiæ inferiori conueniat potentiæ superiori, quando vtraque pertinet ad idem genus. 2. Argum.

17 Respondetur negando antecedens. Ad probationē dico, quod nec etiā est vera: Nam homo est superior Cœlo, & tamen non conuenit ei impassibilitas, & incorruptibilitas Cœli: Similiter cognitio fidei est superior visione corporea, & ei non conuenit euidentia visionis corporeæ. Ratio autem cur visui competat intuitio sui obiecti, & non intellectui absolutè, & simpliciter erga suum obiectum est, quia potentia visiua est naturalis, & determinata ad obiectum materiale; potentia intellectiua est spiritualis, & determinata ad obiectum magis spirituale, scilicet ens in tota sua latitudine, quod sufficit attingere intuitiuè quoad id, quod est proportionatum, & non quoad id, quod est excedens. Respōsio.

18 Tertium argumentum: Intellectus creatus est capax radicaliter visionis Diuinæ secundum suam naturam: Sed Angelus videt prædictam capacitatem: Ergo potest iudicare euidenter ei esse possibilem visionem beatam. 3. Argum.

19 Respondetur primò, quod capacitas radicalis visionis in intellectu est potentia obedientialis radicalis super- 1. Respō-sio.

ſupernaturalis in ſententia aliquorum Thomiſtarum 3. p. q. 13. quæ non poteſt concipi lumine naturæ ab Angelis.

20 Reſpondetur ſecundò, quod quamuis intellectus Angelicus comprehendat intellectum, non eſt neceſſe, vt de facto comprehendat omnia obiecta in particulari excedentia virtutem naturalem ipſius intellectus, ſed ſufficit, vt comprehendat obiecta ſua connaturalia in particulari; excedentia verò inconfuſo, & ſecundum communem rationem obiecti. Patet exemplo eiuſdemmet intellectus Angelici; nam quamuis intellectus Angelicus comprehendat ſemetipſum, non comprehendit tamen creaturas naturales poſſibiles ſpectantes ad aliud vniuerſum in particulari, ſed ſolum in confuſo: quia non pertinent ad obiectum connaturale ipſius, vel ad obiectum, reſpectu cuius ſunt illi debitæ ſpecies intelligibiles.

2. Reſpõſio.

21 Quartum argumentum: Euidẽs eſt lumine naturæ, quod myſteria noſtræ fidei ſint euidenter credibilia: Ergo euidens eſt, quod viſio Diuina ſit euidẽnter credibilis, ac proinde poſſibilis, quia fides non inclinat ad falſum.

4. Argum.

22 Ad hoc argumentum reſpondetur, quod non ſequitur ex eo, quod myſteria noſtræ fidei ſint euidenter credibilia, ſint euidenter poſſibilia: quia euidentia credibilitatis ſumitur per ordinem ad prudentem, & rectam rationem, quæ dictat fidem non poſſe dictare falſum: Poſſibilitas verò rei ſumitur per ordinem ad ipſas res poſitiuè: Ex eo enim, quod quis prudenter iudicat aliquod eſſe credibile, non iudicat illud ſimpliciter, & poſitiuè eſſe poſſibile; ſed ſolum non eſſe impoſſibile: quamuis poſſit ſubeſſe falſum tali iudicio. Vnde quamuis fidei noſtræ nihil poſſit ſubeſſe falſum, poteſt eſſe, quod non rectè applicetur, & ponatur à nobis ſub fide aliquod obiectum cum omnibus circumſtantijs requiſitis.

Reſpõſio.

23 Vltimum argumẽtum eſt: Quia euidens eſt lumine naturæ eſſe in homine appetitum innatum ad ſuam beatitudinem in communi: Ergo ad beatitudinem particularem. Reſpondetur, quod nullus eſt appetitus innatus ad beatitudinem in particulari, ſiue ad viſionem Dei; neque etiam elicitus.

5. arg. & reſponſio.

ARTICVLVS II.

Vtrum vnus homo poſsit eſſe beatior altero?

24 PRæmittit Sanctus Tho. quod in ratione beatitudinis duo includuntur, ſcilicet finis vltimus, qui eſt ſummum bonum, & adeptio, vel fruitio ſummi boni. Hoc poſito.

25 Reſpondet primò: Quantum ad bonum, quod eſt beatitudinis obiectum, & cauſa, non poteſt eſſe vna beatitudo maior alia. Ratio eſt, quia vnum eſt ſummum bonum, ſcilicet Deus, cuius fruitione homines ſunt beati.

26 Reſpondet ſecundò: Quantum ad adeptionem, vel fruitionem huiuſmodi boni poteſt aliquis eſſe beatior alio. Ratio eſt, quia poteſt eſſe meliùs diſpoſitus, & ordinatus ad fruitionem, vel adeptionem ſummi boni.

ARTICVLVS III.

Vtrum aliquis in hac vita poſsit eſſe beatus?

27 REſpondet S. Tho. Aliqualis beatitudinis participatio in hac vita haberi poteſt; perfecta autem, & vera beatitudo non poteſt haberi in hac vita.

Digitized by Google

vita. Prima ratio est: Quia in hac vita non potest excludi omne malum. Secunda ratio: Quia desiderium perfecti boni in hac vita satiari nō potest: nam homo naturaliter desiderat permanētiā boni, quod habet: Sed bona huius vitæ sunt trāsitoria. Tertia ratio: Quia beatitudo perfecta consistit in visione Dei, quæ in hac vita haberi nequit.

ARTICVLVS IV.

Vtrum beatitudo habita possit amitti?

28 DVO facit S. Th. in hoc art. principaliter: primò determinat beatitudinem imperfectam huius vitæ esse amissibilem: Secundò refert sententiam Orig. dicentis beatitudinem alterius vitæ esse amissibilem, & illam reprobat, & simul determinat oppositum.

29 Quoad primum dicit, quod beatitudo imperfecta, qualis in hac vita haberi potest, potest amitti. Probat primò de beatitudine contemplatiua: Quia potest amitti per obliuionem, vel corrumpi per ægritudinem, vel per aliquas occupationes, quibus homo totaliter distrahitur à contemplatione.

30 Probat secundò de fœlicitate actiua: quia volūtas hominis transmutari potest, quia potest degenerari à virtute, in cuius actu principaliter cōsistit: Vel saltem ipsa virtute permanente possunt perturbari, & impediri eius operationes exterioribus trāsmutationibus.

31 Quoad secundum reprobat sētentiam Orig. qui tenuit beatitudinem perfectam alterius vitę esse amissibilem, & recuperabilem; duabus rationibus: Vna sumpta ex ipsa ratione beatitudinis in communi: Altera ex ipsa beatitudinè in particulari, & simul concludit beatitudinem alterius vitæ esse inamissibilem.

32 Prima ratio sumpta ex ipsa beatitudine considerata in communi est: Quia beatitudo debet excludere omne malum, nam de ratione beatitudinis, vt sic, est, vt sit perfectum bonum: Sed si beatitudo alterius vitę esset amissibilis non excluderet omne malum: Ergo. Probatur minor, quia non excluderet timorem amittendi illam, & incertitudinem de eius retentione.

33 Secunda ratio sumpta ex ipsa beatitudine in particulari est: Quia vno ex his tribus modis posset aliquis beatitudinem amittere: vel quia ipse nollet eam: vel quia Deus ipsi eā subtraheret: vel quia aliud agēs creatum eam illi auferret. Non primum. Quia beatitudo alterius vitæ consistit in visione Diuinæ Essentiæ: Sed impossibile est, quod non velit quis eam videre, siue recuset visionem Diuinæ Essentiæ; nam talis visio replet animā omnibus bonis, cum coniungat illam fonti totius bonitatis. Neque potest dici secundum. Quia subtractio beatitudinis à Deo est in pœnam peccati: Sed beatus nullo modo potest peccare, vt supra ostensum est: Ergo. Neq; potest dici tertium; Quia mens Deo coniuncta per visionem est supra posse cuiuscumque agentis creati: Ergo ex nullo cap. potest Beatus amittere beatitudinem. Remanet ergo (*concludit Sanctus*) quod inconueniens est, quod per quasdam alterationes temporum transeat homo de beatitudine ad miseriam, & è conuerso.

LECTIO I.

Vtrum beatitudo sit natura sua incorruptibilis, & perpetua?

34 AD huius difficultatis euidentiam aduerto ex D. Th. Animaduersio.

Digitized by Google

Th. 1. p. q. 50. ad 3. in fine, quod illud dicitur formaliter corruptibile, quod dicit potentiam passiuam naturalem ad receptionem contrariorum, siue ab agente extrinseco, siue ab agente intrinseco, hoc est ex proprijs principijs intrinsecis: Illud verò, quod non dicit potentiam passiuam naturalem ad receptionem contrariorum, sed quandam non repugnantiam, dicitur potius destruibile. Vnde potentia passiua naturalis distinguitur à potentia obedientiali passiua, siue nõ repugnantia, quia potentia passiua naturalis dicit ordinem ad potentiam actiuam naturalem, à qua reducatur in actum: potentia vero obedientialis, siue non repugnantia dicit tantum subiectionem creaturæ suo Creatori, vt de ea faciat quidquid velit.

35 Explicatur magis, quod potentia naturalis passiua distinguitur à potentia obedientiali passiua, siue nõ repugnantia, quia natura intellectualis dicit potentiam passiuam obediẽtialem ad videndum Deum, non verò potentiam passiuam naturalem; Nam si hanc haberet, exigeret actiuam, per quam reduceretur in actum. His notatis.

36 Respondeo primò. Visio beata natura sua est incorruptibilis. Ita communiter Thomistæ hìc. 1. Concl.

37 Probatur, quia illud est formaliter, & natura sua incorruptibile, quod non est susceptiuum contrariorum; siue nullam habet potentiam passiuam naturalem ad corruptionẽ: Sed visio beata non est susceptiua cõtrariorum, siue non habet potentiam passiuam naturalem ad corruptionẽ: Ergo natura sua est incorruptibilis. Maior patet ex his, quæ supposuimus, & communi sensu philosophorum, qui id vocant corruptibile, quod est susceptiuum contrariorum, siue ab agente extrinseco, siue intrinseco: Ergo è cõtra id est incorruptibile, quod non est contrariorum susceptiuum. Minor probatur: quia in compositis substantialibus materialibus materia prima dicitur susceptiua contrariorũ, quæ non reperitur in purè spiritualibus; Similiter in compositis accidentalibus est ipsum subiectum: Visionis autem beatæ subiectum est ipse intellectus, qui cum semel susceperit lumen gloriæ, & ipsam visionem, non est vlteriùs susceptiuus cõtrariorum, quippè cum eleuatus sit supra omne agens naturale per conjunctionem ad Deũ. 1. Ratio cõclusionis.

38 Confirmatur hæc ratio; quia anima, & Angelus natura sua dicuntur incorruptibiles, & perpetui, cum sint formæ spirituales subsistẽtes, & à nulla materia separabiles, vt ait D. Th. 1. p. q. 50. a. 5. Ergo visio beata etiã erit natura sua incorruptibilis, cum quodammodo participet naturam ipsorum. 1. Confir. S. Th.

39 Confirmatur secundò, quia posita visione, est ei debitus concursus Dei ad perpetuam durationem: Ergo natura sua est incorruptibilis, & perpetua. Probatur Antecedẽs, (nam consequentia est euidens) quia posito Angelo est ei debitus concursus Dei ad perpetuam sui conseruationem, nam natura sua non habet principia corruptibilitatis, siue exigit incorruptionem. Similiter posito igne exigit natura sua concursum ad calefactionem, quia ex sui natura est calefactiuus. 2. Confir.

40 Probatur secundò ex Arist. 1. De Cœlo cap. 12. Quia quidquid est corruptibile habet natura sua tempus determinatum ad essendum, ita vt vlteriùs non possit existere: Sed visio beata non habet tempus determinatum ad essendum, nam non est assignabile tempus determinatum sui esse: Ergo, &c. 2. Ratio ex Arist.

41 Contra nostram sententiam est Scotus, qui in 4. dist. 49. q. 6. tenuit visionem beatam esse perpetuam ex Dei voluntate volentis perpetuò cõseruare illam, non verò ab intrinseco, & natura sua. 1. Sententia cõtraria Scoti.

42 Primum fundamentum ipsius est, quia beatus potest pro voluntate sua cessare ab actibus beatificis: Ergo. Sed hoc fundamentum satis quidem infirmum est, vt supra vidimus quoad 1. Fũdam. & eius exnodatio.

Digitized by Google

quoad actum voluntatis, & multò magis quoad actum visionis, qui omninò necessarius est posito lumine gloriæ, & Essentia Diuina vnita in ratione speciei intelligibilis.

43 Secundum fundamentum Scoti est; Quia visio beata est ens creatũ: Ergo natura sua cõtingens, quod potest esse, & non esse, & per consequens corruptibile. Respondetur, quod sit ens creatum ex ijs, quæ possunt esse, & non esse in ordine ad Deum, vt sunt Angeli, non vero in ordine ad causas creatas, cum non habeat contrarium.

2. Fũdam. & respon. sio.

44 Tertium argumentum esse potest pro hac sententia; Quia lumẽ gloriæ non est debitum subiecto: Ergo neque debetur ei conseruatio in esse: Ergo neque incorruptio, & perpetuitas; ac per consequens neque visioni, quæ pendet ab illo.

3. Fũdam.

45 Ad hoc argumentum respondetur, quod lumen gloriæ si secundum se consideretur, non est debitum subiecto; ex suppositione autem, quod est collatum subiecto, debetur ei conseruatio in esse; imo ipsum compositum ex subiecto, & lumine exigit conseruationem in esse, cum natura sua nullum habeat contrarium. Patet exemplo manifesto, nam posito lumine in intellectu debetur ei concursus ad videndum: ita à pari posito lumine gloriæ in intellectu, debetur ei conseruatio in esse, quia natura sua exigit durationem facta tali positione.

Respõsio.

46 Quartum argumẽtum est; quia priuatio est principium corruptionis: Sed intellectus videtur est subiectus priuationi luminis gloriæ, quia est forma illi extrinsecùs aduenies: Ergo.

4. Fũdam.

47 Respondetur breuiter, quod non quæcumque priuatio est principium corruptionis, sed illa, quæ supponit capacitatem in subiecto ad formam repugnantem, quæ capacitas non inuenitur in intellectu respectu formæ repugnantis lumini gloriæ.

1. Respõsio.

48 Addo, quod in intellectu propriè non est priuatio visionis, sed mera negatio.

2. Respõsio.

49 Demum dico, quod si esset aliqua priuatio in eo, esset solum in ordine ad Deum per potentiam obedientialem passiuam.

3. Respõsio.

50 Quintum argumẽtum est; Quia gratia, & charitas sunt corruptibiles: Ergo multò magis lumen gloriæ.

5. Fũdam.

51 Respondetur, quod gratia, & charitas sũt corruptibiles in via, quia habent cõtrarium, scilicet peccatum; in patria autem dicuntur incorruptibiles, quia nullum habent contrarium. Sic dicimus de lumine gloriæ, quia in Patria nullum habet contrarium, ex natura sua est incorruptibile.

1. Respõsio.

52 Vel dico breuiùs, & clariùs, quod gratia, & charitas natura sua exigũt perpetuitatem, & secum illam afferunt, dum sunt in statu perfecto; In hac autem vita, quia non sunt in statu perfecto, sũt corruptibiles quasi per accidens.

2. Respõsio.

53 Sextum argumentum est; Visio Diuina, quam habuit Beatissima Virgo, vel Moyses de facto fuit corrupta: Ergo. Respondetur, quod hoc fuit ex voluntate Dei, nam visio illa quantum erat ex se fuisset perpetua.

6. Argum. & respon. sio.

54 Secunda sẽtentia est Vasquez; qui dicit actus beatificos esse corruptibiles à Deo, non à creatura. Probat primò à simili de Angelis: quia D. Damasc. lib. 2. de fide Orthod. cap. 3. ait Angelos esse immortales non natura, sed gratia Dei, & eodem modo loquuntur alij Patres: Ergo, & actus beatifici.

2. Sententia opposita Vasq. & 1. arg.

55 Huic argumento multipliciter respondetur. Primò, quia immortalitas hìc sumitur pro omnimoda immutabilitate, & hæc est ex gratia Dei. Secundò, quod sumatur pro impeccabilitate, & hæc etiam est ex gratia Dei. Tertiò, quòd quamuis immortalitas sit debita Angelis ex eorum natura; tamen dicitur gratia Dei, quia Deus nulli est debitor, vt ait D. Th. 1. p. q. 21. 2. 1. ad 3.

Variæ respõsiones ad 1. arg.

56 Probat secũdò. Ideò Deus potest producere aliquid, quia illud est possibile natura sua: Ergo ideò potest

2. Argum.

destruere actus beatificos, quia natura sua sunt destruibiles, & corruptibiles. Idem dicitur de Angelis, & alijs rebus spiritualibus.

Respõsio. 57 Respondetur, quod ideò aliquid est producibile à Deo, quia natura sua dicit non repugnantiam ad essendum, vt patet de hoc mundo, dũ erat in statu possibilitatis. Similiter dicitur de actibus beatificis, & alijs rebus spiritualibus. Dicũtur enim destruibiles, non quia habeant aliquam potentiam passiuam naturalem ad destructionem per ordinem ad potentiam actiuam Dei; Sed quia habent potentiam passiuam obedientialem, siue non repugnantiam ad hoc vt destruantur à Deo; Neque enim sequitur, quod ex hoc, quod dicant non repugnantiam ad destructionem in ordine ad Deũ, quod propterea natura sua sint destruibiles; Sicut non sequitur ex hoc, quod mortui sint suscitabiles à Deo, quod natura sua sint suscitabiles; Sed solum quod dicant non repugnantiam, vel potentiam obedientialem passiuam.

LECTIO II.

Vtrum de ratione beatitudinis sit, quod de facto perpetuò duret?

58 DIximus in præcedenti lectione, quod de ratione beatitudinis est, vt natura sua, & in actu primo exigat perpetuam durationem. In præsenti lectione quærimus: An de ratione eius sit actualis duratio perpetua? Siue an in conceptu suo essentiali importet durationem perpetuam in actu secundo, ita vt non habeat veram rationem beatitudinis si ei non conueniat actualis duratio?

Conclusio. 59 Et respondeo breuiter, quod de conceptu essentiali beatitudinis non sit actualis duratio perpetua, sed tantum, quod sit exigitiua perpetuæ durationis. Ita Montes. hìc, & communiter Thomistæ, & expositores D. Th. vt refert idem Montes. Montes.

1. Ratio. 60 Probatur primò ratione generali, quia de conceptu essentiali cuiuscumque rei spiritualis non est actualis duratio perpetua: Ergo neque de conceptu essentiali visionis beatæ. Antecedẽs probatur primò; Quia duratio rei nihil aliud est, quam ipsa res connotans causam extrinsecam, siue Deum, qui perpetuò sit conseruaturus eam in esse, quod quidem est extra conceptum essentialem ipsius rei. Secũdò: Quia eiusdem naturæ est Angelus, si Deus creet illum conseruaturus eum pro vno die, ac pro tota æternitate. Quod enim perseueret in esse pro vno mense, vel pro tota æternitate est extra conceptum suum essentialem. Consequentia videtur nota ex paritate rationis: Nam etiam visio beata est spiritualis, & per consequens debet illi aduenire duratio perpetua actualis; imò in suo conceptu essentiali solum dicit, quod sit assecutio summi boni.

Confir. 61 Confirmatur ratio ista ratione Durandi: Quia eiusdem rationis est visio Dei durans vna hora, vel vno die, ac visio Dei durans perpetuò: Ergo non est de conceptu essentiali visionis actualis perpetuitas.

Euasio Vasquez. 62 Respondet Vasquez huic rationi, quod visio durans vno die, & visio durans in perpetuum sunt eiusdem rationis in ratione operationis, non vero in ratione beatitudinis. Dupliciter enim potest considerari visio Dei ex sua sententia, vt infrà videbimus: & vt visio: & vt beatitudo: Vt visio non importat perpetuitatem; Vt beatitudo verò exigit actualem perpetuitatem.

Præcluditur primò hæc euasio. 63 Sed contrà. Primò, quia si sunt eiusdem rationis in ratione operationis, sunt autem eiusdem rationis in ratione beatitudinis, quia eatenus beatificat quælibet visio Dei, quatenus in suo conceptu essentiali est operatio assecutiua summi boni exigens perpetuam durationem: Ergo si eiusdem ra-

Digitized by Google

rationis sunt duæ visiones in ratione operationis, erunt etiam eiusdem rationis in ratione beatitudinis.

Præcluditur secundò.

64 Secundò. Visio Dei, quæ durat pro hoc die (exempli gratia) non pendet essentialiter à duratione subsequentis diei, sicut ex hoc, quod anima D. Francisci sit beata hodie, nõ pendet ex hoc, quod sit beata cras: Ergo duratio, siue perpetuitas non est de conceptu essentiali beatitudinis.

Præcluditur tertiò.

65 Tertiò & magis clarè: Si Deus terminaret hìc, & nunc visionem beatam D. Petri, non sequeretur dicendum, quod illa non fuisset vera beatitudo: Ergo perpetuitas actualis est quid consequens ad essentiam beatitudinis.

2 Ratio.

66 Probatur secundò impugnando rationem sententiæ oppositæ: Quia ideò per authores contrarios actualis perpetuitas est de ratione beatitudinis, quia debet excludi omnis timor, & anxietas omissionis illius: Sed hæc ratio nulla est: Ergo nulla eorum sententia. Probatur minor; Quia talis timor, & anxietas sufficientissimè excluditur per hoc, quod beatitudo natura sua sit exigitiua actualis perpetuitatis; siuè, quod natura sua apta sit perpetuò durare: Quiescit enim vniuscuiusque Beati animus cum videt beatitudinem suam natura sua esse aptam ad perpetuam durationem, sicut (vt exemplo Montes. vtar) quiescit cuiuscumque cordati viri animus, neque timet casum Cæli ex hoc solum, quod nouit Cælum exigere natura sua perpetuitatem.

3. Ratio.

67 Probatur tertiò: Quia ideò amor, & fruitio beatifica non sunt de essentia beatitudinis, quia vt supra dictum est, consequuntur tanquam passiones ad illam: Sed etiam actualis perpetuitas est perfectio consequens ad beatitudinem: Ergo non pertinet ad eius essẽtiã. Probatur minor; Quia prius est, quod res sit, quam quod duret, & firmetur in suo esse.

4. Ratio.

68 Probatur vltimò; Quia id, quod facit hominem formaliter beatum est bonum præsens actualiter possessum: Sed actualis perpetuitas rei est potiùs quoddam bonum futurum: Ergo non potest perpetuitas actualis visionis reddere essentialiter hominem beatum.

Sententia oppositа Vasquez, & Suarez.

69 Contra nostram sententiam est Vasquez, qui dicit, quod si sermo sit de visione quantum ad suam essentiam, de ratione ipsius non est actualis perpetuitas: Si vero est sermo de visione, vt est beatitudo, in sua ratione essentiali includit actualem perpetuitatem. Vnde in sententia Vasquez ex visione, & actuali perpetuitate cõponitur essentialis nostra beatitudo. Hanc eandem sententiam videtur sequi Suarez hic tract. 1. disp. 14. sect. 3. n. 4. vbi dicit, quod visio Dei, & amor ipsius, vt possit denominare hominem simpliciter beatum requirit, quod perpetuò duratura sit.

1. Arg. ex Arist.

70 Probatur primò hæc sententia ex Arist. 1. Eth. cap. 7. vbi loquens de beatitudine huius vitę, ait, quod sicut vna hirundo non facit ver; Sic vnus dies, vel breue tempus non facit hominem beatum.

Respõsio.

71 Respondetur, quod Arist. ibi loquitur de beatitudine integra huius vitæ quoad omnem suam perfectionem accidentalem, quæ quidem exigit diuturnitatem, nec vnus dies, vel breue tempus facit hominem cõpletè, & integrè beatum, sed essentialiter beatum.

2. Arg. ex D. Aug.

72 Probatur secundò ex D. Aug. 13. de Trin. cap. 8. vbi docet, immortalitatem esse de ratione beatitudinis: Ait enim. *Cum ergo beati esse homines volunt, si verè volunt, profectò, & esse immortales volunt.*

Respõsio.

73 Respondetur eodem modo, quod S. Aug. loquitur de beatitudine vndequaque perfecta etiam perfectione accidentali, & integrali, de cuius ratione est immortalitas.

3. Arg ex eod. s. Augustino.

74 Probatur tertiò ratione D. Augustl. loco cit. Nam D. Aug. ibi non solum dicit immortalitatem esse de ratione beatitudinis, sed illud probat. Ratio autem eius est hæc: Quia si beatitudo non est perpetua, vel deserit

Digitized by Google

ipsum hominem volentem, vel nolentem; vel neque volentem, neque nolentem. Non primum; quia nullus est, qui velit non esse beatum. Non secundum; quia esset maxima miseria, quod quis vellet esse beatus, & ipso nolente priuaretur beatitudine. Neque tertium; quia vnusquisq; vult esse beatus: Ergo non datur iste status neuter, in quo aliquis neque velit, neque nolit esse beatus.

75 Respondetur breuiter, quod Respõsio. S. Aug. non loquitur ibi de perpetuitate beatitudinis in ordine ad Diuinam potentiam; sed de facto, & via ordinaria, vt pendet ab ipsa voluntate hominis: Et iuxta hanc considerationem concludit ratio ipsius, nam quilibet Beatus non solum vult beatitudinem essentialem, sed etiam accidentalem, & omnes perfectiones beatitudinis. In ordine autem ad Diuinã potentiam, qua Deus vellet auferre beatitudinem alicui Beato, ipse neutro modo se haberet, siue non repugnaret, siue etiam vellet: Neque propterea sequitur, quod non fuerit essentialiter Beatus pro eo tempore, pro quo durauit sua beatitudo.

76 Probatur quartò ex D. Th. in 4. Argum. ex S. Th. hoc art. in quo dicit beatitudinem esse inamissibilem. Primò sumpta ratione ex beatitudine in communi, quia scilicet debet excludere omne malũ, & quietare omne hominis desideriũ: Secundò sumpta ratione ex beatitudine in particulari, scilicet, quia non potest cessare ex voluntate ipsius Beati, neque ex voluntate Dei, neque ex voluntate, vel actione alterius agentis creati.

77 Respondetur, quod loquitur Respõsio. S. Th. de via ordinaria, & secundum quod de facto res se habet: Neque aliud intendit; quam concludere, quod beatitudo non possit amitti: An autẽ de essentia beatitudinis sit actualis perpetuitas, hoc non tangit: neq; rationes eius hoc concludunt, vt consideranti patebit.

78 Non prima: Quia sufficienter saluatur, quod beatitudo debet excludere omne malum, & quietare hominis appetitum, per hoc quod ipsa natura sua exigat perpetuitatem actualem. Neq; secunda: Nam quamuis de facto Deus non auferat beatitudinem semel collatam de lege ordinaria, quia esset pœna, posset tamen de sua potentia absoluta hoc facere non in pœnam, sed quia sic ei placeret.

79 Probatur quintò: Quia si beatitudo non esset actu perpetua, non 5. Argum. impleret actu totum hominis desiderium: quia desiderat homo vt bonum quod habet, perseueret semper. Neq; excluderet omnem metum: quia semper timeret eius amissionem: Ergo, &c.

80 Respondetur, quod non est de Respõsio. ratione beatitudinis actu explere totũ desiderium, & excludere omnẽ metũ, sed quod apta sit illa excludere. De metu patet in beatitudine Christi, quę non excluſit actu metum passionis. De desiderio, & metu simul etiam patet, quia alioqui requireretur etiam ad essentiam beatitudinis cognitio, quod nunquam habitura esset finem, quod falsum est.

81 Probatur sextò; De ratione beatitudinis est, vt excludat metum 6. Argum. amissionis sui ipsius: Sed si non esset de ratione ipsius actualis perpetuitas, non excluderet metum istum: Ergo.

82 Respondetur, quod excluditur metus amissionis sui ipsius per hoc, Respõsio. quod sit apta ad durandum in perpetuum; siue per hoc, quod natura sua exigat actualem perpetuitatem.

83 Vltimò potest argui ex Suarez; Vltimum argumentũ, & responsio. Quia beatitudo nisi dicat actualem perpetuitatem, non est completum bonum perfectè satiatiuum appetitus, quia deesset illi actualis perpetuitas: Ergo, &c. Respondetur, quod beatitudo sine actuali perpetuitate est cõpletum bonum essentialiter, non vero integraliter; nam cum actuali perpetuitate esset maius bonum extensiuè.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

Vtrum homo per ſua naturalia poſsit acquirere beatitudinem?

84 PRima reſponſio D. Th. eſt. Beatitudo imperfecta, quæ in hac vita haberi, poteſt ab homine acquiri per ſua naturalia eo modo, quo & virtus, in cuius operatione cõſiſtit. Probatio huius reſponſionis remittitur infrà ad q.63.

85 Reſponſio ſecunda eſt: Nec homo, nec aliqua creatura poteſt cõſequi beatitudinem vltimam per ſua naturalia. Probatur primò in argumento Sed contra ex illo ad Corinth. 1.cap.2.*Nec oculus videt,&c.* Probatur ſecundò in corpore art. Quia videre Deum per eſſentiam eſt ſupra naturam, non ſolum hominis, ſed etiam omnis creaturæ, quia Diuina eſſentia excedit in infinitum omnem ſubſtantiam creatam.

ARTICVLVS VI.

Vtrum homo conſequatur beatitudinem per actionem alicuius ſuperioris creaturæ?

86 PRima reſponſio D. Th. eſt. Impoſſibile eſt, quod beatitudo perfecta per actionem alicuius creaturę conferatur, ſed homo ſit beatus ſolo Deo agente. Probatur primò in argumento ſed contra ex pſal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Secundò in corpore: Quia beatitudo perfecta eſt bonum quoddam excedens omnem naturam creatam.

87 Secunda reſponſio. Si loquamur de beatitudine imperfecta, ſic eadem ratio eſt de ipſa, & dé virtute, in cuius actu conſiſtit. Patet ex concluſ. prima præcedentis art.

88 In reſponſione ad 1. dicit S. Th. quod homo adiuuatur ab Angelis ad conſequendum vltimum finem ſecundum aliqua præcedentia, quibus diſponitur ad eius conſecutionem. Hic aduerte, quod non negat S. Th. quod vnus homo poſſit alium iuuare tanquam cauſa moralis, & per meritum de congruo ad conſequendam beatitudinem.

ARTICVLVS VII.

Vtrum requirantur aliqua bona opera ad hoc, quod homo beatitudinem conſequatur à Deo?

89 PRima reſponſio D. Tho. eſt. Poſſet Deus de ſua potẽtia abſoluta facere ſimul volũtatẽ rectè tendentem in finem, & finem conſequentem, hoc eſt, quod homo conſequatur ſine aliqua operatione præuia beatitudinem. Ratio eſt; quia rectitudo voluntatis cauſata per actus virtutis antecedentes requiritur tanquam diſpoſitio.

90 Secunda reſponſio. Ordo Diuinæ Sapientiæ exigit, vt homo conſequatur beatitudinem per bona opera. Ratio prima, quæ colligitur, eſt: Quia ea, quæ nata ſunt habere aliquod bonũ perfectum, (vt dicitur ſecundo de Cælo:) aliqua habent ipſum ſine motu; aliqua vno motu; aliqua pluribus. Secunda ratio; quia beatitudo ex Philoſopho 1. Eth. cap. 9. eſt præmium virtuoſarum operationum. Sed ad maiorem claritatem ponit alias tres concl. D. Th. Vnde ſit in ordine.

91 Ter-

Digitized by Google

91 Tertia respõsio. Solius est Dei, quod ad beatitudinem non moueatur per aliquam operationem præcedentem. Ratio est; Quia habere bonum perfectum sine motu conuenit ei, quod naturaliter habet illud: Sed habere beatitudinem naturaliter solius est Dei: ergo, &c.

92 Quarta respõsio. Angelus, qui est superior ordine naturæ quàm homo, consecutus est beatitudinem ex ordine Diuinæ Sapientiæ vno motu operationis meritorię. Ratio est; Quia ex ordine Diuinæ Sapientiæ creaturæ rationales debent consequi beatitudinem, siue bonum perfectum proprio motu: Sed Angelus superior est natura homine: Ergo debuit consequi illam vno motu operationis.

93 Quinta respõsio. Homines consequuntur beatitudinem multis motibus operationum, qui merita dicuntur. Ratio, quæ colligitur consequenter ad dicta, est: Quia homines sunt imperfectiores natura Angelis: Ergo multis motibus meritorijs debent cõsequi beatitudinem ex ordine Diuinæ Sapientiæ. Vlterius, quia ex Philosopho beatitudo est præmium virtuosarum operationum. Discursus harum trium conclusionum vltimarum D. Th. fundatur præcipuè in hac propositione. Quod ea, quæ nata sunt habere aliquod bonum perfectum, aliqua habent illud sine motu, alia cum vno motu, alia vero cum motibus pluribus.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum omnis homo appetat beatitudinem?

94 SVpponit S. Th. in hoc art. quod dupliciter potest cõsiderari beatitudo: Vno modo secundum communem rationem beatitudinis: Alio modo secundum specialem rationem, scilicet, quantum ad id, in quo beatitudo consistit. Hoc posito.

95 Respondet primò: Si beatitudo sumatur secundum communem rationem beatitudinis, necesse est, quod omnis homo beatitudinem velit. Ratio est: Quia appetere beatitudinẽ in communi nil aliud est, quam appetere, vt voluntas satietur: Sed hoc quilibet vult: Ergo. Minor, quæ videtur habere aliqualem difficultatem probatur: Quia appetere beatitudinẽ in communi nil aliud est, quam appetere bonum perfectum, quod totaliter voluntati satisfaciat.

96 Probatur vlterius in argumento sed contra ex Aug. lib. 13. de Trin. cap. 3. in fine, vbi reprehendens D. Aug. quemdam Mimum, qui in scena dixerat se velle diuinare vniuscuiusque mentem, & dixit: *Omnes carò vendere vultis, vili autem emere*: At si dixisset: *Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid, quod nullus in sua non cognosceret voluntate: Quidquid enim aliud quisquã latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus nota est, non recedit.*

97 Respondet secundò: si beatitudo sumatur secundum specialem rationem, sic non omnes Beati esse volunt. Ratio est. Quia non omnes eam cognoscunt: nam non omnes sciunt cui rei communis ratio beatitudinis conueniat.

LECTIO I.

Vtrum in homine sit appetitus naturalis ad beatitudinẽ naturalem?

98 PRæmitto ad explicationem huius difficultatis, quod duplex est appetitus naturalis: Vnus innatus: Alter elicitus. Appetitus innatus nil aliud est, quam pondus naturæ ad operationem, & perfectionem Animaduersio.

Digitized by Google

nem sibi cõnaturalem. Hic autem appetitus est idem cum inclinatione naturali vniuscuiusque rei: differt autem solùm in hoc, quod inclinatio naturalis est ad propriam perfectionem secundum se, siue habitam, siue non habitam: Appetitus autem præsupponit carentiam, vel priuationem, & sic est ad perfectionem, quam non habet.

99 Patet hoc in materia prima: Ipsa enim dicitur habere inclinationem naturalem ad omnes formas, & quas habet, & non habet: Appetitum vero ad formas, quas non habet: Cõmuniter enim dicitur, quod priuatio sit causa appetitus. Ita Montes. hìc. Montes.

100 Rursus iste appetitus innatus reperitur in intellectu, & est pondus ipsius intellectus ad proprium actũ, & perfectionem sibi cõuenientẽ, scilicet verum sub ratione boni. Reperitur in voluntate, & est pondus ipsius voluntatis ad suum actum, & propriam perfectionem, siue obiectum, & reperitur vniuersaliter in qualibet potentia ad suum actum, & obiectum.

101 Appetitus innatus iterum duplex est: Vnus, qui fundatur in potentia passiua, & est naturalis inclinatio ad aliquid recipiendum, siue patiendum: Alter, qui fundatur in potentia actiua, & est naturalis inclinatio ad aliquid agẽdum. Ratio est; Quia cum sit pondus naturæ, vnaquæque res fertur iuxta proprium modum.

102 Sic eruditè obseruauit Suarez hìc disp. 16. sect. 1. n. 3. Hæc de appetitu innato. Appetitus autem elicitus est actus voluntatis, vel appetitus sensitiui, qui sequitur ad cognitionem. Suarez.

103 Præmitto secũdò, quod beatitudo naturalis hominis obiectiua: Alia est in communi: Alia in particulari: Beatitudo obiectiua in communi est ipsa ratio boni vt sic, beatitudo autem particularis obiectiua, prout hìc sumitur, est quodlibet bonum particulare, & perfectio cuiuscumq; potentiæ, siue appetitus. 2. Animaduersio.

104 Præmitto tertiò, quod alia est necessitas quoad specificationem: & alia quoad exercitium. Vlteriùs, quod alia sit quoad exercitium, & specificationem simul: alia vero non. His præmissis. 3. Animaduersio.

105 Respondeo primò: In homine est naturalis appetitus ad beatitudinem in communi. Ita D. Th. 1. p. q. 82. a. 1. Caiet. ibi. Montes. hìc, & alij. 1. Concl. S. Th. Caiet. Montes.

106 Ratio est, quia vnaquæq; res habet appetitum innatum ad suam propriam perfectionem: Ergo etiam homo: Sed propria perfectio hominis sic genericè sumpta est ratio boni vt sic, quia est naturæ intellectualis: Ergo dicit appetitum innatum ad beatitudinem in communi. 1. Ratio.

107 Probatur secũdò ratione, qua vtitur Suarez loc. cit. non contemnenda: Quia vnaquæque potentia hominis dicit appetitum innatum ad suum actum: Ergo ad obiectum proprij actus: Ergo etiam ipsa natura hominis, in qua fundantur propriæ potentiæ: Sed obiecta peculiaria cuiuscumq; potentiæ conueniunt in ratione boni, quia conueniunt in ratione actus perfectiui earum: Ergo, &c. 2. Ratio.

108 Contra hanc responsionem sentit Scotus in 4. dist. 49. & q. 1. Prologi, dicens ad beatitudinem in communi hominem habere solum appetitum elicitum. Fundamentum ipsius est; Quia natura fertur ad particularẽ perfectionem: nam est determinata ad vnum: Ergo in homine non est appetitus naturalis ad bonum in communi. Sententia Scoti, & eius fundamentũ.

109 Respondetur negando vniuersaliter antecedens; quia materia prima dicit appetitum innatum ad formam, vt sic; oculus ad colorem vt sic, & sic de cæteris. Rursus respondetur, quod quãdo dicimus, quod homo fertur appetitu innato ad bonum in communi, non dicimus quod terminetur ad illud abstractim sumptum, sed particularizatum, & determinatum. Respõsio.

110 Respondeo secundò: In homine est appetitus innatus ad beatitudinem in particulari. Explicatur hæc responsio; nimirum, quod in qualibet po- 2. Cõclusio.

Digitized by Google

potentia hominis, & consequenter in ipso homine radicaliter sit inclinatio naturalis ad propriam perfectionem.

Ratio. 111 Ratio breuis ex dictis est. Quia vnaquęque potentia pondere suo fertur ad propriam perfectionem, siue proprium obiectum.

1. Confir. 112 Confirmatur, quia vnaq; potentia naturaliter inclinatur ad suum actum: intellectus ad intelligendum: voluntas ad amandum, & sic de alijs: Ergo consequenter ad sua obiecta.

2. Confir. ex Arist. 113 Confirmatur hæc conclusio etiam ex illo Arist. 1. Metaph. Omnis homo naturaliter scire desiderat; hoc est, quod non solum sit in voluntate appetitus elicitus, sed etiam in ipso intellectu appetitus innatus, quo feratur in verum.

Corollarium. 114 Hinc infertur, quod cũ Deus, vt supra diximus, vt author naturæ sit finis noster naturalis, intellectus pondere suo etiam feretur ad eius cognitionem, & voluntas in eius amorem tanquam in finem particularem.

3. Concl. 115 Respondeo tertiò: In homine est appetitus elicitus naturalis, & necessarius quoad specificationem erga beatitudinem in communi: Non vero quoad exercitium.

Ratio. 116 Probatur prima pars; quia nihil potest velle nisi sub ratione boni, nam bonum est obiectum eius. Quoad secundam partem etiam probatur; quia potest quis diuertere ab exercitio amoris erga beatitudinem in communi; Imò experientia constat, quod non semper homo sit in actu secundo erga beatitudinem in communi.

LECTIO II.

Vtrum in homine sit appetitus innatus, siue naturalis erga beatitudinem supernaturalem, quæ consistit in clara visione Dei?

1. Cõcl. & eius Ratio. 117 Respondeo primò: In homine est capacitas naturalis, siue non repugnantia ad visionem beatam. Probatur; Quia non repugnat hominem eleuari ad huiusmodi visionem. Vlteriùs, quia in eo est potentia obedientialis passiua ad actus supernaturales.

Animad. 118 Nota hìc, quod potentia obedientialis passiua dicitur formalis supernaturalis, hoc est ex parte termini.

2. Concl. 119 Respondeo secundò: Quamuis in homine sit capacitas naturalis, siue non repugnantia ad visionẽ beatam; tamen non est in eo appetitus naturalis ad illam.

Ratio cõclusionis. 120 Probatur; Quia appetitus naturalis supponit potentiam naturalẽ: Sed in homine non est potentia naturalis ad beatitudinem in particulari, seu ad visionem beatam: Ergo. Hæc ratio magis patebit in seq. responsione, quia adducam illam in confirmationem ipsius.

Confirm. 121 Confirmatur, quia in natura humana est capacitas, siue non repugnantia ad vnionem hypostaticam: & tamen non est in ea appetitus naturalis ad illam: Ergo, &c.

3. Concl. 122 Respondeo tertiò: In homine nõ est appetitus innatus ad visionem beatam. Ita D. Th. hìc, & 1. p. q. 12. a. 1. & communiter Thomistæ hìc, & ibi.

Probat. 1. ex S. Th. 123 Probatur primò ex D. Th. in 1. dist. 49. q. 1. a. 3. quæstiunc. 3. Quia homo fertur in beatitudinem talem, vel talem, hoc est particularem ex discretione rationis: Ergo.

Probat. 2. 124 Probatur secundò; quia pondus naturæ, siue appetitus innatus est in bonum connaturale, & proportionatum ipsi appetitui, vt inductione patet in omnibus appetitibus: Sed visio Dei est obiectum supernaturale, & improportionatum, siue excedens: Ergo in homine, &c. Minor patet, quia Deus non potest videri sicuti est in se absque lumine gloriæ.

Confirm. 125 Confirmatur, quia quoties datur appetitus naturalis in aliquem finem, dantur ei instrumenta, & vires intra ordinem naturę ad consequendum talem finem: Sed homini

non

Digitized by Google

non dantur intra ordinem naturæ vires, & instrumenta, siue media intra ordinẽ naturę ad cõsequendũ visionẽ beatam: Ergo, &c. Maior probatur, quia alioqui appetitus ille esset frustraneus: quia non posset expleri viribus naturæ, quas solas respicit. Vnde intulit Arist. 2. de Cælo tex. 50. ideò astra non habere inclinationem, vel appetitum naturalem ad motum progressiuum: quia non habent instrumenta naturalia ad talem motum: Si enim talem appetitum haberent, dedisset etiam eis natura instrumenta ad illam. Minor est de fide; quia media ad consequendam visionem beatam sunt gratuita, & supernaturalia.

Arist.

126 Respondet Scotus primò rationi, quod sufficit, vt visio Dei sit finis hominis ad hoc, vt detur in eo appetitus naturalis ad illam.

Respõsio Scoti ad 1. rationem.

127 Respondet secundò cõfirmationi negando maiorem vniuersaliter. Primò, quia in anima datur appetitus naturalis ad reunionem animæ cum corpore, & in ea non dantur vires, siue instrumenta naturalia ad talem vnionem.

Respõsio eiusdẽ ad cõfirmat.

128 Secundò, quia in homine datur appetitus naturalis ad viuendum conformiter ad rectam rationem, & vt nunquam peccet; & nihilominus vt nunquam peccet, & semper viuat conformiter rectæ rationi, indiget auxilio gratiæ.

Secundò.

129 Sed contra primam responsionem allatam primę rationi. Primò, quia quamuis visio Dei sit finis hominis; est tamen finis improportionatus, & excedens: Ergo non potest esse in homine appetitus naturalis erga eum; quia talis appetitus fundatur in proportione connaturali cum suo fine, vt patet inductione in omnibus appetitibus naturalibus.

1. Respõsio Scoti præcluditur 1.

130 Secundò, quia ex hoc, quod visio sit finis hominis supernaturalis, supponit tãtum in homine potentiam obedientialem, & non repugnantiam ad illam. Sed hæc impugnatio magis patebit in secunda ratione adducenda pro nostra conclusione.

Impugnatur 2.

131 Impugnatur etiam responsio ad confirmationem: Quia appetitus naturalis ad aliquem finem est ad illum tanquam ad formam sibi debitã, & proportionatam: Ergo semper exigit media propria, siue instrumenta connaturalia ad illam assequendam.

Præclũditur respõsio ad cõfirmat.

132 Neque valet instantia de anima rationali, quia illa non dicit appetitum naturalem ad reunionem, sed secundum quid. Ad ipsam autẽ vnionem dicit appetitum; sicut è contra materia ad ipsam, & ideò datur potẽtia naturalis actiua ad eius vnionem.

Enodatio primæ instantiæ.

133 Nota hìc, quod anima separata dicit tãtum inclinationem naturalem secundum quid ad corpus, scilicet ex parte termini, qui dicitur naturalis, quia nulla datur potentia naturalis, quæ possit illam ad actum reducere.

134 Neque secunda instantia valet; quia in anima est solum appetitus, & inclinatio naturalis ad viuendum conformiter rectæ rationi in omnibus suis actibus *diuisiuè, non vero collectiuè*, vt dicitur 1.2. q. 109. Dato etiam, quod in homine simpliciter esset appetitus naturalis ad viuendum conformiter rationi rectæ in omnibus *collectiuè*; tunc dicitur quod essent sufficientia auxilia gratię ordinis naturæ.

Enodatio secundę.

135 Probatur tertiò: quia appetitus naturalis præsupponit potentiam naturalem ad id, cuius est appetitus: Sed in homine nulla est potentia naturalis ad claram Dei visionem: Ergo neque appetitus. Probatur maior: quia appetitus naturalis supponit priuationem eius, cuius est appetitus: Sed priuatio præsupponit potentiam naturalem; nam dicitur carentia formæ in subiecto apto, quod idem est, ac potentia naturalis. Minor etiam probatur: quia nulla in homine datur potentia actiua, neque passiua naturalis, neque excogitanda est alia tertia potentia.

3. Probatio eiusdẽ Concl.

136 Non datur potentia actiua naturalis; Quia alioqui viribus naturæ posset quis consequi visionem beatam: Neque passiua naturalis, quia

Digitized by Google

Potentiæ passiuæ naturali correspondet ex Arist. potentia actiua etiam naturalis. Et ex hoc principio probat Arist. 3. de Anima cap. 5. dari intellectum agentem, quia datur intellectus possibilis. Vlteriùs ex hoc principio Philosophi communiter colligunt dari potentiam actiuam ad vnionem animæ cum corpore, quia in materia est potentia passiua ad illam in sua prima productione.

Arist.

137 Respondet Scotus huic rationi, quod iste appetitus dicitur naturalis, non quia sit potentia naturalis ad consecutionem visionis beatæ, sed quia est ortus cum ipsa natura.

Euasio Scoti.

138 Sed contra, quia semper appetitus, qui oritur cum ipsa natura est ad formam proportionatam, & connaturalem, & præsupponit in ipsa re potentiam naturalem.

Præcluſio.

139 Contra nostram sententiam est Scotus, Durādus, Sotus, & alij relati hìc à Commentatoribus, & 1. p. q. 12. a. 1. qui affirmant esse in homine appetitum innatum ad visionem Dei.

Sententia contraria Scoti. Durandi. Soti.

140 Primum fundamentum huius sententiæ est, quia in vnaquæq; re est appetitus innatus ad suum vltimum finem: Sed vltimus finis hominis est visio beata: Ergo in homine, &c. Respōdeo breuiter, quod visio beata est vltimus finis, & vltima perfectio hominis supernaturalis, & excedens; & ideò non datur appetitus innatus in eo ad illam, cum sit solum ad perfectionem, & finem connaturalem.

1. Argum. & respon sio.

141 Confirmatur; quia homo nūquam quiescit nisi assecuta visione Dei: Ergo signum est, quod in eo sit appetitus innatus ad illam. Respondetur, quod homo appetitu naturali quiescit in cognitione naturali Dei abstractiua, & perfecta.

Confir. & respōsio.

142 Confirmatur secundò, quia in homine est appetitus naturalis ad beatitudinem: Sed non ad beatitudinem vt sic, quia appetitus naturalis est determinatus ad vnum: Ergo ad beatitudinem particularem, scilicet Deum clarè visum.

2. Confir.

143 Respondetur, quod in homine sit appetitus innatus ad beatitudinem vt sic, quatenus superinduit, siue inuoluit sub se obiecta particularia ordinis naturæ, sicut patet de materia prima, quæ habet appetitum ad formam vt sic, & intellectus inclinationem naturalem ad verum, vt imbibit solum obiecta ordinis naturæ.

Respōsio.

144 Secundum fundamentum huius sentētiæ est (& videtur esse Scoti:) Quia intellectus naturaliter inclinatur ad suum obiectum specificatiuum: Nam quælibet potentia naturaliter inclinatur ad suum obiectum: Sed intra obiectum specificatiuum intellectus clauditur Deus clarè visus, vel vt est in se Trinus, & Vnus: Ergo, &c.

2. Argum.

145 Respondetur, quod Deus clarè visus clauditur intra obiectum specificatiuum intellectus, vt obiectum particulare excedens, & improportionatum illi in ordine naturæ, & sic non potest habere appetitum innatum ad ipsum.

Respōsio.

146 Sed instant aduersarij: Quia ratio specificatiua intellectus est ratio veri vt sic, quæ æquè inuenitur in Deo clarè viso, ac in alijs obiectis particularibus ordinis naturæ: Ergo sicut ob rationem obiecti specificatiui repertam in cæteris obiectis particularibus ordinis naturæ inclinatur ad illa naturaliter, ita etiam ob eandem rationem repertam in Deo clarè viso inclinabitur ad ipsum naturaliter.

Replica aduers.

147 Respondetur, quod obiectum specificatiuum appetitus innati intellectus non est *ratio sub qua*, quia hæc abstrahit à naturali, & supernaturali; sed à *ratione qua* proportionata, & connaturali. Deus etiam clarè visus est *ratio qua* obiectiua intellectus superexcedens.

Respōsio.

148 Vel dico breuiùs, quod ratio specificatiua appetitus naturalis intellectus est ratio *sub qua veri*, vt induit, seu imbibit solum obiecta particularia ordinis naturæ. Neque vrget illa maxima, quod quælibet potentia dicat inclinationem naturalem ad suum specificatiuum adæquatum,

Maior explicatio primæ responsionis.

&

& quodlibet obiectum particulare contentum sub illo: quia hoc est verũ solum quando ratio specificatiua non abstrahit ab obiecto particulari excedente, & proportionato. Etenim semper appetitus naturalis inclinat ad suum obiectum proportionatum. Potest hoc explicari exemplo oculi, qui respectu luminis excedentis, vt est lumen Solis, non habet inclinationem naturalem, sed indiget eleuatione. Itaque concluditur ex hac responsione, quod obiectum specificatiuum intellectus quoad suum pondus naturale est ratio *sub qua veri*, vt induit obiecta particularia ordinis naturæ.

2. Respõsio. 149 Respondetur secundò, quod intellectus noster dicit duplicẽ potentiam: Aliam naturalem: Aliam obedientialem. Secundum potentiam naturalem respicit obiecta ordinis naturæ: Secundum potentiam obedientialem obiecta supernaturalia.

3. Argum. 150 Tertiũ Argumentum pro hac sententia. Anima separata dicit appetitum naturalem ad corpus: Sed ista vnio esset supernaturalis: Ergo quamuis visio clara Dei sit supernaturalis, potest in homine reperiri appetitus naturalis ad illam.

1. Respõsio. 152 Respondetur, quod appetitus animæ ex parte termini est naturalis, & sic non est simpliciter ad rem supernaturalem.

2. Respõsio. 153 Respondetur secundò, quod appetitus animæ separatæ ad corpus est ille idem, quem habuit in prima productione; qui est purè naturalis, qui sufficit, vt fuerit adimpletus naturaliter per generationem.

LECTIO III.

Vtrum detur in homine appetitus elicitus naturalis ad beatitudinem supernaturalem, scilicet visionem Dei?

Animadversio. 154 HIC recolẽdum est, quod appetitus elicitus dicitur ille, qui sequitur cognitionem. Rursus, quod duplex sit: Vnus absolutus, & efficax: Alter inefficax, & conditionatus. Appetitus efficax dicitur ille, quo absolutè, & efficaciter appetimus rem, & quantum est ex se infert executionem, & assecutionem rei appetitæ. Inefficax autem, quo imperfectè, & conditionatè, & inefficaciter appetitur, & quantum est de se nõ est executiuus rei appetitæ. Appetitus autem efficax solet explicari: *Volo, Appeto, &c.* Appetitus autem inefficax per ista; *Vellem, Appeterem.*

155 Demum vterq; appetitus dupliciter potest dici naturalis: Vno modo, vt contradistinguitur à *supernaturali*: Alio modo, vt contradistinguitur à *libero*, & idem est, ac *necessarius*, siue *quoad specificationem*, siue *quoad exercitium*. De vtroque appetitu procedit difficultas, & est sensus: Vtrum in homine detur appetitus naturalis, qui purè sit naturalis ad visionem beatam; siue appetitus necessarius quoad specificationem. His notatis.

1. Concl. 156 Respondeo primò: In homine non est appetitus naturalis elicitus efficax ad visionem beatam sumpto appetitu naturali, vt contradistinguitur à supernaturali. Ita communiter Theologi hìc, & 1.p.q.12.a.1:

Ratio D.Th. 157 Probatur primò ratione D.Th. in hoc art. Quia si iste appetitus sumitur vt sequitur rationem naturalem, nullo modo potest dari: Quia nulla habetur cognitio naturalis de Deo clarè viso: Ergo neque etiam potest dari appetitus elicitus naturalis consequens ad hanc visionem.

158 Si autem sumatur, vt sequens rationem supernaturalem, & excitatus per illam, neque etiam potest dari: Quia iste appetitus est executiuus mediorum: Sed viribus naturę nullus potest exequi media necessaria ad finem supernaturalem, quia debent ipsa etiam esse supernaturalia: Ergo, &c.

2. Cõcl. & eius Ratio. 159 Respondeo secundò; Potest dari appetitus naturalis inefficax, & conditionatus ad visionem beatam.

Digitized by Google

Probatur, quia hic appetitus est imperfectissimus: Ergo potest haberi viribus naturæ.

160 Confirmatur, quia proposito alicui aliquo magno bono posset prorumpere in hunc actum: *Vellem illud consequi*: Ergo proposita alicui visione beata sub ratione magni boni posset etiam prorumpere in hunc actum: *Vellem illam consequi*: quia tunc iste actus esset formaliter naturalis, & materialiter supernaturalis, scilicet ratione termini: etenim *ratio sub qua* appetendi illam esset naturalis, scilicet *ratio boni vt sic*. Confir.

161 Respondeo tertiò: In homine non est appetitus elicitus necessarius *quoad specificationem* ad visionem beatam. Intelligitur hæc conclusio; tum de appetitu absoluto, & efficaci, tum de appetitu conditionato. Ita Salmāt. Nostri 1. p. q. 12. a. 1. tract. 2. disp. 1. dub. 5. n. 78. & alij relati ab ipsis eodē loco. Colligitur clarè hæc responsio ex D. Th. q. 22. de Verit. a. 7. vbi expressis verbis ait, quod homo non naturaliter appetit visionem Dei. Et in 4. dist. 49. q. 1. a. 3. vbi dicit, quod nō quicumque appetit beatitudinem in communi appetit visionem Dei: quia Dei visio in quantum huiusmodi non importat obiectum adæquatum, & per se voluntatis. 3. Cōclusio. N. Salmā. tic.

162 Probatur primò ratione sumpta ex D. Tho. in 4. sent. loc. cit. Quia voluntas necessitatur quoad specificationem à suo obiecto per se, & adæquato: & non ab alio: Sed visio clara Dei non est obiectum per se, siue adæquatum voluntatis in via: Ergo non necessitatur. 1. Ratio S. Tho.

163 Maior quoad primam partē, scilicet, quod voluntas necessitatur *quoad specificationem* ab obiecto adæquato, probatur: Quia quælibet potētia est determinata ad tendendum in suum obiectum adæquatum, nam ab illo sumit totam suam essentiam, & specificationem: Si enim destrueretur obiectum adæquatum alicuius potentiæ, destrueretur etiam ipsa potentia. Probatur Maior quoad 1. partem.

164 Probatur etiam quoad secūdam partem, scilicet, quod non necessiter *quoad specificationē* ab alio obiecto, scilicet inadæquato. Primò, quia eo ipso, quod obiectum non adæquat totam potentiam, nō est necesse, quod voluntas, si velit prorumpere in actū, prorumpat erga illud. Probat. 1. quoad secundam partem.

165 Secundò, quia eo ipso, quod obiectum non adæquat totam potentiam voluntatis, habet aliquam rationem mali respectu illius, habet enim aliquam rationem deficientis. Minor patet; quia voluntas de facto in via appetit plura alia obiecta, quæ non ordinantur ad beatitudinem in particulari, scilicet visionem Dei; imò, quę illi opponuntur. Consequentia est legitima. Secundò.

166 Respondent authores contrariæ sententiæ, quod Deus clarè visibilis, quamuis sit obiectum particulare uoluntatis, continet tamen eminentiori modo omne bonum, quod continet beatitudo in communi. Vnde sicut beatitudo in communi necessitat voluntatem *quoad specificationem*, ita, & beatitudo in particulari, scilicet Deus clarè visibilis. Aduersariorum solutio.

167 Sed contrà: Quia licet Deus clarè visibilis contineat omnem rationem boni eminenti modo in via, non proponitur ei vt obiectum adæquatum: Ergo non vt satiativus voluntatis: Ergo, &c. Antecedens probatur: Quia tūc aliquod obiectū proponitur alicui, *vt adæquatum*, quando potentia debet ferri in ipsum per se, & in omnia alia propter ipsum, vt patet inductione in omnibus obiectis adæquatis: Sed voluntas viatoris potest ferri in alia obiecta creata nō ratione Diuinæ Bonitatis; Imò quādoq; vt illi contraria: Ergo, &c. Impugnatio.

168 Confirmatur hæc impugnatio; Quia quāuis ex parte fidei repræsentetur homini firmissimè Deū clarè visibilē eminentiori modo cōtinere omne bonum creatum; nihilominùs repræsentatur obscurè: Ergo ex parte subiecti potest dari aliqua suspicio illius; imò multas tentationes patiuntur homines in materia fidei: Ergo Confirm. præcedēs impugnatio.

go non necessitabitur omninò voluntas *quoad specificationem*, erga illum.

2. Ratio Concl.

169 Probatur secundò: Appetitus elicitus necessarius *quoad specificationem* indicat inesse naturæ appetitum innatum: Sed non est in homine (vt diximus supra) appetitus innatus ad visionem beatam: Ergo. Probatur maior; Quia appetitus elicitus non esset necessarius *quoad specificationem* ab extrinseco (nam esset potius violentus in isto casu;) Sed ab intrinseco: Ergo esset quoddam pondus voluntatis, & per consequens appetitus innatus.

4. Cõcl. & eius Ratio.

170 Respondeo vltimò: In homine non est appetitus elicitus necessarius *quoad exercitium* ad visionẽ beatam. Hæc conclusio est certa, quia si non est in eo appetitus elicitus necessarius quoad specificationem, multò minùs in eo est necessarius *quoad exercitium*. Præterea, quia patet hoc experientia.

Sententia contraria Montes. Valquez.

171 Contra tertiam responsionem nostram est sententia Mõtes. hic Vasquez, & aliorum, quos referunt Salmant. Nostri loc.cit. qui dicunt dari in homine appetitum elicitum necessarium *quoad specificationem* ad visionem beatam.

1. Fũdam. ex D. Aug. & respõsio.

172 Probatur primò ex D. Aug. lib.13. de Trin. cap.8. vbi ait: Omnes naturali instinctu velle esse beatos, & loquitur ibi de beatitudine particulari, scilicet visione Dei. Respondetur, quod quamuis D. Aug. ibi multa doceat de visione Dei, tamẽ obiter dicit omnes velle naturaliter esse beatos, loquendo de appetitu beatitudinis in communi.

2. Fũdam. ex S. Th.

173 Probatur secundò ex D. Th. 1.p.q. 12. a.1. & alibi, vbi desiderium videndi Deum per essentiam vocat naturale: quia naturale est vnicuique visis effectibus (ait ipse) velle videre causam: Ergo, &c.

Respõsio.

174 Respondetur, quod ex mente D. Th. desiderium videndi Deum per essentiam ex effectibus visis, dicitur naturale inefficaciter, & conditionatè; hoc est, quod sit inefficax, & non omninò necessarium, vt supra diximus; Dicitur autem *simpliciter naturale* ab ipso Sancto: quia, vt in plurimum solet esse necessarium; sicut appetitus scientiæ, integritatis corporis, vitæ, & similium dicitur *naturalis simpliciter*, quia vt in pluribus solet esse necessarius quoad specificationem, non vero semper; Quod docet idem Sanctus, & Caiet. inf. q. 10. a. 1.

Caiet.

3. Fũdam.

175 Probatur tertiò ratione, quia in visione Dei nulla apparet ratio mali: Ergo sicut quis necessitatur *quoad specificationem* ad beatitudinem in cõmuni: ita ad visionem Dei.

Respõsio.

176 Respondetur ex dictis, quod ex se nulla apparet ratio mali, sed ex defectu subiecti, quia in via habet visionem Dei pro obiecto inadæquato, & particulari: imò pro obiecto arduo ad consecutionem.

2. Sententia cõtraria Ferrar.

177 Secunda sententia est Ferrar. 3. contra Gent. cap. 10. qui dicit dari appetitum elicitum necessariũ *quoad specificationem* in ordine ad Deum, vt clarè visibilem, quatenus est *author naturæ, siue effectuum naturalium*.

Ratio huius sentẽtiæ, & eius enodatio.

178 Fundamentum ipsius est sumptum à D. Th. quia visis effectibus naturale est homini videre causam. Respondetur breuiter, quod istud desiderium videndi Deum in se ortum ex effectibus esset inefficax. Addo, quod non potest videri Deus vt in se, vt est *author naturæ*, quin videatur *vt author gratiæ*: Cumque desiderium videndi Deum, vt *est author gratiæ* est naturale inefficaciter: ita & videndi illum vt *est author naturæ*. Et hæc de toto tractatu beatitudinis, ad laudem Dei, & B. V. Mariæ, & D. Th. & S. Matris Nostræ Theresiæ.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO VI. D. TH.

De voluntario, & inuoluntario in octo articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in humanis actibus inueniatur voluntarium?

1 REsponsio D. Th. est affirmatiua. Ratio est: quia ille dicitur actus voluntarius, qui est à principio intrinseco cum cognitione finis: Sed actus humani sunt à principio intrinseco cum cognitione finis: Ergo, &c. Maiorem probat S. Th. auth. Arist. Nisen. & Damasc. & etiam ratione; Quia de ratione volũtarij est vt sit à propria inclinatione in ordine ad finem: alioquin non se ipsum quis moueret. Minor etiam probatur; Quia sunt à voluntate, quæ est principium intrinsecum.

LECTIO I.

Vnde dicatur voluntarium: quot modis sumatur, & quid sit?

2 REspondeo primò: Nomen voluntarij deriuatur ab ipsa voluntate: Quia sicut nomen *liberi* deriuatur à libertate: ita nomen *voluntarij* ab ipsa voluntate. Vlteriùs, quia hoc nomen *naturale* deriuatur à natura: ita ergo nomen *voluntarium* deriuatur ab ipsa voluntate. 1. Cõcl. & eius Ratio.

3 Est frequens hoc nomen in sacris literis. Dicitur enim ps. 118. *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.* Et psal. 53. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Et ad Philem. cap. 1. ait Sanctus Paulus: *Sine consilio tuo nihil volui facere, vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Et infinitis alijs locis hoc nomen reperitur.

4 Est autem impositum hoc nomen propriè (vt infra magis patebit) ad significandum actum, siue motum, qui est à voluntate: Quia sicut hoc nomen *liberum* significat actum, vel motum, qui est à libertate; & hoc nomen *Naturale* actum, qui est à natura: ita hoc nomen; *Voluntarium*, id, quod est à voluntate.

5 REspondeo secundò; Voluntarium dupliciter potest sumi: Vno modo pro obiecto uoluntatis: Alio modo pro actu ipsius uoluntatis. Ratio est: Quia voluntarium deriuatur à uoluntate: Ergo illud, quod dicit aliquo modo ordinem ad uoluntatem, potest denominari uoluntarium: Sed obiectum, & actus important ordinem ad uoluntatem: Ergo, &c. 2. Cõcl. & eius Ratio.

6 Aduertendum autem, quod illud in rigore, & propriè dicitur *Voluntarium*, quod emanat ab ipsa uoluntate. Id autem, quod emanat à uoluntate est actus *elicitus*, uel *imperatus*, & consequenter *actus elicitus*, & *imperatus*, dicuntur uoluntarij: *Elicitus* immediatè: *Imperatus* mediatè, non præcisè quatenus est obiectum uolitum, sed ut subsstat actui elicito. In hoc tractatu præcipuè erit sermo de actu uoluntario, ut dicit ordinem ad uoluntatem tanquam ad principium. Animaduersio.

7 Respondeo tertiò. *Voluntarium* communiter definitur à Theologis, quod

3. Concl. quod *sit à principio intrinseco cum cognitione finis*. Dicitur *à principio intrinseco*, ut distinguatur à uiolento, cuius principium est extra. Dicitur *cum cognitione finis*: ut distinguatur à motu, uel actu naturali, qui quamuis sit *à principio intrinseco*, non est tamē *cum cognitione finis*, uel cum notitia eius, quod quæritur.

Explicatio Conclus. 8 Vbi aduertendum est, quod finis non sumitur hic *strictè*, sed pro omni eo, quod est obiectum notitiæ ad mouendum ipsam uoluntatem, siue sit circumstantia finis, siue mediū, siue quodcumque aliud; Ita ut sensus sit, quod illud dicatur uoluntarium, quod est *à principio intrinseco cum cognitione illius*, circa quod actus versatur. Vnde coincidit hæc definitio cū illa, quam tradit D. Th. in hoc art. & Arist. Niss. & Damasc. scilicet; quod voluntariū sit *à principio intrinseco cū additione scientiæ*. Nam per sciētiā sic indefinitè sumptā intellexit D. Th. cognitionem eius, circa quod versari debet actus voluntatis, vt dicatur voluntarius. Et etiam coincidit cum ea, quam tradidit Arist. 3. Eth. cap. 1. dicens: *Voluntarium est, cuius principium est in agente sciente singula.*

Arist. D. Th. Niss. Damasc.

Definitio volūtarij ab alijs tradita reijcitur. 9 Ex hac definitione sic explicata, reprobatur iam definitio tradita ab Almaino tract. primo Moral. cap. 1. quem sequuntur Nominales: scilicet, quod voluntarium sit actio, vel omissio, ita existens in potestate agentis, vt positis omnibus prę uijs, & requisitis ad eam, in potestate eius sit agere, & non agere. Nam hìc definit *liberum*, quod est inferius ad *volūtariū*, vt optimè tradit Arist. 3. Eth. cap. 2. Etenim omne liberū est voluntarium; non verò omne voluntarium dicitur liberū: quia *liberum* dicitur illud, quod est à voluntate cum indifferentia, *voluntarium* autē solum dicitur illud, quod est à voluntate cum cognitione finis. Et patet etiam, quia actus beatifici dicuntur voluntarij, & non liberi: Similiter actus, quo Deus diligit se ipsum, & alij similes.

Arist.

10 Verum contra definitionem nostram sunt aliquæ obiectiones ad maiorem eius claritatem. Prima obiectio est. Operatio intellectus est à principio intrinseco cum cognitione eius, quod fit, & tamen non est voluntaria: Ergo, &c. 1. Obiectio.

Respōsio. 11 Respondetur, quod quando dicitur actū voluntarium esse *à principio intrinseco*, intelligitur de principio appetitiuo præsupponente cognitionem. Operatio autem intellectus secundum se sumpta non est à principio intrinseco appetitiuo, neque præsupponit aliam cognitionem. Dicitur autem operatio intellectus naturalis, quatenus pertinet ad naturam specificam hominis, vt sup. q. 1. art. 1. diximus.

2. Obiectio. 12 Secunda obiectio. Assensus sciētificus præsupponit cognitionem principiorum: Ergo, &c.

1. Respōsio ex Suarez. 13 Respondetur primò iuxta Suarez, quod assensus connaturalis non præsupponit cognitionem sui obiecti, sed ipse est cognitio sui obiecti.

Montes. Secundò iuxtà Montes. quod præsupponit cognitionem principiorum, quę concurrunt ad cognitionem conclusionis tanquam principia effectiua; actus autem voluntarius præsupponit cognitionem principij concurrentis in genere causæ finalis. Denique respondeo ego, quod assensus conclusionis secundum se non est à principio appetitiuo.

Alia respōsio ex Vasq. 14 Respōdetur etiam iuxta Vasquez, quod assensus conclusionis prę supponit cognitionem alterius obiecti ab eo, circa quod versatur; actus autem voluntarius præsupponit cognitionem obiecti, circa quod versatur.

3. Obiectio. 15 Tertia obiectio: Si quis occidat aliquem, vel faciat aliquid aliud me vidente, & gaudente, talis actus est mihi voluntarius, & non procedit à me, sed ab ipso occidente: Ergo, &c.

Respōsio. 16 Respondetur, quod illa occisio, siue actus est mihi voluntarius *obiectiuè*; gaudium vero, siue complacentia est mihi voluntaria *elicitiuè*, quæ procedit intrinsecè à me.

LE-

Digitized by Google

LECTIO II.

Vtrum perfectum voluntarium conuertatur cum libero?

16 CErtum est, quod in homine reperiuntur actus liberi, & actus necessarij. Liberi dicuntur illi, qui sunt ab ipso cum cum indifferentia; necessarij verò, qui sunt ab ipso cum determinatione, vt patet de amore beatifico. Difficultas ergo est: An voluntarium perfectum in homine dicatur solum de actibus liberis? 1. Animaduersio pro explicatione tit.

17 Præterea sciendum est, quod aliqui actus necessarij in homine proueniunt ex imperfecta cognitione finis, vt sunt *motus primò primi*, vt est motus, v. gr. infidelitatis: Alij verò proueniunt ex perfecta cognitione finis, ut est amor beatificus. Similiter alij sunt actus liberi in eo, qui oriuntur ex imperfecta cognitione finis, & sunt illi, qui proueniunt ex subreptione appetitus, & hi dicuntur à Theologis *semiplenè liberi*, & *motus secundò primi*: Alij verò sunt, qui proueniunt ex perfecta cognitione finis, & circũstantiarum, quæ non continent omnem rationem boni, & hi dicuntur perfectè liberi. 2. Animaduersio.

18 Nota etiam, quod actus liberi, qui sũt ex subreptione appetitus, si sũt circa malum, sunt peccata uenialia ob defectum plenæ aduertentiæ. 3. Animaduersio.

19 Difficultas ergo procedit de actibus perfectè necessarijs, & perfectè liberis, nimirùm: Vtrum uoluntariũ perfectum dicatur solum de actibus perfectè liberis; an etiam de actibus perfectè necessarijs; ita ut uolũtarium perfectum sit quid superius ad actus perfectè necessarios, & actus perfectè liberos: An uerò conuertatur solum cum actibus perfectè liberis?

20 Et respondeo cum Montes. Aluar. & alijs Thom. hìc. Voluntarium perfectum etiam conuenire actibus perfectè necessarijs. Concl. Aluarez. Montes.

21 Probatur primò ratione fundamentali: Illud dicitur perfectè voluntarium, quod est à voluntate cum perfecta cognitione finis: Sed actus perfectè necessarij sunt à volũtate cũ perfecta cognitione finis: Ergo actus perfectè necessarij sunt perfectè voluntarij. Maior patet ex definitione volũtarij communiter recepta: quia volũtarium est illud, quod est à voluntate cum cognitione finis: Ergo illud est perfectè voluntarium, quod est à voluntate cum perfecta cognitione finis. Minor etiam patet ex his, quæ suppossuimus, cum alij sint actus necessarij in homine, qui procedunt ex perfecta cognitione: Alij verò, qui procedunt ex imperfecta cognitione. 1. Ratio.

22 Confirmatur hæc ratio, quia amor erga beatitudinem in communi est voluntarius, quamuis sit necessarius *quoad specificationem*, & amor beatificus est perfectissimè voluntarius, quamuis sit necessarius *quoad specificationem, & exercitium*; nam præsupponit visionem beatam, quæ est perfectissima cognitio finis, & circumstantiarum: Ergo, &c. Confirm.

23 Respondet Vasquez huic rationi, quod amor beatificus non sit perfectè voluntarius: quia visio beata, quæ ad ipsum præsupponitur, non proponit obiectum cum indifferentia. 1. Euasio Vasq.

24 Sed contrà: quia cognitio, quæ requiritur ad voluntarium perfectum requiritur solum, vt tollat ignorantiã, vt patet ex definitione voluntarij, non uero ad proponendum obiectum cũ indifferentia; nam ignorantia est, quæ minuit voluntarium. Impugnatur 1.

25 Impugnatur vlteriùs magis clarè: Actus voluntarius est ille, qui sequitur cognitionem obiecti, circa quod uersatur iuxta naturam ipsius obiecti: Indifferentia enim, & necessitas oritur radicaliter ex ipso obiecto, scilicet ex maiori, uel minori bonitate ipsius, non uero primariò ex ipsa cognitione. Impugnatur 2.

26 Respondet secundò Vasquez, quod amor beatificus non est perfectè à principio intrinseco: quia necessita- 2. Euasio Vasq.

Digitized by Google

ſitatur ab obiecto, quod eſt extrinſecum.

27 Sed contrà, quia obiectum amoris beatifici concurrit in genere cauſæ finalis, quod intrinſecè concurrit cum ipſa uoluntate: nam ut diximus ſupra ex D. Th. uoluntas, & quælibet potentia appetitiua, & apprehẽſiua ex ſe non eſt ſufficiens ad actum ſuum, niſi compleatur per obiectum ſuum.

Impugnatur 1.

S. Th.

28 Secundò impugnatur; quia ex hac reſpõſione ſequeretur etiam actũ perfectè liberum nõ eſſe perfectè uoluntarium: quia etiam hic actus oritur ab obiecto, quod eſt illi extrinſecum. Patet hoc in actu, quo quis uellet largiri eleemoſynam propter Deũ, tunc enim Deus haberet rationem obiecti extrinſeci, & ſic non eſſet perfectè liber; Quod eſt contra ipſum Vaſquez, & cæteros ſectatores ſuæ ſententiæ.

Impugnatur 2.

29 Reſpondet Lorca; quod amor beatificus nõ eſt ita perfectè à principio intrinſeco, ſicut actus liber; Quia ad actus liberos uoluntas ſe determinat; ad actus uerò neceſſarios non ſe mouet, ſed mouetur à natura, vel ab authore naturæ.

Reſpõſio Lorcæ ad noſtrã rationem.

30 Sed contrà primò; quia nos non diſputamus nunc, quis actus ſit perfectior? Liber: An neceſſarius? quamuis enim actus liber ſit perfectior actu, qui eſt neceſſarius ex parte principij determinati, & moti ab authore naturæ, vel natura ipſa ſine cognitione; nõ eſt tamen perfectior actu neceſſario, qui eſt talis ex meritis obiecti, vt inf. videbimus, cuiuſmodi eſt amor beatificus.

Præcluditur 1.

31 Vlteriùs, quamuis amor beatificus ſit à natura, vel ab authore naturæ; non tollitur nihilominùs quod ſit perfectè à principio intrinſeco; nam etiam actus perfectè liber ſuo modo eſt ab authore naturæ, & nihilominùs non propterea dicitur, quod non ſit perfectè voluntarius.

Præcluditur 2.

32 Probatur ſecundò; Quia amor, quo Deus diligit ſeipſum, & amor, quo Pater, & Filius ſpirant Spiritum Sanctum ſunt perfectiſſimè voluntarij; & nihilominùs ſunt neceſſarij: Ergo voluntarium non ſolum dicitur de actibus liberis, ſed etiam de actibus neceſſarijs.

2. Ratio principalis.

33 Reſpondet Salas, quod quamuis hi amores ſint perfectiſſimi; nihilominùs non denominantur, ſeu ſignificantur perfectè hoc nomine voluntarij.

Reſpõſio Salas.

34 Sed contrà; Quia etiam Voluntas Diuina non ſignificaretur perfectè hoc nomine voluntatis. Prætereà quidquid ſit de ſignificatione perfecta, vel imperfecta, certum eſt, quod in re prædicti actus ſunt actus perfectiſſimi, quamuis ſint neceſſarij: Ergo ſiue ſignificantur perfectè, ſiue imperfectè nomine voluntarij, per accidens eſt. Id enim nos intendimus ſignificare nomine voluntarij, quod eſt à voluntate, quæcumque illa ſit, præſuppoſita cognitione finis.

Prꝛcluſio.

35 Reſpondet ſecũdò Lorca, quod actus uoluntatis, quo Deus diligit ſeipſum eſt perfectus entitatiuè, non verò in ratione voluntarij.

Euaſio Lorcæ.

36 Sed contrà; quia ſi entitatiuè eſt perfectus, etiam in ratione voluntarij; nam voluntarium nil aliud eſt, quam entitas ipſius actus, vt à voluntate cum cognitione finis; non enim ratio voluntarij eſt accidẽs quoddam ipſius actus, ſed ipſa eſſentia actus vt à uoluntate cum cognitione finis, ut iam dictum eſt.

Prꝛcluſio.

37 Confirmatur præcedens ratio; quia proceſſio Spiritus Sancti eſt perfectior, quam proceſſio creaturarum: & nihilominùs illa eſt neceſſaria, & hæc libera: Ergo perfectè uoluntarium non conuertitur cum libero.

Confirm. præced. rationis ſecũdæ.

38 Probatur tertiò noſtra reſponſio. Si perfectum uoluntarium conuerteretur cum libero, quò magis aliquid eſſet liberum, eò magis deberet eſſe uoluntarium: Sed hoc eſt falſum: Ergo illud, ex quo ſequitur. Probatur minor; quia finis eſt magis nobis uoluntarius, quam media; nam finis eſt intentus propter ſe; media autem propter finem: Sed media ſunt magis no-

3. Ratio principalis.

Digitized by Google

bis libera, quàm finis, quia ipsa cadũt sub electione: Ergo falsum est, quod perfectè uoluntarium conuertatur cum libero.

Respõsio Vasq. & eius præclusio.

39 Respondet Vasquez, quod finis sit etiam nobis magis liber; Quia tota libertas, & indifferentia circa media pendet ex fine. Sed contra, quia stante voluntate finis eligitur magis hoc, quam illud medium: Ergo maior indifferentia est circa media, quam circa finem. Præterea Deus amat se ipsum necessariò, & creaturas propter seipsum liberè: Ergo &c.

Sententia contraria Vasq. Salas, Lorc., & 1. fundam. ex S.Th.

40 Contra nostram sententiam sunt Vasquez, Salas, & Lorca relati hìc à Montes. qui dicunt voluntarium perfectum esse tantum liberum. Probatur primò ex D. Tho. art. seq. vbi ait, quod perfectum voluntarium sequitur perfectam cognitionem finis: Sed id, quod vocat perfectum voluntarium ibi, est liberum, vt ex verbis suis constat: nam dicit: *Voluntarium secundum rationem perfectam est, prout scilicet apprehenso fine, aliquis potest deliberans de fine, & de his, quæ sunt ad finem moueri in finem, vel non moueri.*

Respõsio.

41 Respondetur breuiter, quod S.Th. loquitur ibi de perfecto voluntario, vt contradistinguitur ab imperfecto voluntario, quod reperitur in brutis, quod quidem non est liberum; quia non sequitur perfectam cognitionem finis; non uerò loquitur de perfecto uoluntario ut sic, quod potest reperiri in actibus necessarijs sequentibus perfectam cognitionem finis, & in actibus liberis. Et quod hæc sit mens D. Tho. patet clarissimè; quia illud est perfectè uoluntarium, quod sequitur perfectam cognitionem finis: Actus autem necessarij, qui reperiuntur in homine: vt amor beatificus sequuntur perfectam rationem finis: Ergo sunt perfectè uoluntarij.

Confirm. ex eodem S.Th.

42 Secundum testimonium D.Th. quod in contrarium solet adduci est in eodem art. ad 3. ubi ait, quod laus, & uituperium sequuntur perfectum uoluntarium, quod est liberum: Ergo, &c.

Respõsio.

43 Respondetur etiam, ut iam responsum est, quod loquitur ibi de perfecto uoluntario, ut contradistincto à uoluntario reperto in brutis, quę neq; uituperosè, neque laudabiliter operantur. Neque enim ullus negaret, quod amor beatificus sit actus summè laudabilis.

2. Fũdam. & respon. sio.

44 Probatur secundò; quia perfectum uoluntarium conuenit homini, & non brutis: Sed homo liberè operatur: Ergo perfectum uoluntarium conuertitur solum cum libero. Respõdetur ad minorem, quod homo non solum liberè, sed etiam necessariò operatur, non ex imperfecta cognitione finis ut bruta, sed ex perfecta cognitione finis, & sic uoluntarium perfectum in eo conuertitur cum actu libero, & cum actu necessario.

Confir.

45 Confirmatur hæc ratio; quia actus necessarij in homine, ut amor beatificus non sunt morales, quamuis procedant ex perfecta cognitione finia: Ergo non sunt perfectè uoluntarij.

Respõsio.

46 Respondetur negando consequentiã; quia sufficit ad actus perfectè uoluntarios, ut sequantur perfectam cognitionem finis. Actus autem morales propriè, & in rigore sunt illi, qui sunt ab homine, ut dicit modum liberè operandi, ut supra q. 1. a. 1. dictum est.

ARTICVLVS II.

Vtrum voluntarium inueniatur in animalibus brutis?

47 IN hoc art. supponit Sanctus Th. quod duplex sit cognitio finis: Vna imperfecta: Altera perfecta. Perfecta cognitio finis est, quando cognoscitur non solum res, quæ est finis, sed etiam ipsa ratio finis, & proportio eius

Digitized by Google

eius (scilicet medij) quod ordinatur ad finem. Imperfecta autem cognitio finis est, quæ in sola finis apprehensione consistit sine hoc, quod cognoscatur ratio finis, & proportio actus ad finem. His suppositis.

48 Respondet primò S.Tho. quod uoluntarium perfectum reperiatur in sola rationali creatura. Ratio est, quia uolũtarium perfectum est illud, quod sequitur perfectam cognitionem finis: Sed in sola rationali creatura reperitur perfecta cognitio finis: Ergo &c.

49 Respondet secundò, quod in animalibus brutis inuenitur uoluntarium imperfectum: Ratio est, quia in eis inuenitur imperfecta cognitio finis.

50 Hanc secundam responsionem magis declarat S. Th. in resp. ad primum. Dicit enim, quod uoluntarium tribuitur animalibus brutis per quandam conuenientiam, quam habent cum homine, in quantum scilicet per cognitionem aliquam mouentur in finem. Nam uoluntarium denominatiuè dicitur à uoluntate, & trahitur postmodum ad ea, quæ habent conuenientiam cum uoluntate.

LECTIO VNICA.

Vtrum perfectior sit actus voluntarius necessarius, quàm liber?

51 PRæmitto primò ad huius difficultatis explicationẽ, quod uoluntarium (prout ad præsens attinet) diuiditur in uoluntarium perfectum: Et in uoluntarium imperfectum. Voluntarium perfectum illud dicitur, quod sequitur cognitionem perfectam; Et hoc solum reperitur in creatura rationali. Voluntarium autem imperfectum dicitur illud, quod sequitur rationem imperfectam, & hoc reperitur etiam in brutis. 1. Animaduersio.

52 Præmitto secundò, quod volũtarium perfectum diuiditur in necessarium, & liberum tanquam in duos modos, vt optimè vult Montes. hìc disp. 9. q. 3. dub. 4. ita vt diuisio actus voluntarij perfecti in liberum, & necessarium sit rei in suos modos. His præmissis. 2. Animaduersio. Montes.

53 Respondeo primò: Si comparetur voluntarium perfectum cum imperfecto; perfectius, & nobilius est voluntarium perfectum, ac imperfectum. Patet hæc conclusio ex ipsis terminis, quia perfectius est id, quod sequitur rationem perfectam, quàm imperfectam. 1. Cõcl. & eius Ratio.

54 Respondeo secundò: Si comparetur actus perfectè voluntarius, necessarius cum actu perfectè voluntario libero; ex suo genere, & simpliciter loquendo perfectior est actus necessarius, quam actus liber. Ita Aluarez hìc disp. 32. suppos. 3. 2. Concl. Aluar.

55 Probatur ista responsio: Quia actus perfectè voluntarius necessarius sequitur cognitionem perfectioris obiecti, vt supponitur; nam sequitur cognitionem obiecti, quod sũmè amabile est, & nullam dicit rationem mali: actus autem liber sequitur cognitionem imperfectioris obiecti, hoc est eius obiecti, quod habet rationem aliquam mali, vnde oriatur indifferentia ad illud prosequendum, vel respuendum. Ratio cõclus.

56 Hinc infertur, quod perfectior sit actus amoris erga Deum in patria, quam in via. Vlteriùs, quod perfectior sit actus necessarius amoris erga Deum, quam actus liber, quicumque ille sit. Corollarium.

57 Respondeo tertiò: Si comparetur actus liber cum actu necessario sequente rationem imperfectam: Vel clariùs si comparetur modus operandi liberè cum modo operãdi necessariò, & cum determinatione ad vnum sequente rationem imperfectam, vt reperitur in brutis; perfectior est modus operandi liberè, quam necessariò. 3. Concl.

58 Ratio est, quia modus operandi liberè est magis ab intrinseco, quã modus operandi necessariò; Nam Ratio cõclus.

modus operandi liberè est ab ipso operante, & se mouente: Modus autem operandi necessario est ab alio determinante.

Sententia opposita Vasq & eius Ratio.

59 Contra nostram sententiam prædictis responsionibus explicatam videtur esse Vasquez hic disp. 24. cap. 4. num. 25. quatenus simpliciter dicit, quod perfectior est modus operandi liberè, quam necessario. Ratio ipsius est; Quia ille inuenitur in creatura rationali: hic autem in brutis.

Respõsio.

60 Sed respõdetur breuiter, quod facta comparatione inter modũ operandi liberum, qui reperitur in creatura rationali, & modum operãdi necessarium, qui reperitur in brutis, perfectior est ille, quam iste: Nam ille sequitur rationem perfectam, & est magis ab intrinseco, quia est ex propria determinatione: Hic autem sequitur rationẽ imperfectam, & non est adeò ab intrinseco, sed quodammodo ab extrinseco, scilicet ex directione authoris naturæ. Si autem fiat comparatio inter actum necessarium repertum in homine, & actũ liberum; perfectior est actus necessarius in ratione voluntarij, quia est ex maiori inclinatione, & perfectiori cognitione.

Animaduersio, & declaratio præced. respons.

61 Vbi obseruandum est, quod duo sunt de ratione actus voluntarij: & quod sit à principio intrinseco: & quod sequatur cognitionem; Vnde actus voluntarius, quò magis participat istas duas conditiones, eò magis est perfectus in ratione voluntarij. Ratio autem actus voluntarij, vt sic contrahitur ad liberum, & necessariũ. Vnde quò magis actus liber participabit de principio intrinseco, & de cognitione, eò magis erit perfectus in ratione voluntarij: & è contrà quò magis actus necessarius participabit de cognitione, & principio intrinseco, erit perfectior in ratione voluntarij. Actus autem necessarius sequens rationem perfectam, siue cognitionem perfecti obiecti, sẽper erit perfectior simpliciter loquendo actu libero reperto in homine: quia magis, ac ille participat conditiones voluntarij.

62 Præter Vasquez etiam videtur esse Montes. contra nostram sententiam, & præcipuè contra tertiam responsionem, qui dicit, quod facta cõparatione inter actum liberum, & necessarium sequentem rationem perfectam; hi actus se habeant tanquam excedens, & excessum; nimirum, quod actus necessarius sequens rationem perfectam perfectior sit, quatenus respicit obiectum tanquam finem: Quia est ex maiori inclinatione: Actus verò liber sequens rationem perfectam est perfectior siue magis participat rationem voluntarij, quatenus est ab intrinseco: quia liberè operari est se mouere. Sententia opposita Montes.

63 Sed certè hæc sententia non est contra nos. Nam nos simpliciter loquendo dicimus, quod perfectior sit actus necessarius in ratione voluntarij, quam liber, quia perfectio ista simpliciter loquendo sumitur ex cognitione perfecta perfectioris obiecti. Si autem velimus loqui magis distinctè: Dico, quod ex parte obiecti perfectior sit actus necessarius propter rationem allatam, nempè quod sequatur cognitionem perfectioris obiecti. Ex parte autem subiecti perfectior est actus liber, quia in tali actu homo, vel creatura rationalis determinat, & mouet se, & non pendet ex directione, & motione alterius.

ARTICVLVS III.

Vtrum voluntarium possit esse absq; omni actu?

64 IN hoc art. duo facit S. Th. Primò supponit, quod duplex est voluntarium. Secundò satisfacit quæsito.

65 Quoad primum dicit, quod aliud est voluntarium directè: Aliud voluntarium indirectè. Voluntarium dire-

Digitized by Google

directè est illud, quod est à voluntate agente, sicut calefactio à calore. Voluntarium autem indirectè est illud, quod est à voluntate non agente, sicut submersio nauis dicitur esse à gubernatore, in quantum desistit à gubernando. Ratio huius suppositionis est: Quia voluntarium dicitur à voluntate: Voluntas autem his duobus modis potest considerari, in quantum agit, & non agit.

66 Quoad secundum respondet primò: Voluntarium directè non potest esse absque omni actu. Ratio est, quia in tantum dicitur aliquid voluntarium directè, in quantum voluntas agit, sicut calefactio in tantum dicitur esse à calore directè, in quantum calefacit. Hæc responsio, & eius ratio non proponitur à D. Th. sub hac forma, sed colligitur ex eo.

67 Respondet secundò: Voluntarium indirectè quandoque est sine actu exteriori cum solo actu interiori, & quandoque sine omni actu, tum exteriore, tum interiore. Ratio primę partis responsionis est: Quia quandoque voluntas vult non agere externè. Ratio secundæ partis est: Quia quandoque voluntas non vult.

68 Respondet tertiò. Vt effectus subsequutus ad omissionem, siue ad voluntarium indirectè, imputetur ad culpam, requiruntur tres istæ conditiones. Prima, quod possit quis vitare illum. Secunda, quod teneatur. Tertia, quod non vitet illum quantum est de se. Probatur exemplo gubernatoris nauis: nam si ipse non possit vitare submersionem nauis; vel si posset, non teneretur, quia non esset commissa ei gubernatio nauis, vel ipsam ex stipendio non suscepisset, non imputaretur ei ad culpam: Ergo. Hæc etiam conclusio non proponitur à D. Th. sub hac forma, sed colligitur.

69 Circa istum art. nota, quod S. Th. non est contrarius doctrinæ quam tradit inf. q. 71. a. 5. vbi docet, quod omissio non potest esse absque omni actu: nam ibi agit de tali omissione, scilicet, quæ est peccatum, quæ non potest dari absque omni actu; hìc autem agit de omissione vt sic, quatenus voluntaria, & secundum suam essentiam in communi. Vlterius agit de voluntario sequuto ad omissionem.

LECTIO I.

Quotuplex sit voluntarium?

70 REspondeo primò: Voluntarium prima sui diuisione est duplex, scilicet directè, & indirectè. Ita colligitur ex D. Tho. in hoc art. Voluntarium directè illud dicitur, in quod per se influit voluntas, quod non potest esse absque actu: Vel, vt clariùs alij loquuntur, quod est volitũ in se. Aliud dicitur voluntarium indirectè; quod voluntarium est adhuc duplex. Vnum quod est per puram cessationem ab actu, vt ait S. Th. hic: Alterum quod est volitum per actum positiuum in causa, non vero in se, vt cum quis proijcit lapides è tecto non monens transeuntes. 1. Cõclusio, & 1. diuisio voluntarij.

71 Rursus aliud dicitur voluntarium explicitum, siue expressum, vt quando actu directo, & expresso fertur in illud: Aliud verò implicitum, & tacitum, vt quando actu aliquo fertur in aliquid, quod implicitè continet in se aliud: vt cum quis vult peccatum mortale, implicitè vult auersionem à Deo: Vel vult ebrietatem, ex qua solet sequi occisio, vel alia mala. 2. Diuisio volũtarij.

72 Vbi aduertendum, quod ea, quæ sunt volita in causa, quandoque sunt volita in causa omninò necessaria, vt patet de eo, qui peccat mortaliter, ad quod necessariò sequitur auersio à Deo: Vel in eo, qui sumit potionem veneni, ad quam necessario sequitur mors: Quandoque autem sunt volita in causa non necessaria, sed contingenti; vt est ebrietas, ad quam solet sequi contingenter homicidium. 1. Animaduersio.

73 Rursus aduertendum est, quod hæc diuisio voluntarij implicitè, & expli- 3. Animaduersio.

Digitized by Google

explicitè coincidit cum diuisione voluntarij directè, & indirectè quod est per cessationem ab actu.

74 Demum aliud dicitur voluntarium interpretatiuè; & est quando voluntas non habet actum circa aliquod obiectum, quia non occurrit cognitio illius, habuisset tamen actum, si occurrisset cognitio illius: Vt quando legislatores in suis legibus non præuident aliquos casus, quos non præcepissent, vel prohibuissent, si eos preuidissent, in quibus datur locus Epichiæ. Verum vniuersaliter voluntarium interpretatiuum illud dicitur, quod prudenti iudicio iudicatur esse de mente alicuius.

3. Diuisio volũtarij.

75 Respondeo secundò: Voluntarium, sicut & intentio diuiditur in actuale: virtuale: & habituale. Voluntarium actuale est, quando quis aliquid facit aduertens ad id, quod facit: Vt dum quis occidit hominem aduertens illum esse hominem, vel omittit Missam aduertens esse diem festum. Virtuale autem dicitur, quando ex vi actus voluntatis præcedentis aliquid facit, non aduertens tunc ad id, quod agit: Qua ratione Confessarius absoluens pœnitentem distractus voluntariè, virtualiter dicitur illum absoluere ex vi actus præcedentis, quo voluit audire eius confessionem, & illi absolutionem impendere.

2. Cõcl. & alia diuisio voluntarij.

76 Demum voluntarium habituale dicitur illud, quod quis facit non aduertens id, quod facit, neque id facit ex vi alicuius actus præcedentis, sed ita est dispositus, quod illud faceret, si sciret; exempli gratia. Si quis volens occidere feram, occidit casu inimicum suum putans esse feram, quem adhuc occidisset, si eum cognouisset; Talis occisio dicitur ei voluntaria habitualis, quia non fuit ex vi alicuius actus præcedentis. Hoc autem voluntarium habituale non sufficit ad peccandum, neque ad alios actus morales: An autem sufficiat ad contractus, dicetur in materia de contractibus.

77 Respondeo vltimò ex supra dictis, quod voluntarium diuiditur in necessarium, & liberum, & est diuisio rei in suos modos; quidquid alij dicant.

Alia diuisio voluntarij.

LECTIO II.

Vtrum voluntarium directum possit esse sine actu, tùm intellectus, tùm voluntatis: Et an etiam voluntarium indirectum, quod dicitur tale per cessationem ab actu?

78 HÆC difficultas est sufficienter declarata, & determinata in hoc art. nihilominùs illam moueo propter aliquas difficultates in contrarium.

79 Et respõdeo primò primæ parti difficultatis: Voluntarium directum nullo modo potest esse sine actu intellectus. Ita communiter Theologi. Ratio sumitur ex definitione voluntarij, quod est à principio intrinseco cũ cognitione finis.

1. Cõcl. & eius Ratio.

80 Sed obijcies; quia sunt aliqua peccata, quæ committuntur ex ignorantia vincibili: Ergo tunc excluditur cognitio à voluntario.

Obiectio.

81 Confirmatur, & explicatur hęc obiectio. Si quis in via publica explodat tormentum æneum, vel iaciat sagittam non adhibita debita diligentia, & occidat hominem; talis occisio est ei voluntaria, cum sit peccaminosa, & tamen nulla præcessit cognitio: Ergo, &c.

Confirm.

82 Respondetur, quod semper in peccatis commissis ex ignorantia vincibili præcedit virtualis, & interpretatiua cognitio; quia cum sint interpretatiuè volita, interpretatiuè dicuntur cognita.

1. Respõsio.

83 Vel respondetur meliùs, quod semper in talibus pẽccatis præcessit aliqua formalis aduertentia intellectus, alioqui non dicerentur indirectè volita. Patet in casu posito homicidij,

2. Respõsio.

Digitized by Google

cidij, in quo certum est, quod præcesserit actualis aduertẽtia periculi, alioqui non esset culpabile.

84 Respondeo secundò: Voluntarium directè non potest esse sine expresso actu voluntatis. Ita S. Th. hìc, & communiter Commentatores.

2. Cõclusio.

85 Probatur hæc responsio. Volũtarium directè dicitur illud, in quod per se influit volũtas: Sed id, in quod per se influit voluntas, non potest esse sine actu voluntatis: Ergo, &c. Maior probatur; quia id dicitur esse directè per modũ effectus ab aliqua causa, in quod talis causa per se influit. Minor patet; quia influxus voluntatis est actus voluntatis.

Ratio cõclusionis.

86 Confirmatur; quia voluntariũ sine omni actu voluntatis est voluntarium indirectè, vt infra dicemus: Nã negatio actus est propriè indirectè à voluntate, & explicatur per quendam circuitum verborum, quatenus si poneret actum voluntas, vel causa, non esset talis negatio.

Confirm.

87 Contra hanc responsionem est Auila de Cens. par. 7. disput. 6. sect. 1. dub. 1. relatus à Merol. disp. 1. de volunt. cap. 1. dub. 2. qui dicit voluntarium directè posse esse sine actu voluntatis.

1. Sententia oppo. sita Auilæ.

88 Probat duobus exemplis hanc suam opinionem. Primum est, quia si quis non audit Missam die festo cũ possit; talis omissio Missæ dicitur illi directè voluntaria, quamuis expressè non velit omittere illam, dummodo adsit aduertentia sufficiens. Secũdum exemplum est: Si quis propinet alicui venenum aduertẽs illud esse mortiferum, & non intendit eius mortem, homicidium illud est ei voluntarium directè.

Fundam. huius sẽtentiæ.

89 Respondetur, quod hi casus sunt istis indirectè voluntarij, vtpotè voliti in causa, vel per cessationem ab actu, quem tenebantur adhibere.

Respõsio.

90 Cõtra etiã videtur esse Merolla loco cit. & Suarez relatus etiam ab ipso Meroll. eodem loco, qui dicunt, quod aliud est voluntarium directè in actu signato; & aliud in actu exercito; & quod voluntarium in actu signato non potest esse sine actu voluntatis; Voluntarium autem in actu exercito potest esse directè sine actu voluntatis.

Sentẽtia oppo sita Merollæ, & Suar.

91 Ratio autem huius sententiæ adducitur ex Suarez: quia omissio Missæ, & occisso hominis in casibus prædictis sunt voluntaria in se, & non in causa.

Fundam. 2. sententiæ.

92 Hinc inferunt prædicti auth. quod dupliciter potest sumi voluntarium indirectè: strictè: & largè. Strictè sumptum est illud, quod est volitum in causa, & hoc non potest esse sine actu voluntatis. Largè sumptum est illud, quod est voluntarium in se, & istud in actu exercito potest esse sine actu: Vt patet in casu posito de omittente Missam.

Corollarium ex authoribus huius sententiæ.

93 Sed hæc sententia cõtinet quandam speculationem parum vtilem: Nam illud formaliter ex mẽte D. Th. hìc, & omnium Theologorum est voluntariũ indirectè, quod est per omissionem actus; siue autem sit voluntarium in causa, siue in se, parum refert: Sufficit vt sit sine omni actu: Alioquin hæc esset quæstio de nomine. Non nego, nec etiam hoc negat S. Th. quod detur voluntarium indirectè, quod sit volitum in causa, sed id quod dico, quod eo ipso, quod aliquid est volũtarium per omissionem actus, dicitur voluntarium indirectè. Et hæc de prima parte difficultatis.

Impugnatur hæc sententia.

94 Respondeo tertiò: Voluntariũ indirectè non potest esse sine aduertentia rationis. Probatur ratione primę responsionis; Et confirmatur, quia alioqui dormientibus essent infinita voluntaria.

3. Cõcl. & eius Ratio.

95 Respondeo quartò: Voluntariũ indirctè (vt de eo hic loquimur) potest esse sine actu voluntatis. Ita cõmuniter Theologi hìc. Probatur primò ratione D. Tho. adducta in argumento *Sed contra* huius art. Quia voluntas est potentia libera, & potest liberè agere, & non agere, velle, & non velle, siue cessare ab actu: Sed velle est ei voluntarium: Ergo non velle. Probatur

4. Cõcl. & 1. Ratio S. Tho.

Digitized by Google

batur consequentia, quia eodem modo est indifferens ad vtrumque.

2. Ratio. 96 Probatur secundò ex communi diuisione peccati in peccatum cõmissionis, & omissionis. Nam peccatum omissionis est absque actu; peccatum verò commissionis cum actu: Ergo &c.

Explicatio secundæ Rationis. 97 Explicatur magis efficacia, & vis huius rationis. Supponatur, quod currat præceptum audiendi Missam, tunc sic argumentor. Potest quis culpabiliter omittere Missam absq; actu positiuo, quo velit non audire Missã: Ergo potest dari voluntarium indirectum absque omni actu. Consequentia est euidens; quia idem est culpabile, quod est voluntarium.

1. Probatio antecedentis. 98 Antecedens probatur primò: Quia voluntas in eo casu est æquè indifferens ad eliciendum actum, quo uelit audire, & non eliciendum illum: Sed ut eliciat actum, non opus est alio actu, quo uelit illum elicere: Alioquin daretur processus in infinitum: Ergo ad hoc, ut non eliciat illum, non opus est actu, quo uelit illum non elicere.

2. Probatio antecedentis. 99 Probatur secundò: Quia uolũtas non est determinata in eo casu ad uolendum omittere; alioquin nõ peccaret, quia non esset libera: Ergo potest omittere sine actu.

Sententia opposita Buridani. 100 Cõtra hanc ultimam respõs. est sententia, quam Aureol. disp. 1. de uolunt. cap. 1. dub. 3. tribuit Buridano lib. 3. Eth. q. 9. asserenti nullum dari voluntariũ positiuum sine omni actu.

1. Argũm. 101 Probatur primò, quia uoluntarium est id, quod procedit à uoluntate tanquam à principio: Sed nihil potest esse à uoluntate tanquam à principio sine actu: Ergo.

Respõsio. 102 Respondetur breuiter ad maiorem, quod uoluntarium est id, quod procedit à uoluntate tanquam à principio influente, uel non operante. Primum non potest esse sine actu: Secũdum uerò potest esse sine actu.

2. Argum. 103 Probatur secundò; Quia non potest saluari meritum in sola negatione actus indebiti, siue in sola omissione actus mali: Ergo non potest saluari demeritum in sola negatione actus debiti, siue in omissione sola actus boni: Ergo nullum potest dari uoluntarium sine actu.

Respõsio. 104 Respondetur negando primã consequentiam, quia plura requiruntur ad meritum, quam ad demeritum; sicut plura requiruntur ad bonũ, quã ad malum: iuxta illud: *Bonum ex integra causa, &c.* Ita respondet D. Th. huic arg. inf. q. 71. a. 5. ad 1. D. Th.

3. Arg. & respõsio. 105 Probatur tertiò: Quia ex D. Th. inf. q. 1. iam cit. a. 1. nulla potest dari omissio absque actu: Ergo nec etiam voluntarium absolutè loquendo. Respondetur negando consequẽtia, quia nos hìc loquimur de voluntario secundum se; sicut etiam ibi docet D. Th. quod loquendo de omissione secundum se, & essentialiter, potest esse sine actu. D. Th.

LECTIO III.

Vtrum vt omissio censeatur voluntaria, requiratur obligatio, vel præceptum non omittendi actum?

106 IN hac difficultate, vt clariùs procedam, primò explicabo titulum: secundò statuam sententiam meam duabus responsionibus: Et tertiò adducam sententias contrarias cum suis argumentis, & soluam illa.

1. Animaduersio. 107 Quoad primum. Sciẽdum est, quod in voluntario indirectè quod est per omissionem actus duo possunt considerari: Et ipsa omissio actus: Et effectus, qui sequitur ad omissionem actus; exempli gratia, in submersione nauis potest considerari omissio gubernationis: Et ipsa submersio nauis, quæ sequitur ad omissionem gubernationis. Nos hìc loquimur de ipsa omissione, non verò de effectu sequuto ad omissionem; nam de effectu sequuto

Digitized by Google

quuto ad omissionem loquemur in sequenti lectione,

2. Animaduersio. 108 Rursus sciendum est, quod omissio aliquando est effectus alicuius causæ positiuæ, vel actus positiui: Vt cum quis actu positiuo non vult audire Missam, vel omittit Missam, quia vult ludere, venari, studere: Aliquando verò ipsa est causa indirecta alicuius effectus positiui: vt cum omittit succurrere fame pereunti, naui periclitanti, vel domui ardenti. Hìc nos loquimur de omissione, quæ est causa indirectè.

3. Animaduersio. 109 Demum aduertendũ est, quod hæc difficultas solet ab alijs proponi sub his verbis, scilicet: An vt omissio censeatur voluntaria, requirantur tres illæ conditiones: quod quis possit non omittere: quod teneatur: & quod de facto omittat? Sed quia de secunda conditione solum est difficultas, ideò illam proposui modo prædicto. Hæc quoad primum.

1. Concl. Montes. Aluarez. Vasq. 110 Quoad secundum. Respondeo primò: Vt omissio sit voluntaria, non requiritur obligatio, vel præceptum nõ omittendi actum: Vel nõ requiritur ea conditio, quod quis teneatur. Ita Montes. Aluar. & alij Thomistæ hìc, & etiam Vasquez.

Probatio ex Aristot. 111 Probatur primò auth. Arist. 3. Eth. cap. 5. vbi docet: Voluntaria nobis esse, quæ possumus facere, & omittere, velle, & non velle. Vlteriùs concludit, nos sponte nostra, & voluntariè esse probos, vel improbos, quia possumus honestè, vel turpitèr agere, & similiter non agere: Ergo non requiritur ex mente Arist. vt omissio sit voluntaria, quod quis teneatur non omittere.

Probatio ex S. Th. 112 Probatur secundò ex D. Th. in hoc art. & inf. q. 71. a. 5. ad 2. vbi docet ipsum non velle dici voluntarium in quantum est in potestate hominis. Ait enim: *Ipsum non velle potest dici voluntarium in quantum in potestate hominis est velle, & non velle*: Ergo si ex mente D. Th. non velle est voluntarium, in quantum est in potestate hominis, non requiritur obligatio, vel præceptum.

1. Ratio concluſ. 113 Probatur tertiò: Quia omissio secundum se, & præciso quocunq; præcepto est libera: Ergo voluntaria. Consequentia est euidens; quia omne liberum est voluntarium. Antecedens probatur; quia voluntas est indifferẽs ad velle, & non velle; siue in potestate eius antecedenter ad quodcumque præceptum est agere, & omittere actum.

Confirm. 114 Confirmatur hæc ratio; quia præceptum est merè extrinsecum voluntati: non enim facit, quod voluntas possit agere, & non agere.

2. Ratio concluſ. 115 Probatur quartò. Si quis, dũ non vrget præceptum audiendi sacrũ, vellet actu positiuo non audire sacrũ, talis omissio esset voluntaria directè: Ergo si sciens, & aduertens, in tali casu non audiret sacrum per solã omissionem actus, talis omissio esset voluntaria indirectè: Ergo non requiritur præceptum ad voluntarium indirectè, siue ad omissionem secundum se.

2. Cõcl. & eius Ratio. 116 Respondeo secundò: Vt omissio imputetur ad culpam requiritur præceptum, vel obligatio ad nõ omittendum actum. Ratio est, quia peccatum est contra legem, vel præceptum; siue Diuinum, siue humanum, siue naturale, vt patet ex eius definitione: Ergo vt omissio imputetur ad culpam, debet esse contra præceptum.

Tres conditiones pro omissione culpabili. 117 Hinc iam clarè concluditur, quod vt omissio aliqua sit culpabilis tres conditiones requiruntur: Prima, quod possit quis ponere actum: Secunda, quod teneatur illum ponere: Tertia, quod de facto omittat actum.

Ratio. 118 Ratio primæ conditionis est, quia nullus peccat, si non facit id, quod nequit facere, quia nemo tenetur ad impossibile. Ratio secundæ est, quia ex dictis peccatum est contra præceptum. Ratio tertiæ, quia si ponit actum, de facto adimplet præceptum, & non peccat: Ergo vt sit culpabilis, debet omitti actus.

1. Sententia oppoſita. 119 Quoad tertium. Est prima sẽtentia aliquorum Thomistarum, quos tacito nomine refert hìc Aluar. disp.

Digitized by Google

34. qui simpliciter dicunt, quod vt omissio sit voluntaria, non requiritur obligatio, vel præceptum ad illam vitandam. Sed rationes huius sententiæ probant primam nostram responsionem, & ideò ab illis adducendis abstineo.

2. Sententia opposita Med. Caiet. Nauar. Lorc. & Cur.

120 Secunda sententia est Med. Caiet. Nauar. Lorc. Cur. & aliorum, qui dicunt, quod vt omissio sit voluntaria, requiritur obligatio, vel præceptum non omittendi. Quæ quidem sententia non dissonat à nostra secunda responsione; nihilominus, quia eius argumenta videntur simpliciter probare, quod vt omissio sit voluntaria, requiratur obligatio, adducam, & soluam illa.

1. Arg. ex S. Th.

121 Primum argumentum sumitur ex D. Th. in hoc art. vbi habet hęc verba: *Quia igitur voluntas volendo, & agendo potest impedire, hoc quod est non velle, & non agere, & aliquando debet, imputatur illi non velle, & non agere*: Ergo ex mente D. Th. requiritur obligatio, siue pręceptum, vt omissio dicatur voluntaria.

1. & 2. responsio.

122 Respondeo primò, quod S. Th. loquitur de omissione culpabili. Respondetur secundò, quod loquitur de effectu sequuto ad omissionem, qui vt sit voluntarius, requiritur obligatio, vt infrà videbimus.

2. Argum.

123 Secundum argumentum est. Vt omissio sit voluntaria, debet reduci in voluntate, tanquam in causam: Sed si non adsit præceptum, non potest omissio reduci in voluntatem tãquam in causam: Ergo. Probatur minor; quia talis omissio non reducitur in voluntatem, tanquam in causam physicam, vt patet; neque tanquam in causam moralem, quia non tenetur voluntas vitare talem omissionem ablato præcepto.

1. Respõsio.

124 Respondetur, quod omissio reducitur in voluntatem tanquam in causam physicam, & moralem. Quod reducatur in voluntatem tanquam in causam physicam probat Mõtes. quia non potest dari omissio à parte rei sine aliquo actu, qui sit causa, vel occasio eius, & ratione huius actus reducitur in voluntatem tanquam in causam physicam.

Montes.

2. Respõsio.

125 Sed quidquid sit de hoc reducitur omissio in voluntatem tanquam in causam physicam, quia physicè, & realiter in potestate eius est velle, & non velle. Quod autem reducatur in voluntatem tanquam in causam moralem, etiam patet; Quia talis omissio est liberè, & indirectè voluntaria.

3. Argum.

126 Tertium argumentum est. Voluntas per simplicem omissionem nõ mutatur: Ergo nullo modo potest esse voluntaria; Quia vt esset voluntaria, deberet mutari voluntas.

1. Respõsio.

127 Respondeo primò, quod voluntas per simplicem omissionẽ mutatur, quia ex non omittente fit omittens: verum hæc mutatio nihil reale addit, sed solum quid rationis, quia ipsa omissio non est actus realis.

2. Respõsio.

128 Respondetur secundò, quod mutatur realiter antecedenter, vel comitanter ratione actus, qui est causa, vel occasio omissionis.

3. Respõsio.

129 Respondetur tertiò, quod mutatur realiter ratione actus intellectus, qui antecedit ipsam omissionem.

4. Argum.

130 Quartum argumentum. Si omissio esset voluntaria absque præcepto, deberet esse bona, vel mala secundum se, & meritoria, vel demeritoria: Sed non est meritoria, vel demeritoria, si non adsit præceptum: Ergo &c.

Respõsio.

131 Respondeo primò, quod sit meritoria, vel demeritoria, vel bona, aut mala ex fine, & circumstantijs bonis, vel malis, & principaliter ratione actus, qui est occasio, vel causa eius.

Explicatur precedens responsio.

132 Sed pro clariori responsione primò dico, quod omissio mali secundum se non est meritoria ex D. Th. inf. q. 71. a. 5. ad 1. quia ad meritum requiritur actus. Dico secundò, quod omissio boni est demeritoria secundum se, quia malum ex quocumque defectu. Dico tertiò cum Montes. quod

Montes.

Digitized by Google

quod omiſsio mali præcisè conſiderata non eſt bona, nec ſtudioſa. Et ratio eſt, quia ad bonitatem moralem non ſufficit, quod ſit honeſta; Sed quod ſit propter ipſam honeſtatem. At omiſsio ſecundum ſe non includit ordinationem ad ipſam honeſtatem. Sed de his q.cit.D. Th. vbi agemus: An poſsit dari omiſsio à parte rei ſine omni actu.

LECTIO IV.

Vtrum effectus, vel euentus poſitiuus ſequutus ad omiſsionem ſit voluntarius ei, qui non tenetur illum impedire?

133 DIximus in præcedenti lectione, vt omiſsio ſit alicui voluntaria nõ requiri præceptum: modò quærimus, an effectus ſequutus ad omiſsionem; cuiuſmodi eſt ſubmerſio nauis ſequens ad omiſsionem gubernationis, dicatur alicui voluntarius, ſi illum non teneatur vitare.

Concluſio.

134 Et reſpondeo. Vt effectus, vel euentus poſitiuus ſequutus ad omiſsionem ſit alicui voluntarius, requiritur quod teneatur illum uitare. Ita communiter Thomiſtæ hìc. Quę quidem ſententia veriſsima eſt, ſed non habet meo uideri rationes adeò plauſibiles, ut ſententia oppoſita.

Probatio ex S.Th.

135 Probatur primò auth. D. Th. in hoc art. ubi ait: *Non ſemper id, quod ſequitur ad defectum actionis, reducitur ſicut in cauſam in agens, ex eo quod non agit; ſed ſolum tunc cum poteſt, & debet agere.* Et clariùs inf. q.79.a.1.ubi probat, quod Deus non ſit cauſa directè peccati, quia non influit in peccatum, neque cauſa indirectè, quia quamuis poſsit impedire peccata, non tenetur.

Euaſio aduerſ. & eius præcluſio.

136 Huic teſtimonio D.Th. reſpõdent, quod intelligatur de effectu, qui imputetur ad culpam. Sed cõtra, quia ex eo probat S. Th. quod imputetur ad culpam, quia eſt illi uoluntarius cũ teneatur, & poſsit illum uitare.

1. Ratio concluſ.

137 Probatur ſecundò ratione à priori. Effectus ſequutus ad omiſsionem, ſi non adſit præceptum, non reducitur in uoluntatem, neque tanquã in cauſam phyſicam, neque tanquam in cauſam moralem: Ergo nullo modo eſt uoluntarius ei, qui non tenetur illum impedire ex præcepto. Conſequentia eſt euidens, quia ad hoc ut eſſet ei uoluntarius, deberet reduci in uoluntatem uno ex duobus modis, uel tanquam in cauſam phyſicam, uel tãquam in cauſam moralem.

Probatio antecedẽtis.

138 Probatur antecedens, quod non reducatur in eam tanquam in cauſam phyſicam; quia per omiſsionem nullo modo influit in eam, ſed alia cauſa extrinſeca ipſi uoluntati, ſiue ſit naturalis, ſiue libera. Neque reducitur in eam tanquam in cauſam moralem, quia eatenus eſſet cauſa moralis illius effectus, quatenus teneretur uitare illum. In moribus enim nulla habetur ratio euẽtus, cuius nulla eſt obligatio præcepti, ſed ità æſtimatur reſpectu eius, qui non tenetur, ac ſi nullo modo eſſet: Ergo &c.

2. Ratio.

139 Probatur tertiò ratione à poſteriori. Si effectus eſſet uoluntarius ei, qui nõ tenetur illum uitare, ſequeretur omnia peccata eſſe Dei uoluntaria: Sed hoc eſt falſum: Ergo &c. Probatur ſequela; quia Deus poteſt impedire omnia peccata tribuendo auxilia efficacia homini ad non peccandum.

1. Euaſio aduerſ.

140 Reſpondent huic rationi authores contrarij primò, quod peccata noſtra nõ ſunt Deo uolũtaria, quia quamuis non det auxilium efficax, tribuit tamen auxilium ſufficiens, & etiã conſilio, & præcepto prohibet illa.

Præcluſio.

141 Sed contrà, quia quamuis det auxilium ſufficiens, ac prohibeat peccata; nihilominùs efficaciter non prohibet, uel impedit auxilio efficaci: Ergo &c.

2. Euasio Salas.

142 Reſpondet ſecundò Salas, quod eſſent peccata noſtra uoluntaria

ria *physicè*, non *moraliter*, quia non tenetur ea uitare.

143 Sed contra primò, quia absurdissimum est in Theologia peccata nostra esse Deo uoluntaria *physicè*.

Præclusio 1.

144 Secundò, quia non potest esse aliquid uoluntarium *physicè*, quin sit voluntarium *moraliter* in actibus liberis: quia voluntas eo ipso, quod concurrit liberè ad aliquem actum, concurrit *moraliter*, & etiam *physicè*.

2. Præclusio.

145 Contra nostram sententiam est sententia Valent. hìc disp. 2. q. 1. punct. 1. præcipuè in resp. ad 1. qui dicit, quod vt effectus positiuus sequutus ad omissionem dicatur alicui voluntarius, non requiritur, vt teneatur illum vitare; Sed sufficit, vt possit illum vitare, & non vitet: vt autem imputetur ei ad culpam, requiritur, quod teneatur illum vitare. Hanc sententiam etiam sequitur Pater Salas in hoc art. tract. 3. disp. 1. sect. 4. n. 45.

Sententia contraria Valent. Salas.

146 Probatur primò testimonio D. Th. sumpto ex hoc art. & allato pro nostra sententia. Quia postquam dixit S. Th. tunc effectum sequutum ad omissionem reduci in agens tanquam in causam, quando agens potest, & debet agere, subdit exemplum de gubernatore nauis dicens, quod non imputaretur ei nauis submersio, nisi teneretur illam vitare: Ergo S. Th. loquitur de effectu, qui imputatur ad culpam, vt scilicet ad eum vitandum requiratur obligatio.

1. Argum. ex D. Th.

147 Sed certè hoc testimoniũ nullo modo suffragatur huic sententiæ, imò potiùs est ei contrarium, quia vt diximus, ex eo probat S. Th. imputari alicui effectum sequutum ad omissionem, quia fuit illi voluntarius, & ex eo esse illi voluntarium, quia potuit, & debuit illum vitare.

Respõsio.

148 Probatur secundò hæc sentẽtia. Præceptum, vel obligatio legis nõ facit opus voluntarium, sed præsupponit illud esse volũtarium, & liberũ: quia lex, vel præceptum versatur circa actus voluntarios, & liberos: Ergo effectus sequutus ad omissionem antecedenter ad præceptum est voluntarius.

2. Argum. ex ratione.

149 Respõdetur breuiter huic argumento cum Vasq. & Montes. quod præceptum non facit opus volũtariũ, sed præsupponit illud, quando illud opus non sequitur per accidens ad omissionem: quando autem sequitur per accidens ad omissionem, facit illud voluntarium, quia cõnectit illum cum voluntate tanquam cum causa morali. Vnde lex, vel præceptum nõ facit actus voluntatis, neq; ipsã omissionem secundum se sumptam voluntariam, vel effectus, siue positiuos, siue negatiuos sequutos ad actus positiuos voluntatis, sed solum ipsum effectum sequutum per accidens ad omissionẽ ipsius voluntatis. Quod quidem, vt optimè notat Montes. & Vasq. est speciale in ipsis effectibus propter rationes allatas.

Respõsio ex Vasq. & Mõtes.

150 Est autem obseruandũ, quod in istis effectibus per accidens sequutis ad omissionem diuersa ratione oritur ratio voluntarij, & ratio culpæ ex præcepto. Oritur enim ratio voluntarij ex præcepto tanquam ex conditione, siue causa, qua dicitur omittenti voluntarius effectus: ratio verò culpæ quatenus omissio est contra illud tanquam contra regulam.

Animaduersio.

151 Probatur tertiò. Omissio est voluntaria absque præcepto, vt in præcedenti lectione diximus: Ergo effectus etiam, qui sequitur ad talem omissionem; Nam est quodammodo causa illius.

3. Argum.

152 Respondetur negando consequentiam. Ratio est, quia talis effectus sequitur per se ad aliam causam, siue naturalem, siue liberam. Vnde nullo modo omissio est causa illius physica: Neque moralis, quia nulla est ratio, cur dicatur talem omissionem in genere moris influere in illum, quando non est obligatio.

Respõsio.

153 Probatur quartò. Omissio, quæ est effectus alicuius actus positiui, exempli gratia, omissio Missæ in die feriali, quia quis vult ludere, vel venari,

4. Argum.

Digitized by Google

venari, &c. est illi voluntaria: Ergo è contra effectus ortus ex omissione erit etiam voluntarius, cum omissio ipsa sit voluntaria.

Respõsio. 154 Respondetur negando consequentiam, & ratio disparitatis est; quia in casu ant. actus ille influit in omissionem; in casu autem consequentis omisio nullo modo influit in effectum præciso præcepto, vt dictum est.

5. Argum. 155 Probatur quintò. Si quis videns nauim, exempli gratia, submergi, actu positiuo vellet non succurrere cum posset, eo fine vt submergeretur nauis, talis effectus esset ei volũtarius, quamuis non teneretur: Ergo quamuis non haberet istam voluntatem expresè, sed simpliciter cessaret ab actu succursus, esset ei nihilominùs talis effectus voluntarius, quamuis non teneretur.

Respõsio. 156 Respondetur negando antecedens; Quia talis effectus in eo casu dicitur potiùs volitus, quam voluntarius. Est autem differentia inter volitum, & voluntarium; Quia id, quod est volitum comparatur tanquam obiectum voluntati: id autem, quod est uoluntarium comparatur ei tanquam effectus.

6. Argum. 157 Probatur sextò: Effectus positiuus sequens ad omissionem eodem modo pendet ab omissione eius, qui non tenetur, ac ab omissione eius, qui tenetur: Sed illi, qui tenetur, est uoluntarius: Ergo & illi, qui non tenetur. Minor, in qua est difficultas, probatur: quia negatio actus utrobique eodem modo uidetur influere.

Respõsio. 158 Respondetur cõcedendo maiorem *physicè* loquendo, & negando illam *moraliter*: quia *moraliter* comparatur ad eum, qui tenetur tanquam ad causam per se: ad illum uerò, qui non tenetur, omninò per accidens. Sicut *physicè* loquendo ad utrumque comparatur omninò per accidens.

7. Argum. 159 Probatur septimò. Si quis gubernaret nauim periclitãtem cum non teneretur, esset causa salutis nauis, & salus nauis esset illi uoluntaria: Ergo è contra si omittit gubernare, cum nõ tenetur, submersio erit illi uoluntaria.

Respõsio. 160 Respondeo negando cons. & ratio est; quia dum quis gubernat, actu influit, & impedit causam submersionis; quando uerò quis omittit gubernare, nullo modo influit in submersionẽ; Sed tantũ actu influit in ipsam omissionem, quæ dicitur ei uoluntaria indirectè.

8. Argum. 161 Probatur octauò. Effectus, qui est in potestate alicuius, ut fiat, uel non fiat, est liber, & uoluntarius: Sed submersio nauis est effectus, qui est in potestate gubernatoris, ut fiat, uel nõ fiat, etiã si nõ sit obligatus: Ergo &c.

1. Respõsio. 162 Respondetur cõcedendo maiorem, si ille effectus erit actio elicita, uel imperata; negando uerò illam, si erit effectus omninò per accidens: submersio autem nauis est effectus omninò per accidens, neque elicitus, neque imperatus à gubernatore non obligato.

2. Respõsio. 163 Vel potest distingui sic illa maior, quod effectus, qui est in potestate alicuius per uerum, & realem influxum uoluntatis in eum, est illi uoluntarius, conceditur maior; negatur uerò, quando nõ est in potestate eius per uerum, & realem influxũ in ipsũ. Huiusmodi autem est submersio nauis in potestate gubernatoris non obligati.

LECTIO V.

Vtrum effectus positiuus, vel negatiuus, (hoc est omissio,) sequutus ad actum positiuum sit alicui voluntarius, si non adsit præceptum illum vitandi?

164 IN hac difficultate, quæ ualde utilis est ad mores primò explicabo titulum: secundò referam

ram duas sententias oppositas: Et tertiò dicam ipse quid sentio.

165 Quoad primum. Sciendum est, quod in moribus sunt aliqui effectus positiui, qui sequuntur ad actum uoluntarium, uel causam positiuam: Et aliqui negatiui. Effectus positiui sunt, uerbi gratia, pollutio, homicidium, fornicatio, & similes. Effectus uero negatiui sunt omissio actus debiti, ut omissio Missæ in die festiuo, succurrendi proximo in graui necessitate. Animad. uersio.

166 Rursus alij sunt effectus, qui per se pẽdẽt ab aliqua causa, vt mors, exempli gratia, quæ per se pendet à potione veneni mortiferi: Alij verò per accidens, vt homicidium ab ebrietate.

167 De omnibus istis effectibus, & specialitèr de effectibus positiuis, qui per se pendent ab aliqua causa procedit difficultas: An scilicet dicantur voluntarij indirectè, si sint præuisi, & voliti in causa, dummodo non adsit præceptum eos vitandi. Hęc quoad primum.

168 Quoad secundum. Est prima sententia Vasquez hìc disp.24. cap.3. n.9. qui dicit omnem effectum positiuum natum ex aliquo opere positiuo, si sit præuisum, esse voluntarium indirectè, etiam si non sit præceptum ne fiat. Vnde infert, quod si aliquis opere licito dat causam pollutioni, v. gr. audiendo confessionem; talis pollutio erit ei indirectè voluntaria, sed non illi imputabitur ad culpam; quia, vt ipse dicit se probaturum eadem p.2.disp.115.cap.3. non est præceptum vllum vitandi pollutionem in vniuersum, sed certa quadam ratione. 1. Sententia Vasq.

169 Idem dicit de omissione præcognita, quæ oritur ex causa positiua: Vt cum quis omittit Missam, quia vult negotiari, &c.

170 Ratio huius sententiæ fundamentalis est; Quia voluntarium est à principio intrinseco, & cognoscente: Sed effectus positiuus, & omissio orta ex causa positiua, sunt à principio intrinseco, & cognoscente: Ergo &c. Probatur minor; & primò, quod sint à principio cognoscente supponitur, alioqui nulla esset de eis difficultas. Quod autem sint à principio intrinseco, scilicet à voluntate, probatur: Quia quamuis illorum non fuerit voluntas expressa in se, fuit tamen voluntas eorum in causa, in qua fuerunt præuisi: Ergo saltim remotè ab ipsa voluntate tanquam à principio intrinseco prouenire dicuntur. Fundam. huius sententiæ.

171 Secunda sententia est Montes. hìc disp.9.q.5.n.88. qui dicit eandem esse rationem de effectu per accidens sequuto ad omissionem, & ad actum positiuum; quod scilicet requiratur obligatio, vt vterque dicatur voluntarius; Ex quo infert ipse, quod mulier, quæ seipsam ornat, quamuis videat iuuenem lapsurum in peccatum ex aspectu illius, non peccat, neq; peccatum iuuenis est ei voluntarium: Similiter Sacerdos audiens confessionem, ex qua nouit probabiliter secuturam pollutionem, non peccat. 2. Sẽtent. Montes.

172 Idem dicit de eo, qui præuidet ex studio licito sequi pollutionẽ: Quia hi omnes non tenentur istos effectus vitare.

173 Hanc eandem sententiam tenet Sanchez lib.9.de matrim.disp.45. n.33.in resp.ad 7.argum. loquens specialiter in casu pollutionis preuisæ, & non intentæ, scilicet, quod non sit voluntaria indirectè, quando non est obligatio illam vitandi. Sanchez.

174 Ratio autem fundamentalis, & primaria sententiæ horum authorũ est; Quia effectus sequutus per accidens ad aliquam causam positiuam, vt sit voluntarius indirectè, requiritur obligatio illum vitandi. Ratio fũdamentalis huius sententiæ.

175 Quoad tertium: Ego sententiam meam explicabo duobus dictis, quibus prædictæ sententiæ facilè possunt conciliari.

176 Dico ergo primò: Vt effectus siue positiuus, siue negatiuus sequens ad causam aliquam positiuam, siue actum positiuum dicatur indirectè voluntarius *physicè*, non requiritur 1. Concl.

Digitized by Google

tur obligatio, vel præceptum vitandi eum.

Ratio. 177 Ratio est; Quia voluntarium, in cuius causam influit voluntas pendet aliquo modo à voluntate, hoc est remotè, & indirectè: Ergo nõ requiritur præceptum, vt verè dicatur volũrium. Probatur consequentia; quia antecedenter ad præceptum voluntas verè dicitur influere in illud.

2. Concl. 178 Dico secundò: Vt effectus, siue positiuus, siue negatiuus sequens ad causam positiuam imputetur ad culpam, requiritur obligatio illum vitandi, vel causam ipsius.

Ratio. Meroll. 179 Ratio est; Quia moraliter id imputatur ad culpam, quod est contra præceptum. Ita Merolla disput. 1. de volunt. cap. 1. dub. 4. n. 39. qui hoc modo conciliat prædictas sententias, Vasq. Sanchez. Vasquez, & Sanchez. Et certè huius sententiæ sic explicatæ videtur esse Vasquez, vt patet exemplo pollutionis ab eodem allato, quam tunc dicit imputari ad culpam, quando est præceptum vitandi eius causam.

Corollarium. 180 Ex hac nostra sententia possunt inferri plures casus. Primus est; quod si Sacerdos præuideat se ex auditione cõfessionis casurum in pollutionem, dummodo non sit periculum consensus, non ei imputari ad culpã; quia non tenetur vitare causam. Idem dico de eo, qui vacat studio rerum venerearum, vt disputet, vel cõcionetur de eis: De eo, qui equitat: de eo, qui iacet aliquo situ, sine quo non benè quiesceret, & de alijs similibus; Quia non est obligatio vitandi tales causas, & per consequens non sunt voluntarij in causa.

Montes. 181 Casus, quem affert Montes. de muliere ornante se habet aliquam difficultatem. Vnde dico iuxta probabilem sententiam, quod si mulier sciens se lasciuè amari ab aliquo iuuene ob suam pulchritudinem, & ornatum, tenetur ex præcepto charitatis abstinere ab ornatu, dummodo vir suus ipsam ad ornatum non cogat. Vnde si ipsa absque necessitate, vtilitate, vilipendio sui, viri præcepto, vel alia simili causa ornaret se immoderatè, peccaret mortaliter contra præceptum charitatis: Quia præceptum charitatis obligat ad vitandum scandalum, & peccatum alterius sine nostro detrimento. Possunt autem infiniti alij casus decidi ex prædicta nostra sententia, quos omitto breuitatis causa, & vt res morales scholasticè potiùs, quam practicè tractemus.

182 Contra hanc nostram sententiam sic explicatam nullum videtur esse argumentum alicuius ponderis: neque authores allati pro sententijs præcedentibus videntur esse contra nos, neque afferunt argumenta contraria.

Obiectio. 183 Vnum solũ esse videtur, quod conuincat primam nostram responsionem contradicere doctrinæ præcedentis lectionis, qua diximus effectũ sequentem ad omissionem non esse voluntarium, nisi adsit præceptum illum vitandi, & est huiusmodi. Omissio sequens ad causam positiuam est voluntaria absque præcepto illam vitandi: Ergo & effectus sequens ad omissionem ipsam erit etiam voluntarius sine obligatione illum vitandi.

Responsio. 184 Respondetur negando conf. quia actus causans omissionem influit in ipsam omissionem sine præcepto: Omissio autem ex se nullo modo influit ad effectum positiuum, qui sequitur ad ipsam sine præcepto.

ARTICVLVS IV.

Vtrum possit inferri violentia voluntati?

185 IN hoc art. priùs supponit S. Tho. quod actus volũtatis sit duplex: Vnus imperatus: Alter elicitus: Deinde duabus responsionibus resoluit difficultatem.

186 Re-

Digitized by Google

186 Respondet ergo primò: Voluntas quantum ad actus imperatos violentiam pati potest.Ratio est;Quia exteriora membra possunt per violentiam impediri, ne imperium voluntatis exequantur.

187 Respondet secundò. Quantum ad actum elicitum non potest voluntati violentia inferri. Ratio est; Quia actus elicitus est inclinatio quędam procedens ab interiori principio cognoscente: Sed coactum, vel violentum est ab exteriori principio: Ergo nullo modo actus elicitus potest esse violentus.

188 In responsione ad secundum ait S.Th. quod motus non est semper violentus, quando passiuum immutatur à suo actiuo; sed tunc quando est contra inclinationem passiui. Ratio est; Quia omnes alterationes, & generationes corporum simplicium essent innaturales, & violentæ. Itaq; ex mente D.Th. tunc infertur violentia principio passiuo, quando mouetur contra inclinationem suam.

LECTIO I.

Quid sit inuoluntarium?

189 POstquam S. Th. in tribus præcedentibus art. egit de voluntario;ex hoc art.quarto incipit agere de inuoluntario, & causis eius;Et quia vna ex causis inuoluntarij est violentia, agit ipse primò de violentia,& quærit: An voluntas possit pati violentiam?

190 Nos autem vt clariùs explicemus naturam inuoluntarij, explicabimus primò hæc tria nomina: Necessarium: Coactum: & Violentum: Deinde, quid sit inuoluntarium.

191 Quoad primum dico primò, quod necessarium est id, quod est cũ determinatione ad vnum absque facultate ad oppositum: Quod duplex est: Vnum ab intrinseco:Aliud ab extrinseco.Ab intrinseco est illud,quod procedit ex propria forma, vt motus ignis sursum, descensus lapidis deorsum,&c.Ab extrinseco est illud,quod est à forma, vel agente extrinseco, vt est motus lapidis sursum ab aliquo proijciente. 1. Concl.

192 Necessarium primo modo sumptum non distinguitur à naturali: Secundo modo sumptum coincidit cum violento, vt ex inf. dicendis magis patebit. Sumitur hæc doctrina ex D.Th.de verit.q.22.a.5. in corp. & ad 2. & 4. vbi dicit, quod duplex est necessitas, siue determinatio ad vnum: Alia ab intrinseco: Alia ab extrinseco. S.Th.

193 Dico secundò: Coactum dicitur illud, quod est contra inclinationem alicuius; Vel vt cõstat ex ipsa nominis ethymologia: Est id, quod est contra actum alterius. Vnde est idem ac violentum; nam violentum etiam est illud, quod est contra inclinationem propriam alicuius. Et sic communiter accipitur à Philosophis, & Theologis, & vnum vsurpatur pro alio. 2. Concl.

194 Verum Durand.distinguit inter hæc duo,& dicit,quod coactum dicatur de sentientibus, vel animatis: Violentum verò tàm de sentientibus, & animatis, quàm de non sentientibus, & inanimatis. Sed quidquid sit de hoc Philosophi,& Theologi confundunt hæc duo vocabula, & vnum accipiunt pro alio. Durand.

195 Ex his facilè intelligitur definitio violenti. Definiuit enim Arist. 3.Eth. cap.1. violentum, quod sit id, cuius principium est foris nihil conferente eo, cui vis est illata. Ex quo modo loquendi Philosophi sumpserunt vulgatam definitionem, scilicet: quod violentum sit illud, quod est à principio extrinseco passo non conferente vim. Explicatur definitio violenti.

196 In qua definitione tres conditiones importantur. Prima, quod sit à principio extrinseco. Secunda, quod subiectum, vel id, quod patitur uiolentiam non concurrat effectiuè Tres conditiones violenti.

ad

Digitized by Google

ad uiolẽtiam, sed solum passiuè. Tertia, quod repugnet non negatiuè, ut bene aduertit Scotus, sed positiuè, & contrariè; hoc est, quod uiolentia sit contra propriam inclinationem. In prima, & secunda conditione omnes conueniunt, quia quod non est ab extrinseco, sed ab intrinseco est naturale.

Scotus.

197 De tertia est difficultas; Sed probatur ratione Aristotelis: quia, aut actus, qui recipitur ab extrinseco agẽte est conformis inclinationi subiecti: aut repugnans: aut neque conformis, neque repugnans. Si conformis, est naturalis; Si repugnans, est uiolentus; si neque conformis, neque repugnãs, est præter naturam, ut est motus circularis ignis in propria sphæra, de quo ait Arist. lib. 1. de Cœlo cap. 2. quod non sit uiolentus, quamuis sit ab extrinseco.

1. Ratio cõclus. ex Arist.

198 Probatur secundò; Quia alioqui motus, quibus subiecta perficiuntur à superiori agente (ut est illuminatio aeris) deberet dici uiolentus, cum aer non concurrat ad eum effectiuè, neque repugnet.

2. Ratio.

199 Ex hac definitione infertur primò, quod duobus modis potest aliquid cogi, uel uiolentari. Primò, quia necessitatur ad recipiendum aliquid cõtra propriam inclinationem, siue sit actus secundus, ut operatio, siue actus primus, ut forma, uel qualitas. Secundò; quia impeditur, & retinetur ab actu contra propriam inclinationem.

1. Coroll.

200 Et probatur; Quia his tantum modis potest intelligi subiectum recipere, aut pati aliquid contra propriam inclinationem.

Ratio Corollariũ.

201 Infertur secundò decisio eius quæstionis merè philosophicæ, & tractant interpretes hic: An uiolentum sit illud, quod non solum est contra principium, siue uim actiuam passi; uerum etiam contra principium passiuum ipsius.

2. Corollarium, in quo incidẽs quæstio resoluitur.

202 Et dico breuiter contra Vasq. cum communi sententia, quod uiolẽtum sit illud, quod est non solum contra uim actiuam passi, sed etiam contra eius principium passiuum, uel inclinationem naturalem. Probatur primò testimonio D. Th. in hoc art. ad 2. Deinde ex ipsa definitione uiolenti: Nam definitur, quod sit à principio extrinseco contra inclinationem passi: At hæc inclinatio potest esse uis actiua, & uis, siue inclinatio purè passiua, ut patet in materia prima: Ergo &c.

Sẽsus authoris, & eius Ratio.

203 Argumenta Vasquez contraria ex hoc fundamento facilè solui possunt, & ideò omittuntur. Et hæc quoad primum.

204 Quoad secundum. Ex dictis facilè colligitur, quid sit inuoluntarium: Et dico breuiter, quod inuoluntarium sit illud, quod est à principio extrinseco contra impetum, uel inclinationem uoluntatis. Dicitur, quod sit à principio extrinseco loco generis: Nam in hoc conuenit cum uiolento. Dicitur contra impetum uoluntatis loco differentiæ, quia in hoc distinguitur à uiolento, quod est contra impetum aliarum potentiarum.

3. Cõclusio, & eius explicatio.

205 Nota hìc, quod magis latè patet uiolentum, quam inuoluntariũ: Quia uiolentum est contra quamcumque inclinationem: Inuoluntariũ autem contra solam inclinationem uoluntatis.

206 Vt autem magis intelligatur natura inuoluntarij sciẽdum est, quod inuoluntarium sumi potest tripliciter: Primò *negatiuè*: Secundò *priuatiuè*: Et tertiò *positiuè*. Inuoluntarium *negatiuè* dicitur motus ab intrinseco, qui est omninò incapax cognitionis, & iuxta hanc acceptionem motus inanimatorum, & plantarum possunt dici inuoluntarij; quia sunt omninò incapaces cognitionis. Inuoluntarium *priuatiuè* est motus, qui est ab appetitu intrinseco, & est capax cognitionis, sed nihilominùs procedit ex defectu cognitionis. Et huiusmodi possunt dici inuoluntarij motus uoluntatis, qui procedunt ex ignorantia. Inuoluntarium denique *positiuè* est illud, quod est à

Animaduersio pro intelligẽtia inuoluntarij.

Digitized by Google

principio extrinseco contra inclinationem ipsius voluntatis, & iuxta hãc acceptionem nos definiuimus supra *inuoluntarium*.

Alia explicatio inuoluntarij.

207 Hoc inuolũtarium adhuc potest considerari dupliciter: Primò, quatenus est contra appetitum innatum, siue naturalem ipsius voluntatis: Secundò, quatenus est cõtra aliquem actum elicitum ipsius; qui actus elicitus duplex esse potest: Inefficax: Et efficax. Inefficax apparet in eo, qui motu tempestatis proijcit merces in mare, sed nihilominus vellet actu inefficaci seruare illas, & vtique seruaret si cessaret metus tempestatis. Efficax verò patet in quocumque, qui faceret aliquid, si non impediretur.

208 Inuoluntarium proprijssimè, & in rigore sumptum est illud, quod est contra actum efficacem voluntatis. Et hæc sufficiant de natura inuoluntarij.

LECTIO II.

Vtrum voluntas possit pati violentiam quoad actus elicitos?

209 HÆC difficultas procedit tùm in ordine ad causam creatam, tùm in ordine ad causã increatam: Sed in ordine ad causam creatam nulla est peculiaris difficultas; proponitur autem maioris claritatis gratia.

1. Concl.

210 Respondeo ergo primò. Voluntas non potest pati violentiam quantum ad actus elicitos à causa creata. Est communis inter omnes Theologos.

Ratio D.Th.

211 Probatur breuiter ratione D. Tho. inf.q.9.a.6. & 1,p.q.3.a.1. Quia nullum agens creatum potest immutare voluntatem, vel aliquid in ipsa immediatè efficere, nisi solus Deus: Ergo à nullo agente creato potest pati violentiam quoad actus elicitos.

Probatio antecedẽtis.

212 Probatur antecedens, in quo est difficultas; Quia illius est immutare naturam, & dare illi inclinationem, cuius est efficere naturam, ad quam sequitur inclinatio: Sed solius est Dei efficere voluntatem, quæ est natura quædam: Ergo solius est tribuere illi inclinationem propriam, siue actum, qui sequitur ad ipsam voluntatem: Ergo &c. Minorem huius probationis probat dupliciter D.Th. hìc q.9.a.6. cit. Primò. Quia voluntas est potentia animæ rationalis, quæ à solo Deo causatur per creationem. Secundò. Quia uoluntas habet ordinem ad uniuersale bonum; Vnde nil aliud potest esse uoluntatis causa, nisi Deus, qui est uniuersale bonum.

2. Concl.

213 Respondeo secundò. Voluntas non potest pati uiolentiam quantum ad actus elicitos, nec etiam à causa increata, scilicet Deo. Est etiam communis sententia Theologorum, & solum habet aliquam difficultatem quoad solutionem argumenti cuiusdam de libertate.

Ratio cõclusionis ex S.Th.

214 Probatur ratione D. Tho. in hoc art. quæ est fundamentalis, & cõmuniter adducitur ab omnibus. Actus elicitus nil aliud est, quam inclinatio ipsius uolũtatis: Ergo implicat, quod in ea ponatur actus elicitus, & sit contra inclinationem ipsius uoluntatis, siue quod sit illi uiolentus.

Antecedens probatur primò.

215 Antecedens probatur, & explicatur hoc modo: Primò; Quia uoluntas est quædam inclinatio in actu primo: Ergo actus elicitus est quædam inclinatio in actu secundo.

Secundò

Secundò; Quia omnis actus uoluntatis est prosecutio boni, uel fuga mali ueri, uel apparentis: Ergo inclinatio quædam. Consequentia principalis patet; quia uiolentum est illud, quod est contra inclinationem.

Confirm.

216 Confirmatur hæc ratio; Quia omnis actus elicitus est essentialiter uoluntarius: Ergo non est uiolentus: Quia uiolentum, & uoluntarium opponuntur.

1.Argum. cõtrariũ.

217 Contra secundam responsionem est primum argumentum. Quia uolun-

Digitized by Google

uoluntas de se est libera,& indifferēs: Sed potest Deus necessitare illam circa aliquod obiectum in indiuiduo, circa quod nata est ferri liberè: Ergo &c.

Respõsio.

218 Respondetur breuiter negando consequentiam, quod scilicet tunc uoluntas pateretur uiolentiam; Quia uoluntas non solum concurreret ad substantiam actus, sed etiam ad modũ ipsius necessarium, & sic nullam pateretur uiolentiam.

Animaduersio pro intelligẽtia solutionis.

219 Vt autem magis percipiatur hæc solutio sciendum est, quod tripliciter posset necessitari uoluntas erga aliquod obiectum in indiuiduo, erga quod nata est ferri liberè. Primò propter imperfectam considerationem intellectus, qui non proponeret, nisi tãtum unicum obiectum sub una ratione boni, aut mali. Et stante hac imperfecta cõsideratione intellectus, statim, & necessario moueretur uolũtas natura sua ad illud obiectum. Vnde non solum moueretur ab intrinseco ad substantiam actus, sed etiam ad modum actus, scilicet ad illam determinationem, & necessitatem: Quia uoluntas mouetur natura sua, & ab intrinseco, secundum quod illi proponitur obiectum ab intellectu.

220 Secundò posset contingere propter defectum deliberationis, quia Deus impediret intellectum, ne deliberaret, & proponeret voluntati plura obiecta; sed tãtum concurreret cũ illo ad propendum vnum obiectum sub vna ratione boni, vel mali, & tunc etiam voluntas facta tali propositione natura sua necessariò vellet illud obiectum. Vnde nullam pateretur violentiam.

221 Tertiò posset cõtingere, quod propositis ei duobus obiectis, Deus non concurreret cum voluntate, nisi ad vnum obiectum. Et hoc modo nec etiam ipsa posset pati violentiam, quia tanquam causa secunda intrinseca concurreret ad illum eundem actum, ad quem Deus exhiberet suum concursum.

Replica Vasq.

222 Sed vrget Vasquez, quod si voluntas excitaretur ab vno obiecto magis congruo, & ab alio minùs cõgruo, & Deus concurreret cum volũtate ad obiectum minùs congruum, tunc voluntas pateretur vim quãtum ad cessationem ab actu circa obiectũ magis congruum.

Respõsio, in qua plures decidũtur difficultates.

223 Hæc impugnatio multas inuoluit difficultates. Prima est in prõptu: An voluntas possit pati violentiam quãtum ad cessationem ab actu, & pro nunc respondeo affirmatiuè, quam difficultatem infra peculiari lectione tractabo. Sed ex hoc nihil contra nos, quia hìc loquimur de violentia quantum ad actum elicitum, non quãtum ad cessationem ab actu.

224 Secunda difficultas: An volũtas possit ferri in deterius obiectum. Et hoc est impossibile, quia vt inf. dicemus, voluntas natura sua fertur sẽper in id, quod melius est. Vnde nec etiam Deus ex natura suæ voluntatis potest concurrere cũ voluntate creata in id, quod minùs congruũ est. Sed quid si Deus hoc vellet facere per suã Diuinã Potentiã? Dico quod fortasse hoc est impossibile; Cum cõcurrere ad id, quod minùs congruum est haberet rationem mali. Sed esto, quod hoc Deus posset facere, tunc dico, quod Deus concurreret cum voluntate ad id, quod minùs congruum est determinando, & necessitando voluntatem, & tunc iste actus necessarius esset volũtarius, & cessatio ab actu erga obiectum magis congruum esset violenta; sed nihil inde contra nos, vt dictum est.

225 Si autem relinqueretur volũtas in sua libertate, & tunc ita se determinaret ad obiectum minùs congruũ, vt in eo reperiret aliquã rationem maioris boni, & volũtariè etiam emitteret actum circa obiectũ, quod alioqui erat propositum vt magis congruum. Vnde nulla esset hìc violentia. Addo demum, quod dato casu concursus Dei ad actum erga obiectum minùs congruum, esset quædam

Digitized by Google

prædeterminatio ipsius Dei in actu primo, & nos loquimur de violentia in actu secundo.

226 Secundum argumentũ. Actus peccati est contra inclinationem habitualem, siue radicalem voluntatis: Ergo voluntas in actibus à se elicitis patitur violentiam. Antecedens probatur, quia est contra bonum rationis, ad quod inclinatur voluntas. Vnde propterea D. Th. inf. q. 71. a. 2. dicit vitium esse contra naturam. 2. Argum.

227 Huic argumento respondet S.Th. in hoc art. ad 3. quod peccatum in rei veritate est malum contra naturam rationalem; nihilominus apprehenditur vt bonum conueniens homini secundum aliquam delectationem sensus, vel secundum hominem corruptũ. Potest autem reddi ratio, cur peccatum, simpliciter loquẽdo, non sit violentum homini; Quia homo natura sua inclinatur ad bonum vt sic conueniens toti homini. Respõsio ex D.Th.

228 Tertium argumentum. Passio maiori impetu mouet voluntatem, quam alioqui moueretur ex sua natura: Ergo patitur violentiam quoad istum maiorem impetum. 3. Argum.

229 Respondetur ex D. Th. q. 77. art. 6. quod concupiscentia, siue passio anteuertens vsum rationis minuit voluntarium; passio autem sequens electionem voluntatis auget voluntarium ex parte obiecti: Quia facit apparere obiectum magis conueniens. Sed hæc non est violentia; Quia violentia est ab extrinseco efficiente, & non concurrente per modum obiecti. Resp. ex S.Th.

LECTIO III.

Vtrum uoluntas possit pati uiolentiam quoad actus imperatos?

230 IN hac difficultate, quę valde implicata est primò explicabo tit. secundò notabo aliqua pro fundamento nostræ sententiæ: Tertiò quibusdam responsionibus satisfaciam quæsito.

231 Quoad primum. Sciendum est, quod duo sunt genera actuum imperatorum: Vnum eorum, qui eliciũtur à potentia distincta à voluntate ad imperium tamẽ ipsius voluntatis: Alterum eorum, qui eliciuntur ab eadem voluntate, sed ad imperium alterius actus ipsius voluntatis; ut cum uoluntas uult actũ amoris: De utroq; genere actuum procedit difficultas, tùm in ordine ad causam creatam, tùm in ordine ad Deum. Explicatio tituli.

232 Vlteriùs aduertendũ est, quod loquendo de actu imperato manente in ipsa uoluntate difficultas procedit ex suppositione, quod Deus possit illum infundere uoluntati ipsa merè se passiuè habente. Nam si non fiat ista suppositio, nullus locus est difficultati: Quia certum est, quod uoluntas nullam potest pati uiolentiam in actibus à se elicitis, uel ad quos ipsa actiuè concurrit, ut in superiori lectione dictum est. Et hæc ad explicationem tit.

233 Quoad secundum. Noto primò; quod ut optimè aduertit Curiel dub. 1. super istum art. Voluntas in ordine ad Deum dupliciter potest considerari: Vt natura quædam est: Vel quatenus principium liberum, & uoluntarium; Cum enim ipsa habeat actus necessarios, & liberos, consequenter potest considerari ut natura, & ut principium liberum. Vlterius, quod uoluntas ut natura duplicem habet inclinationem: Vnam particularem ad bonum proprium: Alteram uniuersalem ad bonum totius, & obediendum suo Creatori. Ratio est; Quia in qualibet creatura inuenitur hæc duplex inclinatio, ut certum est apud omnes. Rursus, quod in ipsa quatenus est principium liberum, & uoluntarium non inuenitur hæc duplex inclinatio, sed solum propria, quæ potest esse repugnans Deo: Quia ipsa est sibi causa huius inclinationis 1. Animaduersio.

ratio-

Digitized by Google

ratione suæ libertatis; Sed inclinationis naturalis est Deus causa, quæ consequenter est ordinata, & illi conformis.

2. Animaduersio. 234 Noto secundò, quod dupliciter potest intelligi, quod uoluntas patiatur uiolentiam quantum ad actus imperatos: Vno modo si impediatur ab actu imperato: Alio modo si ponatur actus imperatus oppositus; Vt si ipsa imperet deambulationem, & ponatur quies, uel sessio; uel si imperet sessionem, & quis cogatur ambulare. Idem dicitur de actibus imperatis immanentibus in ipsa uoluntate; Vt si uoluntas imperet actum odij, & cogatur habere actum amoris, uel impediatur ab ipso actu odij. Sed de uiolentia quoad cessationem ab actu erit lectio sequens.

3. Animaduersio. 235 Noto tertiò, quod ut sit uiolentia circa istos actus imperatos, requiritur, ut duret actu imperiū ipsius uoluntatis. Et ratio est; Quia uiolentum dicitur illud, quod est à principio extrinseco passo non conferente uim, hoc est resistente. Si autem imperium præcessit, & non duret actu, non dicitur resistere voluntas. Vnde nullo modo aliquid ei esset violentum. Ita S.Th. colligitur ex D. Tho. de Verit. q. 22. a. 8. in corp.

1. Concl. 236 Quoad tertium. Respondeo primò. Si loquamur de actibus imperatis primi generis, scilicet de eis, qui eliciuntur à potentia exteriori ad imperium voluntatis, potest voluntas pati violentiam quoad illos à causa creata.

Ratio cōcluſ. ex S.Th. 237 Patet testimonio, & ratione D. Th. in hoc art. & ipsa experientia; Nam potest impediri manus, ne scribat; oculus ne videat &c. ad imperium voluntatis. Similiter potest quis cogi ad ambulandum contra propriam inclinationem, & voluntatem.

2. Concl. 238 Respondeo secundò. Si loquamur de eisdem actibus imperatis in ordine ad Deum, & voluntas consideretur vt principium liberum, potest voluntas pati violentiam quoad ipsos à Deo.

239 Probatur; Quia tales actus, vel effectus essent contra actum absolutum ipsius voluntatis ipsa renitente: Ergo &c. Ratio.

240 Confirmatur; Quia Dæmones ex communi sensu Theologorum coacti detinentur in inferno. Confirm.

3. Concl. 241 Respondeo tertiò: Si loquamur de eisdem actibus imperatis, vel effectibus in ordine ad Deum, & voluntas consideretur vt natura, nullus effectus exterior, vel actus imperatus, qui proueniet à Deo, erit illi violentus.

Ratio cōcluſ. 242 Probatur; Quia in voluntate, vt natura quædam est præter inclinationem particularem ad propriū bonum, est inclinatio vniuersalis ad bonum vniuersale, & obediendum suo Creatori, vt de ea, & in ea fiat quidquid ei placuerit.

Confirm. ex S.Aug. 243 Cōfirmatur testimonio D. Augusti. qui tom. 6. lib. 26. contra Faustum cap. 3. ait: *Deus autem Creator, & Conditor omnium creaturam nihil contra naturam facit: id enim erit vnicuiq; naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis motus, numerus, & ordo naturæ.* Ita Curiel. Curiel dub. 1. super hunc art. §. *Sed mihi magis.*

Obiectio. 244 Vna obiectio potest esse contra hoc, scilicet, quod id, quod facit Deus in creatura, quamuis sit iuxta inclinationem vniuersalem, est tamen contra inclinationem particularem illius, vt si proijceret lapidem sursum: Ergo esset talis effectus illi violentus.

Responsio. 245 Respondetur, quod esset illi violentus secundum quid, scilicet cōtra inclinationem particularem, quæ subordinatur vniuersali; Vt autem diceretur simpliciter violentus, deberet esse contra inclinationem vniuersalem, quæ simpliciter attenditur. Sed de his inf. cum agam: An creatura possit pati violentiam à Deo?

4 Cōcl. & eius Ratio. 246 Respondeo quartò; Loquendo de actibus imperatis manentibus in ipsa voluntate, voluntas nullam potest pati violentiam à causa creata quoad ipsos. Est responsio manifesta; Quia nulla creatura potest effectiuè

Digitized by Google

uè agere in ipſam voluntatem.

247 Reſpondeo quintò: Si voluntas conſideretur vt natura, vel vt dicit appetitum innatum non poteſt pati violentiam, etiam ſi à ſolo Deo infunderetur ei actus volendi, vel nolendi. Ratio eſt; Quia non obſiſteret infuſioni talis actus.

5. Cõcl. & eius Ratio.

248 Dicet quis. Si Deus infunderet actum, exempli gratia amoris voluntati iam excitatæ, & præparatæ ad actum odij, talis actus amoris eſſet illi violentus, quippè contra inclinationem innatam ipſius voluntatis iam excitatæ, & præparatæ ad actum odij.

Obiectio.

249 Huic argumento reſpondet Vaſquez, quod in eo caſu ille actus amoris non eſſet ei violentus; Sed ſola ceſſatio ab actu odij, quia in ſola ceſſatione pateretur violentiam; Nam impediretur ab actu, ad quem eſſet excitata, & præparata.

Reſpõſio Vaſq.

250 Addo ego, quod hęc eſſet violẽtia ſecundum quid, quippè cum nõ eſſet contra vniuerſalem inclinationem, qua vt natura ſubijcitur Deo. Demum addo, quod actus amoris poſſet dici ei violentus ſtante inclinatione, & promptitudine ipſius ad actũ odij, ſed hæc etiam eſſet violentia ſecundum quid, vt dictum eſt.

2. Reſpõſio.

251 Reſpondeo ſextò. Si loquamur de eiſdem actibus immanentibus, & voluntas conſideretur vt principium liberum, ſiue vt habet appetitum elicitum, poteſt voluntas pati violentiam à Deo in infuſione actus contrarij.

6. Concl.

252 Ratio fundamentalis eſt; Quia contra impetum internum voluntatis talis actus reciperetur.

Ratio.

253 Confirmatur; Quia ex infuſione actus contrarij reſultaret triſtitia quædam in voluntate: Ergo ſignũ eſt, quod ipſa pateretur violentiam. Ita Vaſquez hìc diſp. 26. cap. 2.

Confirm. ex Vaſq.

254 Contra hanc reſponſionem videtur ſentire quodammodo Monteſ. hìc diſp. 10. q. 4. n. 77. qui ait, quod facta ſuppoſitione, quod Deus poſſet ſe ſolo infundere actum aliquem in voluntate; tunc ſtante imperio efficaci voluntatis de diligẽdo aliquo obiecto, non poteſt infundi odium eiuſdem obiecti.

Sententia contraria Monteſ.

255 Ratio ipſius eſt; Quia ſi actus voluntatis infunderetur à ſolo Deo, etiam præſupponeret cognitionem, vel elicitam ab intellectu, vel infuſam ab ipſo Deo: Sed ſtante imperio efficaci de diligendo Deo proponeret intellectus obiectum illud ſub ratione boni: Ergo non poſſet proponi ſimul ſub ratione mali tanquam odio habendum.

Ratio huius ſententiæ.

256 Hæc ſententia, vt dixi, videtur quodammodo contra nos, non ſimpliciter; quia ipſa loquitur, vt ego intelligo, de actu odij, qui ſimul, & ſemel eſſet cum actu amoris de eodem obiecto, quamuis eſſet infuſus à Deo. Et in hoc verum dicit, neque eſt contra nos.

257 Nihilominùs quatenus eius ratio poteſt applicari contra nos, reſpondetur ei, quod ſi ſtante imperio voluntatis de actu amoris infunderetur à Deo actus odij, infunderetur etiã cognitio intellectus; Sed tunc actus ille odij eſſet contra impetum ipſius voluntatis elicitum, ſiue imperium, quo vellet actum amoris, & conſequenter eſſet illi violentus.

Reſpõſio ad rationem Mõteſ.

258 Vrgebit quis pro ſententia Monteſ. quod nec etiam Deus poſſet infundere actum odij ſtante imperio de actu amoris, quia deſtrueret etiam ipſum actum imperij.

Replica.

259 Reſpondeo, quod per actum odij deſtrueretur tantum actus amoris imperatus, non autem imperium ipſius actus amoris. Poteſt hoc explicari exemplo actus imperati eliciti ab alia potentia diſtincta à voluntate. Nam ſi Deus loco largitionis eleemoſynæ poneret alium actum ledentem pauperem, vtique talis actus deſtrueret largitionem eleemoſynæ, ſed non imperium, quo vellet largitionem eleemoſynæ: Ita à pari ſi Deus poneret actum odij in voluntate, talis actus deſtrueret quidem actum amoris imperatum; Sed non actum imperij,

Reſpõſio.

Digitized by Google

rij, vel desiderij, quo voluntas vellet illum actum amoris.

Vltima cōclusio.

260 Vltimò respondeo, quod voluntas potest pati violentiam à Deo in cessatione, vel priuatione actus imperati manentis in ipsa voluntate.

Ratio.

261 Probatur; Quia stante imperio voluntatis potest Deus denegare concursum suum, ne fluat actus imperatus: Sed tunc cessatio, vel priuatio huius actus esset contra impetum, vel inclinationem elicitam ipsius voluntatis imperantis: Ergo esset illi violenta.

LECTIO IV.

Vtrum voluntas possit pati violentiam in cessatione ab actu?

262 DVpliciter potest intelligi, quod voluntas patiatur violentiam in cessatione, vel priuatione actus proprij: Primò si non proponatur ei obiectum ab intellectu: Secundò si subtrahatur ei concursus ad operandum. Et vtroq; modo procedit difficultas.

Animaduersio.

263 Notandum, quod in hac difficultate est sermo de ipsa voluntate, vt dicit inclinationem propriam, & peculiarem, abstrahendo ab ipsa, vt dicit inclinationem vniuersalem.

1. Concl.

264 Respondeo ergo primò. Voluntas potest pati violentiam in cessatione, vel priuatione actus, per hoc, quod ei non proponatur obiectum. Ita Montes. hic disp. 10. q. 7. n. 104. & seq.

Ratio cōclus.

265 Probatur; Quia voluntas est apta nata perfici, & compleri in actu primo per obiectum propositum ei ab intellectu: Ergo si denegetur ei hæc propositio obiecti, erit contra eius inclinationē, & aptitudinem, ac proinde illi violentum.

Confirm.

266 Confirmatur hæc responsio, & eius ratio. Quoniā oculus non solū patitur violentiam, si recepta specie impediatur videre, sed etiam si impediatur recipere speciem, quæ ex parte principij est requisita ad videndum ea ratione, quia exigit talem speciem.

Animaduersio pro intelligētia cōclusionis.

267 Verum vt hæc responsio cum sua ratione magis percipiatur, animaduertendum est, quod ex duplici capite potest oriri, quod obiectum nō sit propositum voluntati: Primum est ab intrinseco, & quasi ex natura ipsius intellectus, qui pro certo quodam tempore, scilicet infantiæ, vel etiam somni naturalis non aptus est proponere voluntati obiectum amabile, vel odibile; Et tunc si obiectum non proponatur, talis denegatio obiecti non erit illi violenta: Alterum caput est ab extrinseco, quando scilicet intellectus aptus est proponere voluntati obiectum, quo moueatur, & impediatur ab aliquo extrinseco, verbi gr. ab ebrietate, ne illi proponatur; Et tunc denegatio obiecti erit illi violenta; quia est contra suam aptitudinem, & inclinationem, qua exigit moueri, & perfici in actu primo per obiectum ei propositum ab intellectu. Sed hæc violentia erit immediata intellectui, & mediata voluntati. Et hoc modo intelligitur nostra responsio cum sua ratione.

Sententia contraria Vasq. & eius fundam.

268 Contra hanc responsionem sentit Vasq. hic disp. 27. cap. 6. qui quamuis dicat voluntatem posse pati violētiam quoad cessationem ab actu per subtractionem diuini concursus; negat tamen illā posse pati violētiam per remotionem obiecti. Ratio ipsius est; Quia si non sit propositum voluntati obiectum, non habet omnia requisita ex parte actus primi ad operandum, & consequenter non habet impetum, & conatum requisitum ad operandum: Ergo cessatio ab operatione hac de causa non erit illi violenta.

Respōsio.

269 Respondetur, quod denegatio obiecti est contra aptitudinem, & inclinationem voluntatis, qua petit perfici in actu primo vt operetur, vt dictum est, & consequenter erit ei vio-

violenta. Nam quælibet potentia inclinatur naturaliter ad operationem, & consequenter ad omnia, quæ sunt requisita in actu primo ad operandum. Et hoc specialiter apparet in potentijs apprehensiuis, & appetitiuis.

2.Concl. 270 Respondeo secundò. Voluntas potest pati violentiam in cessatione, vel priuatione actus per subtractionem Diuini concursus. Huius sententiæ sunt Mont.Vasquez, & alij, & Montes. ait esse communem sententiam exposit.D.Th.

Ratio. 271 Probatur; Quia deficiente concursu Dei voluntas impeditur à suo actu contra propriam inclinationem; nam supponimus, quod voluntas haberet omnia requisita ad operandum, & solum ei deesset Diuinus concursus.

1. Confir. 272 Confirmatur; Quia si quis esset dispositus, & accinctus ad currendum, & impediretur à cursu; vtique tale impedimentum esset illi violentum, siue cessatio à cursu esset illi violenta: Ergo à pari si voluntas esset accincta, vt ita dicam, ad operandum, & impediretur ab operatione per subtractionem concursus, cessatio ab actu erit illi violenta.

2. Confir. 273 Sic etiam alijs exemplis potest explicari, & confirmari hęc respõsio: Ignis enim si detineretur ne ascenderet, & lapis ne descenderet, violentarentur: Ergo etiam si voluntas esset prompta ad operandum, & detineretur, violentaretur.

Sententia contraria Aluarez, Durandi, & Medinæ. 274 Contra hanc responsionem sentit Aluar.in hoc art.disp.3.sequens Durandum Med. & alios; dicens, voluntatem, aut aliam potentiam non pati violentiam à Deo in cessatione ab actu, ea ratione tamen, quia Deus subtrahit suum concursum generalem ne fluat actus.

1.Argum. huius sententiæ. 275 Potissimum argumentum suũ, & huius sententiæ est; Quia subtracto concursu generali Dei non remanet in voluntate inclinatio actualis, vel uirtualis ad operandum: Ergo non poterit pati uiolentiam in hoc casu.

276 Respondetur, quod in uoluntate remanet inclinatio uirtualis, uel saltem innata ad operandum subtracto concursu generali Dei: Quia concursus generalis Dei quatenus concursus, concomitatur cõcursum causæ secundæ. 1. Respõsio.

277 Dico secundo pro respons.huius argumenti, quod remanet uoluntas quatenus principium liberum inclinata in actu primo ad operandum dempto concursu generali Dei. 2. Respõsio.

278 Secundum argumentum est. Si uolũtas uellet cessare ab actu amoris, & non posset, quia Deus necessitaret illam quantum ad eius exercitium, non diceretur pati uiolentiam, sed tantum necessitari quoad exercitium: Ergo à fortiori non diceretur pati violentiam quando impediretur à Deo ab eius exercitio per subtractionem concursus generalis. 2.Argum.

279 Respondeo negando consequentiã, & ratio disparitatis est, quia exercitium actus amoris esset ab ipsa uoluntate eliciente, uel concurrente; At cessatio ab eo esset contra impetum, & propensionem ipsius uoluntatis. Respõsio.

280 Tertium argumentum. Si uoluntas posset pati uiolentiam quoad cessationem ab actu, posset etiam pati illam quoad cessationem ab omni actu: Sed hoc est falsum; nam cessatio ab omni actu neque esset contra appetitum insitum, neque elicitum: Ergo. 3.Argum.

281 Respondetur negando minorem. Ad probationem dico, quod esset contra appetitum insitum, quo inclinatur ad suum actum, sicut materia prima ad formam. Vnde sicut materia prima esset in statu uiolento, si maneret sine omni forma; ita uoluntas, si maneret sine omni actu. Potest dici etiam quod esset contra uoluntatem, quatenus principium liberum, nam ut sic etiam inclinatur ad suas operationes liberas. Respõsio.

282 Pro maiori explicatione huius responsionis aduertendũ est, quod uoluntas dupliciter consideratur ut Animad-uersio.

natu-

Digitized by Google

natura, & ut principium liberum. Vt natura inclinatur ad suam operationem necessariam. Vt libertas etiam inclinatur ad suam operationem liberam: Alioqui non esset in nobis inclinatio naturalis ad actus uirtutum.

4. Argum. 283 Quartum argumentũ, & coincidit cum primò. Voluntas non est apta nata operari sine concursu Dei: Ergo non uiolentatur, si Deus subtrahet illi concursum.

Respõsio. 284 Respondetur, quod uoluntas sit apta nata in actu primo ad operandum sine concursu Dei; quia concursus se tenet ex parte operationis. Addo quod concursus Dei est quodammodo debitus causis secũdis ad operandum; quia supposita earum creatione quodãmodo se obligauit Deus ad concurrendum cum eis ad earum operationes. Et secundum hoc intelligitur Aug. qui dixit, quod cũ Deus nihil debeat, dat omnibus debitum. S. Aug.

5. Argum. 285 Vltimum argumentum. Per hoc quod Deus priuat agens aliquod sua actione subtrahendo suum concursum, non uiolentat illud; quia actio non est perfectio agentis: Ergo ex eo, quod priuat uoluntatem sui operatione per subtractionem sui concursus non uiolentabit eam.

Respõsio. 286 Respondeo negando antecedens. Ad probationem dico, quod quamuis actio non sit perfectio agentis, sed passi, est tamen connaturalis ei. Nam ut ait Arist. 2. de Anima cap. 4. Naturalissimum est unicuique generare sibi simile; Et uiolẽtia infertur non solum quando ab extrinseco aliquid priuatur perfectione intrinseca, sed etiam quando impeditur id, quod est ei naturale. Arist.

LECTIO V.

Vtrum in receptione, vel spoliatione habituum voluntas possit pati violentiam à Deo?

287 DE receptione, uel priuatione habitus, uel alicuius actus primi à causa creata nulla est difficultas: Nam certum est, quod nulla creatura potest operari effectiuè in ipsam voluntatem; & ideò solũ proponitur in ordine ad Deum.

Animaduersio. 288 Pro cuius difficultatis explicatione supponendum est, quod duplex appetitus est in nostra voluntate: Vnus innatus: Alter elicitus, & respectu vtriusque appetitus procedit difficultas.

1. Concl. 289 Respondeo primò. Voluntas nullam potest pati violentiam à Deo in receptione alicuius habitus respectu appetitus innati. Ita communiter Theologi.

Ratio. 290 Ratio est; Quia habitus infusus, vel est per se, vel per accidens infusus, hoc est, vel est supernaturalis, vel naturalis. Si supernaturalis, nõ est contra capacitatem naturalem volũtatis, sed supra ipsius capacitatem: Voluntas enim non resistit positiuè habitibus supernaturalibus ex sua natura. Si autem naturalis, iam est secũdum suam capacitatem, & inclinationem naturalem: Ergo &c.

Obiectio. 291 Obicies: Potest Deus infundere voluntati habitum vitiosum: Ergo potest infundere habitum contra naturam voluntatis.

1. Respõsio. 292 Respondetur negando antecedens, quia Deus ex natura suæ bonitatis non potest infundere habitum inclinantem ad malum.

2. Respõsio. 293 Respondetur secundò admisso antecedens negando consequentia, & ratio est; quia tunc habitus vitiosus inclinare ad malum sub ratione boni, sicut modo sunt habitus vi-

Digitized by Google

tioſi acquiſiti à nobis, & conſequenter non eſſet violentus.

294 Reſpondeo ſecundò. Voluntas poteſt pati violentiam à Deo in receptione habituum reſpectu appetitus eliciti. Ita etiam communiter Theologi. 2. Concl.

295 Ratio eſt; Quia poteſt Deus ipſa voluntate renuente infundere illi aliquem habitum. Quantum enim eſt ex ſe poteſt ipſa nolle, & renuere talem habitum: nulla enim in hoc apparet repugnantia. Ratio.

296 Reſpondeo tertiò, Voluntas nullam poteſt pati violentiam de Deo in ſpoliatione alicuius habitus reſpectu appetitus innati. 3. Concl.

297 Ratio eſt; Quia vt ſic indifferens eſt, ſicut materia prima, ad receptionem, vel amiſſionem habitus. Ratio.

298 Confirmatur, quia vt dictum eſt ſupra, voluntas quatenus natura habet inclinationem vniuerſalem, qua ſubijciatur Deo ad eius nutum. Confirm.

299 Reſpondeo quartò. Reſpectu appetitus eliciti poteſt voluntas pati violentiam à Deo in ſpoliatione, vel priuatione habitus, Ratio eſt eadē, ac ſecundę reſponſionis; Quia poteſt voluntas quantum eſt de ſe repugnare, & nolle talem carentiam, vel priuationem. 4. Cōcl. & eius Ratio.

300 Confirmatur; Quia carentia, quæ non eſt à voluntate per liberam ſuam poteſtatem, quam habet ad ſuſpendendum actum, non eſt per ſe, & intrinſecè voluntaria. Confirm.

LECTIO VI.

Vtrum reliquæ potentiæ diſtinctæ à voluntate poſsint vim pati in actibus ſuis?

301 DVpliciter intelligi poteſt reliquas potentias poſſe vim pati in actibus ſuis: Vno modo loquendo de illis ſecundum ſe: Alio modo per ordinem ad voluntatem, hoc eſt, dum voluntas patitur violentiam in earum operationibus imperatis à ſemetipſa, an ipſæmet potentiæ etiam patiantur violentiam? De primo modo non eſt tāta difficultas; de ſecunda eſt principalis difficultas inter authores; & quo ad vtrumq; modum intellectum, breuiter reſoluam. Explicatio tituli.

302 Reſpondeo primò. Quælibet potentia conſiderata ſecūdum ſe poteſt pati vim in ceſſatione à proprio actu, ſicut viſus in non videndo &c. 1. Concl.

303 Patet ex ſupra dictis; Quia ceſſatio à proprio actu eſſet contra propriam inclinationem, qua vnaquæque inclinatur ad ſuum proprium actum. Addo, quod hoc impedimentum reſpectu aliquarum potentiarum poteſt eſſe ab agente creato, vt reſpectu potentiæ viſiuæ, auditiuæ, & aliarum potentiarum exteriorum, & reſpectu potentiæ loco motiuæ. Ratio cōcluſ.

304 Reſpondeo ſecundò. Nulla potentia diſtincta à voluntate conſiderata ſecundum ſe poteſt pati violentiam in eliciēdo proprium actum. Siue: Nulla operatio poteſt eſſe violenta in ordine ad proprium principium elicitiuum. 2. Concl.

305 Probatur primò generaliter de potentia vitali, & non vitali: Quia quælibet operatio propria alicuius potentiæ prouenit à naturali, & propria inclinatione illius: Ergo nullo modo poteſt eſſe violenta reſpectu eiuſdem. 1. Ratio.

306 Confirmatur, quia motus deorſum non poteſt eſſe violentus reſpectu grauitatis, vel corporis grauis. Confirm.

307 Probatur ſecundò ſpecialiter de potentijs vitalibus; Quia operationes vitales nullo modo eſſe poſſunt, niſi à principio vitali.

308 Confirmatur; Quia potentiæ vitales non poſſunt elicere, niſi actus vitales, & proprios; Viſus enim non poteſt elicere alium actum, niſi videndi; potentia generatiua, niſi generandi; nutritiua, niſi nutriendi, & ſic de reliquis. 2. Ratio.

309 Reſpondeo tertiò ſecundæ parti 3. Concl.

Digitized by Google

parti difficultatis. Quando voluntas patitur vim in actibus imperatis aliarum potentiarum, ipsæ potentiæ non patiuntur vllam vim in suis proprijs actibus. Ita Montes. Vasq. hoc loco Durand. in 2. dist. 29. q. 3. & dist. 25. q. 4. & alij.

Durand. Vasq. Montes.

310 Et videtur esse D. Th. q. 22. de Verit. a. 5. ad 3. vbi dicit, quod quando intellectus propter efficaciam rationum cogitur ad assentiendum alicui opinioni contra placitum voluntatis (quia scilicet volũtati placet alia opinio) talis assensus est violentus voluntati, non autem ipsi intellectui: Ergo signum est, quod patiente vim voluntate in actibus imperatis, reliquæ potentiæ non patiuntur vim in proprijs actibus.

1. Probatio ex S. Th.

311 Probatur deinde ratione; Quia actus elicitus à quacumque potentia nõ est ab extrinseco, sed ab intrinseca inclinatione eiusdem potentiæ: Ergo quamuis sit violentus volũtati, non est uiolentus potentiæ elicitiuæ.

Probat. 2. ratione.

312 Secundò probatur, & explicatur magis hæc ratio. Nam duplex est appetitus, siue inclinatio in homine: Vna dicitur totius hominis, & hęc est uoluntas, quæ quia principatur cęteris potentijs, & respicit bonum *vt sic* ipsius hominis, dicitur appetitus, & inclinatio totius hominis: Altera non dicitur inclinatio totius hominis, sed particularis, qua vnaquæque potentia inclinatur ad actum suum; ut uisus ad uidendum; potẽtia loco motiua ad mouendum, & sic de alijs.

Probat. 3. ratione.

313 Admisso ergo, quod uoluntas patiatur uiolentiam in actu alicuius potentiæ, quia est contra imperium ipsius, ipsa potentia nullam potest pati uiolentiam in actu proprio, quia inclinatur ab intrinseco ad ipsum: Vnde potest esse, quod aliquid sit contra inclinationem peculiarem alicuius potentiæ, & conforme ipsi uoluntati, sicuti saltare, uel deambulare laboriosum ad acquirendam salutem, & è contra aliquid esse contra imperium uoluntatis, & conforme inclinationi peculiari alicuius potentię, vt si quis cogatur ad videndum contra propriam voluntatem, & appetitum.

Sententia contraria Soti, Medinæ, Valẽt. Salas.

314 Contra hanc tertiam responsionem est Sotus, Med. qui diuerso fundamento ducuntur, Valent. Salas, & alij asserentes, quod dum patitur vim voluntas in actibus imperatis etiã reliquæ potentiæ vim patiuntur in proprijs actibus.

1. Argum. Soti.

315 Fundamentum Soti est; Quia voluntas est appetitus totius hominis: ipsa enim respicit non solum bonum proprium, sed bonum cuiuscumque partis: Ergo, quod est violentum voluntati erit violentum cuicumq; parti, & potentiæ.

Confirm.

316 Et confirmatur; Quia motus violentus non debet iudicari ex inclinatione cuiusque facultatis, sed ex inclinatione totius suppositi.

1. Respõsio ad argum.

317 Respondetur negando cons. & ratio est; Quia quamuis voluntas sit inclinatio totius hominis, vt supra explicatum est, non tamen sequitur, quod id, quod est violentum ei, sit cõtra inclinationem peculiarem cuiusq; potentiæ: sicut quamuis calor, & calefactio sint violenta aquæ, non sunt tamen violenta materiæ, quæ est pars essentialis illius.

2. Respõsio.

318 Vel dico clariùs, quod voluntas non dicitur appetitus totius hominis, quia dat inclinationem vnicuiq; potentiæ, sed quia regit, & dominatur vnicuique potentię; Vnde non sequitur, quod id, quod est contra eius inclinationem, sit contra inclinationem aliarum potentiarum.

Respõsio ad confir.

319 Hinc iam respondetur confirmationi, quod motus violentus simpliciter loquendo dicitur violentus respectu totius hominis, quia est contra appetitum (scilicet voluntatẽ) qui dicitur totius hominis.

2. Argum. Medinæ.

320 Fundamentum Medinæ est; Quia quælibet potentia subdita volũtati in homine habet præter inclinationem ad proprium, & particulare bonum, potentiam obedientialem, siue inclinationẽ vniuersalem ad obediendum voluntati: Ergo si voluntas

Digitized by Google

patitur vim quantum ad imperium; quia scilicet non ponitur in executione actus imperatus: sequitur etiã potentiam illi subiectam pati vim; quia non ponit in executione actum imperatum, vel obedit voluntati.

Respõsio Vasq.

321 Huic argumento diuersimodè respondent authores. Vasquez hìc disp. 26. cap. 4. ait commentitium esse in facultatibus naturalibus esse duplicem inclinationem: Vnam particularem ad proprium bonum: Alteram vniuersalem ad bonum totius; Nam in eis est solum inclinatio particularis ad bonum proprium, quæ dicitur vniuersalis, quia ipsa pertinet ad bonum totius. Et exemplum de brachio, quod naturaliter currit ad defendendum caput, quo vtitur S. Tho. 1. p. q. 60. a. 5. ad probandum Angelos magis diligere Deum, quam seipsos amore naturali, satis carpit; Ait enim, quod non appetitu naturali, sed animali mouetur.

Reijcitur hæc responsio.

322 Sed certè valdè audacter loquitur iste bonus Vasquez, nam hæc distinctio est multorum probatorum Thomistarum, & satis quidem probabilis, vt infrà magis videbitur.

Respõsio Suarez.

323 Secundò respondet Suarez p. 2. disp. 2. de inuolunt. sect. 6. n. 8. supponendo, quod dupliciter possunt cogi ad operandum facultates externæ: Vno modo extrinsecè per remotionem impedimentorum, & applicationem obiectorum, & omnium requisitorum in actu primo cõtra imperium ipsius voluntatis: Alio modo intrinsecè, & immediatè per seipsas. Si primo modo coguntur, nullam patiuntur violentiam, quia necessariò, & naturaliter operantur, vt patet in sensibus externis. Neque in hoc habent inclinationem ad obediendum voluntati: quia positis omnibus requisitis ad operandum non potest eas impedire ab operatione. Si verò secundo modo imaginamur illas cogi, & tunc nõ possunt cogi ab agente creato, sed à solo Deo: nam solus Deus potest immediatè in eas operari. Neque in hoc patiuntur violentiam, quia habent maiorem potentiam obedientialem erga Deum, quam erga voluntatem. Hæc solutio est probabilis, si benè perpendatur.

Respõsio Montel.

324 Tertiò respondet Mont. concedendo, quod quælibet potentia in homine habeat inclinationẽ ad obediendum voluntati; Sed non sequitur, quod quãdo non obedit imperio voluntatis sit illi violẽtus proprius actus elicitus: Sicut non sequitur, quod eo quod quælibet creatura habeat potẽtiam obedientialem Deo, non possit ab eo vim pati.

Respõsio verior.

325 Ego autẽ breuiter dico, quod supposita potentia obedientiali in reliquis potentijs ad voluntatem, ipsæ non patiũtur violentiam quoad actus proprios elicitos, sed solum quoad inclinationem illam ad obediendum voluntati. Addo etiam cum Suarez, quod positis omnibus requisitis ad operandum, potentiæ externæ, ut visus, &c. & potentia nutritiua, & generatiua non habent potentiam obediẽtialem respectu voluntatis, neque voluntas habet vllum dominium super illas: quia necessariò, & naturaliter operantur.

Suarez.

2. Sententia Curiel.

326 Præterea cõtra nostra tertiam respõsionem videtur Curiel hìc dub. 2. §. 4. vbi distinguit cum cęteris Thomistis duas inclinationes in huiusmodi potentijs: Vnam particularem, quę est propensio ad propriam perfectionem: Et alteram vniuersalem, quæ est propensio ad bonum totius suppositi, & ad obediendum voluntati.

Ratio huius sententię quoad primam partem.

327 Et quod detur inclinatio particularis in eis ad propriã perfectionem probat, quia vnaquæque res inclinatur ad propriam perfectionem.

Probat. 1. quoad secundam partem.

328 Quod autem detur inclinatio vniuersalis ad bonum totius, & obediendum uoluntati, probat primò; Quia sicut uoluntas naturaliter eas mouet, & applicat ad operãdum: ita ipsæ naturaliter mouentur, & consequẽter habẽt naturalem inclinationem ad hoc, ut moueantur ab ipsa uoluntate; nam ut motus sit naturalis, necessariò debet supponere naturalẽ inclinationem.

329 Se-

Digitized by Google

329 Secundò; Quia potentiæ istæ natura sua sunt subordinatæ uoluntati quãtum ad applicationem ad operandum: Ergo natura sua sunt aptę, ut moueantur, & applicentur ab ea: Ergo habent naturalem inclinationem ad sequendum hanc applicationem, & motionem voluntatis. Quibus suppositis dicit, quod hæ potentiæ non possunt cogi ad suos actus contra primam inclinationem; benè autem contra secundam inclinationem. Ratio est, quia impossibile est, vt eliciant actus suos contra istam inclinationem uniuersalem, & non sint illi violenti. Probat. 2.

330 Hæc sententia, vt dixi, est probabilis; Neque ego dico, quod actus eliciti à qualibet potentia sint connaturales inclinationi vniuersali, sed particulari. Addo etiam, vt supra addidi, quod ex suppositione, quod sint posita omnia requisita ad operãdum, istæ potentiæ non subordinantur voluntati iuxtà sententiam Suarez, & ex conseq. nulla infertur eis violentia contra hanc inclinationem, cum in eis non sit. Approbatur hæc sententia. Suarez.

LECTIO VI.

Vtrum Deus possit inferre violentiam creaturis?

331 DEcreueram non tractare hanc quæstionem, quia est quodammodo extra institutum morale; nihilominùs, quia hactenus dicta de violentia, quæ potest inferri voluntati ex eius tractatione magis eluceſcunt, ideò breuiter illam expediam.

332 Pro cuius explicatione suppono, quod duplex est inclinatio in qualibet re: Vna ad bonum propriũ: Altera ad bonum totius, & obediendum Deo; Nam vnaquæque res inclinatur ad propriam perfectionem, & perfectionem vniuersi, cum sit pars illius. Neq; hæc distinctio est figmẽtum vulgarium Philosophorum, vt ait Vasquez hìc disp. 26. cap. 4. Sed D. Tho. multis in locis præcipuè 1. p. q. 60. a. 5. vbi probat specialiter in omni re esse inclinationem ad bonũ vniuersi, & consequenter ad obediendum Deo: Quia est pars vniuersi, & aliquid ipsius Dei. 1. Animaduersio. S. Th.

333 Rursus suppono, quod dupliciter potest considerari Deus operari contra inclinationem particularem alicuius creaturæ: Vno modo vt agẽs particulare, & ex fine aliquo particulari: Alio modo vt agens vniuersale, & ex fine vniuersali; Nam cum omnia possit, & sit agens intellectuale, vtroq; modo potest operari. Colligitur hæc distinctio ex Montes. hìc disp. 10. q. 2. n. 38. vbi specialiter ipse dicit, quod Deus se solo potest operari aliquid contra propriam inclinationem creaturæ, non ex alio fine, quàm agens naturale operatur, vel ipse concurrit cum causis secundis. His ergo præsuppositis. 2. Animaduersio. Montes.

334 Respondeo primò. Potest Deus inferre violentiam creaturis si consideretur vt agens particulare, hoc est, vt operans ex fine aliquo particulari. Ita Montes. hìc Med, Vasqez, & alij. 1. Concl.

335 Probatur primò; Quia potest Deus medijs causis secundis causare aliquid violẽtum in creaturis, vt cum proijcitur lapis sursum: Ergo potest hoc facere se solo ex fine aliquo particulari; nulla enim apparet in hoc repugnantia. 1. Ratio

336 Probatur secũdò; Potest Deus impellere, & mouere hominem ipso resistente se solo, sicut fecit Gen. 19. per Angelum extrahendo Loth de Sodomis ipso renitente. Similiter potest ipsum detinere in aliquo loco cõtra eius voluntatem, sicut Gen. 32. Iacob, qui luctabatur cum eo: Ergo &c. 2. Ratio.

337 Confirmatur: Quia de facto vi detinet Dæmones in inferno mediante igne: Ergo posset se solo immediatè. Confirm.

338 Respondeo secundò. Si Deus con- 2. Concl.

consideretur vt agens vniuersale nullam violentiam potest inferre creaturis,quamuis contra proprias,& particulares earum inclinationes operetur. Ità communiter Thomistæ hìc,& Caiet.1.p.q.82.a.1.

339 Probatur primò ex vulg. testimonio Aug.lib.26. contra Faustum cap.3.dicentis: *Deus Creator,& Conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit; id enim est cuilibet rei naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus,numerus,& ordo naturæ.* Probat.1. ex Aug.

340 Probatur secundò ratione; Quia vnaquæque res habet inclinationem vniuersalem ad bonum totius: Ergo quando mouetur à Deo ex fine vniuersali mouetur iuxta propriam inclinationem: Ergo motio illa non erit ei violenta;quia violentum est illud, quod est contra propriam inclinationem. Antecedens,in quo nititur discursus,probatur;Quia quælibet res in particulari est pars vniuersi, & aliquid ipsius Dei,vt vult D.Th.1.p.cit. q.60.a.5. 2. Probat. ex ratione. D.Th.

341 Probatur tertiò: Quia quælibet res habet potentiam obedientialem,siue aptitudinẽ naturalem,vt moueatur ab ipso Deo: Ergo secundum hanc rationem nullo modo potest violentari. Consequentia est euidẽs. Antecedens probatur; Quia subordinatur illi tanquam Creatori. 3. Probat.

342 Confirmatur;Ex eo,quod potentiæ exteriores subordinãtur imperio voluntatis habent naturalem aptitudinem, vt moueantur ab illa: Ergo ex eo,quod quælibet creatura subordinatur essentialiter Creatori, habent naturalem aptitudinem, vt moueantur ab illo. Confirm.

343 Respondeo tertiò. Quando Deus vt agens vniuersale operatur contra propriam, & particularem inclinationem creaturæ, illud opus non dicitur illi simpliciter violentum, sed tantum secundum quid. 3. Concl.

344 Ratio est; Quia potissima, & principalis inclinatio in creatura est inclinatio vniuersalis ad bonum commune, & obediendum Deo. Ratio.

345 Contra hanc nostram sententiam est Vasquez hic disp. 26. cap.4. qui,vt dixi, ait esse figmentum vulgarium philosophorum ponere duplicẽ hanc inclinationem in qualibet creatura; ac proinde simpliciter asserit quamlibẽt creaturam posse pati vim à Deo. Sententia contraria Vasq.

346 Probat ipse primò,quod non possit esse hæc duplex inclinatio in creatura, sed solum inclinatio particularis. Quia natura est determinata ad vnum: Ergo non possunt esse hæ duæ inclinationes in ea repugnantes; vt in aqua, v. gr. vna, qua inclinetur deorsum ad cẽtrum; altera,qua inclinetur sursum ad replendum vacuum. 1. Argum. Vasq.

347 Respondetur negando cons. quia hæ inclinationes sunt respectu diuersorum,scilicet boni particularis, & vniuersalis,& vna subordinatur alteri, scilicet particularis vniuersali. Neque ex eo, quod natura sit determinata ad vnum, sequitur,quod in ea non sint istæ duæ inclinationes: nam dicitur determinata ad vnum, quatenus est quædam natura particularis, & quia non operatur ex propria cognitione, sed ex directione authoris naturæ. Respõsio.

348 Insuper addo,quod quatenus natura particularis est determinata ad vnum; quatenus verò pars vniuersi, est determinata ad bonum vniuersi.

349 Probat secundò; Quia aqua grauitat, dum ascendit sursum ad replendum vacuum,vt patet experimẽto,si per fistulam trahatur sursum: Ergo signum est, quod motus ille est ei violentus. 2. Argum.

350 Respõdetur: Quod sit quodãmodo violentus respectu inclinationis particularis,non verò vniuersalis: Nam etiam motus progressiuus, quo eleuatur pes, est contra grauitatem pedis;& nihilominùs non dicitur violentus homini, sed tãtùm secundum quid respectu grauitatis corporis, quatenus mixtum est ex elementis. Similiter naturale est plantis moueri sursum quando augentur, & tamen Respõsio.

iste

iste motus est contra earum naturam, quatenus corpora grauia sunt.

3. Argum. 351 Probat tertiò; Quia si naturale esset aquæ ascendere sursum ad replendum vacuum, deberet esse in ea instrumentum ad talem motum; sicut quia naturale est ei descendere deorsum, est in ea grauitas ad consequendum talem motum.

Respõsio. 352 Respondetur, quod aqua ad motum sursum passiuè concurrit, scilicet ex impressione corporum cælestium; & ideò non requiritur in ea instrumentum vllum ad talem motũ. Inclinatio enim vniuersalis, quam ponimus in aqua, & cæteris creaturis nil aliud est, quam quædam aptitudo, vt moueantur à causa superiori ad bonum vniuersi. Ita Montes. loc.cit.

Montes. 353 Hæc responsio colligitur ex D.Th. art. seq. ad 2. vbi dicit motum Cœli esse naturalem propter aptitudinem naturalem ad talem motum, licet mouens sit voluntarium.

2. Animaduersio. 356 Pro [illegible] notandum est super hunc art. quòd duplex est violentia: Vna simpliciter; Altera secundum quid, siue vt à Iurisperiti dicitur (& notat hic Curiel) vna absoluta: Altera conditionata, siue insufficiens, vel impellens. Violentia simpliciter, & absoluta est, quæ ex se est causa efficax totius effectus, qui dicitur violentus: Violentia secundum quid, & conditionata non est contra actum efficacem voluntatis, sed solùm contra actum inefficacem, S.Tho. in hoc art. loquitur solùm de violentia simpliciter dicta, & absoluta.

357 Hinc iam sequitur, quod qui per violentiam absolutam operatur benè, vel malè, neque meretur, vel demeretur. Sequitur secundò, quod vt homo dicatur pati violentiam absolutè, debet facere totum quod potest ad propulsandam iniuriam.

ARTICVLVS V.

Vtrum violentia causet inuoluntarium.

354 REspondet S. Tho. affirmatiuè. Ratio est; Quia voluntarium est à principio intrinseco: Violentia autem à principio extrinseco: Ergo violentia simpliciter causat inuoluntarium.

1. Animadiersio super hunc artic. 355 Super istum articulum nihil occurrit dicendum, est enim clarus ex dictis super art. præcedentem. Solum aduertendum est hic cum Montes. & Vasquez, quod violentia non est idem omninò cum inuoluntario, sed inuoluntarium dicitur effectus eius. Nam vis potest considerari ex parte eius, qui infert vim, & tunc est causa efficiens, vel potest considerari ex parte eius, qui recipit vim, & tunc est causa formalis inuoluntarij.

ARTICVLVS VI.

Vtrum metus causet inuoluntarium simpliciter?

358 REspondet primò S.Tho. ex Philosopho, & Greg. Niceno, quod ea, quę fiunt per metum sunt mixta ex voluntario, & inuoluntario. Ratio est; Quia id, quod fit ex metu in se consideratum inuoluntarium est, est autem voluntarium in casu, scilicet ad vitandum malum, quod timetur.

359 Respondet secundò, quod ea, quæ fiunt ex metu sunt voluntaria simpliciter, inuoluntaria autem secũdum quid. Ratio est; Quia illud dicitur simpliciter tale, secũdum quod est in actu; illud verò dicitur secundum quid tale, secundum quod est in apprehensione: Sed ea, quæ fiunt ex metu

Digitized by Google

tu, actu fiunt ad vitandum maius malum (nõ fiunt autem solùm in apprehensione, scilicet non fierent extra casum periculi:) Ergo sunt simpliciter voluntaria, secundum quid verò inuoluntaria.

LECTIO I.

Vtrum ea, quæ fiunt ex metu, sint mixta ex voluntario, & inuoluntario?

360 SEnsus huius tituli est: Vtrũ ea, quæ fiunt ex metu constent ex duplici actu, scilicet nolitione, & volitione circa idem obiectum; v. gr. quando quis proijcit merces in mare metu mortis: An sit in ea simul voluntas proijciendi illas, & simul voluntas, siue displicentia circa proiectionem illarum.

1. Animaduersio.

361 Vlteriùs aduertendum est, quod hìc non loquimur de fuga mali secundum se: Nam certum est, quod hæc est omninò voluntaria, quia sicut prosecutio boni est omninò voluntaria; ita & fuga mali; Loquimur ergo de prosecutione alicuius mali, quod assumitur vt medium ad vitandum maius malum. His notatis.

2. Animaduersio.

Concl. & probat. ex Arist.

362 Respondeo breuiter difficultati affirmatiuè. Ita S. Th. hìc, & communiter omnes Theologi. Probatur primò in communi ex Arist. 3. Eth. cap. 1. vbi loquens de his, quæ fiunt ex metu ait: Tales enim actus mixti sunt.

Ratio cõclus. quoad 1. partem.

363 Præterea probatur quoad primam partem, scilicet, quod sint volũtaria. Quia ea, quæ fiunt ex metu, fiũt ab intrinseco cum cognitione eius, quod fit: Ergo sunt voluntaria. Consequentia est nota. Antecedẽs declaratur exemplo supra adducto: Nam qui proijcit merces in mare metu mortis, satis cognoscit, quod facit, & vlteriùs ab intrinseco operatur: Hinc Hinc ortum habuit axioma illud Iuris peritorum: *Voluntas coacta voluntas est*, cap. merito 15. q. 1. & alibi sæpè.

Ratio cõclus. quoad 2. partem.

364 Probatur etiam quoad secundam partem, scilicet, quod sint aliquo modo inuoluntaria, & primò à signo; Quia ea, quæ fiunt ex metu statim afferunt tristitiam, & dolorem: Ergo signum est, quod sint aliquo modo inuoluntaria. Probatur hæc conseq. ex Arist. 3. Eth. cap. 1. ubi ait: *Sanè violentia, inuitique agunt ÿ, qui cum dolore agunt.* Et paucis interiectis subdit: *Ab inuito tamen id effectum est omne, pro quo dolet.*

Arist.

1. Confir. ex D. Damasc.

365 Vlteriùs, quia ex Damasc. lib. 2. de Fide cap. 24. & Niss. lib. 5. Philosoph. cap. 1. ea, quæ fiunt ex metu, sunt aliquo modo ueniæ digna: Ergo signum est, quod sint aliquo modo inuoluntaria.

2. Confir. à priori.

366 Probatur etiam à priori: quia ea, quæ fiunt ex metu, considerantur ut sibi aliquo modo mala: Ergo aliquo modo displicent, & per consequens aliquo modo sunt inuoluntaria.

1. Obiectio.

367 Contra hanc nostram doctrinam est prima obiectio. Quia in eadẽ uolũtate sunt incompossibiles hi duo actus, complacentiæ, & displicentiæ, siue uolitionis, & nolitionis eiusdem obiecti: Ergo non potest id, quod fit ex metu, simul esse uoluntarium, & inuoluntarium.

Respõsio.

368 Respondetur, quod actus uolitionis, & nolitionis in eadem uoluntate circa idem obiectum sunt incompossibiles, quando uterque est efficax; non uerò quando unus est efficax, alter inefficax. Nos uerò dicimus, quod actus uolitionis, exempli gratia, circa proiectionem mercium est efficax; actus uerò nolitionis est inefficax.

Explicatio præcedentis respõsionis.

369 Explicatur hoc exemplo: Etenim in Deo est duplex uoluntas: Vna, qua uult omnes homines saluos fieri: Altera, qua uult reprobos damnari nisi eorum peccatis. Harum prior est inefficax, posterior autem efficax, & tamen simul sunt in Deo; Ita à pari

dico

Digitized by Google

dico ego circa ea, quæ fiunt ex metu, est duplex voluntas: Vna efficax, qua de facto vult id, quod facit positis circumstantijs occurrentibus: Altera inefficax, qua nollet id, quod facit secundum se consideratum, quia vt sic apprehenditur vt malum, vt clarissimè patet in eo, qui metu mortis proijcit merces in mare.

370 Secunda obiectio est. Sunt multi fideles, qui metu gehennæ obseruant legem Dei: Sed in eis non est displicentia circa legem Dei secundum se; alioquin esset peccatum: Ergo ea, quæ fiunt ex metu, non sunt simul voluntaria, & inuoluntaria. 2. Obiectio.

371 Vt huic argumento clarius respondeamus notandum est; Quod vt opus, quod fit ex metu, sit simul voluntarium, & inuoluntarium, debet in eo duplex ratio considerari: Et bonitatis, siue vtilitatis ad vitandum maius malum: Et malitiæ, qua ratione molestum est, & displicet; Ita vt ex ea parte, qua vtile est ad vitandum maius malum, sit voluntarium; Et ex ea parte, qua molestum est, sit inuoluntarium. Animaduersio pro solutione huius secũdę obiectionis.

372 Vnde si cõtingeret, quod aliquis faceret aliquid ex metu, in quo nulla ratio mali inueniretur, vel saltem sub tali ratione non ei proponeretur ab intellectu, tunc nihil inuoluntarij admixtum esset.

373 Hinc iam respondetur ad argumentum: Quod fidelis, qui ex metu gehennę obseruat legem Dei, non cõsiderat illam sub ratione mali, sed simpliciter vtilis ad euadendum pœnas inferni; ac proinde est simpliciter, & absolutè voluntaria. Quod si taliter esset dispositus, vt nullo modo obseruaret legem Dei, si non esset infernus; talis dispositio esset peccatum: quia tunc displiceret ei obseruatio Diuinæ legis secundum se, & nollet eam. Respõsio ad secũdá obiect.

374 Vrgebit quis: Diuina lex fert secum aliquam difficultatem, & laborem in eius obseruatione: Ergo secũdum istam rationem displicet, ac proinde est inuoluntaria. Replica.

375 Respondetur, quod si præcisè consideretur difficultas in obseruatione Diuinæ legis, talis difficultas displicet; sed hæc displicentia non est peccatum, imò potiùs iuuat ad meritum, vt optimè notauit hìc Vasquez, & Montes. nam non displicet Diuina lex, sed difficultas, & onus ipsius, quod consideratur, vt malum naturæ. Sic enim Christus habuit displicentium de morte sua iuxta illud. *Tristis est anima mea, &c.* non secundum quod mors cadebat sub præcepto, sed quatenus erat malũ quoddã naturę. Similiter Susanna obseruauit legem Dei prohibentem adulterium cum aliqua tristitia, non quod illa tristitia caderet supra ipsam legem Dei, sed supra solam difficultatem, quam eius obseruatio tunc secum ferebat. Respõsio. Vasq. Montes.

LECTIO II.

Vtrum ea, quæ fiunt ex metu, sint magis voluntaria, quam inuoluntaria?

376 REspondeo breuiter: Ea, quæ fiunt ex metu, simpliciter esse volutaria: secundum quid verò inuoluntaria. Ita Arist. 3. Eth. cap. 1. Diuus Tho. in hoc art. & communiter omnes Theologi cum ipso. Conclusio.

378 Probatur primò testimonio Arist. loc. cit. vbi agens de his, quæ metu fiunt, ait: *Tales igitur actus mixti quidem sunt: ijs autem magis sunt similes, quos sponte homines agunt.* Probat. 1. ex Arist.

379 Probatur etiam ratione D. Tho. in hoc art. Quia vnumquodque est simpliciter tale, secundum quod est in actu, non verò secundum quod est in apprehensione. Sed quod fit ex metu est voluntarium in actu, scilicet, est hìc, & nunc in singulari, & individuo, & solum inuoluntarium in apprehensione. Ergo simpliciter est voluntarium, & secundum quid inuoluntarium. Prob. 2. ex D. Th.

Digitized by Google

Probat. 1. ratione.

380 Probatur secundò id, quod fit ex metu, est voluntarium voluntate efficaci (iam ponitur in executione) & inuoluntarium voluntate ineffi caci; Ergo simpliciter voluntarium, & secundum quid inuoluntarium; quia voluntas efficax est simpliciter voluntas, & voluntas inefficax voluntas secundum quid.

Confir. ex D.Th.

381 Confirmatur ex D.Th. in hoc art. ad 3. vbi ait, quod id, quod fit ex metu, est voluntarium *absolutè*, & inuolũtarium *sub conditione*; ideſt si metus non vrgeret.

1. Obiectio ex Arist.

382 Contra hanc doctrinam videtur esse testimonium aliud Arist. lib. 3. Eth. cit. cap. 1. *Simpliciter nemo sua sponte iacturam facit*; loquitur enim ibi Aristoteles de his, qui metu tempestatis proijciunt merces in mare; Ergo &c.

Respõsio.

383 Respondetur, quod Arist. loquitur de bonis fortunæ, siue diuitijs secundum se extra circumstantiam periculi: Sic enim consideratos nullus simpliciter proijcit, non verò vt substant periculo vitæ.

2. Obiectio ex D.Th.

384 Est etiam, & aliud testimonium D.Tho. 2.2. q.142. a.3. vbi ait, quod ea, quæ fiunt ex metu non sunt simpliciter voluntaria, sed mixta.

Respõsio.

385 Respondetur, quod ly *simpliciter* sumpsit D. Tho. pro particula *omninò*, & sic non dicuntur *simpliciter* voluntaria; ideſt *omninò* voluntaria; quia habent ad mixtum aliquid ex inuoluntario, vt dictum est.

3. Obiectio ex eodem S.Th.

386 Est & aliud testimonium D. Tho. loco cit. ex 2. 2. subsequens ad prædictum, nimirum, quia ea, quæ fiũt ex timiditate, sunt minus voluntaria in particulari; vt abijcere clypeum, & magis voluntaria in vniuersali, vt fugiendo saluari, quod idem accepit in responsione ad tertium.

Responsio.

387 Respondetur, quod vt suprà diximus, metus ad duo potest comparari: Et ad fugam mali secundum se: Et ad prosecutionem mali ad vitandum aliquod maius malum. Si comparetur metus ad fugam mali: magis voluntaria sunt ea, quæ in communi considerantur, quàm ea, quæ in particulari: magis enim voluntarium est fugere mortem vt sic, quàm fugiendo, (vt ait D.Th.) abijcere clypeũ hìc, & nunc in particulari. Si verò comparetur ad prosecutionem mali, quod eligitur ad vitandum maius malum: magis voluntaria sunt ea, quæ fiunt hìc, & nunc, vel in particulari; quam in vniuersali, vt patet exemplo proiectionis mercium: Magis enim est voluntaria proiectio mercium hìc, & nunc, quàm conseruatio illarum in communi considerata. S. Th. in hoc art. locutus est de metu comparato ad prosecutionem mali: In art. cit. ex p. 2. 2. locutus est de metu comparato ad fugam mali secundum se. Vnde nulla est in his locis contradictio.

4. Obiectio ex ratione.

388 Est etiam argumentum sumptum ex ratione. Sunt enim aliqui cõtractus (vt matrimonium) qui sunt inualidi, quando celebrãtur ex metu cadente in constantem uirum; Ergo signum est, quòd ea, quæ fiunt hoc modo ex metu, non sunt simpliciter uoluntaria; alias iura non irritarent huiusmodi contractus. Idem dicitur de uoto religionis, quando fit ex metu cadente in constantem uirum: de donatione, quæ fit latroni ad saluandam uitam, & de alijs similibus.

Respõsio.

389 Respondetur, quòd non omnes contractus, qui fiunt ex metu, sũt inualidi; ut patet de contractu uenditionis, & emptionis, qui si fiat ex metu, & res tradatur, est validus, sed potest rescindi, ut ex materia de contractibus constat; Et hoc non alia ratione, nisi quia sunt uoluntarij simpliciter, saltem de iure naturæ: Sunt & alij contractus, qui si celebrentur ex metu cadente in constantem uirum, sunt ipso facto irriti, non de iure naturæ, sed quia sic iura disposuerunt; cuiusmodi est contractus matrimonij, & uoti solemnis religionis, ex quibus, cum oriatur uinculum, & obligatio perpetua, uoluerunt iura esse omninò uoluntarios absque ulla admixtione inuoluntarij.

390 Ad illud autem, quod dicitur de

de eo, qui ex metu mortis dedit pecunias latroni, ut respondeatur sciendũ est, quod ut contractus sit ualidus duo requiruntur, scilicet consensus liber; & titulus dati, & accepti, quorum unũ si deerit, erit inualidum. Hoc notato, Dico, quod qui dedit pecunias latroni comminãti sibi mortem, non dedit nisi titulo metus, qui nullus est, ac proinde latro non potest eas retinere. Similiter dicitur de eo, qui dat lucrum usurario: Vsurarius enim nõ potest illud sibi retinere, quia deest titulus, accipit enim titulo mutui, qui nullus est. Sed de his in proprijs locis.

Animaduersio pro præced. resp.

391 Pro maiori intelligentia eorum, quæ hucusque diximus, placuit subsequentem lectionem appendicem præponere, unde sit. Lectio appendix: Quot actus concurrant ad ea, quæ fiunt ex metu.

392 Tres actus cõmuniter cõcurrunt. Primus amor absolutus mercũ. Secundus amor conseruationis uitæ, siue nolitio mortis. Tertius est proiectio mercium. Difficultas est dẽ quarto, scilicet de nolleitate conditionata.

393 Prima opinio est affirmatiua. Martinez Aluarez. Ratio est, quia obiecta uolitionis proijciendi, & nolitionis sunt oppositа.

394 Secunda opinio est negatiua Curiel. Carraf. & aliorum. Ratio est, Quia hæc conditio se teneret solum ex parte obiecti, & tunc actus esset absolutus.

395 Ego dico, quod quandoque intercedit iste actus conditionatus, quandoque uerò non. Ratio est: Cum quis habeat actum efficacem proijciendi non est opus, ut eliciat actum conditionatum nolitionis proiectionis.

LECTIO III.

Quid sit metus: quotuplex sit: & quænam conditiones requirantur ad metum cadentem in constantem virum?

396 SVper istum art. interpretes D. Th. solum præcedentes duas difficultates mouent; addidi ego hanc tertiam, & addam alias sequentes ad maiorem eius claritatem, & eorum, quæ sæpè occurrunt in materia morali de eis, quæ fiunt metus causa.

397 Respondeo ergo primò: Aristotilem lib. 2. Reth. cap. 5. sic diffiniuisse metum: *Metus est animi ægritudo, aut perturbatio orta ex cognitione imminentis mali, quod aut interitum, aut molestiam adferre possit.* Hæc eandem definitionem tradidit Cicero in Tusculanis sub his uerbis: *Metus est opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur.* Vlpianus autem iure consul. l. 1. ff. de eo, quod metus causa, sic eum definiuit: *Metus est instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio.* Hanc defectionem approbat, & explicat Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 1. n. 7. hoc modo.

1. Cõcl. in qua plures ponũtur definitiones metus.

Arist. Cicero. Vlpianus. Sanchez.

398 Dicitur mentis trepidatio; quia ortum habet metus ex forti imaginatione periculi futuri propè iam imminentis; Dicitur instantis, quia valdè remota pericula non timentur, nec mentem perturbant. Vnde ex D. Aug. serm. 1. post oct. Pasch. Dom. 2. *mortem tanquam valdè distantem non timemus.* Dicitur instantis, vel futuri, quia nondum periculum euenit. Verum ex his, quæ dicit D. Th. inf. quæst. 41. a. 2. & q. 42. de passione timoris, potest colligi hæc breuis definitio: *Metus est motus voluntatis refugientis imminẽs malũ, cui nullo modo, vel difficilè resisti potest.* Dicitur motus volũtatis, quia est actus ipsius voluntatis ex-

Explicatur definitio metus.

S. Aug.

Definitio metus ex D. Th.

Digitized by Google

citatæ per vehementem apprehensionem intellectus. Dicitur refugientis imminens malum, &c. quia si malum eo modo non concipitur, non causat metum.

3. Cõcl. in qua plures diuisiones metus explicantur.

399 Respondeo secundò: Multipliciter diuiditur metus à Doctoribus: Nam alter dicitur intrinsecus: Alter extrinsecus. Intrinsecus dicitur ille, qui incutitur à causa naturali, vt est metus mortis proueniens ex graui infirmitate. Extrinsecus dicitur ille, qui incutitur à causa extrinseca, vt ab homine. Rursus alter dicitur metus illatus à causa naturali, vt à feris, tempestate, vel aliqua alia simili re: Alter verò dicitur illatus à causa libera, vt ab homine: & hæc diuisio coincidit cum prima diuisione: Nam metus illatus à causa naturali dicitur intrinsecus, & metus illatus à causa libera dicitur extrinsecus.

400 Rursus alter dicitur metus iustus: Alter iniustus. Iustus dicitur, quãdo aliquis cõminatur malũ, quod iustè potest inferre; vt quandò quis cõminatur iuxtam accusationem criminis: Iniustus quãdo aliquis comminatur malum, quod iustè non potest inferre; vt quãdo quis comminatur priuata authoritate occisionem. Hæ diuisiones, & aliæ solent communiter adduci.

Communior diuisio metus.

401 Verùm communior diuisio, & quæ magis facit ad rem nostram est, vt alter dicatur metus cadens in constantem virum: Et alter cadens in virum inconstantem. Metus cadens in constantem virum dicitur ille, qui nõ repugnat constantiæ, & fortitudini, sed iustè, & probabiliter, ac prudenter eo terretur vir constans, & fortis: Metus autem cadens in virum inconstantem est ille, qui repugnat fortitudini, & constantiæ, cuiusmodi est ille, quem solent habere viri timidi, & leues. Hinc metus cadens in virum constantem dicitur iustus, probabilis, & grauis: metus autem cadens in virum inconstantem dicitur iniustus, improbabilis, leuis, & imprudens.

402 Respondeo tertiò: Ad metum cadentem in constantem virũ, de quo specialiter est nobis sermo, quinque conditiones requiruntur. Ita Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 1. n. 10. & seq. Meroll. disp. 1. de volunt. & inuolunt. cap. 3. dub. 1. & alij. 3. Concl.

403 Prima conditio est, vt malum quod timetur sit graue l. Metum 1. ff. de eo, quod metus causa; vbi gl. reddit rationem, quia inconstantis est, & leuis timere rem modicam. 1. Conditio metus.

404 Sed oritur dubium circa hanc conditionem: An malum, quod dicitur graue, debet secundum se considerari: An per comparationem ad minus malum? Dubiũ incidens.

405 Siluester verb. Metus quæst. 1. & alij dicunt grauitatem mali considerari per comparationem ad minus malum; ita, vt quicumque eligit minus malum ad fugiendum maius malum, dicatur moueri metu cadente in constantem virum. 1. Opinio Siluestri.

406 Ratio ipsorum est, quia viri constantis, & fortis est inter duo mala impẽdentia eligere minus malum. Ratio huius sentẽtiæ.

407 Verùm Sotus in 4. dist. 29. q. 1. a. 2. vers. *Secundò per accidens*, quem sequitur Sanchez loc. cit. dicit, quod vt metus dicatur cadere in cõstantem virum, malum debet esse graue in se, & secundum se consideratum. 2. Opinio Soti, & Sanchez.

408 Ratio est aperta; Quia iura concedunt rescissionem contractus ob metum cadentem in constantem virũ ea ratione, quia is timor impedit libertatem consensus cap. cum locum de spons. Sed quando malum, quod timetur in seipso, leue est, quamuis cõparatum ad aliud sit graue, non impedit in viro forti libertatem consensus: Ergo is timor nõ cadit in virum constantem. Et hæc sententia est probabilior, eamque sequor. Ratio huius sentẽtiæ.

409 Vt autem soluamus rationem oppositam supponendum est cũ Sanchez, quod metus dupliciter potest dici cadens in constantem virum: Vno modo generalissimè: Alio modo strictè: Metus cadens in constantem virũ generalissimè sumptus dicitur ille, ratione cuius eligitur minus malum ad Animaduersio.

vitan-

Digitized by Google

vitandum maius,quamuis vtrumq; sit leue, & vnum leuius alio: Tunc enim quis fortiter,& prudenter aliquo modo operatur. Metus autem cadens in constantem virum strictè sumptus dicitur ille, qui est ad euadendum malum, quod in se graue est: Nam constantia, & fortitudo respicit malum arduum, & graue secundum se.

Respõsio ad rationem primæ sentẽtiæ.

410 Hinc iam respondetur rationi Siluest. quod viri constantis,& fortis latè dicti est eligere minus malum ad fugiendum illud, quod etiam leue est: Nam si verè constans,& fortis esset,non deberet timere quodcumque malum leue. Et hanc constantiam, & fortitudinem iura considerant.

2. Conditio metus.

411 Secunda conditio est, vt æstimatio mali, quod timetur sit fortis, idest vt timens non vanè, nec leuiter credat sibi malum graue imminere, sed probabiliter, & rationabiliter. Ita colligitur expresè ex l.metum 2.ff.de eo,quod metus causa.

Ratio huius cõditionis.

412 Et ratio est; Quia hoc distat inter constantem, & inconstantem, quod ille nonnisi ex forti,& probabili æstimatione mouetur; hic autem ex leui. Hinc Arist.3.Eth.cap.9.dicit fortem esse impauidum, quia non timet leuiter, sed vbi recta ratio timendum dictat.

Arist.

3. Conditio metus, & eius Ratio.

413 Tertia conditio est,vt metum incutiens potens sit minas executioni mandare. Et ratio est;quia non est viri constantis, & fortis quibuscumque minis terreri, vt si minans sit inermis, senex, vel debilis, & alter iuuenis;ità enim colligitur ex l.famosi ff.ad legem Iul.maiestatis,ibi;nam & persona spectanda est, an potuerit facere. Hæc autem conditio non ita intelligenda est, vt minans verè, & de facto possit implere,sed sufficit, vt timens hoc rationabiliter credat.

4. Conditio.

414 Quarta conditio est; vt metũ incutiens minas exequi sit solitus: Seeus autem si sit homo facilè minas iactans, ac facilè ira deposita nihil,aut parum executioni mandans.

Ratio.

415 Constat ex l. vnica C. si quis Imperatori. Et l.metum C.de his,quæ vi ibi, Metum non iactationibus tantum, vel contestationibus, sed atrocitate facti probari conuenit.

5. Conditio.

416 Quinta conditio est; vt non possit timens facilè occurrere malis, quæ timentur: Si enim possit alia via malis occurrere, vt implorando auxilium alterius,recurrendo ad Superiorem,vel alia simili via,non esset timor cadens in constantem virum.

Ratio.

417 Ratio est; Quia inconstantis uiri est metuere mala, quæ facili negotio uitare potest. Qui has conditiones fusiùs tractatas uoluerit, consulat Sanchez,& Meroll.locis cit.

Animaduersio.

418 Aduertendum est autem cum Meroll.hìc,quod hæ tres ultimæ conditiones uidentur superfluæ; Nam necessariò continentur in secunda; nullus enim rationabiliter, & prudenter potest timere malum, quando scit minantem nec posse illud executioni mandare, nec solitum esse illud inferre:uel quãdo ipse potest facilè occurrere ipsi malo.

LECTIO IV.

Vtrum ad metum cadentem in constantem virum requiratur necessariò, vt eligatur minus malum ad vitandum maius?

Animaduersio.

419 VT hanc difficultatẽ breuiter resoluam notandũ est, quod metus cadens in cõstantem uirum dupliciter potest considerari: Et ex parte subiecti: Et ex parte obiecti. Ex parte subiecti, vt scilicet ipse metuens excusetur à culpa, & dicatur prudenter, & constanter operari. Ex parte obiecti: An scilicet malum, quod metuitur,sit secundum se graue, & sufficiens ad rescissionem contractuum?

1.Concl.

420 Respondeo ergo primò. Si metus considereretur ex parte subiecti requi-

requiritur necessariò ad metum cadẽtem in constantem virum, vt eligatur minus malum ad vitandum maius.

421 Probatur primò ex D. Aug. relatus cap. ne quis 22. q. 2. qui ait, pro tuenda vita propria, vel alterius non esse nec leuiter mentiendum. Probatur ex S. Aug.

422 Probatur secundò ratione; Quia virtus fortitudinis dictat subeũdum esse semper minus malum ad fugiendum maius: Ergo quotiescumq; quis præfert minus malum maiori malo operatur contra fortitudinem: Ergo &c. Probatur ratione.

423 Hinc iam sequitur, quod nullus timore mortis potest eligere fornicationem, vel mendacium veniale, quia non esset iste timor cadens in constantem virum, & excusans eum à culpa. Corollarium.

424 Respondeo secundò. Si metus consideretur ex parte obiecti, & in ordine ad rescissionem cõtractuum, sufficit vt secundum se malum sit graue, quamuis non eligatur minus malum ad fugiendum maius malum. 2. Concl.

425 Potest explicari hæc responsio exemplo matrimonij inualidi ob aliquod impedimentum. Si quis enim coniux cogeretur metu mortis consumare tale matrimonium, & non affectu maritali illud consumaret, esset adhuc inualidum, quamuis metus esset cadens in virum constantem ex parte obiecti. Ratio cõcluſ.

426 Probatur; Quia iura ideò annullant matrimonium, & concedunt rescissionem contractuum, quando metus grauis irrogatur: quia is metus impedit liberum consensum, & iniuriam facit, vt constat ex cap. cùm locum de sponſ. Sed quando irrogatur metus mali grauis non minus impedit libertatem consensus, & irrogat iniuriam, siue eligatur maius, siue minus malum: Ergo non requiritur ad metum cadentem in constantem virũ ex parte obiecti, & in ordine ad rescissionem contractus, quod quis eligat minus malum, vt fugiat maius; Sed sufficit vt illud sit graue, etiam si eligatur ad vitandum minus.

427 Hanc sententiam his duabus conclusionibus explicatam tenet Sãchez lib. 4. de matrim. disp. 2. & omnes authores, quos ibi ipse refert. Meroll. disp. 1. de Volunt. & Inuolunt. cap. 3. dub. 3. Sanchez. Meroll.

428 In oppositum videtur esse sẽtentia D. Tho. in 4. dist. 29. q. 1. a. 2. & aliorum, quos loco cit. refert ipse Sanchez, qui absolutè dicunt ad metum cadentem in cõstantem virum requiri, vt eligatur minus malum ad fugiendum maius. Obiectio ex D. Th.

429 Verum si attentè legatur S. Th. loco cit. loquitur de metu cadente in constantem virum ex parte subiecti, quamuis ipse Sanchez conetur ei hanc sententiam imponere, quia loquitur in casu matrimonij. Sed dicendum, quod hac occasione tradit hanc doctrinam. Enodatio.

LECTIO V.

Vtrum metus cadens in constantem virum debeat dici talis secundum se consideratus: An per ordinem ad patientem metum? Item: An mala incutientia metum cadentem in constantem virum timeri debeant in propria persona: An in persona consanguineorum, & affinium?

430 DVO dubiola cõtinet præsens lectio, & vtrumque breuiter soluam.

431 Ad primum dico, quod metus cadens in constantem virum non debet dici talis absolutè, & secundum se consideratus, sed per ordinem ad personam, quæ patitur metum. 1. Concl. circa primã partẽ.

431 Ratio est; Quia quamuis virtus fortitudinis, vel constantię sit vna, & eadem in specie; nihilominùs patitur aliquem inæqualitatem accidentalem ex parte subiecti, & esse maior, Ratio.

vel

Digitized by Google

vel minor. Hinc maior metus requiritur in fœmina, quam in viro, vt dicatur cadens in constantem virum: Quia quamuis fœmina habeat virtutem constantiæ; nihilominùs propter imbecillitatem corporis minus potest resistere metui, quam vir. Idem dicitur comparando vnum virum alteri viro: magis enim potest resistere metui inuenis quidã robustus, quàm senex; magis sanus, quàm infirmus, & sic de alijs.

432 Ad dignoscendum ergo quãdo metus sit cadens in constantem virum attendenda est ætas; vt si sit senex, vel puer, cui metus incutitur. Similiter eius fortitudo, atque innata eius animi magnitudo, & aliæ similes circumstantiæ, vel qualitates; nam maior metus exigitur in milite, & magnanimo, quam in pusillanimi, & vili. Ita Sanchez hìc, Meroll. loc. cit. qui hanc doctrinam colligunt ex iuribus ciuilibus, & canonicis.

Sanchez. Meroll.

433 Ad secundum dubium dico, quod non requiritur ad metum cadẽtem in constantem virum, vt mala cõminata timeantur in propria persona; Sed sufficit vt timeantur in persona consanguineorum.

2. Concl. circa secundam partem.

434 Ratio est; Quia ex ipsa naturali coniunctione, & consanguinitate censentur quodammodo vna caro.

Ratio.

435 Idem dicitur si metus sit incussus affinibus; Quia censentur tanquam proprij consanguinei, cum sint consanguinei proprij coniugis.

436 Difficultas autem est, ad quẽ gradum debeat extendi consanguinitas, vel affinitas, vt metus censeatur cadens in constantem virum, quando est illatus vni ex consanguineis, vel affinibus?

Difficultas incidens.

437 Alij volunt quod extendatur solum ad primum gradum. Sed Sanchez loc. cit. de matrim. disp. 4. n. 13. quem sequitur Meroll. loc. cit. de volunt. cap. 99. tenet debere extendi vsque ad quartum gradum, quemadmodum vsque ad illum durat consanguinitas, & affinitas ad impediendum, & dirimendum matrimonium.

Resolutio.

438 Ratio est, Quia vsq; ad illum gradum censetur durare naturalis affectio. Addit autem, quod si timor esset alicuius rei tangentis, & ledentis honorem, vnde toti prolapiæ macula sequeretur, quod possit extendi ad vlteriorem gradum, quia tunc damnum in propria persona timeretur.

Ratio.

439 Similiter dicitur metus cadẽs in constantem virum, quando est incussus amico strictissimo; quia ex Aristot. lib. 9. Eth. cap. 4. *Amicus est alter ego.* Vteriùs, quia ex eodem Aristot. 2. Rhetor. cap. 4. *Amicus est animus vnus in duobus corporibus habitans.* Demum, quia Horat. appellat amicum *dimidium animæ amici.*

Arist.

440 Præterea dicitur metus cadẽs in constantem virum, quando est illatus alicui domestico, ex quo grauis iniuria sequeretur Domino, vt optimè notat Sanchez; Quia tunc censeretur illatus personæ ipsius Domini. Hæc breuiter dicta sufficiunt.

LECTIO VI.

Quænam sint mala grauia, & sufficientia ad metum cadentem in constantem virum?

441 REspõdeo multa esse mala grauia, & sufficientia ad metum cadentem in constantem virũ. Nota, quod hoc specialiter agitur de metu in ordine ad rescissionem contractum. Primò est metus mortis, vel mutilationis, vel grauis cruciatus. Secundò metus seruitutis. Tertiò grauis exilij. Quartò diuturni carceris. Quintò amissio status, siue honoris. Sextò comminatio stupri, siue in viro, siue in muliere, & intelligitur non solum de virgine, sed etiam de muliere honesta, vel vidua. Septimò metus infamiæ.

Animaduersio.

442 Sed in hoc non omnes conueniunt. Alij enim dicunt non cadere

in

Varię sẽt. circa infamiã sufficiẽtẽ ad metum.

in virum constantem. Alij verò absolutè docent cadere in virum constantem. Et alij demum, quando infamia est talis vt nullo modo ei occurri possit,

Sententia Sanchez.

443 Sed Sãchez lib. 4. de matrim. disp 5. n. 14. dicit primo ad conciliandum has sententias, quod metus infamiæ iuris cadit in virum constantem: Vt quando quis deprehenso aliquo in aliquo delicto infami comminatur ei proditionem, siue denunciationem.

444 Dicit secundò, quod metus infamiæ facti, cui non facilè occurri potest, cadit etiam in virum constantem: Vt si quis comminatur alicui diuulgationem alicuius defectus grauis, qui redundabit in grauem eius infamiam; Secus vero si illi facilè occurri potest.

445 Septimò metus amissionis omnium bonorum, vel maioris partis ipsius. Octauò, amissionis magni lucri. Sed non omnes conueniunt in hoc. Aliqui enim simpliciter affirmant, quod metus amissionis magni lucri cadat in virum constantem.

Sententia Sanchez quoad amissionẽ magni lucri, & illius rationes.

446 Aliqui vero, inter quos est Sanchez loco sup. cit. id negat. Primò, quia donatio, vel remissio facta ex timore non amittendi aliquod magnũ lucrum, est omninò valida, nec irritari potest, etiam si metus sit ad hunc effectum incussus; nam talis donatio nõ metui, sed cupiditati lucri est imputanda.

447 Secundò; Quia quamuis omnis pœna excludatur à sponsalibus, quippè impediens libertatem matrimonij; nihilominus pœna amittendi aliquod magnum lucrum non excluditur; Vt si aliquis testator instituat aliquam fœminam hæredem, vel legatariam alicuius magnæ summæ, & præcipiat vt nubat Petro sub pœna amissionis hæreditatis, vel legati; tunc ipsa non lucrabitur hæreditatem, vel legatum si Petro non nupserit. Et ratio huius est, quia hęc propriè non est pœna, sed tantum est spe lucri inuitare eam ad matrimonium.

448 Tertiò, Quia passio spei, & desiderij non tollit voluntarium, vt inf. dicetur, sed potius auget.

1. Limitatio huius sententiæ.

449 Limitat vero hanc sentẽtiam Sanch. primò, dummodo his, qui metũ amissionis magni lucri patitur, non arceatur à lucro, ad quod habebat ius; quia tunc esset violatio iustitię. Et hoc modo explicanda est lex fin. §. si fenerator ff. de eo, quod metus causa; quæ affertur pro sententia contraria.

Corollarium.

450 Hinc infertur, quod si quis vellet concurrere ad aliquod beneficium pingue, & via arceretur, nisi iniret aliquem contractum, quod talis contractus esset nullus ex metu amissionis lucri cadente in constantem virum.

2. Limitatio ex Meroll.

451 Limitat secundò hanc sentẽtiam Meroll. vt intelligatur de metu cadente in constantem virum quoad rescissionem contractuum, non verò quoad excusationem à transgressione legis humanæ, seu positiuæ; Vnde si quis timore amissionis magni lucri omitteret Missam die festo, non peccaret mortaliter. Sed de hoc infrà diffusiùs.

452 Nonò metus excommunicationis cadit in cõstantem virum. Quocirca est etiam peculiaris difficultas.

1. Sentẽtia quoad metũ excomm. & eius Ratio.

453 Aliqui enim negant metum excommunicationis esse cadentem in constantem virum. Quia excommunicatio est medicinalis: Ergo non est malum, quod cogat ad effectum rescindendi contractus.

2. Sententia.

454 Aliqui verò id affirmãt: Quia excõmunicatio priuat suffragijs Ecclesiæ, fidelium communione, participatione Sacramentorum &c. & consequenter est graue malum.

3. Sententia probabilior.

455 Aliqui vero distinguũt, quod aut excommunicatio est iusta; aut iniusta, cui facilè non potest occurri. Si erit iuxta, & tunc metus ipsius non est cadens in constantem virum, quia est medicinalis, & bona. Si autem erit iniusta, cui facilè non potest occurri: vt si excommunicatus non facilè sibi potest consulere appellando; vel quia non audet ob potentiam excommunicantis, vel quia non habet in promptu

Digitized by Google

ptu ſuperiorem,ad quem recurrat;vel quia eſt pauper, & ſunt neceſſarij sũptus;vel quia impeditur alia ſimili occaſione; Et tunc metus ipſius erit cadens in conſtantem virum; quia tunc eſt malum grauiſſimum. Et hæc ſententia eſt probabilior,& tenenda.

Reſpõsio ad rationem primæ ſententiæ.

456 Ad rationem primæ ſententię dicitur, quod excõmunicatio eſt medicinalis,quando eſt iuſta; ſecùs verò quando iniuſta.

Reſpõſio ad rationẽ ſecũdæ.

457 Ad rationem ſecundę dicitur, quod excommunicatio infert quidem graue malum;at quando eſt iuſta poteſt euadi hoc malum obediendo: Si autem erit iniuſta, & poteſt ei facilè occurri,non cenſetur graue malum.

Sanchez. Merolla.

458 Vltimò malum, cuius timor dicitur cadere in conſtantem virum, remittitur arbitrio iudicij in foro externo;in foro autem interno alicuius prudentis.Ita Sanchez lib.de matrim. diſp. 5. per totam, & Meroll. de Volunt cap.3.à dub. 6. vſque ad 10. qui colligunt hanc doctrinam ex iure Ciuili, & Canonico, & alijs auth. quos conſule, ſi placet.

LECTIO VII.

Vtrum timor reuerentialis cenſeatur cadens in conſtantem virum ad effectum irritandi contractus expreſſo conſenſu celebratos?

459 HÆC difficultas cum ſeq; habet propriam ſedem in tractatu de contractibus, ſed eam trado hìc breuiter, vt ſummariè explicem rationem voluntarij requiſitam ad actus humanos.

1. Animaduerſio.

460 Quapropter ad eius explicationem notandum eſt primò; Quod metus reuerentialis non eſt aliud, quàm actus voluntatis, quo quis non audet aliquid facere contra voluntatem ſui Superioris ob reuerentiam illi debitam. Vnde totus iſte metus oritur ex ipſa reuerentia, & obſeruantia inferioris ad ſuum ſuperiorem. Qui quidem tunc formaliter euenit (vt optimè notauit Sanchez de matrim.lib.4.diſp.9. n.12.) quando quis omninò repugnante voluntate, & quaſi coactus conſentit non audens præ pudore, & reuerentia contradicere, quamuis nullum aliud malum timeat. Sanchez.

2. Animaduerſio.

461 Notandum eſt ſecũdò ex Sãchez lib.4.de matrim. diſp.6.num.24. quod metus reuerentialis datur in eo, qui iure aliquo ſubiectionis alteri ſubeſt: Vt in clerico reſpectu Epiſcopi; in ſæculari reſpectu Magiſtratus, cui ſubditur; in ſeruo reſpectu Domini: in uxore reſpectu viri: in filio reſpectu patris. Idem dicitur de nuru, vel genero reſpectu ſoceri: de nepote reſpectu aui: de minore reſpectu curatoris: de filio reſpectu matris, quando illa eſſet crudelis, & auſtera, vel magnæ authoritatis, quia alioqui non timetur à filijs:de ſorore reſpectu fratris maioris natu,& etiam reſpectu ſororis maioris natu, cum qua cohabitat, & à quo gubernatur: Similiter de fratre minore reſpectu maioris,cũ quo cohabitat, & à quo gubernatur: & de patruele, ſiue nepote, vel nepte ex fratre patris reſpectu patrui. Vide ipſum loc.cit.vbi hęc diffuſiùs tractat, & etiam Meroll. De Volunt. diſp. 1. cap.3.dub.13.Quæ quidem omnia intelligenda ſunt ex natura rei,& ſecundum ſe: Nam per accidens, & ratione circumſtãtiarum poteſt dari caſus, quod filius non timeat patrem, vxor non timeat virum,& ſic de alijs. Merolla.

1. Concl.

462 His ita notatis reſpondeo primò difficultati: Metum ſolum reuerẽtialem non cadere in conſtantem virum, niſi ei adiungantur minæ, vel verbera, vel coniunctio alterius mali grauis. Huius ſententia eſt Sanchez de matrim.lib.4.diſp.6.

1. Ratio

463 Probatur primò ex cap. ex litt.de ſponſ.impub.ibi: *Nolens, & inuita minis parentum impulſa.* Vbi textus vt reddat ſponſalia irrita, ponderat non ſolum paternam reueren-

Digitized by Google

tiam, sed etiam minas.

464 Probatur secundò ex cap. 2. de pact. in 6. vbi statuitur valere renunciationem filiæ in fauorem patris factam, si iuramento muniatur, nisi vi, aut dolo sit præstitum, & tamen ibi paterna reuerentia concurrit: Ergo ipsa sola non inducit metum cadentem in constantem virum. 2. Ratio.

465 Probatur tertiò; Quia professio in religione non annullatur ex solo metu reuerentiali; vt decisum fuit in Rota Romana teste Farinac. tom. 2. decis. Rot. decis. 579. & tenet Sanch. de matrim. lib. 4. disp. 6. n. 17. colligens illud ex cap. fin. qui clerici vel vouen. & ex cap. puellæ 20. q. 1. Similiter nec etiam matrimonium annullatur ex metu solo reuerentiali, vt idem Sanchez tenet loco cit. Ergo metus reuerentialis solum non est sufficiens ad irritandum contractum. 3. Ratio. Farinac. Sanchez.

466 Probatur quartò à Sanch. lib. 4. cit. de matrim. disp. 6. ex legibus ciuilibus. Ex l. si patre cogente 22. ff. de ritu nuptiarum. Et ex l. fideiussor impetrauit 26. §. pater Seij. de pignoribus. 4. Ratio.

467 Vltimò probatur ratione: Quia metus reuerentialis solum non videtur tantam vim habere ad cogendam voluntatem, vt eo vir constans terreri debeat. 5. Ratio.

468 Respondeo secundò. Vt metus reuerentialis cum minis sit sufficiens ad irritandum contractus, requiritur, vt minans sit solitus minas exequi. Ita Sanchez de matrim. lib. disp. 6. n. 21. 2. Concl. Sanchez.

469 Ratio est; Quia dum aliquis solet minas iactare, & parum exequi, perinde est, ac si non minaretur. Ratio.

470 Confirmatur; Quia huiusmodi minæ parum, aut nihil mouent virũ prudentem, & constantem, cum sint vanæ, & nullius momenti. Confirm.

471 Contra hanc nostram sentẽtiam (omissis alijs sententijs leuioribus) est sententia aliquorum, quos refert Sanchez loc. cit. qui simpliciter dicunt metum reuerentialem absolutè sumptum cadere in constantem virum. Sententia opposita.

472 Probatur primò ex reg. velle 4. ff. de reg. iuris ibi: *Velle non creditur qui obsequitur imperio patris.* 1. Argum.

473 Respondetur hanc regulam intelligi quoad pœnam subeundam, scilicet, quod obsequens imperio patris excusabitur aliquantulum à pœna. Ita explicat Gl. ibi in fine. Respõsio.

474 Vel secundò responderi potest, quod non omninò liberè velit, quia metus reuerentialis aliquid minuit de omnimoda libertate. 2. Respõsio.

475 Probatur secũdò ex l. 1. §. quę onerandæ ff. quarum rerum actio. Vbi probatur actum rescindi factum, non solum si fiat coram eo, cui debetur reuerentia; Sed etiam si fiat ipso absente, dummodo constet metu, vel nimia reuerentia id factum esse; Vt cõstat ex illis verbis: *Si liquidò appareat liberum metu solo, vel nimia patroni reuerentia.* Vbi ponderanda est illa disiunctio: *Metu solo, vel nimio, &c.* 2. Argum.

476 Respondetur, quod in hoc textu non est sermo de reuerẽtia præcisè; sed de reuerentia additis minis, vel alio metu graui; vt patet ex illa particula addita, scilicet nimia, hoc est superabundanti, & excedenti, quæ fert secum minas. Respõsio.

477 Sed vrgebis, quando hoc cõprehendatur sub illa particula: Metu: Alias esset superflua disiunctio adiuncta. Replica.

478 Respondetur, quod hoc factũ est maioris claritatis gratia. Enodatio.

479 Confirmatur prẽcedens obiectio. Quia si tantum metus reuerentialis, in quo interueniunt minæ, rescinderet contractus, nulla esset differentia inter metum eius, cui debetur reuerentia, & illius, cui nulla debetur reuerentia; Quia metus alicuius mali grauis à quocumq; illatus est cadens in constantem virum. Confirm.

480 Respondetur, quod est maxima differentia, quia reuerentia cum metu alicuius mali leuis, est cadens in virum constantem: Metus autem absque reuerentia, si non sit alicuius mali grauis, non est cadens in virum constantem. Respõsio.

481 Ter-

Digitized by Google

481 Tertiò probatur hæc ſententia ex l.penult. ff. de furt. vbi dicitur, quod ſi quis viſo furto rerum ſuarum taceat ob nimiam reuerentiam; quod non videatur conſentire, ac proinde poteſt agere actione furti contra furem. 3.Argum.

482 Reſpondetur, quod textus hic loquatur de conſenſu tacito, & præſumpto, qui nullo modo præſumitur in actu præiudiciali, & nociuo, vt eſt furtum: Nos autem hic loquimur de conſenſu expreſſo, qui dum intercedit in aliquo contractu ex ſolo metu reuerentiali, præſumitur ſufficientiſſimus, vt dictum eſt. Reſpõſio.

LECTIO VIII.

An ſolus metus reuerentialis ſit ſufficiens ad irritandos contractus ſolo conſenſu tacito, ac præſumpto celebratos?

483 Difficultas huius tituli explicatur hoc exemplo. Vt ſi præſente filio, & tacente, pater contrahat pro eo ſponſalia, vel matrimonium, cui contractui etſi filius cõſentiat, & taceat, tamen non conſentiret, nec taceret, niſi ob reuerentiam patris. Explicatur titulus.

484 Reſpondeo primò: Si actus ſit præiudicialis, ſatis eſt metus reuerentialis ſolum ad annullandum contractum conſenſu tacito celebratum. 1.Concl.

485 Probatur primò; Quia ille conſenſus cum ſit tacitus, & præſumptus, facilè eliditur. Probat.1.

486 Probatur ſecundò ex l.penult. ff.de furtis, vbi habetur videntem furtum rerum ſuarum, & tacentem ob ſolum metum reuerentialem poſſe agere actione furti: Ergo metus reuerentialis tollit conſenſum ad contractus firmitatem requiſitum. Probat. 2.

487 Limitatur tamen hæc reſpõſio, vt ſit vera quando actus eſt notabiliter præiudicialis; ſi autem ſit leuè præiudicium, falſa eſt; Quia parum pro nihilo reputatur. Limitatio.

488 Hinc infertur primò profeſſionem tacitam, quæ eſt per ſolam delationem habitus profeſſorum, annullari per ſolum metum reuerentialem. Ratio eſt; Quia actus profitendi eſt valdè oneroſus. 1. Coroll.

489 Infertur ſecundò; ſi ſponſalia, aut matrimonium eſſent indigna filio, & ei præiudicialia, in foro externo non præſumi conſenſum, quando filius taceret ob ſolam patris reuerentiam: At ſi filius verè internè conſentiret, eſſent tũc valida, nec poſſent annullari ob ſolum metum reuerentialem. 2. Coroll.

490 Reſpondeo ſecundò: Si actus ſit fauorabilis, vt matrimonium, quod contrahit pro filio pater; tunc metus reuerentialis tantùm non eſt ſufficiẽs ad annullandum contractum. 2. Concl.

491 Probatur primò; Quia quoad actus fauorabiles taciti, & expreſſi idem eſt iudicium. 1.Ratio.

492 Secundò, quia patri debetur maxima reuerentia, & tamen ſi pater contrahat ſponſalia pro filio præſente, & tacente valent cap.vnico §.porro de deſponſat. impuber. in 6. Ergo ſolus metus reuerentialis &c. Hanc ſententiam explicatam his duabus reſponſionibus ſequitur Sanchez lib. 4.de matrim.n.37.& Meroll diſp. 1. de Volunt.cap.3.dub.12. n.87. cum omnibus authoribus, quos ibi referunt. 2.Ratio. Sanchez. Merolla.

493 Contra hanc ſententiam noſtram eſt prima ſententia aliquorum, qui indiſtinctè docent ſolum metum reuerentialem annullare conſenſum tacitum.& præſumptum. Quæ ſententia nititur ſolum duabus rationibus factis pro prima noſtra reſponſione. 1.Sẽtentia contraria.

494 Eſt etiam, & alia ſentẽtia, quæ dicit non ſufficere metum reuerentialem ad annullandum contractum, niſi etiam adſint minæ. Cuius ſententiæ rationes ſunt illæ, quos attulimus pro noſtra ſecunda reſponſione. Vnde hæ ſententiæ conciliantur ex noſtra ſententia. Et hoc modo conci- 2. Sẽtẽtia contraria.

Digitized by Google

fiant has sententias authores supra citati.

LECTIO IX.

Vtrum extorta per metum leuem in foro conscientiæ sint restituenda?

495 DE his,quæ extorquentur per metũ grauem, nulla difficultas est, quod sint restituenda, tùm in foro externo, tum in foro cõscientiæ. De his autem, quæ extorquentur per metum leuem,cum in foro externo non restituentur, neque similes contractus rescindãtur, est solũ difficultas quoad forum conscientiæ: An restituenda sint,& similes contractus rescindendi?

Conclusio. 496 Respondeo absolutè, & indistinctè difficultati: Ea, quæ extorquentur per metum leuẽ, qui est *causa sine qua non*, in foro conscientiæ restituenda sunt. Ita Sanch.lib.4.de matrim. disp.9. n.4. & alij,quos ibi ipse refert. Sanchez.

1.Ratio. 497 Probatur primò; Quia ius ciuile, quamuis in isto casu non concedat actionem, nec contractus rescissionem, vt constat ex tot. tit. ff. de eo, quod metus causa: hoc tamen est ad vitandum lites,quia metus leuis facillimo negotio probari posset: Non vero, quia approbat, & iudicat iustam esse talem receptionem. Patet hoc in contractu venditionis,in quo cum intercedat deceptio intra dimidium iusti pretij,ius ciuile denegat actionem; Attamen non eum approbat: Vnde decipiens tenetur ad restitutionem: Ergo &c.

2.Ratio. 498 Secundò; Quia metu leui cõtractum extorquens est iniustitię reus, cum rem accipiat à dante inuito, & renitente.

3.Ratio. 499 Tertiò; Quia in contractibus, tùm lucratiuis, tùm onerosis substantia obligationis consistit, vel oritur ex ipso consensu, vt constat ex l.obligationum ff.de act.& oblig. At iste cõsensus, siue libera voluntas contrahẽdi violatur per metum leuem,sine quo non contraheretur: Ergo &c.

1.Limitatio huius concluſ. 500 Limitatur autem primò hæc sententia, vt sit vera, quando metus est incussus ad extorquendum donationem, vel alium cõtractum; Si enim fiat donatio ex metu non ad id incusso, valet vtique, nec tenetur recipiẽs restituere: Ergo si aliquis, dum iniustè mors sibi imminet ab aliquo, cuidam pauperi aliquid promitteret, vel donaret, vt Deus ipsum ab eo periculo eriperet, valeret vtique promissio, vel donatio, nec pauper teneretur aliquid restituere: Quia licet metu promittat, aut donet, tamen voluntariè, & propria sponte eligit hoc medium,vt Deus eum à periculo liberet: quamuis hanc promissionem, vel donationem faciat ex alterius nequitia, videlicet minitantis mortem, vel aliud malum.

2.Limitatio huius concluſ. 501 Secundò limitatur, quando metus incutitur iniustè: nam si iustè incutiatur, non tenetur accipiens restituere. Ratio est, quia cessat iniustitia, & iniuria,quæ est causa restitutionis. Exemplificatur primò hæc doctrina ab aliquibus: Vt si quis diceret alicui si dabis mihi equum, ero tuus amicus,si vero non dabis,nõ ero tuus amicus. Iste enim in hoc casu posset retinere equum,quia non tenetur esse ei specialis amicus. Ab alijs autem exemplificatur, vt si quis dicere: Denegabo tibi opem ad tale matrimonium, nisi facias hanc donationem. Iste enim posset retinere donationem, quia non tenetur opem ferre.

1. Sentẽt. contraria Metinæ. 502 Contra hanc nostram sententiam est prima sententia Metinæ C. de restitutione q.3.causa 2.vers.*Si fiat remissio*, qui negat extorta per metum leuem esse necessario restituenda.

1.Argum. 503 Probatur primò hæc sententia, quia leges ob metum leuem non concedunt rescissionem, vel restitutionem; vt constat ex toto tit.ff.de eo, quod metus causa: At hæ leges iustissimæ sunt: Ergo.

504 Re-

Digitized by Google

504 Respondetur, quod leges non concedunt rescissionem, vel restitutionem ad vitandum lites, non vero approbant similes contractus, vel receptiones. Respõsio.

505 Secundò. Quotiescumq; sententia iudicis non innititur falsæ præsumptioni in vtroque foro seruanda est: Sed cessante falsa præsumptione consensus quamuis extortus sit metu leui, iudex decernit donationem, & quemcumque alium contractum esse validum in foro externo: Ergo etiam idem dicendum est in foro conscientiæ. 2. Argum.

506 Respondetur, quod quando sententia iudicis innitur legi approbanti contractum in vtroq; foro seruanda est, non verò quando innititur legi deneganti solum actionem: Tunc enim in solo foro externo seruanda est. Respõsio.

507 Tertiò. Matrimonium celebratum metu leui validum est: Ergo cæteri contractus, ac proinde extorta per metum leuem non sunt restituenda in foro conscientiæ. 3. Argum.

508 Respondetur, quod est probabilis sententia, vt Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 17. tenet, matrimonium metu leui celebratum alioqui non celebrandum cessante metu leui esse inualidum de iure naturæ, & in foro cõscientiæ; Et idem dicitur de cæteris contractibus. Per se autem loquendo, & de iure Ecclesiastico metus leuis non inualidat matrimonium, quia semper præsumitur sufficiens consensus cum metu leui. Respõsio ex Sãchez.

509 Secunda sententia nobis opposita est, extorquentem rem metu leui teneri ad restitutionem in foro cõscientiæ; non vero alium possessorem, qui metum non intulit. 2. Sentẽt. contraria.

510 Probatur primò; Quia hæc restitutio consurgit ex iniuria illata: Sed nullam iniuriam intulit possessor, qui metum non intulit: Ergo. 1. Argum.

511 Respondetur, quod in isto casu restitutio oritur ex re accepta. Respõsio.

512 Secundò probatur hæc sentẽtia; Quia sequeretur votum emissum metu leui esse inualidum contra veriſſimam omnium sententiam. Probatur sequela, quia Deus quoad voti acceptationem gerit se vt persona priuata, & iustitiæ leges communiter nobiscum seruat. 2. Argum.

513 Respondetur negando sequelam. Ad probationem dico (quidquid sit: An Deus in voti acceptatione gerat se more hominum) quod votum metu leui emissum non est inualidum iure ecclesiastico; sicut iuxta probabiliorem sentẽtiam votum metu graui emissum solo eodem iure ecclesiastico est inualidum, non vero iure naturæ; Et ideò Deus illud acceptat, & tenetur vouens illud adimplere: At vero ius ciuile, siue humanum quamuis non irritet contractus celebratos metu leui; nihilominùs non approbat, & ideò in foro conscientiæ semper oritur obligatio restituendi. Respõsio.

514 Nota hìc pro clariori responsione, quod votum emissum metu graui irritatur iure ecclesiastico, & sic Deus non acceptat illud: votum autem emissum metu leui non irritatur iure ecclesiastico, quia supponitur sufficiens voluntarium in eo; Et ideò Deus acceptat illud. Quod si cessaret in eo ratio voluntarij, nullo modo esset validum, vt multi probabiliter tenent. Animaduersio.

515 Tertia sententia nobis opposita distinguit inter contractus lucratiuos, siue gratuitos, vt sunt donationes, eleemosynæ, mutua, & contractus onerosi, & dicit quod extorta metu leui in contractibus gratuitis sunt restituenda in foro conscientiæ: secus vero in contractibus onerosis. 2. Sententia opposita.

516 Ratio est; Quia in contractibus lucratiuis, siue gratuitis maior desideratur libertas, in eis enim reperitur mera gratia: At verò in contractibus onerosis non desideratur tanta libertas, cum vtrinq; sit commodum, & onus. Fundam. huius sẽtentiæ.

517 Respondetur, quod in omnibus contractibus in vniuersum debet esse consensus voluntarius, & liber, cum essentialiter cõsensus requiratur. Responsio.

LE-

LECTIO X.

Vtrum metus mortis, vel alterius grauis mali excuſet à tranſgreſſione legis humanæ?

518 Reſpondeo primò. Regulariter loquẽdo lex humana non obligat cum periculo mortis, vel alterius grauis damni: ac proinde metus mortis, vel alterius grauis damni excuſat à traſgreſſione legis humanæ. Ita communiter Theologi, quos refert, & ſequitur Meroll. de Volunt. diſp. 1. cap. 3. dub. 15. Bonac. tom. de peccatis diſp. 2. q. 8. p. 2. n. 3. Sanch. in ſumm. lib. 1. cap. 18. n. 4.

1. Concl.

Meroll. Bonac. Sanchez.

519 Probatur primò ratione, quã ſupponit Sanchez loc. cit. Quia in Eccleſia, ſiue in legislatore humano, vel non eſt tanta poteſtas ad obligandum cum tanto rigore in legibus communibus: vel ſi eſt tanta poteſtas, ex ſuaui tamen, ac prudenti prouidentia non vtitur illa, nec ad bonum commune pertinet: Ergo regulariter loquendo.

1. Ratio.

520 Nota ad intelligentiam efficaciæ huius rationis, quod aliqui volunt, quod in legislatore humano non ſit poteſtas obligandi cum periculo vitæ, quando bonũ commune id non exigit: Secus vero quando id exigit. Vnde hæc eſt differentia inter Deũ, & ipſum, quod Deus, cum ſit author vitæ, & mortis, poteſt obligare cum periculo vitæ quando vult; homo autẽ ſolum quando id exigit bonum commune.

521 Confirmatur; Quia leges humanæ ſunt benignæ, & moderatæ: Ergo non obligant regulariter loquendo cum tanto rigore.

Confir.

522 Probatur ſecundò inductione; nam præceptum ieiunij non obligat cum detrimento ſalutis, quod explicatum eſt in cap. conſilium de obſeruat. ieiunij. Similiter præceptum audiendi Miſſam non obligat cum periculo mortis, vel alterius damni. Idẽ dicitur de præcepto excommunicationis; licitum enim eſt propter famis neceſſitatem communicare cum excommunicato procurando ſibi ſubſidium Can. quam multis 11. q. 3. ex cap. inter. de ſententia excommunicationis.

2. Ratio.

523 Confirmatur; Quia lex Diuina poſitiua, quæ grauior eſt, non obligat cum periculo mortis, vel alterius grauis nocumenti, vt lect. ſeq. videbimus: Ergo multò minus humana.

Confir.

524 Reſpondeo ſecundò: Aliquãdo poteſt obligare, & de facto obligat lex humana cum periculo mortis, vel alterius grauis nocumenti. Vt quando agitur de bono communi abſolutè.

2. Concl.

525 Probatur. In republica eſt poteſtas neceſſaria ad ſuam conſeruationem, & commune bonum: Sed ad hos fines aliquando eſt neceſſarium præceptum obligans cum diſcrimine vitæ, vel alterius boni: Ergo poteſt lex humana, &c. Maior eſt per ſe nota; Quia alias nõ eſſet ſufficiẽter prouiſũ gubernationi, & conſeruationi reipublicæ. Minor probatur; Quia aliquãdo neceſſarium eſt ſuſcipere aliquod periculoſum bellum ad conſeruationem reipublicæ. Vnde poteſt Dux in bello præcipere militi, ne relinquat locum ſuum etiam cum periculo vitæ ſuæ: Similiter poteſt Princeps tempore peſtis committere aliquibus, vt procurent communem ſalutem, quãuis periclitetur vita vniuſcuiuſque. Sic etiam poteſt Summus Pontifex tẽpore graſſantium hæreſum præcipere aliquibus religioſis, vel viris doctis, vt cum vitæ diſcrimine Fidem Catholicam propugnent, ac diſſeminẽt. Et addit Merolla, quod hi omnes tenentur obedire ſub mortali.

Ratio.

526 Reſpondent aliqui in his caſibus obligare legem naturalem, qua vnaquaque pars tenetur conſeruare bonum totius. Sed contra: Nam licet lex naturalis tunc obliget rempublicam, & ciues in communi; non tamen obligat hunc, vel illum in particulari, cum non ſit maior ratio de vno, quàm de

Aduerſariorũ euaſio, et eius precluſio.

de alio: Ergo ad Principem pertinet determinare quem velit: Ergo hæc obligatio oritur proximè, & immediatè ex præcepto Principis quoad personas particulares.

3. Concl.

527 Respondeo tertiò. Quamuis per se loquēdo lex humana non obliget cum periculo vitæ; per accidens tamen obligare potest ratione alterius præcepti naturalis, vel Diuini concurrentis, & obligantis cum periculó vitę. Vt si tyrannus in contemptū Religionis Christianæ cogeret ad manducandum carnes in die prohibito in lege ecclesiastica. Tunc enim ageretur de bono communi Religionis Christianæ, & potiùs subeunda esset mors, quam vesci carnibus die prohibito. Neque etiam liceret simulare manducationem, quia esset dare alijs scandalum, quod nunquam licet, vt colligitur ex lib. 2. Macchab. cap. 7.

Ratio.

528 Ratio horum omnium est; Quia quamuis non obliget per se præceptum humanum, obligat tamen præceptum diuinum conseruationis nostræ religionis, & bonæ existimationis apud alios.

Corollarium, in quo plures decidūtur casus.

529 Ex hac doctrina infertur decisio plurium casuum. Primus est: Si tyrannus comminaretur mortem alicui, nisi carnes cum ipso comederet in die Sabbathi, posse illas tunc comedere; Quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto periculo: Secùs verò si metum incuteret in odium Religionis Christianæ, vel contemptum præcepti ecclesiastici; Quia tunc ageretur de bono communi, & curreret præceptum diuinum.

2. Casus.

530 Secundus: Occidentem clericum metu mortis, quamuis peccet mortaliter, non incurrere excommunicationem; quia lex ecclesiastica nō obligat cum tanto discrimine. Sed multi dissentiunt in hoc casu.

3. Casus.

531 Tertius est; licitum esse metu mortis celebrare Missam sine calice consecrato, dummodo non sit in contemptum religionis; quia celebrare cum calice consecrato est de iure ecclesiastico.

4. Casus.

532 Quartus est; licitum esse Sacerdoti excommunicato, vel interdicto, dummodo sit contritus celebrare Missam, & ministrare Sacramenta, vt mortis, vel infamiæ periculum vitet; Quia hęc iure ecclesiastico sibi prohibita sunt. Excipitur tamen Sacramētum pœnitentiæ, quod non posset administrare excommunicatus non toleratus ratione defectus iurisdictionis. Plures alij casus inferuntur ex hac doctrina, quos remittimus ad tractatum de legibus, vbi propriam sedem habent.

Sententia oppolita Caiet.

533 Contra nostram sententiam est Caiet. qui in hac 1. 2. q. 96. a. 4. & 2. 2. q. 125. a. 3. & in opusculis tom. 3. tract. 8. asserit leges humanas obligantes ad mortale, obligare cum mortis periculo, & præsertim eas, quę pertinent ad cultum religionis: Vt ne quis cum excommunicato participet: Ne absque vestibus sacris celebret.

Argum. Caiet.

534 Fundamentum potissimum Caiet. est; Quia id, quod est contra legem humanam, est peccatum: Ergo etiam propter mortem vitandam cōmittendum non est.

Respō sio.

535 Respondetur, quod in casu necessitatis cessat obligatio legis, ac proinde non violatur lex, neque committitur peccatum vllum.

Confirm.

536 Confirmatur; Quia lex humana ponitur propter bonum commune: Sed bonum commune præferendum est vitæ: Ergo &c.

1. Respō sio.

537 Respondeo concedendo minorem, quando ad conseruationem boni communis est necessaria vitæ profusio; negando verò illam, quando ad eius conseruationem non est necessaria vitæ profusio. Regulariter autem loquendo non est necessaria vitæ profusio ad conseruationem boni communis, nam lex consequitur suum finem, si regulariter obseruetur absque periculo vitæ.

2. Respō sio.

538 Alij sic respōdet ad hāc minorē, scilicet cōcedēdo illā quādo bonū commune pręponderat bono vitæ; secùs verò quando bonū vitæ præponderat bono communi. LE-

Digitized by Google

LECTIO XI.

An metus mortis excuſet à tranſgreſſione legis Diuinæ poſitiuæ?

539 PRO explicatione huius difficultatis ſupponendum eſt ex materia de legibus, quod lex Diuina duplex eſt: Vna, quæ dicitur Diuina poſitiua: Altera, quæ dicitur Diuina naturalis. Diuina poſitiua eſt illa, qua præcipitur aliquid à Deo, quod lege naturali non eſt ſancitum; Vt eſt præceptum præmittendæ confeſſionis ſacramentalis ante ſumptionem Euchariſtiæ ab habente conſciẽtiam peccati mortalis; præceptum baptiſmi &c. Diuina naturalis eſt illa, qua præcipitur id, quod lege naturali ſancitum eſt, vt ſunt præcepta Decalogi. Difficultas præſens procedit de lege Diuina poſitiua; in ſeq. lectione agemus de lege Diuina naturali. Animadueſio.

540 Reſpondeo primò. Regulariter, & ordinariè lex Diuina poſitiua non obligat cum periculo mortis, vel alterius grauis mali; ac proinde metus mortis, vel alterius grauis mali excuſat ab eius tranſgreſſione. Ita communiter Theologi vt refert Meroll. diſp. 1. de Volunt. cap. 3. dub. 15. 1. Concl. Meroll.

541 Probatur; Quia id, quod prohibetur lege Diuina poſitiua non eſt intrinſecè malum, ſed ſolum ex voluntate legislatoris Diuini prohibentis: Sed non eſt veriſimile Deum velle obligare cum tanto periculo: Ergo. Ratio cõcluſ.

542 Minor conſtat ex multis exẽplis Sacræ Scripturæ. Primò ex 1. Reg. 21. vbi Dauid fame compulſus comedit panes propoſitionis, quorũ comeſtio ex lege Diuina prohibebatur laicis; Quod factum approbauit Chriſtus Matth. 12. vbi ex eadem cauſa famis excuſat diſcipulos, qui die Sabbati colligebant ſpicas. Probatur Minor ex S. Script. primò.

543 Secundò ex 1. Macchab. 2. in quo Matathias pugnauit diebus Sabbatorum extrema neceſſitate compulſos. Secundò.

544 Tertiò Ioſue 5. vbi filij Iſrael nõ fuerunt circumciſi per annos quadraginta ob incommoditatem curandi vulnera per deſertum; & tamen ex lege Diuina promulgata Gen. 17. octauo die debebat circumcidi infans. Tertiò.

545 Ex hac reſpõſione infertur nõ teneri adultum cum vitæ diſcrimine ſuſcipere baptiſmum; quia poteſt ſibi conſulere contritione habita Dei auxilio. Ita Suarez t. 3. in 3. par. diſp. 31. & plures alij. quos refert, & ſequitur Meroll. loc. cit. contra Azor. tom. 1. inſtit. moral. cap. 11. quæſt. 2. contrarium aſſerentem. Coroll. ex Suarez, & Meroll.

546 Limitatur tamen iſte caſus à Suarez loc. cit. primò niſi adultus eſſet in mortis articulo conſtitutus abſque extrinſeca vi; Quia tunc acceleratio mortis, quæ ei comminaretur à tyrãno non eſſet tanti momenti, vt propterea omittendum eſſet baptiſma, cuius præceptum eſt grauiſſimum, & maximè neceſſarium ad ſalutem. 1. Limitatio ex Suarez.

547 Limitatur ſecundò, niſi cauſa fidei aliud requireret: Quia ſcilicet eſſet obligatio confitendi fidem ſuſcipiendo baptiſmum; tunc enim cum periculo mortis ſuſcipiendus eſſet. 2. Limitatio.

548 Reſpondeo ſecundò: Per accidens aliquando fieri poteſt, vt homo obligetur cum periculo mortis ad obſeruantiam legis Diuinæ poſitiuæ, hoc eſt ratione boni communis, vt ſupra dictum eſt de lege humana poſitiua; Nam ſemper bonum commune præferendum eſt bono particulari. 2. Cõcl. & eius Ratio.

549 Hinc infertur, ſi aliquis tyrãnus in contemptum legis Diuinæ, vel religionis Chriſtianæ cogeret ad trãſgreſſionem ipſius legis Diuinæ metu mortis, ſubeunda eſſet potius mors, quam frangenda lex Diuina; Vt optimè fecerunt Macchabæi, qui potiùs voluerunt mori atrociter, quam tranſgredi Diuinam legẽ comedendo carnes porcinas ſibi prohibitas Macchab. 7. Nam metus mortis infe- 1. Coroll.

reba-

Digitized by Google

rebatur illis in contemptum legis.

550 Infertur secundò Diuinam legem seruandam esse cum periculo vitæ, quando ipsa lex Diuina includit circumstantiam quãdam maioris boni, quàm sit seruare vitam propriam; Hinc licèt seruare sigillum confessionis sit præcepti Diuini; nihilominùs, quia includit circumstantiam maioris boni, quàm sit conseruatio propriæ vitæ, ex nullo metu frangi potest; Sed de his diffusiùs in tractatu de leg. vbi propriam sedem habent.

2. Coroll.

551 Cõtra hanc nostram, & communem sententiam est Ioannes Gerson relatus à Merol. loc. cit. qui dixit, legem Diuinam positiuam obligare cum periculo vitæ. Et hanc sententiam reputauit probabilem Victor. in relect. de temper. concl. 2. pro qua reddidit hanc rationem.

Sententia opposita Gersonis.

Victor.

552 Quia non minor obligatio est legis Diuinæ, quam naturalis; Sed nullus metus excusare potest à transgressione legis naturalis: Ergo &c.

Ratio huius sententiæ.

553 Respondetur negando maiorẽ; quia lex naturalis inuoluit vt plurimùm ea, quæ sunt intrinsecè mala. Sed de his clariùs in lect. seq.

Respõsio.

LECTIO XII.

An metus mortis excuset à transgressione legis Diuinæ positiuæ naturalis?

554 AD huius difficultatis explicationem notandum est primò, quod præcepta Diuina naturalia sunt in duplici differẽtia. Quædam enim sunt affirmatiua; vt succurrere proximo in extrema necessitate existenti; restituere alienum &c. Quædam verò negatiua; vt non occidas; non furaberis &c.

1. Animaduersio.

555 Notandum est secundò, quod duobus modis potest aliquid dici malum, siue contra præceptum naturale negatiuum. Vno modo intrinsecè, & absolutè absque vllo respectu ad aliquid extrinsecum: Alio modo extrinsecè, & respectiuè ad aliquid extrinsecum. Illud dicitur malum intrinsecè, & absolutè, quod ex proprijs principijs est malum, & contra præceptum naturale negatiuum; vt exempli gratia est mendacium; blasphemia; odium Dei &c. Ex virtute enim veracitatis tenetur quis proferre verba consona menti; ex virtute religionis laudare Deum; ex virtute charitatis amare illum; vnde si mentietur, blasphemabit, vel odio habebit Deũ, faciet aliquid, quod ex proprijs principijs intrinsecis erit malum, & contra præceptum naturale negatiuum.

2. Animaduersio.

556 Illud autem dicitur malum extrinsecè, & respectiuè contra aliquod præceptum naturale negatiuum, quod non ab intrinsecis principijs, sed per respectum ad extrinsecũ habet malitiam suam, & sumpta denominatione ab alio. Exempli gratia, reddere ensem furioso, vel alteri, quem scio velle vti in graue damnum alterius, secundum se non est malum, sed per ordinem ad homicidium, & sumpta denominatione ab ipso homicidio, quod vult committere petens. Patet, quia si non ordinaretur talis restitutio ensis à petẽte ad homicidium, nullo modo esset mala.

557 Tertiò notandum est, quod malum intrinsecè dupliciter sumi potest: Primò strictè tantũ pro eo, quod est malum ex obiecto, vt est mendacium, odium Dei &c. Secundò largè pro omni eo, quod est iure naturali prohibitũ, siue sit malum ex obiecto, siue ex circumstantijs hìc, & nunc occurrentibus, vt restituere ensem Domino tempore furoris; pernoctare in domo meretricis, cum qua solitus quis est fornicari, & sic de alijs. Et hæc diuisio coincidit cum ea, quæ allata est in præcedenti notabili; Sed ponitur gratia maioris claritatis.

3. Animaduersio.

558 Vltimò notandum est, quod ea, quæ sunt ex obiecto, & natura sua mala adhuc sunt in duplici differentia; Quædam enim ita sunt intrinsecè

4. Animaduersio.

Digitized by Google

mala, vt nulla ratione, vel circumstantia honestari possint: vt sunt infidelitas, mendacium, blasphemia &c. Et hoc prouenit, quia ex eorum substantia oritur malitia: Quædam vero ita sunt ex obiecto malo, vt aliqua circumstantia mutata possint fieri bona, & honesta; Exempli gratia. Furtum est malum, & prohibitum lege naturali, tamen potest fieri licitum mutata circumstantia illa, quod sit ablatio rei alienæ; Vt si concederet Deus alicui, quod acciperet rem alienam sine cõsensu Domini, vt concessit Hebræis exeuntibus de Ægypto; tunc deesset illa circumstantia, quod esset res aliena, quia Deus est Dominus omnium rerum, & sic furtum in eo casu redderetur honestum, nec propriè esset furtum. His ergo notatis.

559 Respondeo primò. Præcepta Diuina affirmatiua naturalia nõ semper obligant cum periculo mortis, vel alterius grauis damni. Exempli gratia, est de iure diuino naturale subuenire proximo in extrema necessitate existenti: Restituere alienum &c. tamẽ non obligant cum periculo mortis. 1. Concl.

560 Ratio est, quia præcepta affirmatiua obligant semper, & ad semper, sed sicut oportet, & quãdo oportet, sicuti communiter Theologi apud Meroll. disp. 1. de Volunt. cap. 3. dub. 17. docent. Ratio. Meroll.

561 Respondeo secundò. Præcepta Diuina naturalia negatiua eorum, scilicet, quæ sunt mala intrinsecè ex obiecto, & nulla ratione honestari possunt, obligant cum periculo mortis, ita vt nullus metus ab eorum trãsgressione excusare possit. 2. Concl.

562 Ratio est; Quia hæc præcepta obligant semper, & ad sẽper, & prohibent res, quæ sunt intrinsecè malæ. Hinc non licet mentiri ad euadendam mortem, non blasphemare, non peierare, non idolatrare &c. quia hæc ita sunt intrinsecè mala, vt nulla ratione honestari possunt. Ita communiter Theologi. Ratio.

563 Respondeo tertiò. Præcepta Diuina naturalia negatiua eorũ, quæ non sunt intrinsecè mala ex obiecto, sed mutata aliqua circumstantia possunt fieri honesta, non obligant cum periculo vitæ, vel alterius grauis nocumenti. Vnde metus mortis, vel alterius grauis mali excusat ab eorum transgressione. 3. Concl.

564 Ratio est; quia non sunt intrinsecè mala, sed secundum se considerata sunt potiùs bona, vel indifferentia. Ratio.

565 Confirmatur; Quia licet soleant appellari intrinsecè mala, hoc non est, quia sunt mala malitia intrinseca, & absoluta, sed tantum, quia sunt, mala suppositis quibusdam circumstantijs. Ita Meroll. loco cit. exponens communem Theologorum sententiã dicentium licere transgredi præcepta Diuina naturalia negatiua. Confirm. Meroll.

566 Ex hac doctrina infertur primò. Licitum esse abscindere sibi manum, vel pedem ad euitandam mortẽ, quamuis lege naturali prohibitũ sit. Et hoc nõ solum si mors immineat ab intrinseco, scilicet à morbo, sed etiã ab extrinseco, scilicet ab homine. De qua re magis in materia de homicidio. 1. Coroll.

567 Secundò licitum esse reuelare peccatum occultum, vel secretum alterius ad euitandum aliquod graue damnum, vt dicitur in materia de detractione, quamuis hoc prohibeatur præcepto naturali negatiuo. 2. Coroll.

568 Tertiò licitum est restituere ensem furioso Domino contra præceptum naturale ad cauendum damnum aliquod in propria vita, vel in alia re. 3. Coroll.

569 Quartò licitum esse pernoctare in domo meretricis, cùm qua solitus est quis peccare, ad euadendum periculum vitæ, quia pernoctatio secundum se indifferens est, quamuis lege naturali prohibitum sit exponere se periculo peccandi. 4. Coroll.

570 Quintò licitum esse Christianis mancipiis Turcarum remigare cõtra Christianos ad vitandam mortẽ, vel crudelia verba; nec propterea incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ. Similiter licitũ esse admo- 5. Coroll.

uere

Digitized by Google

nere ſcalam furari volenti; reſtituere enſem occidere volenti metu mortis, & facere ſimilia, quæ ſecundum ſe ſũt indifferentia, & ſolum mala ex circũſtantijs occurrentibus. De quibus omnibus diffuſiùs ſuis locis.

Sententia contraria.

571 Contra hanc noſtram vltimã reſponſionem videtur communis ſententia Theologorum, quatenus abſolutè, & ſimpliciter affirmat non licere vllo metu mortis, vel alterius nocumenti tranſgredi præcepta negatiua naturalia. Sed re vera ſic intelligenda eſt, vt nos illam expoſuimus duabus vltimis reſponſionibus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum concupiſcentia cauſet inuoluntarium?

572 REſpondet S. Tho. quod cõcupiſcẽtia non cauſat inuoluntarium. Ratio ipſius eſt; quia voluntarium eſt illud, in quod fertur voluntas: Sed per concupiſcentiam inclinatur voluntas ad volendum id, quod concupiſcit: Ergo &c.

573 In reſponſione ad tertium dicit S. Tho. quod concupiſcentia, quæ aufert totaliter cognitionem, vt contingit in illis, qui per concupiſcentiam fiunt amentes, tollit volũtarium, ſed propriè inuoluntarium non facit. Quia in his, quæ vſum rationis non habent, nec voluntarium eſt, nec inuoluntarium.

LECTIO I.

Vtrum ea, quæ fiunt ex concupiſcentia ſint aliquo modo inuoluntaria?

574 NOtandũ eſt primò, quod nomine concupiſcẽtiæ hìc intelligitur quælibet paſſio appetitus ſenſitiui, ſiue illa ſit in concupiſcibili, ſiue in iraſcibili, ut ira excepto metu, & triſtitia. 1. Animaduerſio.

575 Secundò, quod paſſio dupliciter conſiderari poteſt ex D. Th. inf. q. 77. a. 6. Vno modo vt antecedit actũ voluntatis: Alio modo vt conſequitur. Hìc ſumitur vt antecedit actum voluntatis, quatenus facit, vt intellectus proponat voluntati tanquam bonum ipſummet obiectum ſuum, ſcilicet paſſionis. 2. Animaduerſio.

576 Reſpondeo concupiſcentiam nullo modo cauſare inuoluntarium. Ita Ariſt. 3. Eth. cap. 1. S. Th. in hoc artic. & ſpecialiter ad 1. & communiter Theologi. Concluſio. Ariſt. D. Th.

577 Probatur ex Ariſt. loco cit. dicente. *Forſitan non rectè dicuntur ab inuitis fieri, quæ per iram, & cupiditatem aguntur*; Vbi particula *Forſitan* non appoſuit dubitatiuè, ſed modeſtiæ cauſa. Probat. 1. ex Ariſt.

578 Prætereà eodem loco ait: *Qui violenti, inuitique agunt, hi cum dolore: qui autem ob iucundum (ſcilicet ob concupiſcentiam) hi voluntariè operantur.* Probat. 2. ex eod.

579 Probatur autem à ſigno. Primò; Quia id, quod fit ex concupiſcentia, non fit cum dolore, aut mæſtitia, vt patet in eo, qui occidit inimicum ex vindicta, & multò magis in eo, qui incitatur ad fornicationem ex pulchritudine mulieris. Confir. 1.

580 Secundò; Quia ea, quæ fiunt per pręces, vel per beneficia non cenſentur vllo modo fieri inuoluntariè, & ideò licitum eſt per beneuolentiam, & præmia inuitare infidelem ad fidẽ, non autem per metum. Hac etiam de cauſa licitum eſt inuitare filium, vel 2. Confir.

Digitized by Google

ſeruum, vel aliquem alium ad ſpiritualia, vt ad ſuſceptionem Sacramentorum per præmia temporalia.

3. Confir. 581 Tertiò; Quia contractus precibus impetratus ſemper eſt validus, ſi non adſit metus: Ergo ſignum eſt, quod concupiſcentia non cauſet inuoluntarium.

Ratio à priori cõcluſ. 582 Probatur autem hæc reſponſio ratione à priori, quam innuit S. Tho. in hoc art. ad primum. Quia obiectum concupiſcentiæ eſt bonum; ſiue id, quod concupiſcitur, apprehẽditur vt bonum delectabile ſecũdum ſe: Ergo quando voluntas proſequitur illud, nullam poteſt habere diſplicentiam de eo. Patet conſequentia; Quia vt haberet aliquam diſplicentiã de eo, deberet apprehendi illud ſub aliqua ratione mali, vt patet in eo, qui proijcit merces metu tempeſtatis. Antecedens probatur; Nam hęc eſt differentia inter id, quod fit ex metu, & id, quod fit ex concupiſcentia; Quia id, quod fit ex metu apprehẽditur ſolum vt vtile ad euadendum mortem, vel aliud graue malum, & ſtantibus aliquibus circumſtantijs, non vero apprehenditur vt bonum ſecundum ſe. Id autem, quod fit ex concupiſcentia apprehenditur vt delectabile abſolutè. Vnde obiectum concupiſcentię eſt bonum delectabile, & ſuaue; obiectum verò metus cauſantis inuoluntarium ſecundum quid, eſt malum vt apprehenditur, vt bonum vtile.

Sententia oppoſita Lorcæ. 583 Contra hanc communem sẽtentiam eſt Lorca, vt refert hìc Monteſ. qui ait ſe non dubitare, quod id, quod fit ex concupiſcentia ſit ſimul inuoluntarium ſecundum quid.

1. Argum. 584 Argumentatur ipſe ab exemplo incontinentis; Incontinens enim ſequens obiectum concupitum habet diſplicentiam de illo: Ergo ea, quæ fiunt ex concupiſcentia, ſunt aliquo modo inuoluntaria. Antecedens probat ipſe ex duobus ſignis. Primum eſt, quia retardatur aliquo modo circa tendentiam in tale obiectum. Secundum, quia dolet quandoque de opere patrato.

Reſpõſio. 585 Reſpondetur negando antecedens. Ad primum ſignum probationis dico, quod retardantia illa non prouenit ex admixtione inuoluntarij, ſed ex aliquo habitu, vel bona cõſuetudine, quam habet in contrarium. Ad ſecundum dico, quod illa diſplicentia deberet eſſe ſimul dum fertur in obiectum concupitum, vt patet in his, qui agunt ex metu.

Contra prædictã reſpõſionem eſt argum. Salas. 586 Contra reſponſionem huius argumenti inſurgit Salas diſp. 3. ſect. 3. dicens. Incontinens, quando ſequitur concupiſcentiam cognoſcit maius bonum eſſe bonum honeſtum, quod deſerit, quã bonum delectabile, quod ſequitur: Ergo hoc, quod eſt deſerere bonum honeſtum, vt ſequatur bonum delectabile, habet rationem mali: Ergo habet diſplicentiam circa deſertionem illius.

Reſponſio. 587 Reſpondetur, quod delectatio, quæ reperitur, vel conſideratur in obiecto concupito, abſorbet diſplicentiam, quæ poterat eſſe in deſertione boni honeſti; Nã ex vi delectationis, vel voluptatis impeditur, & diuertitur intellectus ne conſiderat malitiam, quæ eſt in deſertione boni honeſti. Addo quod poteſt eſſe ita leuis conſideratio boni honeſti, vt nullo modo præponderet illud bono delectabili.

Sententia Ariſt. & D.Th. 588 Hanc doctrinam iudicat probabilem Salas, quia eſt Ariſt. & D. Th. ſed dicit probabiliorem eſſe ſententiam Platonicorum, quod ſcilicet ſit aliquid inuoluntarij admixtum quando voluntas ſequitur concupiſcentiam in rebus turpibus, & inhoneſtis.

Sententia Platonica.

Ariſt. impugnat Platonicos. 589 Sed hoc eſt, quod impugnat Ariſt. & cenſet ridiculum 3. Eth. c. 1. Nã ſi nihil inuoluntarij eſt quãdo volũtas ſequitur cõcupiſcentiam in rebus honeſtis, vt quãdo maritus accedit ad vxorem ex cupiditate: Ergo nec etiam quando ſequitur illam in rebus inhoneſtis. Probatur conſequentia; Quia vtrobique eſt eadem cauſa.

2. Argum. Vaſq. 590 Secundum argumentum ſumitur ab exemplo adducto à Vaſq.

Quia

Digitized by Google

Quia qui noctu incedit armatus, & ſubſtinet inclementiam aeris, frigora, & cæteras incommoditates, vt euadat periculum mortis, aliquo modo inuoluntariè operatur: Ergo pariter dicendum eſt ſi hoc faciet ad ſumendam vindictam de aliquo inimico, vel fruendum aliqua muliere.

Reſpõſio. 591 Reſpondetur negando conſequentiã: Et ratio diſparitatis eſt; Quia is, qui noctu incedit armatus ad fugiendam mortem, apprehendit illud mediũ ſolùm, vt vtile: Is verò, qui incedit armatus ad ſumendam vindictam, vel fruendum muliere aliqua, apprehendit illud medium vt delectabile: Nam uoluptas vindictę, & fornicationis facit voluptuoſum mediũ aſſumptum ad eundem finem.

2. Argum. Medinæ. 592 Tertium exemplum adducitur à Medina de eo, qui ſumit potionem amaram: ita enim ex cupiditate ſalutis ſumit illam, & tamen habet diſplicentiam de illa: Ergo.

Reſpõſio. 593 Reſpondetur, quod ſi hæc sũptio imperetur formaliter à metu mortis poteſt habere aliquam diſplicentiam de illa; Si verò imperatur ex amore ſalutis, nullam diſplicentiam habebit; ſed tantùm aliqua diſplicentia erit in appetitu ſenſitiuo de eius amaritudine.

4 Argum. 594 Vltimum argumentum: Quia poteſt contingere, quod dum aliquis peccat ſequendo concupiſcentiam, habeat remorſum conſcientiæ, & timorem gehennæ, vel etiam metum alicuius mali temporalis, vt qui ſumit vindictam timeat mortem: Ergo &c.

Reſpõſio. 595 Reſpondetur, quod timor euentus futuri non facit inuoluntarium id, quod fit, ſed ſolum quando apprehenditur aliquo modo, vt malum. In præſenti autem timor gehennæ, vel alterius mali temporalis eſt timor euentus futuri. Sunt enim diſtincta hæc duo: quod aliquis timeat ſibi aliquem malum euentum ex ſuo peccato: & quod diſpliceat ſibi dum peccat ſuum peccatum. Illud primum nõ eſt ſignum inuoluntarij; benè autem hoc ſecundum. Verum dum quis peccat ſequendo concupiſcentiam non diſplicet ſibi ſimul ſuum peccatum, quamuis timeat malum euentum. Et poteſt hoc explicari exemplo eorum, quæ fiunt ex metu, quæ dum fiunt ſimul diſplicent aliquo modo, & ideò ſecundum quid ſunt inuoluntaria.

LECTIO II.

An concupiſcentia augeat voluntarium?

1. Animaduerſio. 596 IN hac lectione ſumitur cõcupiſcentia ſicut in præcedenti lectione pro quacumque paſſione appetitus ſenſitiui antecedente voluntatem. Similiter ſumitur voluntarium pro actu voluntatis, ſiue appetitus rationalis.

2. Animaduerſio. 597 Prętereà notandum eſt, quod, vt ſupra diximus cum S. Th. art. 2. duplex eſt voluntarium: Vnum perfectum, quod ſequitur perfectam cognitionem finis: Aliud eſt voluntariũ imperfectum, quod ſequitur imperfectam cognitionem finis, quemadmodum eſt illud, quod reperitur in brutis, vel etiam in homine procedente ex imperfecta cognitione finis, vt motus primò primi. Hìc loquimur de voluntario perfecto: An ſcilicet concupiſcentia antecedens augeat illud, vel potiùs minuat?

1. Concl. S. Th. Caiet. Monteſ. Conrad. Vaſq. 598 Reſpondeo primò. Formaliter loquendo concupiſcentia antecedens potiùs minuit voluntarium perfectum, quàm augeat illud. Ita S. Tho. in hoc art. ad 3. vbi magis ſe explicat, & inf. q. 77. a. 6. & Caiet. ib. Monteſ. Conrad. Vaſq. & alij multi Theologi ſuper hunc art.

Prob. ex S. Th. 599 Probatur primo teſtimonio D. Th. in hoc art. ad 3. vbi ait, quod ſi concupiſcentia antecedens tolleret omninò vſum rationis, auferret etiam totaliter voluntarium. Ex quo ſequitur quod ſi non omninò auferat vſum rationis, quod minuat voluntarium.

Præ-

Digitized by Google

Præterea inf. q. 77. cit. art. 6. ait, quod passio antecedens minuit peccatum; quia minuit voluntarium.

Euasio aduers. 600 Respondent authores contrariæ sententiæ, quod S. Tho. hìc sumat voluntarium pro libero.

Precluſio. 601 Sed contra; quia liberum includit in se perfectè voluntarium: Ergo si minuitur liberum, minuitur voluntarium. Antecedens patet, quia quamuis amor beatificus sit perfectè voluntarius, & non liber; tamen in nobis actus, qui est perfectè voluntarius est perfectè liber, & è cõtra actus, qui est perfectè liber est perfectè voluntarius.

Confirm. precluſionis. 602 Confirmatur hęc impugnatio, quia S. Th. loc. cit. pro eodem sumit voluntarium, atque liberum sẽcutus D. Aug. lib. 3. de lib. arb. cap. 18. vbi ait: Peccatum in tantum est peccatum, in quantum est voluntarium.

Probat. 2. ratione. 603 Probatur secundò ratione. Concupiscentia antecedens minuit cognitionem: Ergo minuit rationem voluntarij. Consequentia est nota; quia ad voluntarium requiritur cognitio: Ergo si minuitur cognitio, minuitur voluntarium. Antecedens etiã patet, & probatur testimonio Arist. 6. Eth. cap. 5. adducto etiam à D. Th. in hoc art. arg. 3. vbi ait, quod concupiscentia corrumpit æstimationem prudentiæ. Item ex D. Tho. in resp. ad 3. vbi concedit, quod concupiscentia tollit actualem considerationem, & hoc idem confirmat q. 77. a. 6.

Arist. D. Th.

Euasio aduers. 604 Respondent authores contrarij huic antecedenti, quod passio, siue concupiscentia antecedens minuit cognitionem quantum ad hoc, quod faciat, vt non proponatur obiectum cum indifferentia requisita ad actum liberum. Vnde minuit tantum libertatem actus, non verò rationem voluntarij.

Impugnatur 1. 605 Sed contra primò; quia offuscat intellectum, vt non solum non proponat obiectum cum indifferentia requisita ad liberum; sed etiam vt nõ penetret naturam ipsius, quod requiritur ad perfectã rationem volũtarij.

Impugnatur 2. 606 Secundò; quia quando actus est simul liber, & voluntarius, vna, & eadem cognitio deseruit vtrique: Ergo si concupiscentia antecedens minuit cognitionem quantum ad libertatem, etiam minuit illam quantum ad rationem voluntarij.

Confir. 1. Ratio præced. 607 Confirmatur primò hæc ratio; quia si motus concupiscentiæ esset adeò vehemens, vt auferret totaliter cognitionem, auferret etiam totaliter voluntarium: Ergo quando minuit cognitionem, minuit etiam voluntarium.

2. Confir. 608 Confirmatur secundò; quia ignorantia ideò tollit voluntarium, quia tollit cognitionem: Ergo pariter ideò concupiscentia minuit voluntarium, quia minuit cognitionem.

Probat. 3. ratione. 609 Probatur tertiò: Quia concupiscentia est extrinseca voluntati: Ergo potiùs minuit, quam augeat volũtarium. Consequentia est certa, quia voluntarium est à principio intrinseco. Antecedens patet; quia est in appetitu sensitiuo, qui est extra voluntatem.

Euasio aduers. 610 Respondent aduersarij, quod concupiscentia sit ab intrinseco appetitus sensitiui, & respectu totius hominis.

Prçcluſio. 611 Sed contra; Quia quamuis sit ab intrinseco appetitus sensitiui, & respectu totius hominis, vt ducitur appetitu sensitiuo; non est tamen ab intrinseco appetitus rationalis, & totius hominis, ut ducitur appetitu rationali: Ergo semper minuit uoluntarium, quod est ab appetitu rationali.

Confirm. rationis præced. 612 Confirmatur hæc ratio; quia si aliquis præcibus alterius faceret aliquid, minùs voluntariè faceret, quàm si se ipso absque prçcibus faceret: Ergo à pari minùs volũtariè operatur illectus concupiscentia, quam si se solo absque tractu concupiscentiæ operaretur.

Probatur 4. 613 Probatur quartò, & specialiter, quod non possit concupiscentia antecedens minuere rationem liberi, & augere rationem voluntarij. Quia ratio liberi, vel est inferior ad rationem

Digitized by Google

nem voluntarij: vel est modus intrinsecus ipsius actus: vel accidens, vt vult
Valent. Valet. Si cõparetur tanquam inferiùs ad superiùs non potest augeri ipsa ratio voluntarij, vt reperitur in libero, quin augeatur ipsum liberũ: Et è cõtra; sicut non potest augeri ipsa ratio naturalis, vt inuenitur in homine, quin augeatur in perfectione ipse homo: Perfectior est enim ratio naturalis, vt inuenitur in homine, quã vt in equo, quia perfectior est ipse homo. Si comparetur tanquam modus ad rem modificatam, etiam quò magis, vel minùs perficitur modus perficitur ipsa res modificata; vt patet in amore beatifico: Quò enim magis perficitur modus tendendi necessarius in obiectum beatificum, eò magis perficitur substantia ipsius actus. Si verò comparetur tanquam accidens ad subiectum, & tunc non potest minui, vel augeri accidens connaturale, quin augeatur, & perficiatur ipsum subiectũ connaturale, vt patet de calore respectu ignis. Præterquamquod ratio liberi nullo modo sit accidens voluntarij cum sit modus intrinsecus ipsius. Omne enim voluntarium, vel liberum, vel necessarium debet esse.

Euasio Valent. 614 Respondet Valet. primò mẽbro huius rationis, quod benè potest esse vt idẽ cibus magis iuuet ad operationes sensibiles, & animales, quàm ad operationes proprias hominis; Et per consequens, quod perficiatur ratio superior, & non inferior.

Impugnatur 1. 615 Sed contra primò, quod cibus; qui iuuat ad operationes sensitiuas, iuuat etiam ad operationes intellectiuas; quia hæ dependent ab illis.

2. Impugnatur. 616 Secũdò (quidquid sit de operationibus accidentalibus) non potest perfici substãtialiter, vel essentialiter ratio superior, quin etiam perficiatur ratio inferior, ad quam contrahitur. Ergo si voluntarium est superius ad liberum, & ipsum perficitur, etiam liberum debet perfici, & augeri.

617 Probatur etiam nostra respõsio impugnando fundamentum principale sententiæ oppositæ. Totum fundamentum eorum est, quia amor beatificus quò magis est voluntarius eò minùs est liber. Sed contra; Quia ideò est magis voluntarius, & minùs liber, quia sequitur cognitionem perfectissimã perfectissimi obiecti, quod nullo modo potest proponi cum indifferentia: Ergo quando minuitur cognitio, minuitur ratio liberi.

2. Cõcl. & eius Ratio. S. Th. 618 Respondeo secundò. Materialiter loquendo concupiscentia auget voluntarium. Hoc intendit D. Th. in hoc art. cit. ut consideranti patebit. Et probatur, Quia cõcupiscẽtia est in causa, vt voluntas maiori impetu feratur, & intensius operetur.

Sententia contraria Medinæ. Valent. Salas, & 1. argum. ex S. Th. 619 Contra nostram sententiam est sententia Med. in hoc art. Val. Sal. & aliorum dicentium concupiscentiã augere voluntarium. Probatur primo testimonio D. Th. in hoc art. vbi ait: *Concupiscentia non causat inuoluntarium, sed magis facit voluntarium.*

1. Respõsio. 620 Huic testimonio respondetur primò, quod illa particula: *Magis* sumitur *comparatiuè* loco particula: *Potiùs.* Et sensus est: Concupiscentia *potiùs* facere voluntarium, quàm inuoluntarium, tantum abest vt ipsa faciat voluntarium. Et colligitur hæc expositio ex ipso tit. articuli qui est: An cõcupiscentia causet inuoluntarium?

2. Respõsio. 621 Respondetur secundò, & meliùs, quod probat secundam nostram responsionem, scilicet, quod concupiscentia materialiter augeat voluntarium, non verò formaliter, quia ipsa non concurrit formaliter, & intrinsecè ad actum voluntarium.

2. Argum. 622 Secundò. Concupiscentia, vt probatum est lect. præced. non causat inuoluntarium: Ergo non minuit voluntarium: Nam vnum contrarium non minuitur, nisi per appositionem alterius.

Respõsio. 623 Respondetur negando consequentiam. Ad probationem dicitur id solum esse verum in qualitatibus naturalibus. Neque id esse vniuersaliter verum, nam si supponeremus, quod calor natiuus aeris esset vt sex, & adderetur alter gradus contra

eius

eius naturã, vt septẽ, ille gradus septimus posset remitti absq; appositione cõtrarij. Ex quo sequitur, quod benè potest concupiscentia non causare inuoluntarium, & minuere volũtarium, quia non minuit per oppositum, sed tantum debilitando cognitionem, & faciendo, quod actus sit minùs ab intrinseco ipsius voluntatis.

624 Tertiò. Concupiscentia mouet uoluntatem ex parte obiecti medio intellectu: Ergo auget uoluntarium, sicut & intellectus. 3. Argum.

025 Respondetur negando consequentiã. Et ratio est; Quia non mouet uoluntatem ex parte obiecti ex intrinseco ipsius uoluntatis: hoc enim solius intellectus est, qui ex intrinseco ipsius uoluntatis mouet ipsum, cum appetitus rationalis sit. Alioquin etiam posset dici quod preces, & persuasiones augeant uoluntarium, cum moueant voluntatem ex parte obiecti, quod est contra D. Th. inf. q. 77. a. 6. Concluditur ergo, quod non omnis motio ex parte obiecti auget voluntarium, sed illa solùm, quæ est ex intrinseco ipsius voluntatis, quæ conuenit tantum intellectui. Respõsio. D. Th.

626 Quartò. Maior intentio circa finem auget uoluntarium in electione mediorum: Ergo similiter maior concupiscentia antecedens auget uoluntarium: quia eodem modo est causa inuoluntarij, sicut intentio finis electionis mediorum. 4. Argum.

627 Respondetur concesso antecedẽti cum hoc addito, quod semper sit magis uoluntaria inuentio finis, quam electio mediorum, nam propter quod unumquodque tale, & illud magis, negando consequentiam. Ad probationem dico non esse eandem paritatem, quia intentio est intrinseca uoluntati, concupiscentia autem extrinseca. Respõsio.

628 Sed urgebit quis: Potest esse casus, quod ex nimio amore finis non consideret aliquis difficultates, quæ sunt circa media: Ergo tunc minùs uoluntaria esset electio. Replica aduers.

629 Respondetur, quod quando quis ex nimio amore finis non considerat difficultates mediorum, prouenit ex ipsa uoluntaria electione, & electio uoluntaria semper procedit ex uoluntaria intentione finis. Enodatio.

630 Quintò. Habitus existentes in uoluntate non minuũt, sed potiùs augent uoluntarium: Ergo idem dicendum est de concupiscentia. Respondetur negando consequentiam: Et ratio est, quia habitus non perturbant rationem sicut concupiscentia. Addo, quod ipsi habitus afficiunt intrinsecè voluntatem, non verò concupiscentia. 5. Argum. & respõsio.

631 In oppositum est sentẽtia Aluarez hìc, & Suarez dicentium concupiscentiam augere rationem volũtarij, & minuere rationem liberi. Sed hæc sententia remanet impugnata ex dictis pro nostra sententia, & præsertim vltima nostra ratione. Neque habet alias vrgentes rationes pro se præter adductas pro sententia præcedenti. 2. Sententia opposita Aluarez, & Suarez.

632 Vna difficultas remaneret tractanda: An concupiscentia consequẽs augeat voluntarium? Sed respondetur breuiter ex D. Tho. inf. q. 77. a. 5. potiùs esse signum maioris volũtarij. Incidens difficultas, et eius resolutio.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum ignorantia causet inuoluntarium?

633 IN hoc art. premittit S. Tho. quod triplex sit ignorantia: Cõcomitans, Consequẽs, Et Antecedens: Ignorantia concomitans est de eo, quod agitur, quod vtique fieret, si sciretur: Vt quando quis volens occidere feram, occidit inimicum: quod quidem factum est ex ignorantia, sed adhuc fieret, & occideretur inimicus, si sciretur. Ignorantia Consequens dicitur illa, quæ est volita actu voluntatis

tis directè, vel indirectè. Directè, quãdo vult aliquid ignorare, vt excusationem peccati habeat, vel vt non retrahatur à peccato iuxta illud Iob 21. *Scientiam viarum viarum nolumus.* Indirectè, quando quis potest, & debet scire aliquid, & non curat scire: Vel potest, & debet considerare, & non considerat, quæ etiam dicitur ignorantia malæ electionis. Ignorantia Antecedens est, quæ omninò antecedit actum voluntatis, & est causa volendi aliquid, quod aliàs si sciretur, non vellet. His præmissis.

634 Respõdet primò D. Th. Ignorantia cõcomitans non facit inuolũtarium: Sed facit non voluntarium. Primam partem probat ex Philosopho 3. Eth. cap. 1. Quia non causat aliquid, quod sit repugnans voluntati. Secundam partem probat; Quia non potest esse actu volitum quod ignoratũ est.

635 Respondet secundò: Ignorantia Consequens non causat inuoluntarium simpliciter: causat autem aliquando inuolũtarium secundũ quid. Prima pars probatur; Quia est simpliciter uolita. Secunda pars; Quia præcedit aliquando motum uoluntatis ad aliquid agendum, qui non esset scientia præsente.

636 Respondet tertiò. Ignorantia Antecedens causat inuoluntarium simpliciter. Probat; Quia est inuoluntaria simpliciter, & causa volendi aliquid, quod nullo modo uellet.

LECTIO I.

Quid sit ignorantia, & quotuplex sit?

637 DE ignorantia triplex esse potest consideratio. Prima vt est quoddam speciale peccatũ: Secunda, vt est circumstantia plurium peccatorum, & constituit quemdam modum peccandi distinctum à modo peccandi, & malitia, vel concupiscentia: Tertia, vt causat voluntarium, vel inuoluntarium. De prima agemus Deo dante in materia de fide, vel fortasse inf. q. 76. De secunda inf. q. 76. in materia de peccatis. De tertia breuiter hìc, & ea maiori claritate, qua possumus, cum sit fundamentum aliarum.

Animaduersio.

638 Respondeo primò: Ignorantia est priuatio, vel carentia scientiæ in subiecto apto, vt quando alicui deest scientia eorum, quæ aptus est, & potest scire. Differt enim ex D. Tho. inf. q. 76. a. 7. à nescientia, quia nescientia est simplex negatio scientiæ eorũ, quæ non potuit, vel debuit scire. Et iuxta hunc modum posuit D. Dionys. cap. 7. de Cælesti Hierarch. in Angelis nescientiam. 1. Concl. S. Th. S. Dion.

639 Respondeo secundò. Prima, & principalis diuisio ignorantiæ est illa, quam tradit D. Tho. in hoc art. quod scilicet alia sit ignorantia antecedens; Alia comitans: Alia consequens. Ignorantia antecedens est carentia scientiæ, quæ si adesset nullo modo poneretur actus: Vt si quis volens accidere feram latentem occideret Petrum; Dicitur autem antecedẽs, quia antecedit actum voluntatis, & nullo modo est voluntaria. Ignorantia comitans est carentia scientię, quę si adesset adhuc voluntas vellet effectum secutum cum tali ignorantia: Vt quando quis volens occidere feram occidit inimicum; Dicitur autem comitans, quia neque antecedit, neque consequitur actum voluntatis, sed illum comitatur. Ignorantia consequẽs est carentia scientiæ, qua quis carere vult directè, vel indirectè: Vt dũ quis vult nescire aliquam legem, vt liberiùs peccet; Dicitur autem consequẽs, quia consequitur ad actum voluntatis, & est voluntaria. 2. Concl.

640 Hinc adducitur ratio sufficientiæ huius diuisionis. Quia ignorantia sumitur in ordine ad actum voluntatis; non verò vt quidam voluerunt per ordinem ad effectum volũtatis, alioquin etiã ignorantia consequens esset antecedens: Sed tripliciter potest respici Ratio cõclus.

ſpici actus voluntatis: Antecedenter: Comitanter; & Conſequenter: Ergo triplex eſt ignorantia, &c.

1. Animaduerſio pro hac ſecũda cõcluſ.

641 Eſt autem notandum primò, quod ignorantia antecedens conuenit in aliquo cum ignorantia conſequenti, & in aliquo differt. Conuenit in hoc quod vtraque ſit cauſa actus ignoranter geſti per modum cauſæ remouentis prohibens, ſcilicet, quia vtraque remouet cognitionem, quæ ſi adeſſet prohiberet actum voluntatis. Differt autem, quod conſequens ſit cauſa peccati formalis; vtpotè, quæ non excuſat à culpa: Antecedens verò ſit ſolum cauſa peccati materialis; quia ſcilicet ille actus, qui ex ſe peccatum erat, ratione ignorantiæ antecedentis excuſatur à formali actus malitia.

2. Animaduerſio.

642 Secundò notandum eſt, quod ignorantia conſequens quamuis ſequatur ad actum voluntatis, quo eſt volita; nihilominùs antecedit alium actum, quo quis peccat; Exempli gratia, negligit quis ſcire culpabiliter hodie eſſe feriam ſextam, iſta ignorãtia conſequitur iſtum actum; ſi poſteà comedit carnes antecedit hunc actum voluntatis, quo vult comeſtionem carnis.

3. Animaduerſio.

643 Notandum eſt tertiò, quod quod hæc diuiſio trimembris poteſt explicari adæquatè per hanc diuiſionem bimembrem; ſcilicet, quod alia ignorantia eſt cauſa actus: & alia non eſt cauſa actus. Ignorantia, quæ eſt cauſa actus, dicitur illa, quę tollit ſciẽtiam, quæ ſi adeſſet impediuiſſet actũ illum: Et hæc ignorantia claudit ſub ſe ignorantiam antecedentem, & conſequentem, quæ ſunt cauſa actus modo ſupra explicato. Ignorantia, quæ non eſt cauſa actus, dicitur illa, quæ non remouet cognitionem, quæ actũ impediuiſſet; Nam homo fuiſſet facturus illud, quod ignorauit, etiam ſi non ignoraſſet, vt patet de occidente inimicum credens occidere feram, & hæc ignorantia claudit ſub ſe ignorãtiam comitantem. Et hinc intelligitur Ariſt. 3. Eth. cap. 1. dicens diuersũ eſſe aliquid fieri ex ignorãtia, & ignoranter, ſiue cum ignorantia: Nam id, quod fit ex ignorantia cauſatur ab ignorantia: id verò, quod fit cũ ignorantia non cauſatur ab ignorantia.

Ariſt.

644 Vltimò notandum eſt, quod ignorantia antecedens dicitur inuincibilis: inculpabilis: probabilis: iuſta: & inuoluntaria. Dicitur inuincibilis, quia ignorans eam vincere, & ſuperare non poteſt, aut non debet. Dicitur inculpabilis: iuſta: & probabilis; quia bona fide, & ſine vlla culpa contracta eſt. Dicitur etiam inuoluntaria, quia vt ſupra dictum eſt, eſt contra voluntatem. Ignorantia autem conſequens dicitur è contra vincibilis: culpabilis: iniuſta: improbabilis: & voluntaria. Dicitur vincibilis, quia vinci potuit, & debuit. Dicitur culpabilis, &c. quia culpa, & mala fide contracta eſt. Dicitur voluntaria; quia eſt volita directè, vel indirectè: Si directè, dicitur ignorantia affectata: Si indirectè (quia noluit quis adhibere debitam diligentiam ad ſciendum id, quod teneatur ſcire) dicitur ſupina, & craſſa ſumpta denominatione ab hominibus craſſis, vel pinguibus, & ſupinis, qui iacentes in lecto nihil curant, & in eo torpeſcunt.

2. Animaduerſio.

645 Eſt autem quæſtio inter DD. An omnis ignorantia vincibilis, ſiue voluntaria indirectè ſit craſſa, & ſupina.

Dubiũ incidens.

646 Aliqui tenent partem affirmatiuam. Aliqui verò negatiuam dicentes, quod illa propriè dicitur craſſa, & ſupina, in qua eſt ſumma negligentia: Illa verò, in qua adhibetur aliqua leuis diligentia dicitur tantum mortaliter vincibilis. Hæc eſt probabilior ſententia. De qua inf. q. 76.

Reſolutio dubij.

647 Rurſus ſunt aliæ diuiſiones ignorantiæ. Prima ſumitur ex parte ſcientiæ, cuius eſt priuatio. Alia enim dicitur ignorantia prauæ diſpoſitionis, quæ error appellatur, cum quis non ſolum ignorat aliquid, ſed habet errorem oppoſitum: Alia dicitur ignorantia puræ priuationis, quæ non eſt cum errore aliquo poſitiuo,

Aliæ diuiſiones ignorantiæ.

ſed

sed est sola priuatio scientiæ, quam quis aptus est habere.

2. Diuisio ignorantiæ.

648 Secũda diuisio sumitur ex parte obiecti, seu materię, qua ignoratur, & sic diuiditur in ignorantiam iuris: & facti. Ignorantia iuris est, quando ignoratur lex, aut præceptum superioris prohibentis, vel præcipientis aliquid. Ignorantia facti est quando ignoratur res ipsa prohibita, vel præcepta, siue quando ignoratur factum ipsum, an sit contra legem. Exempli gratia. Si quis ignorat esse legem prohibẽtem percussionem clerici sub excommunicatione dicitur habere ignorantiam iuris: Si verò ignorat hunc esse clericum, quem percutit, dicitur habere ignorantiam facti.

Quid sit ignorantias iuris, & facti.

3. Diuisio.

649 Tertia diuisio sumitur ex parte ipsius ignorantiæ, siue iuris sit, siue facti. Et hæc est principalis diuisio ignorantiæ in ignorantiam antecedens consequentem, & comitantem quam supra tradidimus ex D. Thoma. Ita communiter Theologi hìc, & inf. q. 76. & alibi.

Quæ sit ignorãtia antecedẽs cõsequẽs, & cõcomitans.

LECTIO II.

Vtrum ignorantia causet inuoluntarium?

1. Concl.

650 AD hanc difficultatem præsuppositæ diuisione ignorantiæ in præcedẽti lectione tradita respondeo primò: Ignorantia antecedens, siue inuincibilis, quæ etiam dicitur causa actus, facit inuoluntarium simpliciter. Ita D. Tho. hìc, & communiter Theologi.

Ratio cõclusionis.

651 Probatur: Quia actus, qui fit ex hac ignorantia, neque directè, neq; indirectè est volitus, imo est contra impetum saltem habitualem ipsius voluntatis: Ergo &c. Probatur antecedens, quia operans est ita dispositus saltem habitualiter, vt si sciret non occideret, exempli gratia, hominem, quem occidit existimans illum esse feram.

1. Obiectio.

652 Contra hanc responsionem est prima obiectio: Quia hæc ignorãtia est causa actus voluntatis: Ergo potius dicendum est causare voluntarium, quam inuoluntarium.

Responsio.

653 Respondetur breuiter, quod hæc ignorantia dicitur causa actus ex eo, quod remouet scientiam, quæ impediret ipsum, non verò, quia influit in ipsum. Ex hac radice oritur potiùs, quod sit causa inuoluntarij, vt dictum est, quia est causa per accidens eius actus, qui absolutè est contra ipsam inclinationem habitualem ipsius voluntatis, quæ sic erat dispositа vt nunquam exiret in talem actum, si cognouisset malitiam eius; imò est contra affectum præsentem voluntatis, non actualem, sed interpretatiuum.

2. Obiectio.

654 Secunda obiectio est. Quia inuoluntarium est illud, quod repugnat appetitui positiuè: Sed ignorantia antecedens non potest causare aliquid positiuum, quod repugnet appetitui positiuo: Nam est priuatio, quæ non potest habere affectum positiuũ: Ergo nullo modo causat inuoluntarium.

Respõsio.

655 Respondetur breuiter, quod ignorantia quamuis sit priuatio, causat nihilominùs effectum positiuum scilicet actum repugnantem inclinationi interpretatiuę voluntatis per accidens, hoc est remouendo scientiam, quæ illum auferret. Neque mirum, cũ priuationes possint esse causa per accidens effectus positiui, sicut cæcitas est causa lapsus.

2. Concl.

656 Respondeo secundò: Ignorãtia concomitans non facit neq; volũtarium, neque inuoluntarium, sed non voluntarium. Ita D. Th. hìc, & communiter Theologi.

Explicatur Cõcl.

657 Vt autem intelligatur faciliùs conclusio explicandi sunt eius termini. Est autem hęc differentia inter voluntarium: inuoluntarium; & non voluntarium: quod volũtarium sit illud, quod positiuè est à voluntate addita cognitione, vt sepiùs dictum est; Inuoluntarium, quod est positiuè contra affectum voluntatis; Non voluntariũ,

Digitized by Google

quod dicit, solam negationem voluntarij.

658 Explicatis iam terminis probatur prima pars nostræ respõsionis, scilicet, quod ignorantia non faciat voluntarium. Quia vel faceret voluntarium *directè*, vel *indirectè*: non *directè*, quia quod ignoratum est non potest esse volitum in se; neque *indirectè*; quia alioquin non esset concomitans, sed consequens.

Probat. 1. pars conclus.

659 Probatur quoad secundã partem, quod scilicet non faciat inuoluntarium. Quia inuoluntarium est id, quod est contra affectum voluntatis: Sed id, quod fit ex ignorantia concomitãte, non est contra affectum ipsius voluntatis: Ergo &c.

Probat. 2. pars.

660 Et his iam remanet probata tertia pars responsionis, quod scilicet faciat non voluntarium; Quia inter voluntarium, & inuoluntarium datur non voluntarium, scilicet volũtarium negatiuè, Præterea; quia ignorantia cõcomitans neque ponit actũ positiuum voluntatis, cum sit simul cum eo; neque ponit aliquem actum, qui displiceat illi saltem habitualiter: Vnde posset dici, quod id, quod fit ex ignorantia concomitanti sit voluntarium habituale, quatenus non displicet illi, sed potiùs placet.

Probat. 3. pars.

3. Concl.

661 Respondeo tertiò: Ignorantia consequens facit voluntarium simpliciter, & inuoluntarium secundum quid.

662 Probatur prima pars; Quia ipsa vel erit voluntaria *directè*, vel *indirectè*: Ergo id, quod sequitur ex ea, erit etiam voluntarium *directè*, vel *indirectè*.

Probat. 1. pars.

663 Secunda pars probatur; Quia id, quod fit ex tali ignorantia, est cõtra impetum habitualem voluntatis, quia si quis sciuisset non fecisset. Et hæc de voluntario, & inuoluntario.

Probat. 2. pars.

664 Hic tandem aduertẽdum est, quod totum id, quod dictum est de inuoluntario ex ignorantia, intelligẽdum est seruata proportione de inaduertentia, & obliuione. Est autem solum hæc differentia inter ignorãtiam, & inaduertentiam, siue obliuionem: quod ignorantia dicat habitum; inaduertentia, inconsideratio, uel obliuio actum. Vnde inconsideratio solet dici ignorantia actualis.

Animaduersio de inaduertentia, inconsiderat. & obliuione.

665 Præterea faciliùs potest esse inuincibilis inconsideratio, uel inaduertentia, quam ignorantia; Quia non ostam facilè illam præuenire, nec potest quis, uel tenetur semper uti extraordinarijs medijs ad illam uitandam: Hæc autem facilè potest præueniri, quia semel acquisita scientia uiuat toto uitæ cursu.



QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO VII. D. TH.

De circumstantijs humanorum actuum in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum circumstantia sit accidens actus humani?

1 RESponsio D. Th. est, quod circumstantia sit accidens actus humani. Ratio est; Quia circumstantiæ actuum humanorũ sunt extra substantiam actus, & attingunt ipsum actum; Sed quod est extra substantiam rei, & attingit rem, ipsam est accidens eius: Ergo &c. Maiorem, in qua nititur totus discursus, probat D. Th. sumpta denominatione à rebus, quæ sunt in loco. Illa enim propriè dicuntur circumstare alicui rei, quæ sunt extra rem, attingunt tamen ipsam rem, vel appropinquant ei secundum locum.

ARTICVLVS II.

Vtrum circumstantiæ humanorum actuum sint considerandæ a Theologo?

2 RESpondet S. Th. affirmatiuè tribus rationibus. Prima; Quia actus humani ordinantur ad beatitudinem secundum commẽsurationem per debitas circumstantias; Sed pertinet ad Theologum cõsiderare actus humanos, vt ordinantur ad beatitudinem. Secunda; Quia secundum circumstantias est in actibus diuersitas bonitatis, vel malitia: Sed Theologi moralis est considerare actus secundum bonitatem, & malitiam. Tertia; Quia actus humanus iudicatur volũtarius, vel inuoluntarius secundum notitiam, vel ignorantiam circumstantiarum, & per consequens an sit meritorius: Sed pertinet ad Theologum considerare actus humanos secundum quod sunt meritorij, vel demeritorij.

ARTICVLVS III.

Vtrum conuenienter enumerentur circumstantiæ in tertio Ethicorum?

3 RESpondet D. Tho. ex Tullio 1. Rethor. & Arist. 3. Eth. quod octo sunt circumstantiæ actuum humanorũ, quæ hoc versu cõmonentur: *Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando*: Nã sub circumstantia *quid*, comprehenditur circumstantia *circa quid*; & reddit optimam rationẽ. Quia circumstantia est illa, quæ attingit actum: Sed tripliciter attingit ipsum: Vno modo ex parte causæ; & si ex parte causæ efficientis principalis habetur circumstantia *quis*; si ex parte causæ instrumentalis habetur cir-

circumstantia, *quibus auxilijs*. Si ex parte causæ materialis, siue obiecti habetur circumstantia *circa quid*. Si ex parte causę finalis habetur circumstantia *propter quid*: Alio modo attingit ipsum actum ex parte ipsius actus, & hoc vel per modum mensuræ: vel per modum qualitatis actus. Si per modum mensuræ habetur circumstãtia, temporis, & loci, scilicet *vbi*, & *quando*. Si per modũ qualitatis actus habetur circumstantia *quomodo*: Tertio modo attingit actum ex parte ipsius effectus, & sic habetur circumstantia *quid*. Remanet ergo ex hoc erudito discursu sint octo circumstãtiæ humanorum actuum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum sint principales circumstantiæ propter quid, *& ea, in quibus est operatio.*

4 REspondet D. Tho. quod principalissima omnium circũstantiarum est illa, quæ attingit actum ex parte finis, scilicet *cuius gratia*, vel *propter quid*; Secundaria verò, quæ attingit ipsam substãtiam actus ideſt: *Quid fecit*: Aliæ verò sunt magis, & minus principales, secundum quod magis, vel minus appropinquant ad istas. Ratio est; Quia actus humani dicuntur humani, quatenus sunt voluntarij: Sed voluntatis obiectum præcipuum, & motiuum est finis: Ergo &c.

LECTIO I.

Quid sit circumstantia, & quot sint, & in quotuplici differentia?

5 REspondeo primò breuiter: Circumstantia est accidens actus humani. Dicitur *accidens* loco generis, & quia est extra substãtiam actus. Dicitur *actus humani* loco differentiæ, nam sunt aliquæ circumstantiæ, quę non sunt accidentia actus humani in esse moris, sed in esse physico. Colligitur hæc differentia ex D. Tho. in art. 1. huius quæstionis, quæ magis patebit in seq. lectione. 1. Concl. S.Th.

6 Respondeo secundò: Communiter numerantur septem circumstantiæ, quæ comprehenduntur hoc versu. *Quis: Quid: Vbi: Quibus auxilijs: Cur: Quomodo: Quando.* 2. Concl.

7 Per circumstantiam *Quis* intelligitur status, vel qualitas, vel conditio personæ vt si Princeps, seruus, Sacerdos, laicus, voto astrictus, &c. Per circumstantiam *Quid* intelligitur quantitas, vel conditio obiecti, vel effectus, siue materiæ, aut personæ, circa quam quis operatur, vt si quis furatus sit rem in maiori, vel minori quantitate, vel copulam habuit cum affine, cum coniugata &c. Explicatur cõcl.

8 Per circumstantiam *Vbi* intelligitur locus, vt si opus factum fuit in loco sacro, vel non sacro, in publicõ, vel in occulto. Per circũstantiã *Quibus auxilijs* intelliguntur media, siue animata, siue inanimata, quibus alijs vtitur ad patrandum opus: vel cooperatio, siue consortium, siue societas alterius personæ; vt si quis ad solicitandam aliquam fœminam vtitur mediatore.

9 Per circumstantiam *Cur* intelligitur causa finalis non intrinseca ipsius operis, sed extrinseca: Vt si quis furetur, vt fornicetur; finis intrinsecus huius operis est, quod auferatur res aliena; fornicatio est finis extrinsecus oppo-

Digitized by Google

appositus ab ipso operante, & hic finis intelligitur per circumstantiam *Cur*. Per particulam *Quomodo* intelligitur modus actus moralis, vt si fuit magis, aut minus intensus; magis, vel minus voluntarius; cum maiori, vel minori cognitione; si fuit per vim, vel absque vi, vt patet in eo, qui aufert rem alienam: Si enim aufert illam absque vi, Domino nesciente, est furtum: si aufert per vim, ipso vidente, dicitur rapina.

10 Per circumstãtiam *Quando* intelligitur tempus, si fuit sacrum, vel non sacrum, vt Quadragesimæ, vel Aduentus, vel Bacchannalium, vel ante, vel post prandium. Istis circumstantijs addit aliam D. Tho. ex Arist. scilicet *Circa quid*; sed hæc comprehenditur sub circumstantia *Quid*, vt ipsemet fatetur in art. 3.

11 Ratio autem sufficientiæ huius diuisionis, siue potiùs numeri harum circumstantiarum est optima, quam tradidit D. Tho. in hoc art. 3. citato. Quia circumstantia debet aliquo modo attingere actum moralem: Ergo vel attingit illum ex parte causæ; vel effectus; vel secundum se. Si attingit ex parte causæ, & tunc, vel finalis; vel efficientis principalis; vel instrumentalis. Si ex parte causæ finalis habemus circumstantiam *Cur*. Si ex parte causæ efficientis principalis habemus circumstantiam *Quis*. Si ex parte causæ instrumentalis habemus circumstantiam *Quibus auxilijs*. Si verò attingit illum ex parte effectus habemus circumstantiam *Quid*, sub qua aliqui intelligunt materiam non essẽtialẽ, sed accidẽtalem. Si secũdum se, & tũc vel intrinsecè, vel extrinsecè. Si intrinsecè tanquam qualitas habetur circũstãtia *Quomodo*. Si extrinsecè habetur circumstantia *Vbi*, & *Quando*.

Ratio 2. concluſ.

12 Contra hunc numerum circũstantiarum videntur esse aliqui Theologi, vt Bonau. in 4. dist. 16. dub. 9. & alij, qui plures circumstantias numerant. Sẽd dicendum, quod omnes ad istas possunt reduci, vel propriè, & in rigore circumstantiæ non sunt.

Sententia oppoſita D. Bonau.

13 Obijcitur vlterius: Quod circumstãtia *Quoties*, siue numerus peccatorum, vel actuum bonorum est specialis circumstantia: Ergo sunt plures quam septem.

Obiectio.

14 Respondetur, quod circumstãtia *Quoties* in rigore non est circumstantia; Nam circumstantia est conditio, vel accidens vnius actus humani in singulari: numerus autem non reperitur in vno actu, sed in pluribus. Est quidem in confessione exprimendus numerus peccatorum, sed non tanquam circumstantia, sed tanquam aliquod requisitum ad manifestationem status pœnitentis.

Reſpõſio.

15 Respondeo tertiò (omissis alijs diuisionibus inutilibus.) Circumstantiæ aliæ sunt mutantes speciem: Aliæ non mutantes speciem. Circumstantiæ mutantes speciem sunt illæ, quæ transferunt actum extra propriã speciem: Vt quando furtum contingit in loco sacro, circumstantia loci sacri transfert speciem furti ad sacrilegium. Circumstantiæ non mutantes speciem sunt illæ, quæ non trahunt actum extra speciem; vt dùm quis furatur in parua, vel magna quantitate; parua, vel magna quantitas non trahit furtum extra speciem furti, sed auget, vel minuit ipsum intra propriã speciem. Vnde alij distinxerunt circumstantias non mutantes speciem in notabiliter aggrauantes, & notabiliter minuentes; Quæ quidem diuisio est subdiuisio circumstantiæ non mutantis speciem.

3. Concl.

16 Ad dignoscendũ autem, quando circumstantia mutet speciem est optima regula, quam tradit Montes. hoc loco: Quod scilicet tunc mutat speciem, quando est contra virtutem distinctam ab ea, cui contrariatur actus: vel est iuxta regulã alterius virtutis distinctæ ab ea, cui est conformis actus. Exempli gratia, in actibus malis tunc dicitur circumstantia mutans speciem, quando vni virtuti opponitur actus, & alteri circumstantia ipsa; vt patet in furto in loco sacro: Furtum enim est contrarium virtuti iustitiæ;

Animaduerſio ex Monteſ.

Digitized by Google

tiæ; circumstantia loci sacri est contra virtutem religionis. In actibus bonis hæc circumstantia mutat speciem, quando actus est conformis vni virtuti, & circumstantia alteri, vt largitio eleemosynæ ad satisfaciendum pro peccatis: eleemosyna est conformis charitati; circumstantia *Cur*, seu finis adiuncti est conformi pœnitentiæ. Et hæc de diuisione circumstantiarum. Solum aduertendum est, quod circũstantiæ ab auctoribus quandoq; appellantur conditiones; quandoq; accidentia; quandoque attributa, vt à Rectoribus; quandoque singula, vel singularia, vt ab Aristotile.

Animaduersio.

17 Alia regula optima potest tradi ad cognoscendum circumstantiam mutantem speciem. Quod scilicet hũc mutet speciem quando habet aliquã difformitatem, vel conformitatem adæquatam ad regulam rationis distinctam ab illa, quam habet actus.

Alia regula ad cognitionem circumstantiæ mutãtis speciẽ.

LECTIO II.

Vtrum circumstantiæ dicantur accidentia actus humani in esse physico, an in esse morali?

18 SVppono primò, quod circumstantiæ sunt accidentia actus humani: Nam sicut circumstantiæ dicuntur esse extra substantiam rei existentis in loco, cui appropinquant, & illum aliquo modo attingunt: ita accidentia dicuntur esse extra substãtiam, cuius sunt accidentia, & illum aliquo modo attingunt.

Suppositio 1.

19 Suppono secundò, quod actus humanus potest considerari in esse naturæ, & in esse moris: Nam potest esse distinctum obiectum in esse moris, & in esse naturæ. Exempli gratia; accessus ad suam vxorem, & non suã, in esse physico est eiusdem speciei: in esse moris est diuersæ speciei. Similiter incipere comestionem carnium à tempore licito vsque ad tempus illicitum; hoc est à cena feriæ quintæ vsque ad principium feriæ sextæ sequentis in esse physico est eiusdem speciei; in esse moris est diuersæ speciei: quia feria quinta est licitus, & feria sexta est illicitus.

Suppositio 2.

20 Suppono tertiò: Certum esse ad substantiam actus moralis necessarias esse aliquas causas, & per se pertinere ad illum, quæ possunt ad quatuor genera causarum reuocari: Prima causa est efficiens, sub qua comprehenditur ipsum operans, & quidquid est necessarium ex parte illius ad operationem moralem, vt est voluntas, & intellectus: Secunda est causa finalis; quæ potest esse intrinseca ipsi obiecto, seu materiæ, circa quã actus versatur, vt in materia eleemosynæ ipsa honestas misericordiæ; vel extrinseca, qualis erit in dicto exemplo honestas pœnitentiæ, si eleemosyna fiat ad satisfaciendum Deo pro peccatis: Tertia est causa veluti materialis, quæ non est propriè subiectum, nam de hoc nulla est consideratio in præsenti: Sed illa materia, circa quam versatur actus, vt quod sit circa hunc cibum, vel alterum, &c. Quæ causa materialis reducitur ad obiectum materiale: Quarta causa est formalis, quæ si est extrinseca coincidit cum obiecto ipsius actus; si intrinseca non est distincta à substantia ipsius actus, sed est idemmet actus.

Suppositio 3.

21 His notatis respondeo primò: Si circumstantiæ actus humani sumãtur pro causis secundum se requisitis ad ipsum in esse moris non sunt ei accidentales, sed potiùs essentiales.

1. Concl.

22 Ratio est; Quia vt sic pertinent ad substantiam ipsius actus: Ergo non sunt ei accidentales, siue accidentia.

Ratio.

23 Hinc infertur, quod quando loquimur de circumstantia, *Quis*, non intelligitur ipse operans, seu principium proximum ipsius actus humani, scilicet voluntas, & intellectus, sed dignitas, vel conditio, vel status personæ. Similiter quando loquimur de circumstantia, *Cur*, non intelligitur finis operis, sed finis operantis; & sic de alijs.

Corollarium.

24 Re-

Digitized by Google

24 Respondeo secundò. Si circũ-
2. Concl. stantiæ sumantur vt sunt extra sub-
stantiam actus moralis in esse moris,
& aliquo modo illum afficiunt, sic sũt
eius accidentia.

25 Ratio est; Quia accidentia sunt
Ratio. extra substantiam rei, cuius sunt acci-
dentia: Ergo circumstantiæ etiam di-
cenda sunt accidentia actus humani
in esse moris propter eandem ratio-
nem.

26 Sed aduertendum, quod circũ-
Animad- stantiæ non dicuntur in toto rigore
uersio. accidentia actus humanis in esse mo-
ris, sicut accidentia in esse phisico di-
cuntur accidentia substantiæ, sed so-
lum per aliquam proportionem; nam
non informant actum humanum, si-
cut accidentia physica informant
substantiam.

27 Respondeo tertiò. Siue circũ-
3. Concl. stantiæ per se sint requisitæ, siue acci-
dentaliter adueniant actui humano
in esse moris, semper sunt accidentia
ipsius in esse physico.

28 Ratio est; Quia esse moris ad-
Ratio. uenit esse physico. Et confirmatur,
quia occisioni hominis in esse physico
aduenit omnino, quod fiat ad tuen-
dum honorem, vel ad prædandum,
& quod fiat in campo, vel in eccle-
sia.

29 Hinc iam colligitur esse veram Corolla-
sententiam Durandi in 4. dist. 16. q. 3. rium.
§. *ad argumenta* dicentis conditio-
nes, siue circumstantias esse extrinse-
cas actui in esse naturæ, & intrinsecas
in esse moris. Hæc enim sententia ve-
ra est, si loquendo de actu in esse mo-
ris vocet circumstantias intrinsecas
ei, quæ per se requiruntur ad ipsum:
Non vero eas, quæ requiruntur per
accidens. Sed non est immorandum
in referendis aliorum sententijs cum
ex dictis possint facilè conciliari, vel
refelli eorum argumenta, si quæ ha-
beant contra nos.

30 Vna difficultas supereresset hìc
Difficul- disputanda: An circumstantiæ perti-
tas acci- neant ad indiuiduationem actus hu-
dens re- soluitur. mani. Sed respondetur non pertinere
ad indiuiduationem intrinsecã ipsius,
aliàs non essent accidentia, sed sunt
quasi signa, quibus à posteriori co-
gnoscitur eius indiuiduatio: quemad-
dum accidentia physica sunt signa
extrinseca indiuiduationis substantiæ:



Digitized by Google

QVAESTIO VIII. D.TH.

De voluntate, quorum sit vt volitorum, in tres articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum voluntas sit tantum boni?

1 PRima responsio Diui Thomę est: quod voluntas sit tantum boni. Ratio Diui Thomæ est. Quia voluntas est appetitus quidam rationalis: Sed omnis appetitus non est, nisi boni: Ergo &c. Probatur minor; Quia appetitus nil aliud est, quam inclinatio appetētis in aliquid: Sed nihil inclinatur, nisi in aliquid simile, & conueniens: Ergo in bonum, quia quod est simile, & cōueniens alicui, est bonum.

2 Prætereà confirmatur hęc probatio; Quia omnis res in quantum ens, & substantia est quoddam bonū: Ergo omnis inclinatio est in bonum. Hinc dixit Philosophus 1. Eth. quod *bonum est, quod omnia appetunt.*

3 Secunda responsio. Ad hoc vt voluntas in aliquod tendat, non requiritur, quod sit bonum in rei veritate, sed quod apprehendatur in ratione boni. Ratio est; Quia appetitus rationalis sequitur formam apprehēsam, quæ potest esse bonum verum, vel apparens. Probatur hoc antecedens; Quia omnis inclinatio sequitur ad aliquam formam; Vnde appetitus naturalis sequitur ad formam in re existentem; appetitus sensitiuus ad formam apprehensam cognitione sēsitiua: Ergo &c. Hinc dixit Philosophus 2. Physic. quod *finis est bonum, vel apparens bonum.*

LECTIO VNICA.

Vtrum voluntas versetur tantum circa bonum?

4 NOtandum est, quod duo sunt genera actuum voluntatis: Vnum eorum, qui consistūt in prosecutione boni; vt amor, desiderium, & gaudium: Alterum eorum, qui consistunt in fuga mali, vt odium, timor, & tristitia. Sensus ergo difficultatis est: An voluntas actu prosecutionis possit velle malum; Vel è contra: An actu fugę possit odisse bonum? Animaduersio.

5 Respōdeo primò breuiter. Voluntas actu prosecutionis non potest velle nisi bonum; Siue ratio prosequendi aliquod obiectum non potest esse, nisi ratio boni in eo apprehensa. Ita Arist. 1. Eth. cap. 1. & D. Th. hìc, & communiter interpretes cum ipso. 1. Concl. Arist. D. Th.

6 Probatur primò ex Isai. 5. num. 20. ibi. *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum:* Vbi ostenditur impios velle malum sub ratione boni.

7 Probatur secūdò ex ipso Arist. loc. cit. vbi ait: *Bonum est, quod omnia appetunt.* Probat. 2. ex Arist.

8 Item ex Diuo Dionysio de Diuinis nominibus cap. 4. dicente: *Nemo proposito sibi malo facit id, quod facit.* Vnde sumpserunt commune axioma Theologi: *Nemo intendens ad malum operatur.* 3. Probat. ex D. Dionys.

9 Item ex D. Aug. in Enchirid. cap. 10. & lib. 13. de Trin. cap. 3. & pluribus alijs locis, vbi ait: *Omnes beati esse volumus, miseri esse nolumus,* 4. Probat. ex S. Aug.

sed

Digitized by Google

sed neque possumus velle esse miseri.

10 Probatur deinde ratione D. Th. Quia voluntas est appetitus, & inclinatio quædam: Sed omnis inclinatio respicit bonum actu prosecutionis, nam respicit id, quod est sibi conueniens: Ergo.

Ratio D.Th.

11 Probatur deinde experientia: Nam vnusquisque experitur in se, quod non vult miseriam, sed quidquid vult, vult sub ratione boni.

Confirm.

12 Respondeo secundò. Actu fugæ, vel auersionis non potest odisse bonum. Hæc responsio est clara ex præcedenti; Quia si voluntas inclinatur ad bonum: Ergo auertitur, & fugit malum.

2. Concl. & Ratio.

13 Contra hanc sententiam fuerunt Nominales, qui dixerunt voluntatē actu prosecutionis velle malum sub ratione mali.

1. Sententia opposita Nomin.

14 Primum argumentum eorum est; Quia potest aliquis alterum odio habere: Ergo potest illi velle expressè malum, ut malum est. Respondetur, quod non potest velle illi malum, nisi quatenus bonum sibi.

1. Argum. & responsio.

15 Secundum argumentum; Quia qui peccat ex malitia, scit se malum agere: Ergo. Respondetur, quod uult illud malum, quod quis prosequitur peccādo propter aliquam vtilitatem, vel delectationem, quæ illi annexa est.

2. Argum. & responsio.

16 Tertium argumentum. Quia potest quis ad experiendam suam libertatem respuere bonum, quod illi proponitur. Respondetur, quod illud experimentum suæ libertatis habet rationem boni.

3. Argum. & responsio.

17 Quartum argumentum, quia potest quis appetere id, ad quod inclinatur ab habitu vitioso. Respōdeo, quod habitus uitiosi inclināt ad malum sub ratione boni apparentis.

4. Argum. & responsio.

18 Quintum argumentum. Quia multi appetunt non uiuere, sicut desperati, & miseri, & alij non esse, sicut damnati.

19 Respondetur quod hi appetūt non esse, & non uiuere, ut careant miseria: Secundum quam rationem non esse, & nō uiuere habēt rationem bonis. Ita D. Th. p. 1. q. 5. a. 2. ad 3.

Respōsio.

20 Contra nostram sententiam uidetur esse aliquo modo Aluarez super hunc art., qui ut statuat suam sententiam supponit primò, quod duplex est obiectum alicuius potentiæ motiuum: & terminatiuum, siue in aliquo obiecto duplex ratio inuenitur: Vna motiua: Altera terminatiua. Et quod motiua dicitur illa, quæ adæquat potentiam, & confert illi speciem: terminatiua uerò, quæ attingitur ab ipsa potentia: Quo posito dicit, quod ratio motiua uolitionis sit ratio boni: Ratio uero terminatiua potest esse ratio mali, siue malum ipsum.

2. Sentēt. opposita Aluarez.

21 Hæc sententia si pro ratione terminatiua intelligat rationem quādam materialem comparatam ad rationem boni, uera est. Quia quando quis appetit malum sibi, ut malū mortis ad uitandum maiorem miseriam, talis appetitus terminatur materialiter ad malum, sicut uisio materialiter ad subiectum coloris.

22 Si uero pro ratione terminatiua intelligat aliquam rationem formalem, quatenus comparatam ad rationem motiuam, falsa est meo uideri; Quia finis est obiectum formale uoluntatis terminatiuum, & motiuum: Ergo & bonum; quia bonum, & finis conuertūtur, ut supra diximus, & ipsemet Aluarez tenet. Antecedens probatur ex D. Th. sup. q. 1. a. 3. ubi clarè docet, quod finis habet rationem motiui, & terminatiui; Et quod actus humanus ut actio specificetur à fine tanquam à principio; ut passio à fine tanquam à termino.

Reijcitur.

D.Th.

23 Vna potest esse obiectiuncula in fauorem Aluarez; Quia dum aliquis uult malum inimico suo, respicit illud ut malum, quatenus est bonum sibi: Ergo talis uolitio terminatur ad malum, quatenus malum.

Obiectio pro hac sententia.

24 Respondetur, quod si attentè consideremus, ratio boni proprij, & commodi proprij est illa, quæ terminat nostra uolitionem in malo inimici; Nam etsi malum inimici consideratum

Enodatio.

ratum absq; respectu ad bonum proprium possit dici formaliter terminare nostram volitionem, nihilominus posito tali respectu, semper materialiter se habet. Quia id, quod quærimus in illo est idem bonum nostrum, quod nos mouet ad odium ipsius.

ARTICVLVS II.

Vtrum voluntas sit tantum finis: an etiam eorum, quæ sunt ad finem?

25 PRæmittit D. Th. in hoc art. quod voluntas quandoq; dicitur ipsa potentia, qua volumus: quandoq; autem ipse voluntatis actus. Hoc posito.

26 Respondet primò: Si loquamur de voluntate secundũ quod nominat potentiam, sic se extendit, & ad finem, & ad ea, quæ sunt ad finem. Ratio est; Quia ad ea se extendit vnaquæq; potentia, in quibus quocumq; modo potest inueniri ratio sui obiecti: Sed ratio boni, quod est obiectum voluntatis, inuenitur non solum in fine, sed etiam in his, quę sunt ad finem: Ergo &c.

27 Respondet secundò: Si loquamur de voluntate secundum quod nominat propriè actum, sic propriè loquendo est finis tantum. Ratio est; Quia voluntas (vt sumitur pro actu) est simplex actus voluntatis: Sed simplex actus voluntatis fertur in finem tantum: Ergo. Maior probatur; Quia omnis actus denominatus à potentia nominat simplicem actum illius potentiæ; sicut intelligere nominat simplicem actum intellectus. Minor probatur. Quia simplex actus potentiæ fertur in id, quod est secundum se obiectum potentiæ: Sed finis est secũdum se obiectum voluntatis; nam est bonum propter se: Ergo &c.

28 Respondet tertiò: Voluntas nõ fertur in ea, quæ sunt ad finem, nisi quatenus fertur in finem, & hoc ipsũ, quod in eis vult, est finis. Ratio est; Quia ea, quæ sunt ad finem, non sunt bona, vel volita propter seipsa, sed ex ordine ad finem.

29 Confirmatur; Quia intelligere propriè est eorum, quæ secundum se cognoscuntur, scilicet principiorum: Sed eorũ, quę cognoscuntur per principia (puta conclusionem) non dicitur esse intelligentia, nisi in quantum in eis ipsa principia considerantur: Ergo &c.

LECTIO I.

Vtrum obiectum adæquatum voluntatis sit tantum finis?

30 TOta hæc difficultas in eo consistit: An media habeant aliquam bonitatem intrinsecã præter bonitatem finis, ratione cuius sint appetibilia, & concurrant ad constituendum vnum obiectum adæquatum voluntatis cum fine?

31 Respõdeo breuiter primò: Media vt media habent aliquam bonitatem intrinsecam purè relatiuam ad finem. 1. Concl.

32 Probatur primo testimonio D. Th. in hoc art. vbi ait: *Ea, quæ sunt ad finem, non sunt bona, vel volita propter seipsa, sed ex ordine ad finem*: Ergo bonitas eorum est purè relatiua. Probat. 1. ex S. Th.

33 Secundò; Quia media specificant actum electionis, quæ mediatè respicit finem. Probat. 2.

34 Tertiò, quia ex duobus medijs vnum magis conducit ad finem intentum, quàm aliud. Probat. 3.

35 Quartò, quia bonitas eorum est bonitas vtilis.

36 Respondeo secundò: Media nõ mouent voluntatem ad actum, nisi cum ordine ad finem, seu dependenter à fine. Ratio est; quia tota eorum 2. Concl. & Ratio.

boni-

Digitized by Google

bonitas est purè relatiua, & per ordinem ad finem.

37 Respondeo tertiò: Benè cohæret cum præcedentibus responsionibus, quod finis sit obiectum adæquatum, & motiuum voluntatis, siue ratio formalis specificatiua simplicis actus eius. 3. Concl.

38 Est planè aperta mens D.Tho. in hoc art. & sup. q. 1. a. 1. Vbi ideò ait actus humanos esse propter finem, quia vnaquæque potentia respicit obiectum suum adæquatum. Probatur ex D.Th.

39 Nec valet solutio aliquorum, qui dicunt S. Th. locutũ esse de obiecto principali inadæquato: Quia nullo modo concluderet ratio ipsius; Malè enim dixisset S.Th. quod actus humani in vniuersum sunt propter finẽ, quia finis est obiectũ principale voluntatis. Responderet enim quis: Sunt etiam propter media, quia media sũt obiectũ illius. Est etiã mẽs ipsius 1. p. q. 5. a. 6. ad 2. Vbi ait: Vtilia non habẽt in se vnde desiderentur, sed solum desiderantur vt cõducentia ad aliud: Ergo id, quod specificat, & mouet ad operationem est illud aliud, ad quod ducunt. Euasio aduers. & impugnatio.

40 Probatur deinde ratione fundamentali ducta ex D.Th. in hoc art. Quia id est ratio formalis specificatiua uoluntatis, quod per se terminat uoluntatem: Sed id, quod per se terminat uoluntatem, est finis: Ergo finis est obiectum adæquatum uoluntatis, & ratio formalis specificatiua illius. Probatur maior ex D. Th. quia id est obiectum uniuscuiusque potentiæ, quod per se respicitur ab illa, & terminat illam. Minor etiam probatur. Quia finis propter se, & secundum se est amabilis; media uerò ut media propter finem. 1. Ratio concluſ.

41 Est etiam alia ratio pro hac responsione: Quia id, quod specificat motum localem primo, & per se, & per adæquata est vltimus terminus.

42 Confirmatur primò hæc ratio; Quia id est obiectum adæquatum, & formale alicuius habitus, uel potentiæ, sub cuius ratione habitus, vel potentia fertur in cætera obiecta: Sed ratio sub qua formaliter fertur voluntas in media est ipse finis: Si enim finis non esset volitus, nullo modo media mouerent voluntatem: Ergo tota ratio motiua, & specificatiua voluntatis est finis, & non media. 1. Confir.

43 Confirmatur secundò; Quia id, quod specificat charitatem est diuina bonitas; Quãuis enim in aliquo proximo amore charitatis ametur bonitas propria, sapientia, prudentia, semper tamen hæ dotes amantur propter Deum: Ergo illæ formaliter non specificant, neque mouent. Hanc sententiam tenent Aluarez, & Med. super q. 1. huius partis art. 1. quamuis fortasse non sic explicatam, est Caiet. in hoc art. & alij. 2. Confir. Caiet. Aluarez. Medina.

44 Contraria nobis videtur sententia Montes. Vasq. & aliorum in hũc art. & Curielis sup. q. 1. a. 1. dub. 2. §. 5. qui dicunt obiectum adæquatum, & per se motiuum voluntatis esse media, & finem. Rationes præcipuè huius sententiæ non aliæ sunt, quam hæ, quas adduximus pro nostra prima responsione, quibus opus est respondere, quatenus videntur pugnare cõtra tertiam responsionem. Sententia oppoſita Vaſq. Montes. Curiel.

45 Prima ratio est, quæ ducitur ex D. Tho. in hoc art. Quia in medijs reperitur ratio obiecti voluntatis, nimirum ratio boni. 1. Fũdam. huius sẽtentiæ.

46 Respondetur, quod illa ratio boni, quæ reperitur in medijs ex S. Th. est ratio finis vt optimè ipse se explicat in contextu dicens: *Vnde hoc ipsum quod in eis vult*, (scilicet voluntas in medijs) *est finis.* Respõſio.

47 Secunda ratio sumitur ex eodẽ D.Th. in hoc art. ad 2. vbi, quod honestum, & vtile referuntur ad eandem potentiam, sicut lux, & color ad eandem potentiam visiuam: Sed lux, & color sunt obiectum per se adæquatum potentiæ visiuæ: Ergo bonum honestum, & vtile etiam erunt per se obiectum adæquatum potentiæ volitiuæ. 2. Fũdam. ex S. Th.

48 Respondetur, quod nõ assumit in omnibus D.Th. paritatem inter bonum Respõſio.

Digitized by Google

num honestum, & vtile respectu voluntatis, & lucem, & colorem respectu potentiæ visiuæ; Sed solum in hoc, quod sicut lux, & color cadunt sub eadem potentia, ita medium, & finis: Abstrahunt autem ab hoc, quod respiciantur eodem modo.

49 Erat enim argumentum *finis, & medium sunt in diuerso prædicamento; Nam finis, qui est bonum honestum, vel delectabile est in prædicamento qualitatis, vel actionis, aut passionis, medium autem, quod est bonum vtile est in prædicamento ad aliquid: Ergo requirunt diuersas potentias.* Respondet Sanctus Tho. quod finis, & medium non sunt in diuerso prædicamento ex æquo se habentia; sicut sonus, & color, sed cum dependentia, & coordinatione vnius ad aliud; & ideò non requirunt diuersas potentias, sicut color, & sonus. Et vt exemplificet hanc doctrinam vtitur exemplo allato lucis, & coloris, quæ quamuis sint diuersi generis, nihilominus pertinent ad eandem potentiam visiuam, quia vnum coordinatur ad aliud, & in hoc solum stat paritas D. Thomæ.

50 Et certè si in argumento proposito S. Th. intenderet, quod intendunt aduersarij, esset contra ipsos; Quia lux, & color sunt obiecta principalia ex æquo visus, & per ipsos medium est obiectum minus principale, quàm finis.

51 Tertia ratio; Quia media terminant, siue specificãt actum electionis. Respondetur, quod specificãt per habitudinem ad finem, neque specificarent illam, si non esset finis. 3. Fũdam. & respõsio.

52 Quarta ratio; Quia vnum medium magis conducit ad finem, quàm aliud: Ergo &c. Respondetur negando consequentiam; Quia quamuis vnum medium magis conducat ad finem intentum, quàm aliud, hoc est, quia ordine executionis, & in genere causæ efficientis magis præcontinet finem intentum, quàm alterum: Vnde semper id, quod specificat voluntatem, est finis præcontentus. 4. Fũdam. & respõsio.

53 Explicatur hæc responsio. Potest esse, quod aliquod medium in genere causæ efficientis quandoq; magis contineat finem intentum, quam alterum: Potest enim dari casus, quod vnus finis, siue effectus intentus vt finis, potest magis causari ab vna re, quàm ab alia, vt patet in sanitate, quæ magis potest causari ab vna medicina, quàm ab alia. Et tunc dico, quod semper finis præcontentus in medijs tanquam effectus in causa magis præcontinetur in vno, quàm in alio; Et sic semper ipse est, qui specificat, & non media. E contra verò potest esse, quod aliqua causa assumatur vt finis, & effectus assumuntur vt media ad ostensionem talis finis; sicut creaturæ assumuntur ad ostensionem gloriæ Dei iuxta illud: *Cæli enarrant gloriam Dei:* Et tunc quamuis vnum medium magis conducat ad ostẽsionem finis, siue vna creatura (vt creatura pulchrior) quàm alia, nihilominus semper est ratione causæ magis præcontentæ in illo tanquam finis. Explicatio prædent. responsionis.

54 Quinta ratio; Quia id, quod participat rationem obiecti alicuius potentiæ est per se obiectum illius: Sed medium participat rationem bonitatis, quæ est obiectum voluntatis: Ergo: 5. Fũdam.

55 Respondeo, quod media non participant, nisi bonitatem purè relatiuam, quæ nullo modo potest mouere voluntatem, nisi cum ordine ad finem. 1. Respõsio.

56 Vel melius: Media participant bonitatem relatiuam, quæ semper claudit in se bonitatem finis, & secundum hanc rationem pertinet ad obiectum motiuum voluntatis. 2. Respõsio.

57 Sexta ratio; Conclusiones pertinent ad obiectum formale intellectus: Ergo media pertinent ad obiectum formale voluntatis; quia sicut principia causant conclusiones, ita finis causat media. 6. Fũdam.

58 Respondeo, quod verum per se primo reperitur in principijs, & ab ipsis deriuatur in conclusiones. Vnde quatenus conclusiones continent veritatem principiorum cognoscuntur Respõsio.

per

per habitum principiorum. Ita pariter dico de fine respectu mediorum: per se primo bonitas reperitur in fine, & à fine deriuatur ad media: Vnde quando voluntas eligit media mouetur à voluntate finis.

Elucidatur respõsio ex D. Th.

59 Habet hæc responsio maximũ fundamentum in D.Th. 1.p.q.86. a.2. & opusc.29. vbi ait: *Intelligere propriè est eorum, quæ secundum se cognoscuntur, scilicet principiorum; eorum autem, quæ cognoscuntur per principia, non dicitur intelligentia, nisi in quantum in eis principia considerantur.*

7. Fũdam.

60 Vltima ratio. Verũ ut abstrahit à principijs, & cõclusionibus est obiectum intellectus: Ergo bonum ut abstrahit à fine, & medijs est obiectũ uoluntatis. Consequentia probatur; Quia ita se habent prima principia in speculabilibus, sicut finis in operabilibus.

1. Respõsio ex Aluarez.

61 Huic argumento Aluarez negat cons. Ad probationem negat omnimodam paritatem: Quia bonum ex hoc, quod appetitur à voluntate, statim dicit habitudinem causæ in exercitio respectu mediorum; prima autẽ principia ex hoc, quod intelliguntur, non statim dicunt habitudinem causę in exercitio respectu conclusionum. Posset autẽ addi alia disparitas, quod prima principia dicunt habitudinem causæ respectu conclusionũ; non verò conclusiones respectu principiorum: nisi velimus dicere (quod est improprium) quod via resolutionis conclusiones sint causæ principiorum; At finis via intentionis est causa mediorũ, & media via executionis sunt causa finis.

2. Respõsio.

62 Ego autem respondeo negando antecedens loquendo de abstractione præcisiua, & concedendo illud de abstractione analoga: Quia principia addunt supra *verum* cõceptum explicitum causæ, & conclusiones vt substant principijs conceptum explicitũ effectus. Ita pariter dico de bonitate: cõceptu enim analogo abstrahit ipsa à fine, & medijs: finis enim supra ipsam addit conceptum explicitum appetibilis per se; media autem ratione finis; Cum hoc tamen discrimine, quod bonitas semper sit intrinseca fini, & ab ipsa deriuetur ad media in ordine ad motionem voluntatis. Deinde concedo consequentiam iuxta præcedentem doctrinam. Neque sic concessa vrget nos. Addo etiam, quod id, quod intelligitur in conclusionibus, vt formaliter substant principijs, est veritas principiorum. Et hæc de hac quæstione, quæ planè videtur esse de nomine cum aduersarijs iuxta explicationem; Sed ego melius loquor, quia loquor sermone D.Th.

LECTIO II.

Vtrum in voluntate sit aliquis actus neuter, qui neq; sit circa finem, neque circa media?

Concl. & 1. Ratio

63 REspondeo negatiuè. Ita communiter Theologi. Prima ratio est; Quia in voluntate nõ est aliquis actus præter simplicem volitionem, fruitionem, & intentionem, quæ sunt circa finem iuxta D.Th. in procemio huius quæstionis, & magis declarabimus infra, & electionem, cõsensum, & vsum, qui sunt circa media. Neq; vnquam quis expertus est alium actum volũtatis in seipso preter istos: Ergo &c.

2. Ratio.

64 Secunda ratio: Quia quodcumque bonum vel habet rationem finis, vel medij: Si enim est bonum honestum, vel delectabile habet rationem finis, & propter se amabilis: Si est bonum vtile, habet rationem medij, & propter aliud eligibile: Ergo nequit dari actus, qui non sit vel circa finem, vel circa media.

Sententia contraria

66 Contra hanc sententiam refertur Scotus in 1. sent. dist. 1. quæst. 3. quem nititur excusare Montes. hic.

1. Argum.

67 Sed quidquid sit de eius mente: Est primum argumentum pro hac sententia. Simplex volitio, de qua loquitur

quitur D.Th.in ista quæst.neq; est finis,neq;medij: Ergo datur actus neuter.

58 Respondetur, quod sit finis in actu signato, siue (vt ait Vasquez) in actu primo, non verò vt in actu exercito, siue secundo, quatenus actu exercet causalitatem respectu mediorum.

Respon-sio.

69 Secundum argumentum. Potest voluntas velle bonum in vniuersali abstrahendo ab hoc, quod est propter se,& propter aliud: Ergo iam dabitur actus neuter.

2.Argum.

70 Respondetur primò, quod bonum non potest abstrahi ab inferioribus, nisi abstractione analoga. Secundò, quod voluntas non amaret illud bonum sic in communi sumptum, cum feratur in bonum existens. Tertiò; quia dato, quod illud amaret, amaret secundum se, & propter se.

Respõsio.

71 Tertium argumentum, quod est Scoti. Potest intellectus proponere voluntati bonum non asserendo quod sit appetibile propter se, neque propter aliud: Ergo tunc daretur actus neuter ex parte voluntatis circa tale bonum.

3.Argum.

72 Respondetur,quod saltem implicitè in eo casu proponeret illud vt appetibile propter se, vel propter aliud, & sic vno ex his modis appeteretur.

Respõsio.

73 Quartum argumentum. Potest quis appetere aliquid *impossibile*, vt patet in damnatis, qui appetunt non esse:Ergo in eo casu iste actus esset neuter.

4.Argum.

74 Respondeo, quod *impossibile* vt tale nequit amari. Ad id, quod dicitur de damnatis,respondet D. Th. 3.p.q.3.a.2. ad 3. dicens: *Non esse* secundum se non est appetibile, sed per accidens, in quantum videlicet ablatio alicuius mali est appetibilis,quod quidem malum aufertur per *non esse*.

Respõsio.

ARTICVLVS III.

Vtrum voluntas eodem actu moueatur in finem, & in id, quod est ad finem?

75 PRima responsio D. Th. voluntas potest ferri in finem in quãtum huiusmodi sine hoc, quod feratur in ea,quæ sunt ad finem: Sed in ea, quæ sunt ad finem non potest ferri, nisi feratur in ipsum finem. Probat; quia finis est secundum se volitus, id autem, quod est ad finem in quantum huiusmodi,non est volitum, nisi propter finem.

76 Secunda responsio. Vnus, & idem motus voluntatis est, quo fertur in finem secundum quod est ratio volendi ea, quæ sunt ad finem, & in ipsa, quæ sunt ad finem. Rationem formalem huius responsionis adduxit in resp. ad secundum. Quia quandocumque videtur color,eodem actu videtur lumen, quod est ratio videndi colorem. Probatur etiam ex ipsis terminis. Quia finis secundum quod est ratio volẽdi id, quod est ad finem, non potest esse volitus sine eo, quod est ad finem.

77 Tertia responsio. Alius actus est, quo fertur in finem absolutè,ab eo, quo fertur in id, quod est ad finem, & quandoque præcedit tempore.Patet experientia;quia quandoque quis priùs vult sanitatem, & posteà deliberat conducere medium.

LE-

Digitized by Google

LECTIO I.

Vtrum voluntas semper distincto actu feratur in finem, & in media: An quandoque vno, & eodem actu?

78 PRO huius difficultatis explicatione aduertendū est; quod finis (vt ait S. Tho. in hoc art.) sumi potest dupliciter: Primò *absolutè*, & *secundum se*: Secundò *relatè*, siue vt est ratio volendi media. Tunc cōsideratur *absolutè*, & secūdum se, quādo consideratur in actu primo, siue vt dicit bonitatem amabilem propter se: Tunc verò *relatè*, & vt est ratio volendi media, quando consideratur in actu secundo, siue vt exercet causalitatem suam respectu mediorum. Animaduersio.

79 Ratio autem horum est, quia duo sunt de ratione finis, & quod sit gratia sui appetibilis, & quod sit ratio appetendi cætera. Idem, quod dico de fine, dico de medio seruata proportione. Ratio animaduersionis.

80 Hoc posito. Si finis consideretur *secundum se*, & *absolutè*, distincto actu fertur voluntas in finem, & in media. Ita D. Th. & communiter Thomistæ hìc. 1. Concl.

81 Ratio est; Quia finis secundum se consideratus nullum dicit actualem ordinem ad media: Ergo prius est, quod ipse appetatur, & posteà eligantur media: Ergo duplici actu fertur voluntas in finem *secundum se*, & in media. Ratio.

82 Confirmatur; Quia ex appetitu finis huiusmodi oritur postmodum consultatio, & electio mediorum. 1. Confir.

83 Confirmatur exemplo, & experientia, quam affert Diuus Th. in hoc art art. Quia prius est (etiam tempore, quandoque) quod quis velit sanitatem, & posteà conducat medicum. 2. Confir.

84 Respondeo secundò: Si finis sumatur in actu exercito, & vt est ratio volendi media, vnico actu fertur voluntas in finem, & in media. Ita D. Th. hìc, & communiter Thomistæ. 2. Concl.

86 Ratio est; Quia finis vt sic consideratus dicit actualem habitudinē ad media: Ergo vnico actu fertur voluntas in finem, & in media. Ratio.

87 Confirmatur ratione D. Tho. Quia quotiescumque videtur lumen, vt est ratio videndi colorem, vnico actu videtur lumē, & color: Benè quidem videri potest lumen sine colore; attamen non potest videri lumen vt est ratio videndi colorem, quin eodē actu videatur color, & lumen propter habitudinem, quam dicit lumen ad colorem, & dependentiam, quam dicit ipse color à lumine. Confir. S. Th.

88 Respondeo tertiò. Si medium sumatur vt medium, eodem actu fertur voluntas in medium, & in finem. Ratio est ex dictis, quia medium *vt medium* dicit actualem habitudinem ad finem: Ergo eodem actu, quo volūtas attingit medium, attingit finem. 3. Cōcl. & eius Ratio.

89 Contrariam sententiam tenet Vasquez super hunc art. cap. 2. sequēs sententiam Gregorij Arimin. qui dixit semper esse duos actus distinctos, scilicet actum intentionis, qua volūtas fertur in finem, & electionis, qui fertur in medium; quamuis cap. 3. nitatur concordare has duas sententias D. Th. quam sequimur, & Gregorij, quam ipse sequitur; Sed non opus est nobis tali concordia. Audiamus sua argumenta. Sententia opposita Vasq. & Arimineñsis.

90 Primum argumentum est sumptum ex authore D. Aug. lib. 11. de Trin. cap. 6. vbi ait: *Voluntas videndi cicatricem finem suum expetit, hoc est visionem cicatricis: Voluntas enim probandi vulnus fuisse, alia voluntas est.* Vbi videtur affirmare S. Aug. quod alia sit voluntas videndi cicatricem assumptam vt medium ad probādum vulnus, & alia voluntas videndi vulnus. Idem argumentum habet S. Aug. in contextu de eo, qui vult videre fenestram, vt videat transeuntes. 1. Argum. ex D. Augusti.

91 Respondetur, quod S. Aug. loquitur de fine considerato secundum Respōsio ex D. Th.

se, & absolutè, circa quem semper intercedit actus distinctus, vt dictum est in prima responsione. Hæc responsio est D. Th. infra q. 12. a. 4. ad 1.

92 Secundum argumentum est; Quia finis est causa eligendi media: Ergo non potest esse eadem intentio finis, & electio mediorum, quia idem esset causa sui ipsius; Et hoc argumentum sumitur ex D. Th. 1. p. q. 10. a. 5. vbi ait: *Si aliquis vno actu velit finem, & ea, quæ sunt ad finem, hæc esse non poterit, quia idem non est causa sui ipsius.* 2. Argum. ex D. Th.

93 Respondeo concesso antecedente distinguendo consequens: Non potest intentio finis esse eadem, ac electio mediorum *formaliter*, ita vt *formaliter* intentio finis sit electio mediorum, concedo consequentiam: Nõ potest intentio finis esse *virtualiter* electio mediorum; hoc est, quod ipsa intentio *virtualiter* attingat media, nego consequentiam; Nam bene potest eadem intentio finis esse virtualis electio mediorum, cum respiciat media modo dicto, & præcontineat electionem. Quando ergo nos dicimus, quod vnus sit actus, quo attingitur finis vt est ratio volendi media, & ipsa media; dicimus, quod sit *formalis* respectu finis, & *virtualis* respectu mediorum, & idem dicimus de medijs respectu finis, scilicet, quod electio sit *formalis* respectu mediorum, & *virtualis* respectu finis. Et hæc est mens D. Th. vt lect. seq. magis patebit. Et sic intelligendus est locus citatus ex 1. p. Ex quo nõ sequitur, quod idem sit causa sui ipsius. Respõsio.

94 Tertium argumentum, quia assensus principiorum est distinctus ab assensu conclusionis: Ergo eodem modo intentio finis debet esse distincta ab electione mediorũ. Quia ita se habet finis in operabilibus sicut principia in speculabilibus, &c. 3. Argumentum.

95 Respondetur, quod assensus principiorum est *virtualis* assensus cõclusionis; & assensus conclusionis est *virtualis* assensus principiorum. Ita etiam dicitur de intentione finis, & electione mediorum. Respõsio.

96 Quartum argumentum, quia si intentio finis esset *virtualis* electio mediorum, & electio mediorum esset *virtualis* intentio finis, non distingueretur essentialiter electio mediorum ab intẽtione finis, nec intẽtio finis ab electione mediorum: quia necessariò vnus actus respiceret obiectum alterius. 4. Argum.

97 Respondetur negando sequelam: Nam non eodem modo vnus actus respiceret obiectum alterius; Quia intentio respicit finem vt acquirendum per media, & electio respicit media vt vtilia ad acquirendum finem. Addo, quod intentio finis respicit *formaliter* finem, & *virtualiter* media; electio verò respicit *formaliter* media, & *virtualiter* finem, qui respectus sunt sufficientissimi ad distinctionem essentialem. Respõsio.

LECTIO II.

Verum voluntas eodem actu attingat formaliter finem, & media?

98 DIximus in præcedenti lectione, quod voluntas potest ferri eodem actu in finem, & in media. Modò est difficultas: An idem actus formaliter attingat finem, & formaliter media. Proponitur autem hæc quæstio, quia Thomistæ discordant inter se. Alij enim tenent partem affirmatiuam; alij negatiuam.

99 Pro cuius explicatione supponẽdum est cum Caiet. super hunc art. quod motus volũtatis tripliciter potest respicere finẽ: habitualiter; actualiter: & virtualiter. Habitualiter cum ratione alicuius habitus. Actualiter cum ratione alicuius actus formalis. Et virtualiter cum in virtute præcedentis actus tendit in finem. Patet in eo, qui habet habitum charitatis. Animaduersio.

Dum

Digitized by Google

Dum enim quis habēs habitum charitatis peccat venialiter, nec virtualiter, nec actualiter respicit Deum: quia peccatum non est dirigibile in Deum, sed solum habitualiter ratione habitus charitatis, qui inclinat ad amandum Deum. Cum verò prædicat, docet, vel facit aliud opus virtutis, non cogitando actualiter de Deo, virtute, ratione illorum actuum respicit Deū, cum sint virtualiter actus charitatis. Cum verò amore actuali fertur in Deum, dicitur actualiter tendere in finem.

100 His notatis respōdeo primò: Dum quis actu efficaci tēdit in finem vt est ratio volendi media, *virtualiter*, non verò *formaliter*, attingit media eodem actu numero. Ita Caiet. & Aluar. hic. Et videtur expressa mens D. Th. inf. q. 12. a. 4.

101 Probatur; Quia actus efficax voluntatis circa finem, siue intentio efficax finis est virtualis electio mediorum: Ergo idem actus non attingit *formaliter* media. Consequentia est nota; Antecedens probatur; Quia finis est, qui adæquatè, & formaliter specificat actum simplicis volitionis, vt supra dictum est, alioquin si formaliter attingeret media, etiam ipsa concurrerent ad sui specificationem.

102 Probatur secundò ex D. Th. inf. q. 12. a. 4. ad 3. Quia intētio, & electio distinguuntur specie, sicut assensus, & dissensus lapidis. At si eodem actu voluntas *formaliter* attingeret finem, & *formaliter* media, non possent distingui specie intentio, & electio: quia esset eadem ratio volendi. Ergo.

103 Probatur tertiò: Quia assensus formalis principiorum est assensus virtualis conclusionis, & è contra assensus formalis conclusionis est virtualis assensus principiorum: Ergo volitio formalis finis est virtualis mediorum; Et è contra volitio *formalis* mediorum est *virtualis* volitio finis. Consequentia patet ex paritate rationis: Quia ita se habet assensus respectu primorum principiorum sicut volitio respectu finis. Antecedens probatur; Quia non potest esse vnus actus *formaliter* assensus principiorum, & assensus conclusionis; nam hi actus procedunt à diuersis habitibus, scilicet ab habitu principiorum, & ab habitu conclusionis.

104 Probatur vltimo directè contra authores oppositæ sententiæ: Quia dum diligitur proximus amore charitatis, tota ratio diligendi ipsum est ipse Deus: At non quotiescumq; aliquis diligit proximum amore charitatis, eodem actu *formaliter* diligit Deum: Ergo similiter &c. Minor probatur; Quia potest quis facere aliquē actum charitatis absq; eo, quod actualiter cogitet de Deo.

105 Respondeo secūdò: Actus volitionis circa media vt media *virtualiter* attingit finem, non verò *formaliter*.

106 Ratio est; Quia medium *vt medium* dicit actualem habitudinem ad finem, vel virtualiter continet illūd: Ergo volitio mediorum, vt mediorū est virtualis volitio finis. Probatur consequētia; Quia alioqui non distingueretur formaliter volitio mediorū à volitione finis: Nam species alicuius actus desumitur ab obiecto per se, & immediato ipsius.

107 Possunt etiam applicari rationes superioris responsionis huic responsioni seruata proportione.

108 Contra nostram sententiam est Capreol. in 1. dist. 1. q. 1. Conradus & Med. qui sequitur Aluar. hic disp. 49.) dicūt, quod voluntas eodem actu *formaliter* potest velle finem, & media, si finis consideretur vt est ratio volendi media.

109 Primum argumentum eorum desumitur ex D. Th. in hoc art. ad 2. & inf. q. 1. a. 4. vbi dicit, quod sicut eodem actu visionis oculus attingit lucem, & colorem; ita voluntas eodem actu *formaliter* attingit finem, & media.

110 Respondetur, quod paritas ex D. Th. non stat in omnibus, sed solum in hoc (vt ipse bene se explicat vtroq; loco) quod sicut nō potest videri co-

1. Concl.
Caiet. Aluarez.
1. Ratio.
2. Ratio ex D. Th.
3. Ratio.
4. Ratio.
2. Concl.
Ratio.
Sententia opposita Capreol. Conradi. Medin.
1. Argum. ex D. Th.
1. Respō-sio.

sor sine luce, bene autem lux sine colore: ita non potest voluntas appetere media absque eo, quod appetat finem; bene autem potest appetere finem sine medijs.

111 Vel dico secundò, quod paritas stat tantum quoad attingentiam, non verò quoad modum attingendi; Scilicet, quod sicut oculus eadem visione attingit lucem, & colorem, quia lux supponitur vt ratio videndi colorem: ita voluntas attingit eodem actu finem, & media, quia finis supponitur tanquam ratio volendi media; Sed non tacit D. Th. paritatem in modo attingendi, quod sit vterque formalis: quia hoc non erat intentum ipsius, siue non erat proposita difficultas de modo, sed solum de numero actus. Et hæc videtur germanior interpretatio.

2. Respõsio.

112 Secundum argumentum. Finis est ratio volendi media: Ergo, qui vult media propter finem, magis vult ipsum finem: Quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

2. Argum.

113 Respondetur, quod hoc argumentum concludit solum quod finis sit magis volitus *actualiter*, vel *virtualiter*, vt patet exemplo charitatis adducto in vltima ratione primæ nostræ responsionis. Ad illud axioma dicitur, quod sit intelligendum, quando prædicatum aliquod *actualiter*, & *formaliter* competit duobus, & vni dependenter ab altero; sicut patet hoc exemplo: Luna est lucida propter Solem; Ergo magis est lucidus ipse Sol *formaliter*. Non verò valeret, si diceretur ignis est calidus propter Solem, si accensus esset ab ipso Sole: Ergo formaliter est magis calidus ipse Sol; Quia Sol est tantum calidus *virtualiter*.

Respõsio.

114 Tertium argumentum. Mobile eodem motu physico attingit *formaliter* medium, & finem, hinc termi-

3. Argum.

num intermedium, & vltimum: Ergo agens liberum eodem actu *formaliter* attingit medium, & finem.

115 Respondetur negando consequentiam: quia sub diuersa ratione voluntas respicit medium, & finem, vt supra dictum est: Mobile autem sub eadem ratione respicit terminum intermedium, & vltimum sui motus: Nam terminus vltimus sui motus est specificatiuum adæquatum sui.

Respõsio.

116 Vrgebit aduersarius ex D. Th. inf. q. 12. a. 4. ad 2. vbi ait: *Finis in quantum est ratio volendi id, quod est ad finem, est vnum, & idem obiectum.* Idem dicit q. 22. de verit. art. 14. ad 4. ait enim: *Finis, & quod est ad finem sunt vnum obiectum, in quantum considerantur vnum in ordine ad aliud.*

Replica ex D. Th.

117 Respondetur, quod S. Th. in his locis intelligendus est in genere moris, non autem in esse naturæ, ex natura enim rei semper *formaliter* distinguitur finis, vt dicit ordinem ad medium, & medium vt dicit ordinem, & ascensum ad finem.

Enodatio.

118 Quartum argumentum. Quãdo quis adorat imaginem Crucifixi, eodem actu *formaliter* adorat imaginem vt imago est, & Crucifixum, cuius est imago: Ergo pariter &c. Antecedens probatur: Quia adoratio principaliter terminatur ad rem, cuius est imago.

4 Argum.

119 Respondetur negando consequentiam. Ratio est: Quia tota formalissima ratio adorandi imaginem, & rem cuius est imago, est ipsa dignitas, & excellentia rei: Ad totã rationem formalissimã, qua voluntas fertur in medium est ipse finis, vt patet ex medijs: Et tota formalissima ratio, qua fertur in finem est ipse finis, vt est ratio volendi medias. Vnde hic intercidit duplex formalitas, & ideo non est simile argumentum.

Respõsio.

QVAE-

QVAESTIO IX. D. TH.

De motiuo voluntatis in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum voluntas moueatur ab intellectu?

1 PRæmittit primò S. Th. in hoc ar. Quod in tantum indiget aliquid moueri ab aliquo, in quantum est in potentia ad plura. Ratio est, quia id, quod est in potentia ad aliquid, debet reduci ad actum per id, quod est in actu.

2 Præmittit secundò, quod dupliciter quælibet uis, siue potentia animæ est in potentia ad plura: Vno modo quantum ad agere, & non agere (intellige quātum ad exercitium:) Alio modo quantum ad agere hoc, uel illud, scilicet quantum ad specificationem. Sicut uisus quandoque uidet actu, & quandoque non uidet, & quandoque uidet album, & quandoq; nigrum. Ex quo infert, scilicet, quod duplici mouente indiget, & quantum ad exercitium actus, quod se tenet ex parte subiecti: Et quantum ad specificationem, quod se tenet ex parte obiecti. His præmissis.

3 Respondet primò, Voluntas mouet cæteras potentias quantum ad exercitium actus. Ratio est; quia sub obiecto voluntatis (quod est bonum in communi) comprehenduntur obiecta cæterarum potentiarum: sicut particularia bona sub bono uniuersali. Ergo ipsa mouet quantum ad exercitium actus cæteras potentias. Probatur consequentia: Quia semper ad uel potentia, ad quam pertinet finis uniuersalis, mouet ad agendum artē, uel potentiam, ad quam pertinet finis particularis, sub illo uniuersali comprehensus, sicut Dux mouet cæteros Tribunos militiæ sibi subordinatos.

4 Respondet secundò. Intellectus mouet voluntatem sicut præsentans ei obiectum, hoc est quoad specificationem. Ratio est; Quia obiectum mouet determinando actum ad modum principij formalis, siue quoad specificationem: Sed intellectus proponit voluntati obiectum: Ergo.

LECTIO I.

Vtrum voluntas possit ferri in incognitum?

5 DIfficultas hæc procedit, tum de facto: tum de potentia Dei absoluta.

6 Respondeo primò: De facto voluntas non fertur in incognitum: Sine ullus detur actus in voluntate, qui non prærequirat cognitionem. Est communis sententia Theologorum hic. 1. Concl.

7 Probatur primò quoad actus naturales ratione à priori. Quia quilibet appetitus sequitur ad formam: Sed voluntas est appetitus rationalis; Ergo sequitur formam apprehensam per intellectum. Maior est certa; quia appetitus est inclinatio quædam, & quælibet inclinatio consequitur formam. Cætera sunt clara. 1. Ratio.

8 Secundò. Quia actus voluntarius prærequirit cognitionem. 2. Ratio.

9 Ter-

3. Ratio. 9 Tertiò, quia de facto modò amore, modo odio prosequimur vnũ, & idem obiectum: Ergo signum est, quod ratio nunc proponit illud sub ratione boni; nunc sub ratione mali.

4. Ratio. 10 Quartò, quia non est maior ratio, cur magis ferretur in vnum obiectum, quam in aliud: Ergo &c.

Vltima Ratio. 11 Probatur modò de amore supernaturali, siue habeatur in ecstasi, siue extra ecstasim. Et primo rationibus præcedentis responsionis: Nam amor supernaturalis est appetitus elicitus: Ergo consequitur ad aliquam formam apprehensam. Præterea, quia est voluntarius: Ergo prærequirit cognitionem.

Confir. ex D. Paulo. 12 Deinde probatur specialiter ex D. Paulo, qui raptus ad tertium Cælum ait: *Audiui arcana verba*, quæ ad reuelationem intellectualem pertinet. Secundò, quia gratia perficit naturam: Sed ad actus voluntatis naturales requiritur cognitio: Ergo ad actus supernaturales.

2. Concl. 13 Respondeo secundò: Voluntas non potest perseuerare in amore, nisi intellectus perseueret in actuali cognitione.

1. Ratio. 14 Probatur primò; quia appetitus non magis durat, quam forma, à qua dimanat.

2. Ratio. 15 Secundò, quia actio non potest conseruari, si nõ adsit obiectum conuenienter applicatum.

3. Ratio. 16 Tertiò, quia experimur amorẽ alicuius obiecti remitti, cum intellectus ad alia cogitanda distrahitur: Ergo si cessat totaliter cognitio, totaliter cessabit actus amoris.

3. Cõcl. & eius prima Ratio. 17 Respondeo tertiò: Neque de potentia Dei voluntas potest ferri in incognitum. Ita Theologi communiter. Probatur primò. Quia specificatiuum voluntatis est bonum propositum ei per intellectum: Sed implicat, quod detur actus sine suo specificatiuo: Ergo &c.

2. Ratio. 18 Secundò; Quia est essentialis dependẽtia volitionis ab intellectione: Ergo &c. Probatur antecedens; Quia alioqui voluntas posset ferri pro libitò suo ad incognitum.

19 Tertiò; Quælibet intellectio præsupponit formam, cuius est inclinatio essentialiter, vt patet de appetitu naturali, qui præsupponit formam naturalem, & de appetitu sensitiuo, qui præsupponit formam apprehensam per sensum: Ergo voluntas essentialiter præsupponit formam apprehensam per intellectum, quia est inclinatio rationalis. 3. Ratio.

20 Quartò; Quia actus voluntatis in eo casu vel esset liber, vel necessarius: Non liber, quia requirit indifferentiam obiecti propositi per intellectum; Non necessarius, quia in via voluntas saltem quoad exercitium ad nullum actum necessitatur. 4 Ratio.

1. Sentẽt. opposita D. Bonau. Gersonis, Arimin. 21 Contra primam nostram responsionem est sententia D. Bonau, Gersonis, & aliorum, quos refert hic Montes. qui dicunt voluntatem nostram posse ferri in incognitum, Sanctus Bonauent. præcipuè loquitur de amore quodam vitioso, quem dicit posse esse sine cognitione, & firmat suam sententiam multis testimonijs D. Dionysij, quæ facilè soluuntur ex doctrina tradita. Tribuitur etiam hæc sententia Greg. Arim. cuius duo sunt argumenta.

1. Argum. 22 Primum est; quia voluntas applicat intellectum ad cogitandum: Ergo illa prima volitio non pendet à cognitione, alioqui daretur processus in infinitum.

Respõsio. 23 Respondetur, quod prima cognitio non est à voluntate operante, sed vel ab authore naturæ, vt colligitur ex D. Th. 1. p. q. 82. n. 4. vel excitatur ab aliqua causa extrinseca.

24 Confirmatur, quia si voluntas velit intellectum nihil actu intelligere, id fiet si voluntas sit efficax: Ergo tunc habebit actum, & intellectus nihil cogitabit.

Respõsio. 25 Respondetur, quod cum cessabit intellectus cogitare, cessabit ipsa, alioquin esset inefficax.

2. Argum. & respõsio. 26 Secundum argumentum, quia voluntas potest velle scire aliquam scientiam, vel artem quam ipse ignorat. Respondeo, quod talis voluntas præ-

præsupponit aliquam cognitionem illius scientiæ, saltem in confuso, vel quoad an est.

27 Contra secundam responsionem est aliquorum sententia, quos tacito nomine refert Suarez p. 2. disp. 6. de voluntate &c. sect. 4. qui dicunt tractum cognitionis solum requiri, vt excitetur voluntas ad amandum, qui amor potest persecuerare intellectu postmodum nihil cogitante. Respondetur, quod actus cognitionis requiritur vt excitetur amor, & persequeret, vt dictum est.

2. Sententia opposita reijcitur.

28 Contra tertiam responsionem est Palud. dicens de potētia Dei posse dari actum uoluntatis sine cognitione præuia.

3. Sententia opposita Paludani.

29 Prima ratio est; Quia potest Deus separare intellectum à uoluntate: Ergo intellectionem à uolitione.

1. Argum.

30 Respondeo, quod posset Deus separare intellectum à uoluntate destruendo illum, non uerò separando illum ab anima, & conseruando eum extra animam: quia est potentia vitalis dicens ordinem essentialem ad suū principium uitale: Quod posset destruere illum conseruata uoluntate, patet; quia sunt potentiæ distinctæ. Dato ergo, quod posset destrui, nego consequentiam. Et ratio disparitatis est, quia actus uolitionis specificatur ab obiecto cognito: ipsa autem potentia uolitiua non specificatur ab ipso intellectu.

Respōsio.

31 Sed dicet quis, quomodo remanebit uoluntas sine intellectu? Respondeo, sine cognitione.

32 Secunda ratio est: quia cognitio est tantum conditio requisita ad uolitionem: Ergo &c. Respondetur, quod sit conditio essentialiter requisita sicut existentia ad operationem.

3. Argum. & respō-sio.

LECTIO II.

Qualis debeat esse cognitio, quæ prærequiritur ad actum uoluntatis?

33 HÆC difficultas inf. cum agemus de serie actuum intellectus, & voluntatis diffusiùs, & exactiùs tractanda est; nunc verò summariè illam explicabo.

34 Pro qua notandum est primò, quod tota consistit in eo: Num ad actum voluntatis prærequiratur iudicium compositionis, & diuisionis; An verò sufficiat simplex apprehensio? De actu enim imperij, qui explicatur per istud verbum: *Fac hoc* hìc nō agimus, sed inf. Deo dante tractabimus.

1. Animaduersio.

35 Notandum est secundò, quod in simplici apprehensione reperitur aliquod iudicium imperfectum. Et ratio est: Quia in viribus apprehensiuis sensitiuis est aliquale iudicium, vt docuit Arist. 3. de Anima cap. 7. Ergo multò magis in simplici apprehensione intellectus. Præterea, quia dicitur iudicium inchoatum. Denum, quia non est simplex receptio specierum.

2. Animaduersio.

Arist.

36 Notandum est tertiò, quod in voluntate aliqui sunt actus efficaces: & alij inefficaces. Actus efficaces illos possumus dicere, quibus mouet cæteras potentias ad opus, cum aliquid vult. Inefficaces verò, quibus nō mouet cæteras potētias, cum vult aliquid sed simpliciter ipsa mouetur, & leuiter. His notatis.

3. Animaduersio.

37 Respondeo primò. Vt voluntas moueatur actu inefficaci, siue simplici quadam complacentia, vel displicentia, sufficit simplex apprehensio intellectus.

1. Concl.

38 Probatur: Quia simplex apprehensio continet aliquod imperfectum iudicium, quo aliquo modo discernatur inter bonum, & malum: Ergo potest proponere aliquid vt conueniēs, vel disconueniens: Ergo potest moueri

1. Ratio.

ueri voluntas ad aliquem, vel odium.

39 Præterea appetitus sensitiuus
2. Ratio. brutorum mouetur per cognitionem sensitiuam, quæ non continet iudiciũ perfectum: Ergo pariter voluntas &c.

40 Demum sunt aliqui motus in-
3. Ratio. voluntate, siue omninò necessarij, siue imperfectè liberi, qui non procedunt à iudicio perfecto: Ergo signum est, quod procedant ab aliquo iudicio imperfecto, siue simplici apprehensione.

41 Respondeo secundò: Vt volun-
2. Concl. tas moueatur actu efficaci, & perfecto requiritur iudicium compositionis, & diuisionis practicum, & perfectum. Ita D. Th. in hoc art. ad 2. vbi ex Arist. dicit, quod intellectus speculatiuus non mouet, sed intellectus practicus; & omnes Thomistæ cum eo.

42 Probatur ratione efficacissima
Ratio cõclus. meo videri. Quia voluntas sequitur bonum sub ratione sibi conuenientis, vel disconuenientis: Sed ad discernẽdum, an bonum sit illi conueniens, vel disconueniens requiritur iudicium compositionis, vel diuisionis; nam in eo importatur coordinatio, & habitudo vnius ad aliud: Ergo &c.

43 Est autem aduertendum pro
Animad-uersio. maiori intelligentia, & explicatione huius responsionis cum sua ratione, quod iudiciũ aliquod dupliciter potest dici practicum: Vno modo *largè*, quatenus scilicet natura sua trahit actus voluntatis post se, siue ordinatur ad regulandum actus necessarios voluntatis; cuiusmodi est visio beata; Et hoc iudicium in rigore potiùs est speculatiuum, quam practicum: Alio verò modo dicitur aliquod iudicium practicum *strictè*, quatenus ordinatur ad regulandum actus liberos voluntatis, & non solum iudicat: An obiectum sit bonum, vel malum in se, sed applicat illud voluntati vt conueniẽs, vel disconueniens, dicens: *hoc est tibi faciendum, vel fugiendum, hoc est tibi conueniens, hoc disconueniens*. Quod iudicium in rigore dicitur practicum. Et de hoc intelligitur specialiter responsio cum sua ratione: An autem hoc iudicium dicatur imperium, est alia quæstio infra examinanda, vbi etiam examinabimus: An omninò sit requisitum imperium, quo moueatur voluntas ad applicandum ceteras potentias ad suas operationes? Pro nunc certum est, quod prædictum iudicium præcedat, & debeat præcedere actum electionis ipsius voluntatis.

44 Contra primam, & secundam
1. Sentẽt. opposita Medinæ. Valent. nostram responsionem videtur sentire Med. super hunc art. dub. vlt. & Valent. disp. 2. q. 4. punct. 1. qui duo dicunt. Primùm: Nõ sufficere solam apprehensionem ad mouendum voluntatem. Secundùm: Quod non sufficiat iudicium practicum, sed requiritur imperium.

45 Primum dictum probant testi-
1. Argum. huius sẽtentiæ quoad 1. partem ex D. Th. monio D. Th. in hoc art. ad 2. scilicet, quod sicut appetitus sensitiuus non mouetur ex sola apprehẽsione imaginationis absq; æstimatiua boni conuenientis, vel disconuenientis: ita non mouetur voluntas ex sola apprehensione boni, nisi adsit iudiciũ boni conuenientis, vel disconuenientis.

46 Respondetur primò, quod hoc
1. Respõsio. testimonium probat nostram secundam responsionem.

47 Secundò dico, quod probat
2. Respõsio. etiam primam, quatenus in apprehẽsione simplici intercedit aliquod iudicium imperfectum.

48 Secundum argumẽtum eorum
2. Argum. est: Quia alioqui posset quis odio habere beatitudinem in communi: Nam quamuis aliquis non posset illam iudicare habere rationem mali, tamen posset illam apprehendere sub ratione mali.

49 Respondetur, quod nullo mo-
Respõsio. do potest beatitudo in communi apprehendi sub ratione mali; nam non potest apprehendi sub ratione disconuenientis, cum dicat cumulum omniũ bonorum, & carentiam cuiuscumque miseriæ.

50 Tertium argumentum: Ex so-
3. Argum. la apprehensione mali, vel boni neque tristamur, neque delectamur, ut constat experientia: Ergo &c.

51 Re-

Digitized by Google

Respon-sio.

51 Respondetur, quod non tristamur, neque delectamur actu efficaci, & absoluto, siue perfectè: benè autem aliquo modo, & imperfectè.

4 Argum.

52 Quartum argumentum, quia in apprehensione tam stultus, quam cordatus conueniunt, & discrepant in uolitione, quia discrepant in iudicio: Ergo signum est, quod iudicium moueat.

1. Respō-sio.

53 Respondetur primò, quod in uolitione inefficaci conueniunt aliquo modo: Nam sicut mouetur stultus ex apprehensione aliquo modo, ita, & sapiens.

2. Respō-sio.

54 Secundò respondetur, quod nō conueniunt, quia stultus, cum habeat imaginationem corruptam, apprehēdit id, quod est conueniens ut disconueniens, non sic autem sapiens.

Vnicū argumentū quoad secūdā partem.

55 Secundum dictū probant, quia ad mouendum uoluntatem requiritur ex parte intellectus actus ille, quo posito uoluntas efficaciter moueatur: Sed iste actus non est, nisi imperium: Ergo &c.

Respōsio.

56 Respondetur negando minorē simpliciter; Nam posito iudicio compositionis, & diuisionis, etiam efficaciter mouetur voluntas, vt patet de iudicio antecedēte electionē. Addo etiā, quod actus imperij requiritur quidē, vt moueatur voluntas ad vsū potētiarum inferiorum, sed iste actus subsequitur electionem voluntatis, (vt inf. melius videbimus) quæ iam præsupponitur mota.

2. Sententia oppo-sita Scoti, Vasq.

57 Contra secundam responsionē est Scotus in 2. dist. 6. q. vnica ad 1. 2. & 3. Vasq. inf. disp. 44. cap. 2. & 3. & alij, qui dicunt sufficere solam apprehensionem absq; iudicio ad mouendum voluntatem.

1. Argum. & respō-sio.

58 Prima ratio eorum est; quia per simplicem intellectus apprehensionem potest cognosci obiectum vt conueniens, vel disconueniens. Respondetur, quod leuiter potest hoc modo cognosci, & sic leuiter moueri voluntas.

2. Argum.

59 Secunda ratio; Quia sequeretur peccantem semper habere iudicium erroneum: Nam si deberet præcedere iudicium, tali iudicio iudicaret esse bonum id, quod à parte rei malum est.

Respōsio.

60 Respondetur hoc nullum inconueniens esse. Vnde ex communi axiomate sumpto ex Arist. dicitur: *Omnis peccans est ignorans*. Si autem quis velit dicere, quod illud iudicium erroneum sit contra fidem, quia dum aliquis furatur, exempli gratia, iudicat bonum esse furtum à parte rei, quod est contra fidem. Hoc planè negatur: quia qui furatur, iudicat in particulari esse sibi bonum, & conueniens furtum; non verò quod *absolutè* bonum sit furtum. Concluditur ergo, quod simplex apprehensio mouet ad actus inefficaces, & indeliberatos: iudicium autem ad actus deliberatos.

LECTIO III.

Vtrum intellectus moueat voluntatem in genere causæ efficientis: An verò in genere causæ formalis, & obiectiuæ?

1. Concl.

61 REspondeo primò: Intellectus, siue cognitio non concurrit effectiuè ad actum voluntatis. Ita communior sententia Thomistarum. Et est expressa sentētia D.Th. in hoc art. 1. & p. q. 82. a. 4. & specialiter ad 2. de verit. q. 22. a. 12. 1. p. q. 27. a. 4. & pœnè infinitis locis, adeò vt de eius mente non sit dubitandum. D.Th.

1. Ratio ex D. Th.

62 Probatur primò ratione D.Th. deducta ex isto art. ad 3. Quia idem non potest esse mouens, & motum in eodem genere causæ: Sed voluntas mouet efficienter intellectum ad suā operationem; nam applicat illum ad intellectionem: Ergo intellectus non potest eam mouere in eodem genere causæ.

2. Ratio.

63 Secunda ratio est, quia actus vitalis recipitur in ea potentia, à qua emanat efficienter per modum potē-

tiæ: Sed volitio non recipitur in intellectu: Ergo &c. Neq; valet respõdere huic rationi, quod intellectio emanat efficienter à specie intelligibili: Nam non emanat ab eo tanquã à potentia effectiua.

64 Tertia ratio; Neque obiectum, neque cognitio concurrit effectiuè ad actum voluntatis: Ergo sola voluntas est causa efficiens sui actus. Consequentia est nota. Antecedens probatur; Nam obiectum quandoque non existit in rerum natura,& quandoque est impossibile: Ergo ipsum non concurrit effectiuè. Neque concurrit actiuè cognitio, nam se habet vt conditio sine qua non: Ergo &c. 3.Ratio.

65 Quarta ratio. Quia actio vt actio specificatur à suo principio actiuo proximo, vt q.1. diximus art. 3. & ab eo sumit suam denominationem, vt patet de calefactione, quæ specificatur à calore, & ab eo sumit suam denominationem. Sed volitio non specificatur ab intellectu, neque ab eo sumit suam denominationem: Ergo intellectus non concurrit actiuè ad volitionem. 4.Ratio.

66 Quinta ratio, & vrget singulariter contra Caiet.& alios Thomistas oppositæ sententiæ: Quia vel intellectus concurrit vt causa instrumentalis, vel vt causa principalis ad volitionem. Non vt causa instrumentalis, quia instrumentum vt instrumentum est ignobilius causa principali. Sed intellectus in sẽtẽtia Thomistarũ est nobilior potentia, quã volũtas: ergo &c. Neque vt causa principalis, siue partialis, siue totalis, quia inuariato manente actu voluntatis in specie, vt patet de actu charitatis viæ, & patriæ in sententia omnium Thomistarum, variatur cognitio obiecti, & transit de obscura in claram, scilicet de fide in visionem. 5.Ratio.

67 Respondeo secundò: Obiectum cognitum concurrit ad specificationem actus voluntatis in genere causæ finalis, & aliquo modo formalis. Ità D. Th. in hoc art. & patet ex dictis; quia non concurrit efficienter, neque materialiter: Ergo per modum finis, & causæ formalis extrinsecæ. Præterea: Quia obiectũ cognitum specificat volitionem: Ergo &c. 2.Cõcl. & eius Ratio ex D. Th.

68 Contra nostram sententiam ex Thomistis est principaliter Caiet. 1.p. q.80.a.2.& inf. quæst. 22.a.2. & alibi Conrad.in hoc art. & alij, quos referunt Aluar. & Montes. in hoc eodem art. qui dicunt obiectum cognitum concurrere efficienter ad volitionem. Specialiter Caiet. dicit, quod species impressa obiecti, & intellectio cum voluntate sit causa efficiens volitionis. Et conatur probare hanc sententiam multis testimonijs D. Tho. sed certè D.Th.est à parte nostra, neq; de hoc est dubitandum. Sententia oppositа Caiet. & Conradi.

69 Vnum argumentum ex author. D.Tho. 1.p.q.80. art.2. sumptum videtur vrgere; quia obiectum cognitũ respectu voluntatis vocat principium actiuum. 1.Argum. ex D. Th.

70 Sed respondetur,quod nomine principij actiui intellexit ibi principium finale, siue quodammodo formale. Est enim principium actiuum commune principio efficienti, finali, & formali; quia omnia ista principia habent rationem actus. Respõsio.

71 Secundò argumentatur Caiet. Volitio specificatur à fine, siue ab obiecto cognito: Ergo effectiuè concurrit. Probatur cons. quia specificatur à principio efficiente *vt quo*. 2.Argum.

72 Respondetur negando consequentiã. Ad probationem dico, quod quando forma est omninò intrinseca principio actiuo, tunc concurrit effectiuè, vt patet inductione in omnibus agentibus. Respõsio.

73 Vrgebit ipse Caiet.quod species impressa non est omninò intrinseca intellectui, & tamen concurrit actiuè ad intellectionem. Respondetur, quod se habeat tanquam actus ipsius intellectus intimior, quã ipsius voluntatis. 1.Replica, & enodatio.

74 Vrget secũdò Caiet.quod specificatio actus voluntatis est quid creatum: Ergo debet esse actiuè ab aliqua causa creata. 2. Replica.

75 Re-

Digitized by Google

1. Respõsio.

75 Respondetur, quod sufficit vt resultet à causa creata non per veram emanationem, sed per quandam resultantiam, siue habitudinem, vt patet in omnibus ijs, quæ specificantur à principijs, siue obiectis extrinsecis.

2. Respõsio.

76 Respondeo secundò, quod specificatio actus voluntatis efficienter est à voluntate cum habitudine ad finem.

3. Argum. Caiet.

77 Tertiò arguit Caiet. Verbum in diuinis est productiuum Spiritus Sancti: Ergo in nobis verbum etiam effectiuè concurrit ad productionem amoris.

Respõsio.

78 Respondetur negando consequentiã, & ratio disparitatis est; Quia Verbum Diuinum habet eandem naturam, & eandem voluntatem cũ Patre, cum sit Verbum per se subsistens; & ideò potest producere simul cum Patre Spiritum Sanctum; Verbum autem creatum non habet eandem naturam cum voluntate nostra, & ideò non concurrit effectiuè ad actum amoris.

Replica.

79 Vrgebit quis, etiam Spiritus Sanctus habet eandem naturam, & numero voluntatem cum Patre, & tamen nihil producit ad intra.

Respõsio.

80 Respondetur, quod nõ sit prior origine: & ideò nihil producit. Additur, quod quidquid est producibile ad intra, est iam productum, nihil ergo potest Spiritus Sanctus producere.

4. Argum.

81 Quartò arguit Caiet. Voluntas est in actu primo constituta per finem. Ergo finis efficienter concurrit.

Respõsio.

82 Respondetur, quod sit constituta in actu primo per finem in genere causæ finalis, & obiectiuæ; in genere autem causæ efficientis est constituta sufficienter ex semetipsa.

Replica, & eius enodatio.

83 Vrgetur contra responsionem istam: Ergo ex solo conatu voluntatis pendet, quod actus sit magis, vel minùs perfectus. Respondetur concedẽdo consequentiã, loquendo de perfectione actus intra eandem speciem: negando verò illam, loquendo de perfectione actus in diuersa specie; nam maior, vel minor perfectio specifica prouenit ex fine.

5. Argum. & respõsio.

84 Quintò arguit Med. Imperium mouet efficienter voluntatem: Ergo &c. Respondetur primò, quod efficẽtia, quæ reperitur in imperio, est à voluntate. Secundò, quod posito imperio efficaci voluntatis, voluntas consequenter impellit, siue mouet seipsã ad proprium actum.

6. Argum. & respõsio.

85 Sextò. Species impressa cõcurrit actiuè ad intellectionẽ. Ergo multò magis ad volitionem. Illud argumentum est iam solutum ex dictis, sed respondetur iterum negando cons. & ratio disparitatis est; Quia species impressa non subiectatur in voluntate, sicut in intellectu.

7. Argum. & respõsio.

86 Septimò. Appetitus sensitiuus mouetur efficienter à bono sensibili apprehenso per sensus: Ergo appetitus rationalis &c. Respondetur negãdo antecedens, nam eodem modo philosophandum est de vtroque appetitu seruata proportione.

LECTIO IV.

Vtrum voluntas moueat intellectum, & reliquas potentias inferiores quoad exercitium: & an efficienter producendo in eis aliquid, vel eliciendo cum eis proprias operationes?

87 DVas habet partes hæc lectio: de prima non est tãta difficultas: de secunda est maxima, & principalis.

1. Concl.

88 Respondeo primò. Voluntas mouet intellectum, & cæteras potentias inferiores quoad exercitium. Ita D. Th. in hoc art. & 1. p. q. 82. a. 4. vbi hanc difficultatem specialiter tractat.

Ratio S. Th.

89 Probatur ratione eiusdem Sãcti Doct. loc. cit. Quia in omnibus potentijs subordinatis potentia, quæ respicit finem vniuersalem mouet potẽ-

Digitized by Google

tias,quæ respiciunt fines particulares: Sed voluntas habet finem vniuersalem,& potentiæ inferiores fines particulares: Ergo &c.

Probatur maior dupliciter.

90 Maior probatur à D.Th.dupliciter. Primò,quia cælum,quod habet pro fine vniuersali conseruationem totius, mouet reliquas causas naturales, quæ habent pro fine particulari conseruationem propriam. Secundò in moralibus, quia Rex mouet Principes inferiores &c.

Probatur minor.

91 Minor patet; quia uoluntas respicit bonum totius hominis,sub quo continẽtur reliqua bona particularia, quæ respiciunt potentiæ inferiores.

2. Concl.

92 Respondeo secundò. Voluntas non mouet intellectum, nec cæteras potentias inferiores efficienter causando in eis aliquid, vel eliciendo simul cum eis proprias operationes.

Probat. 1. quoad 1. partem.

93 Probatur primò quoad intellectum. Primò; quia intellectus est purè receptiuus,siue passiuus respectu specierum intelligibilium, & in ordine ad intellectum agentem: Ergo uoluntas nihil potest in eo producere efficienter, unde moueatur ad intellectionẽ.Probatur consequentia, quia alioquin esset admittendus tertius intellectus passiuus respectu uoluntatis agentis.

Probat.2.

94 Secundò; quia uoluntas non est formaliter intellectiua: Ergo non potest simul cum intellectu elicere intellectionem, alioqui esset formaliter intellectiua. Neque potest dici, quod uoluntas concurreret efficienter ad intellectum applicando ipsum intellectum ad intelligendum. Quia hæc applicatio quid est? Vel est aliquid productũ in ipso intellectu: uel quod uolũtas elicit intellectionẽ simul cum intellectu, quod improbatum est: uel quidam motus localis,qui non potest verificari in potentijs purè spiritualibus.

Probat. 1. quoad 2. partem.

95 Probatur secundò quoad reliquas potentias inferiores. Quia actio voluntatis est formaliter immanens: Ergo nihil potest producere in eis: Nam deberet illas attingere, & tunc actio voluntatis esset formaliter transiẽs. Præterea propria operatio vniuscuiusque potentiæ inferioris est formaliter materialis: Ergo non potest elici simul cum eis à voluntate, quæ est potentia spiritualis.

Probat. 2.

96 Probatur tertiò specialiter quoad potentiam loco motiuam cõtra Medinam (qui vt inf. referemus) vult quod voluntas, & intellectus simul cum potentia loco motiua eliciat propriam operationem, scilicet motũ localem. Et primò ex Arist.3.de Anima cap. 10. vbi dicit, quod in brutis imaginatiua dirigit; appetitus sensitiuus mouet; & corporis membra sunt instrumenta exequutiua motus localis: Sed instrumentum est principium effectiuum: Ergo &c.

Arist.

Confir.1. ex D.Th.

97 Secundò ex D. Th. opusc. 43. cap.5. vbi distinguit potentiam motiuam animalium in tres partes, scilicet in phantasiam,tanquam in potentiam directiuam; in appetitum,tanquã in potentiam imperantem;in membra tanquam in potentiam executiuam: Ergo signum est, quod motus elicitur solum à potentia executiua, scilicet à membris,neruis,musculis &c.

Confir. 2.

98 Præterea 1.p.q.78 a.1.ad 4.docet, quod in animalibus imperfectis, & hærentibus est virtus sensitiua, & appetitiua,non verò loco motiua: Ergo est distincta potentia loco motiua: Ergo ipsa elicit proprios actus.

Confir. 3.

99 Tertiò; quia si intellectus, & voluntas in nobis causarent motum localem, & in brutis potentia sensitiua,& appetitiua,nõ deberet poni gradus vitæ loco motiuus distinctus à gradu sensitiuo,appetitiuo,& intellectiuo.

3. Concl.

100 Respondeo tertiò: Voluntas dicitur mouere intellectum, & cæteras potentias inferiores efficienter, quia posita eius motione efficaci, naturali sequela sequitur earum operatio:siue naturali sequela mouent seipsas ad proprias operationes. Ita Mõtes. hìc disp.13.q.4.qui dicit hanc sẽtentiam esse communiorem.

Monteſ.

101 Probatur primò ex D.Th.1.p. q.81.

Digitized by Google

Probat. 1. ex D. Th. q. 81. a. 3. in corp. vbi ait, quod in animalibus ſtatim ad appetitum concupiſcibilē, vel iraſcibilē ſequitur motus: Ergo etiam ſtatim ad appetitum rationalem.

Probat. 2. ex D. Th. 102 Probatur etiam ex eodem D. Tho. in hoc artic. Quia voluntas eſt primum mouens quoad exercitium: Ergo poſita eius efficaci operatione reliquæ potentiæ naturali ſequela ſe mouent ad ſuas operationes.

Probat. 1. ratione. 103 Secundò, quia reliquæ potentiæ (excepta virtute vegetatiua) habēt naturalem, & eſſentialem dependentiam à voluntate: Ergo poſita eius operatione, & motione efficaci naturaliter operantur: Ergo voluntas efficienter eas mouet. Probatur hæc vltima conſequentia, quia iſta eſt efficientia reductiua, ſcilicet mouere ad exercitium non mota.

2. Probat. ratione. 104 Tertiò, quia ex dictis voluntas neq; aliquid producit in eis, neq; ſimul cum eis elicit proprias operationes: Ergo eatenus dicitur mouere efficienter, quatenus primò mouet eas quoad exercitium.

Confir. 105 Item poteſt confirmari exemplo motu rapto à primo Cœlo in orbes inferiores.

1. Coroll. 106 Hinc infertur primò; quod voluntas moueat intellectum quantum ad exercitium, ſed non ad omnē actum. Ad primum enim actum ſimpliciter mouetur ab authore naturæ, vt inf. magis declarabimus. Ad actū, qui non eſt ſimpliciter primus, ſed in aliqua ſerie, vt eſt ille, qui reſumitur, dum quis excitatur à ſomno, mouetur ab obiecto extrinſeco.

2. Coroll. 107 Infertur ſecundò, quod moueat appetitum ſenſitiuum, quia quāuis ſit inclinatio quædam, eſt tamen ſubordinata voluntati. Sed ſciendum quod appetitus ſenſitiuus obedit voluntati cum reſiſtentia. Vnde dicitur, quod obediat voluntati politicè, nēpè tanquam Ciuis Principi, non diſpoſitè, ſicut ſeruus Domino.

3. Coroll. 108 Infertur tertiò, quod moueat potentias ſenſitiuas, ſiue cognoſcitiuas, tam interiores, quam exteriores, ita tamen quod prima cognitio ſenſus præſupponatur motui voluntatis; Ratio eſt, quia ad primam cognitionem intellectus requiritur cognitio ſenſitiua: Sed prima cognitio intellectus præcedit actum voluntatis: Ergo &c.

4. Coroll. 109 Infertur quartò, quod nō moueat potentias animæ vegetatiuæ. Quia eius operationes non ſubſunt ſuo imperio, niſi per accidens, hoc eſt ratione applicationis, vel remotionis alimenti.

Vltimum Coroll. 110 Infertur vltimò; quod moueat potentiam loco motiuam. Quia abſolutè hæc potentia ſubiacet ſuo imperio. Vnde dicitur, quod illi obediat diſpoticè, hoc eſt tanquam ſeruus Domino.

Sententia oppoſita Medinæ, & Salas. 111 Contra hanc noſtram ſententiam eſt Med. in hoc art. qui duo dicit: Primum, quod voluntas moueat potentiam loco motiuam eliciendo ſimul cum ea proprios motus: Secundum, quod moueat cæteras potentias applicando eas ad proprias operationes. Idem dicit de appetitu ſenſitiuo brutorum ſeruata proportione. Sequitur hanc ſententiam quoad primū dictum Salas tract. 5. diſp. 1. ſect. 3.

1. Argum. ex Ariſt. 112 Probatur quoad primum dictum. Ex Ariſt. 3. de Anima cap. 10. vbi ait, quod appetitus ſenſitiuus in brutis motus ab appetibili mouet, & cauſat motum animalem localem: Ergo &c.

Reſpōſio. 113 Reſpondetur, quod ſenſus Ariſt. eſt, quod moueat, & cauſet iſtum motum conſequenter, & ex naturali ſimpathia; non verò eliciendo illum.

Replica ex Caiet. 114 Vrgetur ex Caiet. qui loco cit. de Anima videtur ſequi hanc ſententiam. Quia eodem modo potuiſſet dicere Ariſt. quod appetitus rationalis eſſet cauſa intelligendi, & ſentiēdi.

1. Reſpō-ſio. 115 Reſpondetur primò, quod eodem modo hoc potuiſſet dicere, ſed non dixit, quia non agebat de motu animali locali.

2. Reſpō-ſio. 116 Secundò negando illationem, quia datur aliqua intellectio, & aliqua in-

intellectio, & aliqua sensatio, nempè prima, quæ præcedit voluntatem, non verò aliquis motus localis. Vnde non potuisset eodem modo loqui de intellectione, & sensatione, ac de motu locali.

117 Secundum argumentum sumitur ex D. Tho. 2. 3. ad 3. vbi dicit, quod vis motiua est exequés motum, per quam membra redduntur habilia ad obediendum appetitui, cuius actus est moueri, non mouere. 2. Argum. ex D. Th.

118 Respondetur, quod sensus D. Th. solum est, quod potentia motiua non moueat appetitum, sed moueatur ab appetitu, ita ut ipsa semper eliciat suum motum; & ideò dixit, quod eius actus est moueri, non mouere. Respõsio.

119 Tertium argumentum; Quia motus progressiuus est actio transiens in ipsa membra: Ergo non potest fieri ab eis. Respondetur negando antecedens, sed est actio immanens, cum sit vitalis, elicita à potentia loco motiua. 3. Argum. & respon. sio.

120 Quartum argumentum; Quia in Deo, & Angelis non datur potentia exequutiua distincta ab intellectu, & voluntate: Ergo neque in homine. Respondetur negando cõsequentiã; & ratio disparitatis est, quia homo non est substantia purè spiritualis, vnde indiget instrumẽto corporeo ad executionem suæ voluntatis. 4. Argum. & respon. sio.

121 Secunda sentẽtia est Conimbric. vt refert hìc Montes. asserentium voluntatem mouere intellectum, & alias potentias causando cum illis proprios actus. 2. Sentẽt. opposita Conimbr.

122 Sed certè hæc sententia improbabilis est, & specialiter loquendo de intellectu. Quia nihil est in intellectione quod possit correspondere voluntati; non ipsa substantia intellectionis, quia correspõdet intellectui; non vitalitas, quia etiam est ab eodem intellectu; non ratio specifica, quia correspondet speciei impressæ: Ergo &c. Fundamenta huius sententiæ non adduco, quia friuola sunt. Impugnatur hæc sententia.

123 Sunt autem aliæ rationes directè contra nostram sententiam. Et primò est author. D. Tho. 1. p. q. 82. a. 4. vbi dicit, quod voluntas mouet intellectum, & omnes animæ vires, sicut alterans alteratum, & sicut impellens impulsum. 1. Argum. ex D. Th. pro hac sententia.

124 Respondetur, quod S. Tho. ibi adduxit illud, tanquam exemplum ad explicandum motum quoad exercitium contradistinctum à motu quoad specificationem; non verò quod absolutè, & simpliciter voluntas imprimat aliquid intellectui, & alijs potentijs, sicut alterans alterato, & impellens impulso. Ibi enim agebat de motu quoad specificationem ex parte intellectus ad voluntatem, & de motu exercitij ex parte voluntatis ad intellectum. Et ad explicandum hunc motum adduxit prædictum exemplum, quod non in omnibus est simile. 1. Respõsio.

125 Respondetur secundò, quod voluntas dicitur mouere intellectum, & cæteras potentias, sicut alterans alteratum ex S. Tho, quia operatio vniuscuiusque potentiæ est alteratio perfecta ipsius, vt dixit Arist. 3. de Anima. 2. Respõsio.

126 Secunda ratio est; quia si potentiæ inferiores mouerentur quoad exercitium ex naturali connexione, ipsa quoque voluntas posset moueri ab eis. Respondetur negando antecedens; Quia voluntas non pendet ab eis, sicut ipsæ ab ea. 2. Argum. & respon. sio.

127 Tertia ratio; Quia posita motione voluntatis, quandoque non sequitur motus appetitus sensitiui circa idem obiectum propter eius resistentiam: Ergo &c. 3. Argum

128 Respondetur, quod si est efficax motio voluntatis, semper mouetur appetitus. Verum est, quod propter eius resistentiam intellectus proponit ei obiectum aliter, ac priùs; Vnde desistit voluntas à volitione, vel vult oppositum eius, quod priùs volebat. Concluditur ergo, quod applicatio potentiarum actiua ad opus nil aliud sit, quam velle efficax ipsius voluntatis: Applicatio verò passiua nil aliud, quam propria operatio intellectus, Respõsio.

vel

Digitized by Google

vel alterius potentiæ, quæ mouetur, & applicatur.

ARTICVLVS II.

Vtrum voluntas moueatur ab appetitu sensitiuo?

129 RESponsio D. Th. est: Ex parte obiecti appetitus sensitiuus mouet voluntatem. Probatur primò in argumento Sed contra ex illo Iac. 3. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua &c.* Secundò ratione, quia per passionem appetitus sensitiui immutatur homo ad aliquam dispositionem, sed posita hac immutatione, siue dispositione aliquid videtur ei conueniens, quod re vera sibi conueniens non est: Ergo &c Hinc dixit Philosoph. 3. Eth. *Qualis vnusquisque est, talis finis videtur ei.*

130 Super hunc art. disputãt DD. de modo, quo appetitus sẽsitiuus moueat voluntatem: An scilicet immediatè absque eo, quod ei proponat obiectum intellectus? Quæ quidem disputatio mihi videtur superflua, cũ certum sit, quod non possit moueri immediatè, & directè; Sed tantum indirectè, quatenus inclinatur intellectus ad iudicandum bonum sensibile conueniens, cum non sit conueniens. Et ratio est, quia sicut appetitus sensitiuus sequitur immediatè directè cognitionem sensitiuam, sic appetitus rationalis cognitionem rationalem. Vlterius, quia cognitio immediata debet esse proportionata voluntati: Sed non est ei proportionata cognitio sensitiua: Ergo &c.

Vnica difficultas super hũc articulũ.

ARTICVLVS III.

Vtrum voluntas moueat seipsam?

131 RESponsio D. Tho. est, quod voluntas per hoc quod vult finem, mouet seipsã ad volendum ea, quæ sunt ad finem. Ratio est, quia ita se habet finis in operabilibus sicut principium in intelligibilibus: Sed intellectus per hoc, quod cognoscit principium, reducit se in cognitionem conclusionum: Ergo voluntas per hoc, quod vuult finem mouet seipsam ad volendum ea, quæ sũt ad finem. Probatur etiam in argumento *Sed contra*, quia ipsa est Domina sui actus.

132 Super istum artic. mouetur quæstio: An voluntas moueat se in primo actu circa finem, siue sit simpliciter primus, siue in aliquo negotio? quam tractabimus art. 6. huius quæstionis.

Vnica difficultas oritur ex hoc articulo.

ARTICVLVS IV.

Vtrum voluntas moueatur ab aliquo exteriori principio?

133 RESpondet primò, D. Tho. quod secũdum quod volũtas mouetur ab obiecto, moueri potest ab aliquo exteriori. Ratio est. Quia obiectum potest esse aliqua res exterior.

134 Sensus huius primæ responsionis est, quod quantum ad specificationem voluntas moueatur ab exteriori principio; Quia mouetur ab obiecto externo.

135 Re-

Digitized by Google

135 Respondet secundò, quod quantum ad exercitium actus necesse est ponere voluntatem ab aliquo principio exteriori moueri. Ratio est, quia omne, quod quandoq; est agens in actu, & quandoque in potentia, indiget moueri ab aliquo mouente: Sed voluntas quandoque est in actu, quãdoque in potentia; nam quandoque vult aliquid, quod priùs non volebat: Ergo.

136 Respondet tertiò illatiuè ex dictis, quod necesse est ponere, quod in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicuius exterioris mouentis. Hoc autem exterius mouens in responsione ad tertiũ vocat primum mouens. Probat, quia alioqui daretur processus in infinitum. Voluntas enim ex intentione finis se mouet ad volendum media prę uio consilio: Ergo ad illam primam intentionem, siue actum, vnde incipit iste ordo volitionis debet moueri ab aliquo exteriori principio: Alioquin iretur in infinitum.

137 Nota hic, quod loquitur D. Th. de primo actu in aliqua serie, & de primo actu simpliciter primo.

ARTICVLVS V.

Vtrum voluntas moueatur à corpore cæleſti?

138 Respõdet primò D. Th. quod eo modo, quo voluntas mouetur ab inferiori obiecto, potest moueri à corporibus cælestibus. Ratio est, quia obiecta exteriora sensuum, & ipsa organa potentiarum sensitiuarum subiacent motibus cælestium corporum.

139 Respondet secundò: Impossibile est, quod corpus cæleste imprimat directè in intellectum, aut voluntatem. Ratio est, quia nullum agens corporeum potest directè agere in rem incorpoream.

140 Respondet tertiò. Motus corporum cælestium indirectè redundat in voluntatem, in quantum scilicet per passiones appetitus sensitiui voluntatem moueri contingit. Ratio est, quia appetitus rationalis quodammodo mouetur à sensitiuo.

141 Super istũ articulum tractant Theologi duas difficultates. Prima est: An actus liberi pendeant ex astris? Secunda: An ex aspectu astrorum possint prædici futura contingentia? 2. Difficultates super hũc articulũ.

142 Prima difficultas resoluta est ex D.Th. quod non. Quia agens corporeum non potest directè influere in actus spirituales. Secũda ratio D.Th. 1.p.q.19. Quia solus Deus potest concurrere ad actus voluntatis nostræ, quia illius est dare inclinationem, cuius est creare naturam, vel formam, ad quam sequitur inclinatio. Et hac ratione vtitur art. seq. 1. Difficultas resoluitur ex D.Th.

143 Tertia, quia voluntas respicit bonum vniuersale, quod non potest esse obiectum corporum cælestium, cum sint materialia. Quarta, quia alioqui auferretur nostra libertas, cum corpora cælestia sint causæ necessariæ. Alia ratio D.Th.

144 Secunda difficultas etiam remanet soluta ex dictis. Et dico primò, quod actus liberi nullo modo possunt prædici: Quia non præcontinentur in astris tanquam in causa. 2. Difficultas resoluitur.

145 Dico secũdò, quod nec etiam possunt legi in astris tãquam in libro scripti, vel in signo: Quia non sunt signa.

146 Dico tertiò, quod ex aspectu astrorum vtcumque possunt cognosci inclinationes hominum, quas homo sequitur per liberum arbitrium: Quia quodammodo ratione temperamenti, & complexionis subijicitur astris: Sed hoc est prohibitum motu proprio Sixti V. Idem dico de alijs futuris contingentibus, quod hæc quodammodo coniecturaliter possunt prædici ex astris, sed periculosum est,

&

Digitized by Google

& prohibitum ex moto iam dicto Sixti V.

ARTICVLVS VI.

Vtrum voluntas moueatur à Deo solo sicut ab exteriori principio?

147 RESpõdet primò D. Th. quod impossibile est, quod motus voluntatis sit ab aliquo principio extrinseco, quod non est causa ipsius voluntatis. Probatur; Quia motus voluntatis est inclinatio naturalis: Sed impossibile est, quod inclinatio naturalis sit à principio extrinseco, quod non est causa naturæ (nam ideò 8. Phys. dicitur, quod generans mouet secundum locum grauia, & leuia:) Ergo &c.

148 Respondet secundò D. Th. directè quæsito, quod voluntas moueatur à solo Deo, tanquam ab exteriori principio. Ratio est; Quia ipse solus est causa voluntatis: Ergo ipse solus est causa suæ inclinationis. Antecedens probatur dupliciter. Primò: Quia voluntas est potentia animæ, quæ à solo Deo causatur. Secundò: Quia voluntas dicit ordinem ad vniuersale bonum: Sed Deus est vniuersale bonum, siue causa vniuersalis respiciens vniuersale bonum: Ergo ipse solum potest dare inclinationem ad vniuersale bonum. Confirmatur hæc ratio, quia propterea materia prima non potest causari à particulari agente, quia dicit inclinationem, siue est in potentia ad omnes formas.

LECTIO VNICA.

Vtrum voluntas se moueat in suo primo actu circa finem: An solum à Deo?

149 HÆC difficultas proponitur ad explicandum hunc art. sextum, & quartum huius quæstionis, in quibus D. Tho. secutus sententiam D. Ansel. lib. de casu Diaboli cap. 12. ait, quod voluntas in primo actu circa finem nõ mouet seipsã, sed mouetur ab exteriori principio, quod est Deus. D. Th. S. Ansel.

150 Pro cuius difficultatis expositione notandum est primò: Quod duplex actus reperiri potest in voluntate circa finem, qui dicatur primus: Vnus, qui sit simpliciter primus totius vitæ: Et alter, qui sit primus in aliqua serie, vel negotio; vt in serie medicinalium est voluntas, siue intentio sanitatis. De vtroque procedit difficultas. 1. Animaduersio.

151 Notandum est secundò ex D. Th. a. 4. huius quæstionis: Quod dupliciter voluntas se mouet: Vno modo ex intentione finis ad media prævio consilio, & deliberatione, quod Aluarez super art. 4. vocat mouere se moraliter: Alio modo directè circa finem; quod idem Aluarez vocat se mouere physicè. His notatis. 2. Animaduersio. Aluarez.

152 Respondeo primò. Si loquamur de motu voluntatis primo modo dicto, scilicet, quatenus voluntas ex intentione finis se reducit ad electionem mediorum; hic motus dicitur simpliciter esse à voluntate; Siue voluntas simpliciter mouet seipsam quoad hunc actum. 1. Concl.

153 Ratio est; Quia voluntatem mouere seipsam simpliciter nil aliud est, quam ab intrinseco velle aliquid prævia deliberatione, & consilio: Sed hoc modo se mouet, quando ex intentione finis se reducit ad electionem mediorum: Ergo &c. Ratio.

154 Confirmatur, quia mouere seipsam nil aliud est, quam liberè, & ex propria directione operari: Sed hoc modo voluntas operatur, dum ex intentione finis eligit media: Ergo &c. Confir.

155 Respondeo secundò. In proprio actu directè circa finem, siue sit simpliciter primus in tota serie vitæ, siue solum in aliqua particulari serie, etiam voluntas mouet seipsam. 2. Concl.

156 Probatur; Quia nullus actus in hac vita circa finem est simpliciter necessarius: Si enim erit circa finem in communi, probabilissimũ est, quod non sit necessarius *quoad exercitium*: Si autem circa finem in particulari, quicumque ille sit, semper erit liber *quoad exercitium*, & *quoad specificationem*; Nullum enim obiectum potest proponi in hac vita sub omnimoda ratione boni. Ratio.

157 Confirmatur, & explicatur magis; quia quilibet actus volunratis circa finem (siue sit simpliciter primus, siue tantum in aliqua serie) sequitur iudicium aliquod virtuale, siue cognitionem intellectus proponentis illum sub ratione conuenientis, vel disconuenientis, siue cum aliqua indifferentia: Ergo erit liber: Ergo voluntas se mouet, & dirigit ad illum. Confir.

158 Respondeo tertiò. Actus voluntatis circa finem, siue sit simpliciter primus, siue in aliqua serie, tribuitur Deo à Diuo Thoma, non quia non sit à voluntate se mouente; sed quia voluntas non sequitur in eo cõsilium, & deliberationem. 3. Concl.

159 Probatur; Quia Deus est, qui direxit formaliter voluntatem, & dedit illi inclinationem in finem: Ergo quando voluntas mouetur in finem, specialiter tribuitur Deo. Ratio cõcluſ.

160 Cõfirmatur primò. Quia quãuis ex directione Diuina habuerit voluntas, quod feratur in media; nihilominus hæc directio, & inclinatio est mediata media intentione finis, & consilio, & deliberatione: Attamen inclinatio, & directio in finem est immediata absque vlla intentione finis, siue consilio, & deliberatione; Nam de fine non datur consilium, neque deliberatio: Ergo propterea tribuitur Deo ille primus actus, siue intentio finis. 1. Confir.

161 Confirmatur secundò; quia ideò inclinatio in finem quæcumque illa sit, siue naturalis, siue sensitiua tribuitur Deo, quia est ex eius directione: Ergo cum inclinatio rationalis in finem sit ex directione ipsius Dei, propterea etiam debet specialiter tribui Deo. Ita Vasqu. super hunc art. Aluar. super art. 4. huius quæstionis, & ferè omnes expositores D. Th. qui sic interpretantur hunc sextum, & quartum art. huius quæstionis. 2. Confir. Aluarez. Vasq.

162 Contra hanc doctrinam sunt aliquæ obiectiones. Prima obiectio est; quia ignis dum calefacit, agit per propriam inclinationem, scilicet per calorem, & tamen non tribuitur Deo: Ergo &c. 1. Obiectio.

163 Respondetur primò, quod ignis dum calefacit, non mouetur ipse, sed id, quod calefacit, & ideò dispar ratio. 1. Respõsio.

164 Secundò respondetur, quod difficultas procedit solùm de potentijs appetitiuis, & specialiter de voluntate comparando ad inuicem actus suos. 2. Respõsio.

164 Secunda obiectio. Oculus videt etiam ex inclinatione sibi data à Deo, & nihilominus visio non tribuitur Deo. 2. Obiectio.

166 Respondetur, quod etiam tribuitur Deo. Addo etiam, quod in eo vnus actus non pendet ex alio, sicut electio mediorum ex intentione finis, & ideò hoc est speciale de voluntate. Respõsio.

167 Tertia obiectio. Etiam appetitus sensitiuus mouetur ex inclinatione, & instinctu Dei, & tamen eius motus specialiter non tribuitur Deo. 3. Obiectio.

168 Respondetur, quod etiam eius actus tribuitur Deo specialiter. Addo etiam, quod magis specialiter actus voluntatis circa finem tribuitur Deo; Quia hæc comparatio fit inter intentionem finis, & electionem mediorum. Et Deus ad electionem mediorum Respõsio.

Digitized by Google

diorum concurrit præsuppositâ intẽtione finis: at ad ipsam intẽtionẽ nulla alia intentione præsuppositâ, neq; consilio, neque deliberatione; Et ideò magis tribuitur ei intentio finis, quam electio mediorum. Non sic autem de actibus appetitus sensitiuis, quorum vnus non pendet ab alio, sicut actus voluntatis.

Sententia opposita Capreol. reijcitur.

169 Hinc refelluntur variæ sententiæ Doctorum, qui aliter conati sunt interpretari D.Th. Prima est Capreoli in 2.dist. 24. q.1. a.3. ad 8. qui ait primum actum voluntatis tribui Deo, quia est à solo Deo efficienter. Sed hæc sententia communiter reijcitur. Quia primus actus voluntatis est voluntarius, & per consequens efficienter à voluntate.

2. Sententia Ferrariensis.

170 Secunda sententia est Ferrar. 3.contr.gent.cap.89.§. *Ad euidentiam*, qui dicit, quod primus actus voluntatis procedit à voluntate tanquam à principio *Quo*; à Deo autem tãquam à principio *Quod*; Sicut motus grauium, & leuium est ab ipso graui, & leui tanquam à principio *Quo*; à generante verò tanquam à principio *Quod*. Et ideò tribuitur specialiter Deo.

Sententia Ferrar. impugnatur primò.

171 Sed iste modus etiam reijcitur. Primò. Quia principium *Quod* secundum motus voluntatis circa finẽ est homo: principium *Quod* exterius primum est ipse Deus.

Impugnatur 2.

172 Secundò; Quia motus grauiũ, & leuium tribuitur generanti, non quia fit à graui, vel leui tanquam à principio *Quo*, cum reuera fit ab eis tanquam à principio *quod*; Sed quia simul cum forma in eodem instanti accipiunt talem inclinationem à generante.

3. Sententia opposita reijcitur 1.

173 Tertia sententia est aliorũ, qui dicunt quod sicut prima cogitatio intellectus reducitur in exterius principium: ita prima volitio. Sed contra: Primò, Quia prima intellectio, siue cogitatio in quocumque negotio non potest esse libera; nam antecedit omnem actum voluntatis: Prima autem volitio potest esse libera, vt dictũ est; quia quamuis prima cogitatio nõ fit formaliter libera, potest nihilominus esse radix libertatis, si proponat obiectum vt indifferens: Ergo non eodem modo reducitur in principiũ exterius prima cognitio, & prima volitio.

Reijcitur secundò.

174 Secundò quidquid sit de hoc: An prima cognitio sit necessaria, vel libera, ipsa non tribuitur specialiter Deo, sicut prima volitio: quia potest esse ab Angelo, vel ab homine, siue etiam à sensibus, & phantasmatibus proponentibus obiectum: quod non conuenit primæ volitioni. Excipimus ab hac prima cognitione cognitionem gratuitam, & supernaturalem, quæ est ex diuina gratia.

Vltima sententia Lorcæ, eius Rã. tio, & præclusio.

175 Vltima sententia est Lorcæ, qui dicit primum actum voluntatis esse necessarium, & ideò tribuitur Deo. Ratio ipsius est. Quia ad primũ actum non præcedit consultatio. Respondetur, vt dictum est, quod sufficit vt præcedat cognitio proponens obiectum cum indifferentia.

Replica.

176 Vrget ipse, quod quamuis primus actus voluntatis sit liber, hoc est per accidens, per se autem exigit esse necessarius, sicut intellectus primorum principiorum per se est sine discursu; nihilominus per accidens potest esse cum discursu.

Enodatio.

177 Respondetur, quod primus actus voluntatis in via saltem quantum *ad exercitium* per se exigit esse liber; per accidens autem est necessarius, vt patet in motibus primò primis. Et ratio horũ est ex dictis. Quod nihil potest proponi in hac vita voluntati sub omnimoda ratione boni. Neque vrget exemplum de assensu primorum principiorum; Quia hoc prouenit ex connexione terminorum; sed respectu voluntatis cessat omnis ratio finis cum omnimoda necessitate sibi proposita.

Digitized by Google

QVAESTIO X. D. TH.

De modo, quo voluntas mouetur, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum voluntas ad aliquid naturaliter moueatur?

1 VT resoluat hanc difficultatẽ D. Th. supponit primo, quod natura dupliciter sumitur: Primò pro principio intrinseco ipsi rei: Et hoc modo dicitur natura materia, vel forma materialis, quia insunt composito materiali. Secundò sumitur natura pro substantia rei: Et hoc modo dicitur naturale alicui, quod conuenit ei secundum suam substantiam, & per se inest rei.

2 Supponit secũdò, quod in omnibus rebus, ea, quæ per se non insunt eis, sed ratione alterius, reducuntur ad illud, quod per se inest tanquam ad primum. Patet hoc in intellectu (quamuis D. Th. hoc exemplum non addat) in quo cum ratio *veri* per se insit ei, siue conueniat ei secundum suam suam substãtiam intellectiuam, omnia, quæ intelligit, reducuntur ad ipsum *verum* tanquam ad primum, quod per se inest. His suppositis.

3 Respondet primò D. Th. quod si natura sumatur pro substantia rei, siue pro eo, quod per se inest, voluntas naturaliter fertur in bonum in cõmuni. Ratio est; Quia obiectum pertinet ad substantiam potentiæ: Ergo est illi connaturale: Ergo voluntas naturaliter fertur in illud. Antecedẽs patet, quia per se conuenit ei. Prima consequentia probatur, quia substantiale est idem, ac connaturale. Secunda consequentia est nota.

4 Confirmatur, quia quælibet potentia naturaliter fertur in suum obiectum. Iterum: Quia intellectus naturaliter fertur in prima principia per se nota.

5 Respondet secundò, quod finis vltimus est naturaliter volitus. Ratio est; Quia ita se habet finis vltimus in appetibilibus, sicut prima principia demonstrationum in intelligibilibus.

6 Respondet vltimò, quod volũtas naturaliter fertur ad ea, quæ pertinent ad totum hominem, & ad singulas potentias, scilicet ad *esse*; ad *viuere*; ad *intelligere*; ad obiecta aliarũ potentiarum; & alia huiusmodi. Ratio est: Quia omnia comprehenduntur sub obiecto voluntatis, sicut quædam particularia bona sub bono vniuersali.

7 Potest etiam confirmari ex secundo notabili. Quia omnia hæc pertinent ad substantiam voluntatis ratione obiecti sui, quod est bonum: Ergo ad illud reducuntur tanquam ad primum: Ergo &c.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Vtrum voluntas moueatur de necessitate à suo obiecto?

8 PRima responsio D. Th. Volũtas quãtum ad exercitiũ actus à nullo obiecto de necessitate mouetur. Ratio est; Quia potest quis de quouis obiecto non cogitare, & per consequens neque velle illud.

9 Secunda responsio. Voluntas quantum ad specificationem actus necessariò mouetur à bono perfecto, cui nil deficit, quod est beatitudo. Ratio est: Quia nulla potentia potest recedere ab obiecto suo.

10 Tertia responsio. Voluntas à particulari bono, siue à bono, quod non habet omnem rationem boni, non mouetur necessariò quantum ad specificationem. Ratio est: Quia defectus boni habet rationem non boni, siue rationem mali.

11 In responsione ad tertium ait D. Th. quod *esse*, & *viuere* necessariò sunt volita à volũtate. Ratio est: Quia sine *esse*, & *viuere* non potest consequi vltimum finem, qui est beatitudo.

LECTIO I.

Vtrum aliquod obiectum in via necessitat voluntatem quantum ad exercitium actus?

12 NOto primò, quod de duplici obiecto potest esse difficultas: & de beatitudine in communi: & de beatitudine in particulari, scilicet de Deo cognito per fidem, & de vtroque obiecto procedit difficultas.

1. Animaduersio.

13 Noto secundò, quod non est sermo de actibus voluntatis primò primis: Nam certum est hos actus esse necessarios quantum *ad exercitium*, vt dicemus deinde articulo sequenti. Procedit ergo difficultas de actibus perfectis.

14 Respondeo primò: Beatitudo in communi non mouet voluntatem quantum *ad exercitium*. Prima ratio est Sancti Th. in hoc art. Quia potest quis de ipsa non cogitare: Ergo neq; velle illam. 1. Concl. & Ratio ex D. Th.

15 Impugnatur primò ista ratio D. Th. Quia vt voluntas dicatur libera in exercitio actus, debet illi esse propositum obiectum; & circa illud ferri, vel non ferri; non verò quia in potentia sua est remouere cognitionem actualem, vel non. 1. Impugnatio rationis D. Th.

16 Respondetur, quod iste sit vnus modus, ratione cuius patet dici libera voluntas quoad *exercitium* actus, quẽ assignat D. Th. Respõsio.

17 Secundò impugnatur, quia nõ est in potestate voluntatis remouere actum Intellectus à consideratione obiecti. Negatur assumptum, quia proposito sibi obiecto potest diuertere voluntas intellectum ad aliam considerationem. 2. Impugnatio, & eius responsio.

18 Secunda ratio: Quia potest voluntas in exercitio actus erga bonum in communi apprehendere aliquam rationem molestiæ, & tedij: Ergo nõ necessitatur quoad *exercitium*. 2. Ratio.

19 Respondeo secundò: Beatitudo in particulari, scilicet Deus cognitus per fidem nec etiam potest necessitare quantum *ad exercitium* actus voluntatem. Probatur rationibus præcedentis responsionis. 2. Concl.

20 Deinde, quia quamuis Deus contineat omnem plenitudinem bonitatis, nihilominus vt consideratus obtinendus per ieiunia, & per alia opera pœnalia videtur habere adiunctam aliquam rationem mali: Ergo potest voluntas retrotrahi ab exercitio amoris erga illum. Ratio.

21 Hinc

Digitized by Google

1. Concl.

21 Hinc obiter dico tertiò, quod in patria voluntas necessitatur quantum ad exercitium actus. Ratio est; quia in illo exercitio actus voluntas nihil mali apprehendere potest, neq; molestiæ, neque tædij, neque difficultatis,

Difficultas incidens.

22 Est tamen dissensio inter Thomistas: à quo nã proueniat in patria necessitas *exercitij* actus voluntatis; ab obiecto, scilicet à Deo clarè viso? An à voluntate in tali dispositione posita?

Sententia Caiet.

23 Caiet. in hoc art. quem sequitur Val. (& iudicat probabile Montes.) dicit quod proueniat à voluntate in tali dispositione posita.

1. Ratio.

24 Ratio est. Quia voluntas in tali dispositione posita ex natura sua, siue ex naturæ Datore habet, quod necessario se moueat quoad *exercitium*.

3. Ratio ex Mõtes.

25 Firmat hanc sententiam Montes. altera ratione satis efficaci meo videri. Quia obiectũ in ratione obiecti non mouet voluntatem quoad *exercitium*, sed quoad *specificationem*.

Confir.

26 Et confirmatur, quia finis non influit actiuè in actum voluntatis.

2. Sententia probabilior Alrez, & 1. Ratio.

27 Nihilominus sententia communior Thomistarum est opposita, & specialiter Aluar. hìc. Ratio est. Quia Deus propositus in hac vita vt summũ bonum non necessitat voluntatem quoad *exercitium*; in patria autem necessitat: Ergo signum est, quod necessitas exercitij originetur ab obiecto.

2. Ratio.

28 Prętereà: Volũtas sequitur obiectum vt sibi proponitur ab intellectu: Ergo ab obiecto oritur radicaliter necessitas, vel non necessitas *exercitij* actus. Et ex his patet ad rationes contrarias.

1. Sententia oppositæ cõtra 1. conclusionem.

29 Contra nos est prima sententia aliquorum, qui dicunt (vt refert Palud. in 4. dist. 49. q. 7. a. 2. concl. 1.) quod voluntas necessitetur quoad *exercitium* erga beatitudinem in communi.

1. Argum. ex D. August. & respõsio.

30 Huic sententiæ videtur fauere D. Aug. lib. 13. de Trin. cap. 3. quatenus dicit, quod vnusquisque vult esse beatus, & nullus miser. Respondetur quod sensus D. Aug. est, non quod vnusquisque semper habeat exercitium ipsius actus; sed semper quod vult, vult actu prosecutionis beatitudinem saltem implicitè: & actu fugæ, siue auersiuo miseriam.

2. Argum. ex D. Th.

31 Secundò fauet. D. Th. in hoc art. quatenus dicit, quod si proponatur voluntati obiectum, quod sit vniuersaliter bonum, ex necessitate voluntas in illum tendit, si aliquid velit: non enim poterit velle oppositum.

Respõsio.

32 Respondetur, quod hæc vltima verba explicant prima D. Th. scilicet, quod si voluntas velit aliquid, debet ferri in illud bonum vniuersaliter; nõ autem sequitur quod nõ possit cessare à tali exercitio. Clarius dico, quod loquitur S. Th. de necessitate quoad *specificationem*, scilicet, quod si voluntas volitura sit illud bonum, non potest odisse.

3. Argum. ex ratione.

33 Tertiò probatur ratione. Quia beatitudo in communi proponitur tãquam cumulum omnium bonorum absque vlla ratione mali.

Respõsio.

34 Respondetur, vt dixi supra in nostra ratione, quod exercitiũ actus potest proponi sub aliqua ratione mali.

4. Argum. & respõsio.

35 Quartò. Quia damnatus semper, & necessariò habet odium erga suam miseriam: Ergo semper appetit suam beatitudinem. Respondetur loquendo de habitudine voluntatis dãnati secundum se ad miseriam, odit illam solum quantum ad *specificationem*. Nihilominus potest probabiliter dici, quod semper sit in actuali odio suæ miseriæ Deo ita iustè permittẽte.

5. Argum. & 1. respõsio.

36 Quintò. Quia assensus primorũ principiorum in intellectu est necessarius quoad *exercitium*: Ergo voluntas erga finem. Respondetur negando consequentiam. Et ratio est: Quia non est paritas in omnibus inter intellectum, & uoluntatem, sed in hoc, quod sicut intellectus primis principijs assentitur propter se, & conclusionibus ratione primorum principiorum: ita uoluntas appetit finem propter se, & media ratione finis: & quod

sicut

Digitized by Google

ſicut aſſenſus principiorum cauſat aſſenſum concluſionum: ità uolitio finis cauſat uolitionem mediorum.

2. Reſpõſio ex Mõteſ.

37 Reſpondetur ſecundò cũ Monteſ. quod aſſenſus principiorum non eſt neceſſarius quãtum *ad exercitium*, ſed ſolùm quantum ad *ſpecificationem*.

2. Sententia oppoſita Durandi.

38 Secunda ſententia eſt Durandi in 4. diſt. 49. q. 8. qui dicit, quod circa beatitudinem uoluntas non fertur actu neceſſario quantum ad *exercitium* efficaci, ſed actu inefficaci ſimplicis affectus.

Ratio huius ſentẽtiæ.

39 Ratio ipſius eſt; quia actu efficaci uoluntas fertur tantum circa ſingularia: Actu uero inefficaci circa beatitudinem in communi.

1. Reſpõſio.

40 Reſpondetur, quòd actus interior uoluntatis efficax poteſt etiam eſſe circa bonum in communi; vt ſi quis vellet bonum virtutis in communi. Ad id autem, quod dicitur, quod actus efficax ſit circa ſingularia; verũ eſt de actu exteriori: Nam actiones ex

Ariſt.

Ariſt. 1. Metaph. cap. 1. ſunt circa ſingularia: Vnde falſa eſt eius ſententia, quod volũtas poſſit neceſſitari quoad exercitium erga bonum in communi actu inefficaci, non verò efficaci; Quia cum idem ſit obiectum, & eadem natura voluntatis, ſi poteſt neceſſitari quantum ad vnum, poteſt neceſſitari quantum ad alterum actum.

2. Reſpõſio.

41 Reſpõdetur breuiùs, & clariùs, quod voluntas, nec actu efficaci, nec inefficaci poteſt neceſſario *quoad exercitium* ferri circa beatitudinem in communi. Ad probationem dicitur, quod non ſolum actu efficaci voluntas fertur in ſingularia, ſed etiam in bonum in communi; Vt ſi quis vellet bonum virtutis in communi.

3. Sententia Ferr.

42 Tertia ſententia eſt Ferrar. 3. cont. Gent. cap. 6. aſſerens, quod voluntas ex ſuppoſitione, quod intellectus proponat illi beatitudinem in communi neceſſariò vult illam quantum *ad exercitium*, quandiu intellectus perſeuerat in illius propoſitione: dum verò ceſſat intellectus ab illius propoſitione, ceſſat etiam voluntas ab *exercitio* actus.

43 Fundamentum huius ſententiæ eſt ratio, quam tradidit D. Th. in hoc art. 2. ſcilicet, quod in potentia voluntatis eſt auertere intellectum à conſideratione cuiuſcumque obiecti: Ergo dum intellectus proponit voluntati beatitudinem in communi non poteſt ceſſare ab illius volitione.

Ratio huius ſentẽtiæ.

44 Reſpondetur conceſſo antecedente, negando conſequentiam, quia ſemper voluntas remanet in ſua libertate, dum non proponitur ei obiectum ſine vlla ratione mali.

Reſpõſio.

LECTIO II.

Vtrum primus actus voluntatis circa finem (quicumque ille ſit, ſiue in communi, ſiue in particulari) ſit neceſſarius quoad exercitium?

45 PRoponitur hæc difficultas propter Caiet. ſpecialiter, qui in hoc art. 2. (vt inf. melius videbimus) vult quod primus actus volũtatis circa finem quemcumque, ſit neceſſarius quoad *exercitium*.

1. Concl.

46 Reſpõdeo primò. Primus actus voluntatis circa beatitudinem in cõmuni non eſt neceſſarius quoad exercitium. Patet hæc reſponſio ex dictis in præcedenti lectione.

2. Cõcl. & eius Ratio.

47 Reſpondeo ſecundò. Primus actus voluntatis circa finem in particulari nec etiam eſt neceſſarius quoad exercitium. Probatur, quia non eſt neceſſarius quoad ſpecificationem. Ergo neque poteſt eſſe neceſſarius quoad exercitium. Ex his duabus reſponſionibus infertur reſponſio tertia clariſſima meo videri, quod primus actus ſimpliciter voluntatis non poteſt eſſe neceſſarius quoad exercitium. Vnde

3. Cõcl. & eius 1. Ratio.

48 Reſpondeo tertiò. Primus actus voluntatis ſimpliciter primus totius

vitæ

vitæ non potest esse necessarius quoad exercitium. Probatur, quia iste primus actus vel erit circa beatitudinem in communi; vel circa beatitudinem in particulari, quomodocumque sit, est liber quoad exercitium, vt probatum est duabus responsionibus præcedentibus. Ergo.

a. Ratio. 49 Secundo, quia primum obiectum propositum voluntati potest esse aliquod bonum sensibile, quia intellectus cognoscit obiectum sibi ministratum per sensus. quod quidem potest esse bonum, vel malum.

Montes. 50 Ex hac ratione infert Montes. quod Angelus in primo actu non potuit peccare. Quia in primo actu non fuit ei propositum obiectum per sensū, sed à Deo medio intellectu ipsius Angeli. Similiter nec homo in statu naturæ integrè, in quo natus fuisset cum iustitia originali, potuisset peccare in primo actu libero propter eamdem rationem: Nam etiam ei fuisset propositum obiectum à Deo. In statu autem præsenti bene potest peccare, quia cum cognitio intellectiua pendeat à sensibus, potest facilè decipi.

3. Ratio. 51 Tertio, quia ex sententia D. Tho. in primo actu homo tenetur se conuertere ad Deum. Ergo liberè.

Sententia opposita Caiet. 52 Contra hanc sententiam est Caiet. in hoc art. dicens simpliciter primum actum voluntatis circa finē esse necessarium quoad exercitium. Habet enim hæc verba in §. circa doctrinam traditam. *Dupliciter inuenitur in ea (scilicet in voluntate) naturalitas scilicet secundum determinationem ad exercitium, & secundum determinationem ad speciem. Est enim voluntas naturaliter determinata ad eliciendum actum aliquem, puta primum, &c. Et est rursus naturaliter determinata ad obiectum, puta bonum, &c.*

1. Argum. Caiet. 53 Rationes autem duas adducit Montes. hoc loco pro eius sententia nam Caiet. non illas formal. Prima est. Quia alioqui daretur processus in infinitum nisi deueniretur ad vnum actum primum voluntatis necessarium quoad exercitium. Ergo &c. Antecedens probatur: Quia actum liberum debet præcedere consultatio: ergo debet deueniri ad aliquem actum, qui non præcedatur à consultatione, ac proinde qui non sit liber, alioquin sequeretur processus in infinitum.

Respõsio. 54 Respondetur, quod non ad omnem actum liberum debet præcedere consultatio, sed solum ad illum, qui est circa media: Ad eum autem, qui est circa finem, sufficit iudicium intellectus proponentis obiectum vt conueniens, vel disconueniens.

2. Argum. Caiet. 55 Secunda ratio, quia omne variabile debet præsupponere aliquod firmum. Ergo omnis actus liber debet præsupponere aliquem actum necessarium. Ista ratio est sumpta ex D. Th. 1. p. q. 82. qua probat Sanctus voluntatem esse determinatam quoad specificationem, neq; Caiet. in commentario illius loci tenet hanc sententiam.

D. Th. Caiet.

Respõsio. 56 Respondetur ergo ex ipso S. Th. quod sufficit vt voluntas sit firma quantum ad specificationem vltimi finis. Addit Montes. quod sit quædam congruentia, qua D. Th. probat prædictam conclusionem.

LECTIO III.

De dubio incidenti, quod duas complectitur difficultates?

57 AN sola voluntas formaliter sit libera?

58 Dico primò. Intellectus non est liber quoad exercitium. Ratio est: Quia positis omnibus requisitis ad agendum non potest non intelligere, sicut oculus non videre.

59 Dico secundò. Non est liber quoad specificationem. Ratio est. Quia semper debet sequi verum. Itē, quia non est liber quoad exercitium: Ergo neque quoad specificationem. Probatur consequentia; Quia si non habet exercitium se determinandi,

Ergo

Digitized by Google

Ergo semper se determinat ad alteram partem.

60 Dico tertiò. Voluntas solum est libera formaliter, & ab illa deriuatur libertas in intellectu. Ratio est: Quia secundum se est indifferens ad vtrumlibet: siue in ea est vis electiua, vt ait D. Th. 1. p. q. 83. a. 3. Contra est Durandus, sed reijcitur communiter.

61 An intellectus radicaliter sit liber.

62 Dico primò. Si radix sumatur pro causa non est radicaliter liber. Ratio est. Quia non influit in libertatem tanquam causa. Dico secùdò. Si non sumatur pro causa sed tanquam pro eo, quod est primum dicitur radix libertatis. Ratio est. Quia primò intellectus proponit obiectũ cum indifferentia. Dico tertiò simpliciter cognitio est conditio requisita ad libertatem. Ratio est. Quia sic concurrit cognitio intellectus.

ARTICVLVS III.

Vtrum voluntas moueatur de necessitate ab inferiori appetitu?

63 PRæmittit S. Tho. quod passio dupliciter potest occupare rationẽ. Primò vt totaliter liget illam, sicut cõtingit in amentibus: Secundò, vt tantum obnubilet eam, neque in totum absorbeat. Hoc posito.

64 Respondet primò. Si passio totaliter absorbet rationem: Voluntas hominis necessariò mouetur, sicut accidit in brutis. Ratio est. Quia nullus est motus rationis in eo casu, & per consequens neque voluntatis. (Intellige de motu rationali.)

65 Respondet secundò. Si passio non aufert vsum rationis, sed obnubilat tantum: Voluntas non mouetur necessariò ab appetitu inferiori: Siue non sequitur necessariò passionem. Ratio est. Quia remanet tunc libera: nam remanet sufficiens lumen intellectus ad proponendum obiectum cum indifferentia.

ARTICVLVS IV.

Vtrum voluntas moueatur de necessitate ab exteriori motiuo, quod est Deus?

66 REspondet D. Tho. quod Deus non moueat voluntatẽ ex necessitate. Ratio est. Quia ad prouidẽtiam diuinam pertinet (ex D. Dionys. cap. 4. de diuin. nom.) non corrumpere naturã rerum, sed seruare: Sed natura voluntatis est libera: Ergo liberè eam mouet. Ex ista ratione colligit etiam D. Th. quod causas necessarias necessariò moueat, & contingentes contingenter.

QVÆSTIO XI. D. TH.

De fruitione, quæ est actus voluntatis, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum frui sit actus appetitiuæ virtutis?

1 REspondet Sanctus Th. quod fruitio est actus appetitiuæ potentiæ. Ratio est. Quia fruitio est delectatio, quam quis habet de vltimo expectato, quod est finis: Sed finis est obiectum appetitiuæ potentiæ: Ergo &c. Maior probatur, quia fruitio denominatur à fructu: Sed fructus sensibilis est id, quod vltimum ex arbore expectatur, & cum quadam suauitate percipitur: Ergo &c.

2 In responsione ad primum ait, quod visio Dei in quantum est visio, est actus intellectus; in quantum autem est bonum, & finis, est voluntatis obiectum: Et sic fruitio est de ea. Ratio est. Quia nihil prohibet vt vnum, & idem secundum diuersas rationes ad diuersas potentias pertineat.

ARTICVLVS II.

Vtrum frui conueniat tantum rationali creaturæ, an etiam animalibus brutis?

3 REspondet primò D. Th. quod fruitio finis secundum rationem perfectam cõuenit tantum rationali creaturæ. Ratio est. Quia ei conuenit cognitio perfecta: & imperium simpliciter.

4 Respondet secundò, quod fruitio finis imperfecta conuenit brutis. Ratio est. Quia habent cognitionem imperfectam. Vlterius, quia appetitus eorum imperat, & mouet cæteras potentias.

5 Respondet tertiò, quod creaturis irrationalibus nullo modo conuenit fruitio. Ratio est. Quia nullam habeat cognitionem. Vlteriùs, quia in ipsis est tamen potentia pertingens ad finem per modum exequentis.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

Vtrum fruitio sit tantùm vltimi finis?

6 RESpondet primò Sãctus Th. quod fruitio completa, & perfecta est tantum vltimi finis. Ratio est. Quia in eo vltimatè quiescit appetitus.

7 Respondet secundò, quod fruitio finis non vltimi est incompleta, & non simpliciter perfecta. Ratio est. Quia in eo non vltimatè quiescit appetitus.

8 Respondet tertiò, quod fruitio nullo modo sit mediorum. Ratio est. Quia media propriè fructus non dicuntur.

ARTICVLVS IV.

Vtrum fruitio sit solùm finis habiti?

9 RESpondet primò D. Tho. quod fruitio perfecta, est finis habiti realiter. Ratio est. Quia tunc finis perfectè habetur, quando realiter possidetur.

10 Respondet secundò, quod fruitio imperfecta est finis habiti in intentione solùm. Ratio est. Quia tunc finis non perfectè habetur, siue possidetur.



Digitized by Google

QVÆSTIO XII. D. TH.

De intentione in quinque articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum intentio sit actus intellectus, vel voluntatis?

1 REspondet D. Tho. quod intẽtio propriè est actus voluntatis. Ratio est. Quia intentio vt ipsum nomen sonat, significat in aliud tendere: Sed proprium est voluntatis in aliud tendere, scilicet in finem mouendo alias potentias: Ergo &c.

2 In solutione ad tertium dicit D.Th. quod finis absolutè consideratus specificat volitionem; Secundum autem, quod in eo quiescitur, specificat fruitionem; Secundum verò, quod est terminus alicuius, quod in ipsum ordinatur, specificat intentionem.

ARTICVLVS II.

Vtrum intentio sit tantum vltimi finis?

3 REspondet primò D. Th. quod intentio semper est finis. Ratio est, quia intentio respicit terminum motus voluntatis: Sed terminus motus voluntatis est finis: Ergo &c.

4 Respondet secundò, quod non est necesse, vt sit semper vltimi finis. Ratio est, quia dantur *finis* intermedij.

ARTICVLVS III.

Vtrum aliquis possit simul duo intendere?

5 PRæmittit D. Tho. quod aliqua duo possunt accipi dupliciter: vel ordinata ad inuicem: vel non ordinata.

Hoc posito.

6 Respondet primò. Si accipiantur vt ordinata ad inuicem, potest homo simul multa intendere. Ratio est. Quia intentio non solum est finis vltimi, sed etiam finis medij.

7 Respondet secundò. Si duo nõ accipiantur vt ordinata ad inuicem, homo potest simul plura intendere. Ratio est. Quia potest vnum præeligere alteri ex hoc, quod ad plura valeat. Iste art. est sup. q. 1. explicatus, vbi egimus, quod voluntas non potest simul intendere duos fines adæquatos totales.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

Vtrum intentio finis sit idem actus cum voluntate eius, quod est ad finem?

8 PRæmittit D. Tho. quod motus volũtatis in finem, & in id, quod est ad finẽ, potest considerari dupliciter: Vno modo secundum quod volũtas in vtrumq; fertur absolutè, & secundum se: Alio modo secũdum quod voluntas fertur in id, quod est ad finem, propter finem.

9 Respondet primò. Quod si motus voluntatis consideretur vt fertur in finem, & in id, quod est ad finem, secundum se, & absolutè est duplex motus. Patet ex terminis.

10 Respondet secundò. Quod si consideretur secundum quod voluntas fertur in id, quod est ad finem, propter finem, est vnus motus. Ratio est. Quia cum dico volo medicinam propter sanitatem, non designo nisi vnum motum voluntatis: nam finis est ratio volendi ea, quæ sunt ad finẽ.

11 In solutione ad tertium dicit, quod intentio finis, & electio mediorum differunt, sicut ascensio, & descensio.

ARTICVLVS V.

Vtrum intentio conueniat animalibus brutis?

12 SVpponit D. Tho. quod dupliciter potest dici intendi finis: Vno modo per modum mouentis: Alio modo per modum moti ad ipsum finem. Hoc posito,

13 Respondet primò, Quod animalia per modum moti intendunt finem. Ratio est, Quia instinctu naturali mouentur ad aliquid.

14 Respondet secundò. Quod per modum mouentis nullo modo intendunt finem, quod est propriè, & principaliter intendere finem. Ratio est. Quia mouere se in finem est creaturæ rationalis tantum.

15 Super quæstionem 11. & 12. nihil principaliter occurrit dicendum. Solum aduertendum est, quod S. Th. hìc complet tractatũ de tribus actibus voluntatis circa finem, scilicet volitionis, fruitionis, & intentionis. Ex q. seq. incipit agere de actibus voluntatis circa media, qui sunt tres, scilicet eligere, consentire, & vti.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO XIII. D. TH.

De electione, quæ est actus voluntatis respectu eorum, quæ sunt ad finem, in sex art. diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum electio sit actus voluntatis, vel rationis?

1 RESpondet D. Tho. quod electio substātialiter est actus voluntatis. Ratio est. Quia perficitur in motu quodam animæ ad bonum, quod eligitur; Siue est motus animæ ad bonum, quod eligitur: Sed bonum est obiectum voluntatis: Ergo.

ARTICVLVS II.

Vtrum electio conueniat animalibus brutis?

2 RESpondet D. Tho. quod brutis animalibus electio nō cōuenit. Ratio est; Quia electio est acceptio vnius respectu alterius, vel præ alio.

ARTICVLVS III.

Vtrum electio sit solum eorum, quæ sunt ad finem, vel etiam quandoque ipsius finis?

3 RESpondet D. Tho. quod finis in quātum finis non cadit sub electione. Ratio est. Quia finis in operabilibus se habet, vt principium: electio autem est eorum, quę sunt ad finē: Ergo &c. Vel meliùs. Electio in agibilibus se habet sicut assēsus sciētificus in intelligibilibus: Sed assēsus scientificus in quātum huius modi non est principiorum, sed conclusionis: Ergo electio non est finis (qui est principium in agibilibus) sed eorum, quæ sunt ad finem. Confirmatur. Quia electio præsupponit iudicium intellectus.

4 Respondet secundò, quod finis in quantum ordinatur ad alterum sub electione cadit. Ratio est. Quia sanitas, qui est finis Medici corporalis, potest esse medium Medici spiritualis ordinantis illam ad vitam rigorosam, ac pœnitentem.

Digitized by Google

LECTIO VNICA.

An electio sit finis intermedij?

5 DIco primò electio non est de vltimo fine simpliciter. Ratio est. Quia de eo non est consultatio. 2. Quia vt ait D. Th. est primum principium simpliciter in agibilibus.

1. Cócl. & eius Ratio.

6 Dico secundò de vltimo fine secundum quid, hoc est de vltimo fine vniuersali respectu alicuius hominis facultatis nec etiam est electio. Ratio est. Quia nec etiam de eo est consultatio, sed supponitur tanquam certum, & firmum. Medicus enim nō consultat an velit sanare. Orator non consultat an velit persuadere. Et sic de alijs.

2. Cócl. & eius Ratio.

7 Dico tertiò. Electio potest esse finis intermedij in quantum formaliter ordinatur ad vlteriorem finem. Ratio est. Quia vt sic potius habet rationem medij. Ita D. Th. in hoc art. ad 2. & q. seq. a. 1. Contra hoc videtur vnum argumentum. Quia electio est finis intermedij simpliciter dicti. Nam vnus præaccipitur alteri. Vnus enim eligit Medicinam, alter Theologiam, vnus cælibatum, alter statum coniugalem.

3. Cócl. & Ratio.

Argum. oppositū.

8 Respondetur, quod duo sunt in fine intermedij, & quod sit propter se amabilis, & quod ordinetur ad alteram: Secundùm quod est propter se amabilis non cadit sub electione: secundùm verò, quod formaliter ordinatur ad alterum, cadit sub electione: Nam electio est singularium vt ordinantur ad alia. Intentio etiam, siue acceptio vnius præ alio formaliter, & secundum se considerata non in rigore dicitur electio, cū possit esse finis in communi, & secundum se considerati: Dicitur enim hæc lato modo electio.

Respō sio.

ARTICVLVS IV.

Vtrum electio sit tantum eorum, quæ per nos aguntur?

9 REspondet D. Tho. quod electio semper est humanorū actuum. Ratio est. Quia electio est eorum, quæ sunt ad finem. Ea autem, quæ sunt ad finem, vel sunt res aliqua interueniente actione humana, vel ipsa actio humana: Ergo &c. Minor in qua est difficultas probatur ex proportione finis. Quia ita se habet electio ad media sicut intentio ad finem: Sed intentio est finis, qui vel erit actio humana, (sicut finis medici est facere sanitatē) vel aliqua res, in qua interuenit actio humana, sicut finis auari est pecunia, qua ipse vtitur, vel fruitur: Ergo pariter electio. Vlteriùs in argumento *Sed contra* quoad responsionem ex Arist. 3. Eth. cap. 2. vbi ait: *Nullus eligit nisi ea, quæ existimat fieri per ipsū.*

ARTICVLVS V.

Vtrum electio sit solùm possibilium?

10 REspondet D. Tho. quod electio non est nisi possibiliū. Prima ratio est ex art. præced. Quia electio est eorum, quæ per nos aguntur. Secunda ratio est. Quia electio est eorum, quæ conducunt ad finem: Impossibile autem non conducit ad finem: Siue per impossibile nullus potest consequi finem.

11 In responsione ad primum ait S. Th.

Digitized by Google

S. Th. quod voluntas completa (hoc est perfecta, & absoluta (non est nisi de possibili; Voluntas autem incompleta (hoc est imperfecta, & conditionata) est de impossibili. Ratio primæ partis est. Quia voluntas perfecta sumitur per ordinem ad operationem, per quam quis tendit ad conseruationem rei: Etenim voluntas est media inter intellectum, & operationem; Intellectus enim proponit voluntati suũ obiectum, & ipsa causat operationẽ. Ratio autem secundæ partis est. Quia potest quis habere hunc actum: Vellem tale obiectum si esset possibile; Vnde à quibusdam dicitur velleitas.

LECTIO I.

Vtrum voluntas possit appetere aliquod impossibile?

12 HÆC difficultas mouetur occasione verborũ, quæ habet D. Th. ad primum, nempe: Voluntas incompleta est de impossibili, quæ secundum quosdam velleitas dicitur; quia scilicet aliquis vellet illud si esset possibile; quæ quidem non paruam inuoluunt difficultatem.

13 Pro cuius explicatione notandum est primo, quod *impossibile* potest apprehendi vt possibile, vel iudicari re vera vt impossibile est. 1. Animaduersio.

14 Notandum secundò ex Caiet. 1.p. q. 63. a. 3. quod *impossibile* duplex est: Vnum, quod dicitur *impossibile per se*, & ex natura rei: Alterum quod dicitur *impossibile per accidens*, & ex suppositione. *Impossibile per se*, & natura rei dicitur, quod nullo modo esse potest, vt Deum non esse, hominem fieri Angelum &c. *Impossibile per accidens*, & ex suppositione dicitur illud, quod secundum se esse potest, nihilominus ratione alterius adiuncti, vel facta suppositione nullo modo esse potest; Sicut supposito, quod Adam peccauit, impossibile est ipsum non peccasse, potuit tamen non peccare. Similiter supposito, quod aliquis sit mortuus, impossibile est ipsum non esse mortuum, potuit tamen non mori. 2. Animaduersio.

15 Notandum tertiò, quod dupliciter aliquid dicitur *appetibile*: Vno modo *per se*: Alio modo *per accidens*: *Appetibile per se* dicitur illud, quod secundum se est bonum, & conueniẽs appetitui. *Appetibile per accidens* dicitur illud, quod ex se neque est bonum, neque conueniens appetitui, est tamen bonum, siue conueniens appetitui ratione alterius appetibilis, cui coniungitur, sicuti, *non esse*, nõ est bonum, nec appetibile per se, appetitur tamen à damnatis, quia coniungitur carentiæ pœnæ, quæ habet rationem boni, & appetibilis ab eis. 3. Animaduersio.

16 Colligitur hæc distinctio manifesta ex D. Th. 1.p.q.5.a.2. ad 3. vbi ait: *Non esse secundum se non est appetibile, sed per accidens, in quantum scilicet ablatio alicuius mali est appetibilis, quod quidem malum aufertur per non esse.* Et q. 19. a. 9. in corp. vbi dicit etiã: *Quod malum appetitur per accidens, in quantum consequitur ad aliquod bonum: sicut agens naturaliter per se intendit generationem vnius formæ, per accidens autem corruptionem alterius. Leo enim per se intendit cibum, per accidẽs autem occisionem Cerui.* Quod quidem intelligendum est non solum per ordinem ad appetitum naturalem, & animalẽ, sed etiam per ordinem ad appetitum rationalem, vt patet ex alio exemplo, quod subdit de fornicatione. Ait enim *fornicator per se intendit delectationẽ, cui coniungit malum culpæ.* Et ex toto contextu. His notatis. S. Tho.

17 Respondeo primò. *Impossibile* existimatum *possibile* potest appeti à voluntate. Ratio est. Quia voluntas appetit malum, quod reputat bonum: Ergo simpliciter potest appetere *impossibile*, quod reputat possibile. Neque de hac responsione est vlla difficultas inter Philosophos, & Theologos. 1. Cõcl. & eius Ratio.

18 Respondeo secundò. *Impossibile* 2. Concl.

Digitized by Google

bile per se, & quod iudicatur tale, non potest appeti *per se*, & *directè* à voluntate, nisi sub conditione vt ait D. Th. in resp. ad 1. scilicet si esset posibile.

Ratio. 19 Ratio est. Quia secundum se nullam habet bonitatem: Nam nullam habet entitatem, nec essentiæ, nec existentiæ.

Euasio Vasq. & Montes. 20 Huic rationi respondet Vasq; hìc, & Montes. quod stante iudicio de impossibilitate, *impossibile* potest aliquo modo apprehendi ad modum entis posibilis, & sic appeti à voluntate.

Præclusio 1. 21 Sed certè hæc resposio si aliud intendit, quam vt iacet nostra conclusio, friuola est. Primò, quia *impossibile* si apprehenditur aliquo modo ad modum entis posibilis, & sic voluntas affectu simplicis complacentiæ fertur in illud: Ergo formaliter fertur in posibile, nõ verò vt impossibile.

2. Præclusio. 22 Secundò. Quia iudicium verũ, & firmum impossibilitatis excludit quamlibet rationem posibilis ab imposibili.

3. Concl. 23 Respondeo tertiò: *Impossibile per se* potest appeti per accidens. Ita colligitur ex D. Th. locis sup. cit. & est sentẽtia communis Thomistarum.

Ratio. 24 Probatur. Quia damnati appetunt Deum non esse simpliciter, nam appetunt carere miseria ęterna, quam iudicant sibi prouenire ab ipso Deo.

Confir. 25 Confirmatur. Nam non solùm appetunt ipsum non esse punitorem, quod est *impossibile per accidens* facta suppositione peccati, sed etiam ipsum simpliciter non esse.

4. Cõcl. & eius Ratio. 26 Respondeo quartò. *Impossibile per accidens*, & facta suppositione, si secundum se consideretur, potest esse volitum. Ratio est. Quia secundum se consideratum est posibile: Ergo habet entitatem posibilem: Ergo bonitatem posibilem: Ergo appetibilitatem.

Confir. 27 Confirmatur, quia *impossibile per accidens*, siue ex suppositione, quãuis vt subsstat suppositioni, & consideratur hìc, & nunc, non habeat posibilitatem, nihilominus si consideretur *secundum se* habet posibilitatẽ. Quod enim peccatorem non peccasse impossibile sit facta suppositione sui peccati; nihilominus potuit absolutè loquendo non peccare: Ergo.

2. Ratio desumpta ex exemplis. 28 Deinde probatur multis exemplis. Primò. Quia qui detestatur peccatum commissum, vult se non peccasse, & tamen facta suppositione, quod peccauerit, est impossibile. Secundò. Pater videns mortuum filium, vult ipsum viuere, & tamen supposita morte naturaliter loquẽdo est imposibile. Tertiò. Damnati appetunt beatitudinem, & nihilominus est imposibilis eis facta suppositione eorum damnationis: Ergo &c.

29 Quo autem actu appetantur hæc impossibilia: efficaci: an inefficaci: cõditionato: an absoluto? Dicam in lectione seq. Nunc referam sententias contrarias.

1. Sententia opposita Vasq. & Mont. 30 Prima sententia est Vasq. hic disp. 42. cap. 4. Montes. & aliorum, qui indistinctè dicunt voluntatem posse appetere impossibilia, actu inefficaci, & absoluto. Neque admittunt distinctionem Caiet. *impossibilis per se*, & *impossibilis per accidens*. Quam sententiam probant primò reijciendo sententiam Caiet. & aliorum Thomistarum: deinde aliquibus rationibus factis pro nostra quarta responsione, & alijs, quas addit ipse Vasq.

1. Argum. 1. sententiæ. 31 Est ergo prima ratio. Quia ex Caiet. & cæteris Thomistis (& nobis etiam) *impossibile per se* non potest esse volitum: Ergo neque *impossibile per accidens*. Probatur consequentiam, quia *impossibile per accidens*, & *ex suppositione* eodem modo nullum dicit ordinem ad existentiam, ac *impossibile per se*.

Respõsio. 32 Respondetur negando consequentiam. Ad probationẽ dico, quod *impossibile ex suppositione* vt subsstat suppositioni nullum dicit ordinem ad existentiam, sicut *impossibile per se*. Si autem consideretur *secundum se*, & præcisa suppositione, sic dicit ordinem ad existentiam, & vt sic potest appeti.

Digitized by Google

peti. Benè enim qui peccauit, potuit non peccare; Siue benè qui fecit aliquid, potuit illud non facere, vt optimè docet D. Th. 1. p. q. 25. a. 4. vbi ait, ad præterita non se extendere Diuinam potentiam. S. Tho.

33 Secunda ratio directè impugnat secundam responsionem nostrã, in qua diximus cum Caiet. & alijs Thomistis, quod damnati appetunt Deum non esse *per accidens*, quia appetunt liberari à miseria. Impugnat enim hac doctrinam dicendo: Damnati directè appetunt Deum non esse: Ergo non *per accidens*. Probatur antecedens, quia quamuis velint Deum non esse vt euadant miseriam, hoc nõ est esse volitum *per accidens*, sed directè; alioquin quodcumque vtile volitum in ordine ad aliud deberet dici volitum *per accidens*, quod est falsum. 2. Argum.

34 Respondetur negando antecedens. Ad probationem dico, quod Deum non esse secũdum se consideratum nullam potest habere bonitatem, neque causam sui non esse, & cõsequenter nullo modo potest esse directè volitum. (Quidquid sit de voluntate peruersa simpliciter considerata, de qua modo non loquor;) potest autem iudicari habere aliquam rationem boni, quatenus coniungitur cum carentia miseriæ ipsius damnati, Et sic appetitur *per accidens*. 1. Respõsi.

35 Ad id autem, quod additur de vtile ad aliud, siue de medio, dico, quod secundum se habet aliquam bonitatem relatiuam ad finem intentum; Vnde potest dici volitum *per se*, & *directè*, quamuis semper cum ordine ad finem, & ratione finis.

36 Addo cũ Aluarez quod priùs, quam eligatur medium ad finem, nõ est electum aliud medium, ratione cuius eligatur ipsum medium ad finem, tanquam sibi coniunctum; & ideò nõ potest dici, quod eligatur *per accidens*; Secus verò est de non esse Dei intento à damnato ad euadendam miseriã æternam, quod simpliciter est intentum per aliud. Sed melior est prior solutio. 2. Respõsio.

37 Tertia ratio Vasq. quam adducit etiam Montes. ad probandum directè, quod *impossibile per se* possit esse volitum simplici affectu volũtatis. Quia frequenter experimur nos delectari de hoc impossibili, vt nos esse Angelos, vel in aues conuerti: Ergo. 3. Argum.

38 Respondetur, quod hæc delectatio causatur ex eo, quod apprehẽditur vt possibile saltim sub conditione. Respõsio.

39 Quarta ratio, ad probandum quod *impossibile per se* non possit esse volitum *per accidens*. *Non esse* non potest esse volitum *per accidens*: Ergo nec *impossibile ex natura sua*. Consequentia patet ex paritate rationis: nam sicut *non esse* non potest habere rationem boni: ita & *impossibile ex natura sua*. Antecedens patet; quia qui appeteret *non esse*, appeteret non esse beatum, cum *esse* sit fundamentum beatitudinis. 4. Argum.

40 Respondetur negando antecedens. Ad probationem dicitur, quod dupliciter potest appeti beatitudo: Vno modo per modum prosecutionis boni: Alio modo per modum remotionis mali. Qui appetit *non esse*, appetit beatitudinem per modum remotionis mali, hoc est remouendo pœnas, & miserias. Vnde benè potest appetere *non esse*. Respõsio.

41 Colligitur hæc responsio ex D. Th. q. 16. de malo a. 3. ad 5. ex obiectis in contrarium. Et reddit rationẽ; quia dum quis appetit remouere à se aliquid, respicit seipsum vt terminum *à quo*, qui non est necesse saluari in motu; & ideò potest appetere *non esse*. Sed cum appetit aliquod bonum, & vult illud sibi, respicit seipsum vt terminum ad quem, qui debet necessariò saluari in motu. Explicatur respõsio ex S. Th.

42 Quinta ratio. Appetitus naturalis non fertur *in impossibile per accidens*: Ergo neque appetitus rationalis. Antecedens probatur, quia materia prima non habet appetitum ad formam, quam semel amisit. 5. Argum.

43 Ad hanc rationem respõdetur primò 1. Resp.

Digitized by Google

primò negando antecedens. Nã materia dicitur priuata forma, quã amisit, & priuatio generat appetitum.

2. Respõsio. 44 Respondetur secundò, & melius, negando consequentiã. Et ratio disparitatis est: Quia voluntas, siue appetitus rationalis sequitur cognitionem intellectiuam, quæ potest proponere id, quod est *impossibile per accidens* tanquam possibile secundum se.

Vltimum argum. 45 Vltima ratio. Intellectus non assentitur falso: Ergo neque voluntas sequitur *impossibile per accidens*. Respondetur negando consequentiam; quia *impossibile per accidens* secundum se consideratum habet aliquam bonitatem.

2. Sententia opposita Lorcæ. 46 Secunda sententia est Lorcæ, qui distinguit duplex *impossibile*: Vnum *in se*; sicut chimera: Alterum *non in se*, sed *vni*, vel *alteri*; sicuti esse Angelum *in se* non est impossibile, sed tantum homini, & dicit, quod primum impossibile non potest esse volitum, benè autem secundum: hæc sententia quoad secundum dictum absolutè sumpta falsa est. Si autem intelligatur de quadam voluntate inefficaci, & conditionata non est cõtra nos. Et hic est sensus authoris, vt credo: Nec habet alias rationes quã eas, quibus vti sumus pro nostris responsionibus. Sunt & aliæ sententiæ aliquo modo nobis contrariæ, quas subticeo, ne longior quam par est, sit lectio.

LECTIO II.

Vtrum actus, quo voluntas appetit impossibile, sit absolutus, vel conditionatus?

1. Animaduersio. 47 PRæmitto primò ad explicationem huius difficultatis id, quod etiam præcedenti lectione notauimus, scilicet, quod duplex sit *impossibile*: Alterum ex natura rei: Alterum per accidens.

2. Animaduersio. 48 Secundò contra Vasq. hic disp. 42. cap. 3. quod actus voluntatis: Alter sit efficax; & absolutus: & alter inefficax, & conditionatus, qui explicatur modo optatiuo: *Vellem* hoc, si esset possibile, vt ait D. Th. hic ad 1. & 1. p. q. 19. a. 6. ad 1. & 3. p. q. 21. a. 4. Et quidem de actu voluntatis efficaci nulla est difficultas. De actu autem inefficaci fecit difficultatem Vasquez, qui illum absolutè negauit. D. Tho.

Paul. Ap. 49 Sed probatur primo ex illo Apostoli ad Gal. 4. *Vellem nunc esse apud vos, & mutare vocem meam*. Deinde, quia alioqui ponenda esset quædam volitio in Christo absoluta contra Diuinam voluntatem secundum illud: *Si possibile est*. Et tertiò, patet ipsa experientia.

3. Animaduersio. 50 Tertiò præmitto, quod actus conditionatus dupliciter dicitur conditionatus: ex parte ipsius actus, & ex parte obiecti. Ex parte actus quando conditio afficit actum ipsum, & poneretur actus si adimpleretur conditio, vt patet in hoc modo loquendi. *Si occisio inimici esset licita, vellem illam.* Ex parte verò obiecti, quando conditio afficit ipsum obiectum; vt patet etiam in isto modo loquendi. *Contraho tecum, si pulchra es, &c.* His præmissis.

1. Concl. 51 Respondeo primò. Actus, quo voluntas fertur in *impossibile per se*, est conditionatus ex parte obiecti. Est expressa D. Tho. in hoc art. ad 1. & communis Thomistarum.

52 In hac conclusione non conuenit Aluar. Sed certè eo ipso, quod voluntas potest ferri ex D. Th. in *impossibile per se* sub cõditione si esset possibile, debet admitti in ea actus inefficax.

Ratio. 53 Ratio est; Quia voluntas determinat se ad habendum actum sub conditione se tenẽte ex parte obiecti.

Confir. 54 Confirmatur, quia hic actus explicatur per verbum *Vellem*.

2. Concl. 55 Respondeo secundò. *Impossibile per se*, & ex natura sua potest esse volitum actu conditionato conditione se tenente ex parte ipsius actus.

Digitized by Google

Ratio. 56 Probatur; quia potest quis habere hunc actum: *Casu, quo ego possem esse Angelus, tunc vellem esse Angelus, sive haberem actum, quo vellem esse Angelus*. Idem dicitur de *impossibili per accidens*.

3.Concl. 57 Respondeo tertiò. Actus, quo voluntas fertur in *impossibile per accidens*, est etiam cõditionatus ex parte obiecti, sive inefficax.

Ratio. 58 Ratio est eadem, ac primæ responsionis: Quia voluntas se determinat de facto ad actum sub conditione se te tenente ex parte obiecti.

Confir. 59 Confirmatur; nam dum penitens habet hunc actum: *Vellem non peccasse*, cõditio se tenet ex parte obiecti. Habet enim hunc sensum: *Vellem non peccasse, si hoc esset possibile*.

4.Concl. 60 Respondeo quartò. Actus, quo voluntas fertur in *impossibile quodcumque*, non est efficax.

Ratio. 61 Ratio est; Quia ex D.Th. in hoc art. voluntas efficax dicit ordinem ad operationem, per quam quis potest consequi finem: Sed voluntas erga *impossibile* nullo modo respicit operationem, per quam potest quis consequi suum finem: Ergo actus iste nõ potest esse efficax.

Vltima Concl.& Ratio. 62 Respondeo vltimo. Volitiones conditionatæ ex parte obiecti sunt capaces meriti, vel demeriti. Ratio est; quia sunt à voluntate libera.

1.Sententia opposita Vasq. 63 Contra nostram sententiam sic explicatam est sententia Vasquez, qui hìc disp.42.cap.4.ait, volitionem, qua voluntas fertur in *impossibile*, esse absolutam, inefficacem tamen, & simplicis solum complacentiæ.

1.Argum. Vasq. 64 Probat primò ex primo notabili cap. præcedentis. Quia nullus est actus in voluntate præsens, qui sit cõditionatus, & explicari potest per verbum *Vellem*: Sed omnis actus præsens voluntatis debet explicari per verbũ *Volo* præsentis indicatiui: Ergo &c.

Probatur anteced. 65 Probat antecedens ex facultatibus cognoscentibus. Primò. Quia nullus est actus in visu in presenti, qui explicatur per verbum *viderem*, & sit conditionatus. Secundò. Quia nec in intellectu est actus præsens, qui explicatur per verbum *Intelligerem*; Sed hi modi loquendi modi optatiui significant actum, quem vnusquisque haberet, si poneretur conditio.

Animadversio pro solutione primi argumenti. 66 Huic rationi antequam respõdeam, dico primò, quod si in voluntate non daretur actus conditionatus ex parte obiecti, deberent auferri omnes contractus conditionati, & vota etiam conditionata. Secundò, quod deberent auferri omnes modi loquẽdi conditionati in Sacra Scriptura, cuiusmodi specialiter est ille Dei, quo promittit Dauidi se perpetuaturum regnum in domo sua, si filij sui custodissent testamentum, sive legem eius, iuxta illud psal.131. *Si custodierint filij tui, &c.* & alij infiniti. Tertiò, quia alioqui, vt supra notaui, deberet admitti in Christo voluntas absoluta contraria voluntati Patris in illis verbis: *Si possibile est &c.*

Respõsio ad primi argumẽti. 67 Respondeo ergo argum. negando antecedens loquendo de actu cõditionato ex parte obiecti. Ad probationem dico, quod meliùs explicatur actus præsens voluntatis per verbum: *Vellem* modi optatiui, quam per verbum *Volo* modi indicatiui. Primò, quia sic dictat authoritas D.Tho. in hoc art. ad 1. & alijs locis sup. cit. D.Th. Deinde, quia imperfectio, & inefficacitas actus meliùs explicatur per modum loquendi inefficacem, & imperfectam. Ad id autem, quod addit de potentijs cognoscitiuis dico, quod eis non proponitur obiectum sub conditione, & ideò actus eorum non explicatur per verbum conditionale. Addo etiam, quod operantur necessariò iuxta naturã obiecti sibi propositi, & ideò semper oculus videt, vel non videt, & intellectus assentit, vel dissentit absolutè.

2.Argum. 68 Secundò probat ex secũdo notabili cap. cit. præsuppositio. Quia nullus est actus præsens voluntatis, qui feratur in obiectum sub conditione, si esset bonum, vel malum: Ergo &c. Probat antecedens, quia obiectũ visus est color, aut lumen absolutè sum-

Digitized by Google

sumptum. Similiter obiectum intellectus in assensu est verum; in dissensu falsum: Ergo etiam obiectum voluntatis in prosecutione erit bonum; in fuga malum.

69 Respondetur negando antecedens. Ad probationem dico primò; quod dispar est ratio, nam oculus corporis, & oculus mentis sunt potentiæ cognoscitiuæ, & voluntas est potentia appetitiua sequens cognitionem, ac proinde non debent habere eandem rationem obiecti. Secundò dico, quod instantia oculi nihil facit ad rem, cum sit potentia naturalis determinata ad obiectum in particulari; voluntas autem est potentia vniuersalis, quæ sequitur vniuersale, sub quo comprænditur bonum absolutum, & sub conditione. Instantia autem intellectus aliquo modo posset vrgere; Sed non vrget; quia etiam intellectus versatur circa veritates conditionatas, vt est hæc. *Si homo habet alas, potest volare.* Respõsio.

70 Demum addo, quidquid sit de intellectu: An solum feratur in verum absolutum, & falsum absolutum; voluntas bene potest ferri in bonum sub conditione; siue in aliquod obiectum *impossibile*, si esset possibile; Quia potest intellectus formare propositiones obiecti absolutas, & conditionatas, & sic illas obijcere voluntati. Alia responsio.

71 Tertium argumentum potest esse pro hac sententia. Voluntas antecedens, qua Deus vult omnes homines saluos fieri, est de *impossibili per accidens*: Sed hæc est absoluta: Ergo &c. 3. Argum.

72 Huic argumento triplicem solutionem adhibet D. Tho. 1. p. q. 19. a. 6. ad 1. Prima est, vt intelligatur per distributionem accomodam, scilicet, quia nullus saluus fit, quem Deus nõ velit saluum fieri. 1. Respõsio D. Th.

73 Secunda, quod intelligatur de generibus singulorum, non de singulis generum; nempè, quia ex omni statu, conditione, & natura hominũ vult Deus saluos fieri; Ex maribus, ex fœminis, ex Iudæis, & Gentilibus; Et iuxta has duas responsiones negatur maior. 2. Respõsio.

74 Tertia solutio est, quod intelligatur de voluntate antecedenti, non de voluntate consequenti; scilicet, quod consideratis hominibus absolutè vult illos Deus saluos fieri; consideratis autem cum adiunctis, scilicet cum peccatis, vult eos damnari; Sicut Iudex vult voluntate antecedẽti hominem viuere, & voluntate conseq. homicidam mori; Et iuxta hac solutionem conceditur maior, & negatur minor; nam dicitur voluntas conditionata. 3. Respõsio.

75 Vrgebit aduersarius, quia Apostolus tribuit Deo hanc voluntatem absolutam; ait enim 1. ad Thim. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, Respondetur, quod ideò Apostolus dixit hanc esse voluntatem absolutam in Deo, quia considerauit illam non ex parte nostra, scilicet si nos essemus boni; Sed ex parte Dei, quia scilicet ipse quantum est ex se omnes decreuit saluare voluntate anteced. Replica, & respõsio.

76 Quartum argumentum. Appetitus beatitudinis in damnatis est absolutus; Et tamen beatitudo est illis impossibilis ex suppositione damnationis eorum. Similiter appetitus animæ separatæ sui corporis est absolutus; & pariter est impossibilis eius vnio naturaliter loquendo: Ergo. 4. Argum.

77 Respondetur, quod hi appetitus sunt quidem absoluti, quia sunt naturales; Nos autem loquimur de appetitu elicito circa aliquod bonum conditionatum propositum in particulari. Respõsio.

78 Quintum argumentum. Peccãs mortaliter ponit vltimum finem in creatura absolutè, quod est *impossibile*: Ergo. Respondetur, quod ex parte modi appetendi iudicatur, quod peccans mortaliter ponat vltimum finem in creatura, & appetat Deum non esse; non verò ex parte obiecti voliti. 5. Argum. & respõsio.

79 Secunda sententia contra nostram vltimam responsionem est Ferrar. 2. Sẽtent. opposita Ferrar.

rar. qui 3. contra Gent. cap. 109. §. pro horum ſolutione ait circa *impoſsibile per ſe*, & ex natura ſua, non poſſe verſari appetitionem inefficacem ſufficientem ad peccatum mortale.

Ratio huius ſententiæ.

89 Ratio ipſius eſt; Quia hoc *impoſsibile* nullo modo poteſt iudicari conueniens, neque ſibi, neque alteri, ac proinde non poteſt appeti.

Reijcitur hæc ſententia.

81 Sed hęc opinio cõmuniter reijcitur ex dictis cum ſuo fundamento. Quia poteſt vnus ruſticus, qui accepit grauamen aliquod ab aliquo Principe, habere hunc actum: *Si poſsem, vellem ipſum nunc occidere*. Similiter dãnatus tanto odio fertur in Deum, vt continuò appetat eius deſtructionẽ, ſi eſſet poſsibilis. Vnde dicitur ad eius rationem, quod poteſt iudicari conuenies *impoſsibile* ſub conditione.

ARTICVLVS VI.

Vtrum homo ex neceſsitate eligat?

82 RESpondet S. Tho. quod homo non ex neceſſitate, ſed liberè eligit. Quæ reſponſio intelligitur tum *quoad ſpecificationem*, tum *quoad exercitium*. Probat primò in argumento *Sed contra* ex Philoſ. Quia electio eſt actus potentiæ rationalis, quæ ſe habet ad oppoſita. Secundò in corp. Quia poteſt homo velle, & non velle; velle hoc, aut illud: Ergo. Probat antecedens. Quia voluntas ſequitur bonum apprehenſum per intellectum: Sed poteſt ratio apprehendere vt bonum *agere*, & *non agere*, & aliquod particulare, vt bonum, vel malum. Tertiò, quia electio non eſt de fine, ſed de his, quæ ſunt ad finem. Sed ſolum voluntas eſt determinata ad vltimum finem: Ergo &c.

83 In reſponſione ad tertium ait D. Th. quod ſi proponãtur duo æqualia eligibilia, poteſt voluntas conſiderare in vno aliquam conditionem, ratione cuius eminet alteri, & ſic illud eligere, ſiue in eum magis flecti.

LECTIO I.

Vtrum ſuppoſita intentione efficaci finis, ſi non ſit niſi vnum medium ad conſequendum illum, voluntas maneat libera in electione illius?

84 NOtandum eſt primò, quod tit. debet intelligi vt iacet, ſcilicet, quod intentio finis ſit efficax; Si enim non ſit efficax, nulla eſt difficultas; cũ ſimplex volitio non moueat ad electionem mediorum. Præterea, quod debeat perſeuerare intentio efficax finis; Nam ſi non perſeuerat, etiam euacuatur omnis difficultas, quia ceſſante intentione finis, ceſſat etiam quæcumque electio mediorum. Vnde ſi quis vellet ſanitatem, ad cuius conſecutionem non eſſet aliud medium, niſi abſciſsio membri; Si iſte reſpuerat hoc medium, ſignum eſſet, quod non perſeueraret intentio efficax finis.

1. Animaduerſio.

85 Notandum eſt ſecundò, quod electio dupliciter accipi poteſt: Vno modo *ſtrictè*, & *rigoroſè*: Alio modo *largè*. Electio *rigoroſè* ſumpta eſt acceptio vnius præ alio, vt ait D. Th. in art. 2. huius quæſtionis; Vnde ſemper eſt inter duo; Electio verò *largè* ſumpta eſt tantùm acceptatio vnius abſq; reſpuitione alterius, ſiue eſt determinatio voluntatis ad vnum ad conſequendum alterum. Difficultas intelligitur de electione *largè* ſumpta. Hoc poſito.

2. Animaduerſio.

D. Th.

86 Reſpondeo primò cum communi ſententia Theologorum. Volũtatẽ nullo modo manere liberam in electione talis medij, ſed eſſe neceſsitatam ex ſuppoſitione ad illius electionem.

1. Concl.

87 Pro-

Digitized by Google

Probat. 1. ex D. Th.

87 Probatur primò ex D. Th. in hac p. 2. q. 10. a. 2. ad 3. vbi ait, quod voluntas de necessitate vult esse, & viuere, sine quibus beatitudo haberi non potest.

Probat. 2. ratione.

88 Probatur secũdò ratione ipsius S. Doct. 1. p. q. 82. a. 2. Quia vnicum medium habet necessariam connexionem cum fine efficaciter intento: Ergo si voluntas appetit efficaciter finẽ, appetit necessariò medium. Probo consequentiã. Quia intellectus necessariò assentitur conclusionibus, quæ habent necessariam connexionem cũ principijs, dum videt illam necessariam connexionem: Ergo &c.

Probat. 3.

89 Tertiò probatur; Quia efficax intentio finis ex natura sua infert electionem mediorum: Ergo quotiescumque non apparet, nisi vnum medium ad consequendum finem, voluntas necessariò determinabitur ad illud medium.

2. Concl.

90 Respondeo secundò. Electio huius medij erit necessaria iuxta necessitationem intentionis finis; ita vt si intentio finis sit necessaria quoad *specificationem*, & *exercitium*, electio pariter sit necessaria quoad *specificationem*, & *exercitium*; Si necessaria quoad *specificationem*, & electio etiam tantùm quoad *specificationem*.

Ratio.

91 Ratio est, quia tota necessitas intentionis finis redundat in electionem mediorum, cum electio mediorum sit necessitas ex suppositione.

1. Obiectio.

92 Contra hanc communem sẽtentiam est primum argumentum. In hac electione vnici medij potest esse nouum meritum, vel demeritum distinctum à merito, vel demerito intentionis finis: Ergo noua libertas.

Respõsio ex Mont.

93 Huic argumento respondet Montes. concesso antecedente negando consequentiam, quia libertas, quæ est circa finem se extendit ad libertatem circa media, quatenus requiritur ad meritum: Sed non propterea talis electio non est necessaria ex suppositione, sicut voluntas moriendi in Christo fuit meritoria, & tamen suppositio diuino præcepto erat necessaria. Ratio autem, quare in electione vnici medij possit reperiri nouum meritum, vel demeritum, est; quia potest reperiri noua bonitas, vel malitia distincta specie à bonitate, vel malitia finis.

2. Obiectio, & responsio.

94 Secundum argumentum. Vnicum medium est quoddam bonum particulare, ac proinde nõ habet omnem rationem boni: Ergo non eligitur necessariò. Respondetur, quod supposito, quod non sit aliud medium, habet omnem rationem boni vtilis ad finem.

LECTIO II.

Vtrum ex duobus medijs æqualibus possit voluntas eligere quod sibi libet: & an ex duobus inæqualibus possit eligere minùs vtile?

95 HÆC difficultas celebris est in hac materia, & & ortum habuit ex respõsione D. Th. ad tertium, in qua dixit, quod si volũtati proponantur duo æqualia, potest in vno considerari aliqua conditio, ratione cuius magis emineat, & sic voluntas potiùs flectatur in illud, quã in alterum.

Animaduersio.

96 Pro cuius explicatione est aduertendum, quod hic loquimur de electione, quæ sequitur ad iudicium practicum intellectus, quo dictat hic, & nunc aliquod esse faciendum. Hoc posito.

Conclusio.

97 Respondeo. Voluntatem nullo modo posse eligere æquale mediũ relicto altero æquali: vel minùs vtile, relicto altero vtiliori. Ita Aluar. Conradus, & Caietan in hoc art. quãuis pro contraria sententia referatur, sed perperam, vt legenti illum constabit, Vasquez, & alij. Caiet. Cõradus. Aluarez. Vasquez.

Probat. 1. ex Arist.

98 Probatur primò ex Arist. 3. Eth. cap. 2. vbi ait: *Eligimus, quæ maximè iudicamus bona.* Et cap. 3. ait: *Quod enim cæteris ex consultatione præstulimus,*

Digitized by Google

mus, id eligibile est. Et clariùs 3. de Anim.cap. 11. loquendo de potentia deliberatiua dicit: *Maius enim prosequitur.*

99 His testimonijs respondent aduersarij, quod Arist. loquatur de electione, quæ vt in plurimum solet haberi; non verò de electione, quam voluntas ex sua libertate potest elicere. Sed certè absolutè loquitur Aristoteles de electione; sed quidquid sit de eius author. parum refert.

Euasio aduersar. & præclusio.

100 Ideò probatur ex Damasc. qui lib.2.de Fide Orthod. cap.22. ait; *quod per consultationem perpendimus, quod melius est, ad quam sequitur electio*. Et statim subdit definitionem electionis dicens *quod ex duabus rebus sit acceptio vnius præ altera.*

2. Probat. ex Damasc.

101 Tertiò ex D.Aug. de lib. arb. cap.7.vbi ait: *Quod nemo vult non esse, quia melius est esse*. Vltimò probatur ex D.Th. in corp. huius art. vbi dicit, quod voluntas quoad exercitium actus pendet ab intellectu,qui proponat voluntati vt bonum, vel malum *agere*, & *non agere.*

3. Probat. ex D. Augustin.& D. Thoma.

102 Deinde probatur hæc nostra responsio rationibus. Et primò ratione, quam format Aluar. Quia voluntas ex se est indifferens ad agendum, & non agendum: Ergo debet determinari ab aliquo extrinseco ad operationem: Sed non potest determinari ab æquali medio, vel inæquali, scilicet minùs vtili: Ergo à magis vtili, vel conuenienti. Antecedens est certum. Prima consequentia probatur ex D.Tho. 1. p.q.19. a.3. vbi ait: Quod causa,quæ de se est contingens,oportet, quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Minor subsumpta probatur; quia non est maior ratio, cur potius determinetur ab vno medio æquali,quam ab altero.

1. Ratio concl. ex Aluarez.

D.Th.

103 Huic rationi possunt respondere aduersarij, quod voluntas ex semetipsa,& sua libertate se determinat ad actum.

1. Euasio aduersar.

104 Sed contra;Quia voluntas nõ est primum se determinans ad operationem: Ergo ab aliquo extrinseco debet oriri sua determinatio.

Præclusio.

105 Potest secundò responderi, quod respectu voluntatis increatæ nõ sit primam se mouens, & determinãs, non verò respectu causæ creatæ.

2. Euasio.

106 Sed contra; quia etiam actus ipsius originatur ab aliqua causa creata, scilicet ab obiecto.

Præclusio.

107 Secundò probatur ratione,quã etiã format Vasquez.Quia electio cõsequitur ad consilium: Sed consilium est de meliori bono; Quousque enim intellectus non adinuenit melius bonum, siue vtilius medium, non fert iudicium motũs ad electionem:Ergo.

2. Ratio ex Vasq.

108 Respondebis, quod quando reperit duo media æqualia, fert iudicium de illis, vt voluntas eligat quod maluerit. Sed contra, quia istud iudicium posset ferri etiam de quocumq; medio, siue de vno medio absq; consultatione, siue collatione cum alio. Hæc ratio non mihi videtur adeò efficax. Est tamen probabilis.

Relpõsio aduersar. & impugnatio.

109 Tertiò argumentor ego ratione à posteriori. Quia voluntas necessitatur quoad *exercitium* actus ex plenissima bonitate obiecti, vt patet in amore beatifico: Ergo quo magis est bonum aliquod obiectum,eo magis rapitur, & mouetur: Ergo si duo obiecta erunt æqualia, æqualiter mouebitur, ac proinde nisi vni addatur aliqua ratio maioris conuenientiæ, voluntas non magis se determinabit ad vnum, quam ad alterum.

3. Ratio.

110 Quartò; Quia ex D.Th.in hac quæst.2.2.& alibi sæpè,& ex Damasc. loc.sup.cit. Electio est acceptio vnius præ alio: Ergo formaliter debet esse melioris, vel eius, quod apprehenditur vt melius. Probo consequentiam. Quia alioquin nõ esset acceptio vnius præ alio.

4. Ratio.

111 Vltimò probatur specialiter voluntatẽ nõ posse eligere minus vtile: Quia minùs vtile respectu maioris vtilis habet rationem mali.

Vltima Ratio.

112 Dicunt authores contrarij, quod in medio minùs vtili non eligitur formaliter ratio minùs vtilis, sed tantum id,quod in eo est vtile.

Euasio aduersar.

113 Sed

Digitized by Google

Præclusio. 113 Sed contra, quia eligitur id, quod reuera iudicatur minùs vtile: Ergo &c.

Confir. 114 Et confirmatur: Quia qui eligit minus malum ad vitandum maius malum, reuera eligit aliquod bonum, quia minùs malum cõparatione maioris mali habẽt rationẽ boni: Ergo è contra, qui eligit minus vtile, eligit malum; quia minus vtile comparatione maioris vtilis habet rationẽ mali.

Sententia opposita Scoti. Henric. Salas. Montes. Suar. Auersæ. 115 Opposita sententia plures habet sectatores. Ipsam sequuntur Scotus, Henricus, Salas, Montes. Suar. & multi alij apud Auersam hic q. 10. sect. 2. & ipsemet Auersa.

1. Argum. ex Arist. 116 Probatur primò ex Arist. 3. Eth. cap. 2. vbi ait: *Contingit rationem opinari, quod melius est, & voluntatem non eligere, quod oportet.*

Responsio. 117 Respondetur, quod Arist. ibi loquatur de electione deordinata, qua præfertur bonum apparẽs vero bono.

2. Arg. ex D. Aug. 118 Secundò probatur ex D. Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 6. vbi dicit, quod ex duobus hominibus æqualiter affectis, vel dispositis animo, & corpore, & æquè tentatis ex pulchritudine vnius mulieris, vnus consentit ex merâ suâ libertate in peccatum, & alter non: Ergo si vni, & eidem æqualiter proponantur duo bona, potest ex mera libertate eligere, quod libuerit.

Responsio. 119 Respondetur, quod si vnus consentit in casu posito, & alter non, hoc prouenit, quod vnus habebit iudicium practicum de conuenientia obiecti pulchri; alter non.

120 Aliud argumentum ex D. Augustino lib. de nat. boni cap. 4. t. 7. Quia bonum etiam si conferatur cum minori, verè habet rationem boni.

121 Respondetur, quod ibi loquatur D. Aug. contra Manichæos, qui dicebant quasdam substantias esse malas, quod est falsum. Nam comparatæ ad meliores etiam sunt bonæ; Sicut forma Simiæ comparata formæ hominis &c.

3. Arg. ex D. Bern. 122 Tertiò probatur ex D. Bern. lib. de gratia, & lib. arb. circa initium, vbi ait. Quod quamuis voluntas habeat in omni actu rationem comitẽ, multa tamen facit contra rationem, & contra eius consilium, siue iudicium.

Responsio. 123 Respondetur, quod D. Bern. loquatur de voluntate sequente rationem errantem. Hæc enim voluntas multa facit ex sua libertate contra rationem rectam.

4. Argum. ex D. Th. 124 Quartò probatur ex D. Tho. q. 9. præced. a. 1. vbi ait, quod voluntas mouet quoad exercitium ipsum intellectum: Ergo &c.

Responsio. 125 Respondetur, quod ita est, sed sẽper determinata ex aliquo obiecto.

Replica. 126 Item, quia inf. q. 58. a. 2. ait dari virtutes in parte appetitiua, quia possunt resistere intellectui, siue rectæ rationi: Ergo signum est, quod voluntas possit resistere intellectui pro sua libertate ad volendum id, quod est minus bonum.

Responsio. 127 Respondetur, quod S. Th. loquitur ibi de appetitu sensitiuo, qui ex eo, quod inclinatur ad bonum sẽsibile, potest resistere intellectui, & propterea ponuntur in eo habitus virtuosi. Et quando argumentatur ab appetitu sensitiuo ad voluntatem, dico, quòd propterea ponuntur habitus in ea, quia sentit difficultatẽ in obiectis honestis sibi propositis ab intellectu; non verò, quia ipsa potest obedire, vel non obedire intellectui ex sua libertate.

128 Aliud argumentum ex D. Th. de verit. q. 23. a. 8. ad 4. vbi ait: Non est peruersitas electionis, si homo in appetendo præferat minus bonum maiori bono; non enim homo tenetur prosequi semper meliora operando.

129 Respondetur, quod S. Tho. solùm intendit in his verbis hominem non semper teneri eligere statum Religionis, vel alia bona, quæ sunt sub consilio. Nam qui relicto statu religioso eligit statum coniugalem eligit illum sub ratione magis conuenientis sibi.

5. Argum. 130 Quintò. Maius bonum non necessitat voluntatem in præsẽtia mi-

noris boni, neque *quoad specificationem*, neque *quoad exercitium*: Ergo voluntas potest eligere minus bonũ, vel etiam æquale.

Respon-sio. 131 Respondetur, quod majus bonum in præsentia minoris boni non necessitat *simpliciter* voluntatem, sed *secundum quid*, & ex suppositione; Supposito enim, quod intendit finem efficaciter, & supposito iudicio practico de maiori vtilitate vnius medij, quam alterius respectu finis, necessitatur quodammodo voluntas ad eligendum illud.

6. Argum. 132 Sextò. Libertas voluntatis consistit in hoc, quod positis omnibus requisitis ad agẽdum potest operari, & non operari; Ergo &c.

Respon-sio. 133 Respondetur, quod quidem voluntas obiecto sibi fine meliore potest recusare illum ex sua libertate, & alterum minus bonum. Quod idem dicitur de me medijs; attamen si velit eligere, determinabitur semper ad id, quod est magis conueniens conuenientia saltem apposita illi ab intellectu; Vel ne remaneat voluntas suspensa, vel vt experiatur suam libertatem, vel propter aliquod aliud huiusmodi.

7. Argum. 134 Septimò. Potest quis eligere ad aliquod officium aliquem minùs dignum; Similiter potest sequi aliquam opinionem minùs probabilem: Ergo &c.

Respon-sio. 135 Respondetur, quod hoc faciet sub aliqua ratione magis sibi conuenienti.

8 Argum. 136 Octauò. Ex pluribus mundis, quos Deus potuit creare, creauit istũ minùs perfectum, vel pulchrum: Ergo homo simpliciter potest eligere id, quod est minùs perfectum.

1. Respõ-sio. 137 Respondetur primò ad antecedens, quod Deus quamuis potuerit producere mundos perfectiores, produxit tamen istum hìc, & nunc tãquam magis conuenientem secũdum ordinem suæ Sapientiæ, & Prouidentiæ.

2. Respõ-sio. 138 Secundò respondetur negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quia ex D. Th. 1. p. q. 20. a. 2. & q. 23. a. 4. Deus non præsupponit bonitatem in rebus, sed eligendo, & volendo facit illas bonas; Vnde potuit producere mundum minùs perfectũ respecto perfectiori ex occultis iudicijs Sapientiæ suæ. Attamen homo præsupponit bonitatem in rebus; Et ideò ex suppositione, quod vult eligere, eligit semper id, quod est conueniens.

3. Respõ-sio. 139 Tertiò dico, quod libertas Dei est absolutè prima, & ideò potest se determinare ad æquè, vel minùs bonum: Non verò voluntas creata, quæ est secunda, & presupponẽs obiectum creatum ordine causalitatis finalis.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO XIV.

De consilio, quod electionem præcedit, in sex articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum consilium sit inquisitio?

1 REsponsio D. Tho. est. Necessariò est inquisitio rationis ante iudicium de eligendis, & hæc inquisitio consilium vocatur. Ratio est. Quia in rebus agendis multa incertitudo inuenitur, nam actiones sunt circa singularia, quæ propter sui variabilitatem incerta sunt. Hinc dixit Philos. 3. Eth. cap. 3. quod electio sit appetitus præconsiliati.

2 In responsione ad secundum dicit, quod consilium in Deo sit quãtum ad certitudinem iudicij, non verò quantum ad inquisitionem.

ARTICVLVS II.

Vtrum consilium sit de fine, vel solum de his, quæ sunt ad finem?

3 REspondet D. Tho. primò, quod consilium non est de fine, sed solum de his, quæ sunt ad finem. Ratio est; Quia consilium est quæstio, siue discussio, aut inquisitio, vt dictum est art. præced. Sed de fine non est quæstio, sed solum de medijs; Ergo. Probatur minor; Quia finis in operabilibus habet rationem principij: Sed principia supponuntur vt certa in qualibet inquisitione: Ergo &c.

4 Respondet secundò, quod de fine, qui ordinatur ad alium finem, potest esse consilium. Ratio colligitur ex dictis; Quia vt ordinatur ad alium finem, secundum quod ordinatur, non est principium. Confirmatur; Quia id, quod est principium vnius conclusionis, potest esse conclusio alterius principij, & tunc de eo non est certitudo,

ARTICVLVS III.

Vtrum consilium sit solum de his, quæ à nobis aguntur?

5 REspondet S. Tho. quod consiliũ propriè est circa ea, quæ aguntur à nobis. Ratio est; Quia est de rebus singularibus, circa quas versantur nostræ operationes. Probatur hoc antecedens; Quia consilium non est de rebus vniuersalibus. Iterũ probatur hoc antecedens ex ethymologia nominis *consilij*; nam *consilium* dicitur quasi *considium*, eo quod multi considant ad simul conferendum: etenim in rebus particularibus, & contingentibus multæ difficultates, & circumstantiæ accidunt, quas vnus non est sufficiens considerare, sed plures. Vniuersalia autem vnus potest considerare.

6 In responsione ad quartum dicit S. Th. quod de aliorum factis con-

Digitized by Google

silium quærimus in quantum sunt vnum nobiscum; Sicut amicus sollicitus est de his, quæ ad amicum spectant, sicut de suis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum consilium sit de omnibus, quæ à nobis aguntur?

7 REspõdet primò D. Th. quod de rebus certis, & iam determinatis non est consiliũ. Ratio est; Quia consilium est de dubijs.

8 Respondet secundò, quod de rebus minimis nec etiam est consiliũ. Ratio est; Quia res minimæ parum iuuant, vel impediunt conseruationem finis.

ARTICVLVS V.

Vtrum consilium procedat ordine resolutorio?

9 REspondet S. Tho. quod inquisitio est resolutiua, incipiẽdo, scilicet ab eo, quod in futuro intenditur, quoulq; perueniatur ad id, quod statim agendum est. Ratio est; Quia procedit à fine, qui ordine executionis est effectus, vsque ad id, quod est primum in intentione, quod est ipsemet finis, vel media, vel operatio, vel aliquid simile.

ARTICVLVS VI.

Vtrum consilium procedat in infinitum?

10 REspõdet primò S. Th. quod inquisitio cõsilij est finita in actu ex duplici c. ex parte principij: & ex parte termini. Ex parte principij; quia incipit ab aliquo fine. Ex parte termini; quia deuenitur ad aliquid agendum ex parte nostra, tanquam ad vltimam conclusionem. Probat etiam S. Th. in argumento *Sed contra*. Quia infinitum in actu est impossibile: Sed consilium non est de impossibili: Ergo &c.

11 Respondet secundò, quod consilium potest esse infinitum in potentia. Ratio est; Quia possunt occurrere aliqua discutienda in infinitum.

12 Super totam hanc quæstionem nihil, quod habeat peculiarem difficultatem, occurrit dicendum; Solùm aduertenda sunt aliqua leuia. Primò aduertendum est, quod consilium sumitur tripliciter: Primò pro persuasione: Secundò pro congregatione plurium, vnde dicitur considium: Tertiò pro inquisitione de re agenda in particulari. Et iuxta hanc acceptionem sumitur à D. Thoma. 1. Animaduersio super hunc art. 6.

13 Secundò aduertẽdum est, quod importat iudicium. Quia separat vnum medium ab alio, scilicet inutile ab vtili. 2. Animaduersio.

14 Tertiò aduertendum est, quod in Deo non est consilium, secundum quod dicit discussionem, & inquisitionem; Quia hoc præsupponit ignorantiam; sed solùm secundum quod dicit iudicium certum, & verum de re, sicuti est. 3. Animaduersio.

15 In Angelis autem beatis respectu rerum naturalium non est consilium. Quia de illis habent certitudinem: respectu autem rerum supernatura-

Digitized by Google

turalium reuelatarum nec etiam in eis est consilium; Quia certò cognoscunt illas, siue per scientiam beatam, siue per scientiam infusam: Respectu demum supernaturalium non reuelatarum, nec etiam habent consilium. Ratio est; Quia non possunt errare, neque se exponere periculo errandi: At si vellent habere consilium de eis, errarent, vel se exponerent periculo errandi; Quia nullum eorum haberēt certum principium. Idem dicitur de Angelis viatoribus; Quia in eo statu non poterant errare, siue *decipi*. Vt etiam dicitur de Adamo *in statu innocentiæ*; De Angelis verò damnatis dico, quod possunt habere consilium respectu eorum, quæ ignorant: Quia ipsi possunt errare, & decipi.

16 Quartò aduertendum est, quod posset moueri hìc primò: An requiratur iudicium compositionis ad mouendum voluntatem ad operationem; Sed hæc difficultas supra tractata est. 4. Animaduersio.



QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIO XV.

De consensu, qui est actus voluntatis, in comparatione eorum, quæ sunt ad finem, in quatuor articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum consensus sit actus appetitiuæ virtutis, vel apprehensiuæ?

1 RESpondet S. Tho. quod cõsentire, siue cõsẽsus est actus appetitiuę virtutis. Ratio est; Quia cõsensus nil aliud est, quam applicatio, siue coniunctio sensus cum re præsẽti: Sed proprium voluntatis est coniungi, & applicari rei præsenti, hoc est sibi propositæ ab intellectu, quasi complacentis sibi in ea, & experientiam quandam sumentis de ea: Ergo &c. Maior patet ethymologia nominis: Nam consentire est simul sentire, & applicare sensum ad rem præsentem. Minor etiam probatur. Quia intellectus versatur circa vniuersalia, quæ potest apprehendere, siue presẽtibus, siue absentibus singularibus.

ARTICVLVS II.

Vtrum consensus conueniat brutis?

2 RESpondet S. Tho. quod cõsẽsus propriè loquendo nõ est in brutis animalibus. Ratio est; Quia applicatio appetiui motus non est in eorum potestate, sed ex instinctu naturæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum consensus sit de fine, vel de his, qua sunt ad finem?

3 IN hoc art. primò notat D. Th. seriẽ actuum in ordine agibilium; deinde satisfacit quæsito duabus responsionibus.

4 Quoad primũ ergo dicit, quod in ordine agibilium primò est apprehensio finis. Secundò appetitus finis; Tertiò consilium de his, quæ sunt ad finem; Quartò appetitus eorum, quæ sunt ad finem.

5 Quoad secundum dicit primò; quod de fine non est consensus, sed simplex voluntas. Ratio est; Quia motus appetitiuus voluntatis non applicatur fini ex consilio, siue non subsequitur ad consilium.

6 Dicit secundò, quod de medijs propriè loquendo est consensus. Ratio est; Quia consensus sequitur ad consilium: Sed consilium solum est de medijs: Ergo &c.

7 In responsione ad tertium dicit tria D. Th. Primum, quod electio distinguatur à consensu, quando sunt plura media re. Quia electio dicit relationem ad medium, cui præfertur aliud; Consensus verò non dicit istam habi-

habitudinem, sed solum complacentiam mediorum, Secundum, quod electio sequatur, siue remaneat post consensum: Quia potest contingere, quod per consilium inueniantur plura ducentia ad finem, & quod in omnibus consentiatur, siue omnia placeant, sed postmodum vnum præcipiatur. Tertium, quod si inueniatur vnum etiam medium, quod placet; tunc non differunt consensus, & electio re, sed tantum ratione; ita ut consensus dicatur secundum quod placet ad agendum: Electio uerò secundum quod præfertur alijs, quæ non placent.

ARTICVLVS IV.

Vtrum consensus in actum pertineat solum ad superiorem animæ partem?

8 RESpondet D. Tho. quod consensus in actum pertinet ad rationem superiorē. Ratio est; Quia consensus in actum est finalis sententia de agendis: Sed finalis sententia pertinet ad rationem superiorem: quamdiù enim incertum est, an secundum rationes diuinas resistitur, uel non, nullum iudicium rationis habet rationem finalis sententiæ.

9 Super hanc quæstionem nihil occurrit dicendum.

QVAESTIO XVI. D. TH.

De Vsu, qui est actus voluntatis, in comparatione ad ea, quæ sunt ad finem.

ARTICVLVS I.

Vtrum vti sit actus voluntatis?

1 RESpondet primò S. Th. quod *vti* propriè est actus voluntatis. Ratio est; Quia vsus est applicatio rei ad operationem: Sed proprium est voluntatis applicare potentias ad operationem: Ergo &c.

2 Respondet secundò, quod *vti* primò, & principaliter est voluntatis tanquam primi mouentis: rationis autem tanquam dirigentis, sed aliarum potentiarum tanquam exequentium. Patet ex se.

LECTIO VNICA.

Vtrum vsus sit actus elicitus à voluntate?

3 PRO explicatione huius difficultatis, *vsus* multipliciter accipitur: Primò pro exercitio operis alicuius rei, siue pro operatione alicuius rei; sicut equitare dicitur vti equo; percutere dicitur vsus baculi, quæ sunt exempla D.Th. in hoc art. Secundò sumitur pro consuetudine operandi: Tertiò pro motione voluntatis, qua ipsa applicat reliquas potentias ad operandum: Vel dicamus meliùs, & breuiùs. Duplex est vsus: Vnus passiuus, qui est operatio potentiæ, vel rei, quæ applicatur ad operandum: Alter actiuus, qui est ipsa applicatio potentiæ; vel rei ad operationem. De hoc *vsu* procedit difficultas: An sit elicitus à voluntate?

4 Respondeo breuiter difficultati: *Vsum actiuum* esse actum elicitum à voluntate. Ita cõmuniter Thomistæ, & Theologi excepto Vasquez. Conclusio.

5 Colligitur hæc sententia ex D.Aug. lib. 83. quæst. 3. & lib. 10. de Trin. cap. 11. & lib. 11. de Ciuit. cap. 25. Ex D.Tho. pluribus locis. Primò ex procemio q. 8. vbi dicit se priùs acturum de actibus elicitis voluntatis, & postmodum de imperatis, & inter actus elicitos circa media numerat *vsum*. Secundò ex hoc art. clarissimè, in quo specialiter dicit *vsum* pertinere ad voluntatem, tanquam ad primò mouentem. Sed voluntas mouet volendo: Ergo. Tertiò ex art. seq. vbi dicit *vsum* non conuenire brutis, quia applicare aliquid ad aliud conuenit tantùm ei, quod habet super illud arbitrium. Et multis alijs locis hoc ipsum clarè docet. Probatur ex D. Augustin. & D. Th.

6 Sed quia Vasquez dicit se non vrgeri authoritate D. Aug. & D. Th. ad vocandum *vsum actum* elicitum à voluntate, argumentemur ratione. Voluntas dicitur vti alijs potentijs, quatenus applicat illas ad suas operationes: Sed hoc applicare nil aliud est, quam velle, vt aliæ potentiæ exerceant suas operationes: Ergo &c. 1. Ratio concluſ.

7 Confirmatur; Quia dum Dominus Confir.

nus vtitur ſeruo ſuo, vult vt faciat aliquid. Huic rationi quaſdam adhibet ſolutiones Salas, quæ audiendæ non ſunt.

8 Secũdò probatur ratione ſumpta ex D.Aug. lib. 12. de Trinit.cap. 12.vbi ait. Vti eſt aſſumere aliquid in poteſtatem voluntatis: Sed hęc aſſumptio eſt actus elicitus: Ergo &c. 2. Ratio ex D. Auguſt.

9 Tertiò: Ratio poteſt eſſe. Quia quando Deus vtitur operationibus creaturarum, re vera vult earum operationes. 3. Ratio.

10 Hinc infertur optimam eſſe diſtinctionem communem Theologorum, qua dicunt *vſum* duplicem eſſe: actiuum: & paſſiuum. Actiuus, qui ſit applicatio potentiæ ad opus facta à voluntate: Paſſiuus, qui ſit ipſa operatio potentiæ applicatæ. Coroll.

11 Prima ſententia contraria eſt Vaſquez, qui dicit *vſum* eſſe ipſam operationem potentiæ executiuæ exterioris motæ per electionem, à qua denominatur voluntas vtens. Probat primò ſuam ſententiam. Quia Ariſt. Damaſc. atque Niſſ. agentes de actibus elicitis volontatis non meminerunt huius actus. 1. Sẽtent. oppoſita Vaſq. & 1.arg.

12 Reſpondeo, quod hoc argumentum eſt ab authoritate negatiua, quod eſt nullius momenti. 1. Reſpõſio.

13 Reſpondetur etiam ſecundò, quod ex Damaſc. lib. 2. Orthod. Fid. cap. 22. colligitur dari *vſum*. Nam dicit, quod voluntas poſt electionẽ impetum facit ad operationem, & poſteà vtitur.

14 Secundò probat Vaſquez teſtimonio D. Th. in hoc art. in quo Sole clariùs docuit noſtram ſententiam.

15 Tertiò probat ratione. Quia agens denominatur tale ab actione tranſeunte, quæ eſt in paſſo: Ergo &c. 2.Argum.

16 Reſpondetur, quod agentia per intellectum, & voluntatem agunt actione virtualiter tranſeunte, & formaliter immanente: Sic ergo operatur voluntas, dum mouet cæteras potentias ad operationem. Reſpon-ſio.

17 Quartò: quia appetitus ſenſitiuus brutorum nõ habet iſtnm actum elicitum ad mouendas potentias exteriores: Ergo ſuperflua ponitur in voluntate. 3.Argum.

18 Pulchrum argumentum. Reſpondeo, quia bruta operantur ex inſtinctu naturæ, & non liberè. Reſpon-ſio.

19 Secunda ſententia eſt Salas tract. 6. diſp. 1. ſect. 7. n. 75. qui dicit vſum actiuum eſſe actum quaſi elicitum, & conuenire denominatiuè voluntati: Neſcio in quo hæc ſententia differat à præcedente. 2. Sẽtent. oppoſita Salas.

20 Probatur primò, Quia *vſus* nõ poteſt dari ſine operatione potentiæ executiuæ: Ergo denominatiuè pertinet ad voluntatem. 1.Argum.

21 Reſpondeo primò, quod actio nõ poteſt dari ſine paſſione, & nihilominus exit ab agente. Secundò dico, quod poteſt dari ſine operatione potentiæ executiuæ, ſicut cæteri actus voluntatis, quia eſt actus diſtinctus realiter ſubſtãtialis ab ipſa operatione potentiæ executiuæ; Sed hæc ſolutio non eſt tenenda, quia eſt contra D.Th.inf.q.17.a.3. 1.Reſpon-ſio.

22 Secundò probatur. Quia vſus paſſiuus eſt in potẽtijs executiuis: Ergo & vſus actiuus. Probatur conſequentia. Quia actio, & paſſio ſunt in eodem ſubiecto, quamuis non idem ſolùm denominent. 2.Argum.

23 Hoc argumentum nullam haberet vim in ſententia Caiet. qui tenet actionem tranſeuntem ſubiectari in agente; nihilominus in ſententia probabiliori oppoſita reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem dico, quod actio, & paſſio, quę procedit ab agente naturali, & tranſeunter, ſubiectatur in eodem ſubiecto; non verò actio, & paſſio, quæ procedit ab agente libero operante immanenter. Reſpon-ſio.

24 Tertiò probatur; quia ſi vſus actiuus eſſet actus elicitus à voluntate, non eſſet diſtinctus ab electione: Sed eſt diſtinctus: Ergo ſignum eſt, quod non elicitur à voluntate. 3.Argum.

25 Reſpondetur, quod eſt elicitus à voluntate, & eſt diſtinctus ab electione. Ita D.Th. art. 4. huius quæſtio-nis, Reſpon-ſio ex D. Th.

nts, & signanter ad 1. vbi ait, quod vsus mediat inter electionem, & executionem. Item, quia vsus respicit immediatè potentiam executiuam, siue circa media, siue circa finem.

Vltimum argum. ex S.Th.

26 Vltimò, quia S. Tho. q. 8. in proœmio vocat aliquos actus voluntatis quasi elicitos, quod non potest verificari, nisi de vsu.

Responsio. Ioann. Apost.

27 Respondetur, quod particula *quasi* non sumitur *limitatiuè*, sed *explicatiuè* iuxta illud Ioann. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti.*

ARTICVLVS II.

Vtrum vti conueniat brutis?

28 REspondet S.Th. negatiuè. Ratio est; Quia vti est applicatio principij actiui ad actionē: Sed applicatio principij actiui ad actionem est tantùm illius, quod habet arbitrium super illud; quod non conuenit nisi ei, qui scit unum referre ad alterum: Ergó &c.

ARTICVLVS III.

Vtrum vsus possit etiam esse vltimi finis?

29 SVpponit S.Tho. in hoc art. quod finis dicitur vltimus dupliciter: & *simpliciter*, vt est Deus: & *quoad aliquem*; sicut possessio pecuniæ quoad auarum.

30 Respondet primò, quod *vsus* semper est eius, quod est ad finem. Ratio est; Quia uti est applicatio alicuius ad aliud: Sed id, quod se habet ad aliud, est id, quod est ad finem, siue medium: Ergo.

31 Confirmatur; Quia propterea ea, quæ sunt accomodata ad finem, dicuntur vtilia, & ipsa vtilitas interdum *vsus* nominatur.

32 Respondet secundò (& hęc responsio colligitur ex præced.) De fine vltimo *simpliciter* non est vsus formaliter. Probatur ex præced. ratione; Quia vsus est tantū mediorum. Probat ratione S. Th. in argumento *Sed contra* ex Aug. lib. 83. quæst. vbi ait: *Deo nullus rectè vtitur, sed fruitur*: Sed solus Deus est finis *simpliciter*: Ergo &c.

33 Respōdet tertiò. De fine *quoad aliquem* est quodammodo vsus, exēpli gratia, possessio pecuniæ quoad auarum, in quantum refert pecuniam ad possessionem. Ratio est; Quia non quærit pecuniam auarus, nisi vt habeat eam: Ergo quodammodo refert pecuniam ad possessionem.

34 Ex respōsione ad 1. & 3. & corp. art. colligitur, quod *vsus* dupliciter sumitur: Vno modo communiter pro quiete in fine, quatenus ordinatur ad possessionem: Alio modo particulariter, & rigorosè pro applicatione vnius ad aliud.

Difficultas super istum art. resoluitur.

35 Super hunc art. mouet vnam quæstionem Aluarez: An Deus possit esse obiectum recti vsus? Breuiter respōdetur, quod non. Ratio est; Quia est vltimus finis noster *simpliciter*. Respondetur, vlterius, quod potest esse obiectum vsus cōmuniter dicti, quatenus vsus sumitur pro fruitione finis in ordine ād possessionem. Ratio est; Quia Deus vt possessus est finis noster, & fruimur ipso quatenus à nobis possidetur.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

Vtrum vsus præcedat electionem?

36 IN hoc art.duo supponit D.Th. & posteà resoluit difficultatẽ duabus responsionibus. Primum est, quod duplex est habitudo voluntatis ad volitum: Vna secundũ quod volitum est quodammodo in volente per quandam proportionem, & conuenientiam: Altera secundum quam ipsa voluntas realiter tendit, & attingit ipsum volitum. Prima habitudo est imperfecta comparata ad secundam, quæ dicitur perfecta, & ex prima deuenitur ad secundam. Secũdum autem, quod supponit, est, quod *vsus* dupliciter sumitur: Vno modo, vt per ipsum voluntas tendit ad consecutionem finis: Alio modo vt est motio rationis ad inquirendum de medijs, vel de aliqua alia re. His notatis.

37 Respondet primò, quod *vsus* si sumatur secundum quod voluntas vtitur potentia executiua mouendo ipsam, sequitur electionem. Ratio est; Quia ordo voliti ad voluntatem secundum quandam conuenientiam, & proportionem cum voluntate completur in electione, & ab electione incipit ordo perfectus, & executionis, in quo est vsus.

38 Respondet secundò. Si *vsus* sumatur secundum modũ, scilicet, vt voluntas vtitur potentia intellectiua, sic præcedit electionem. Ratio est; Quia voluntas applicat rationem ad electionem mediorum.

39 In solutione ad tertium explicat D.Tho. ordinem inter actus reflexos voluntatis; Et dicit primò, quod in quolibet actu voluntatis ordine reflexo potest accipi consensus, & electio, & vsus; sicut si dicatur, quod voluntas consentit se eligere; & consentit se consentire; & vtitur se ad consentiendum, & eligendum.

40 Dicit secundò. Quod isti actus ordinati ad quod est prius sunt priores, hoc est, si sumantur ordine directo, semper sunt priores secundum quod est prius id, ad quod diriguntur.

41 Super hunc articulum aduertẽdum est, quod tria dubia proponuntur: Primum est de ordine, & serie actuum voluntatis, & intellectus inter se, quod commodius resoluemus post absolutam quæstionem sequentem. Primum dubium super hũc art. resoluitur.

42 Secundum: An vsus sit distinctus actus ab electione. Sed quidquid dicat Vasquez in contrarium iam est determinata pars affirmatiua à D.Th. in hoc articulo. Et confirmatur; Quia ex D. Th. electio, & vsus habent obiecta distincta. Obiectum enim electionis est unum medium, quatenus præfertur alteri: Vnde dicit duplicem habitudinem electio: Vnam ad medium, quod assumitur: Alterum ad medium, quod relinquitur, nam est acceptio vnius præ alio. Obiectum autem *vsus* est potentia executiua applicata ad exequendum medium electum præcisè. 2. Dubiũ, et eius resolutio.

43 Tertium dubium: An usus actiuus de potentia Dei possit dari sine usu passiuo? Aluarez super art. 3. huius quæst. in solutione 3. argumenti tenet partem negatiuam. Eandem sententiam tuetur Montes. quæst. 3. super hoc art. n. 39. 1. Sententia circa 3. dubiũ. Aluar. Montes.

44 Prima ratio huius sententiæ est; Quia non potest dari actio sine passione. Secunda ratio est Montes. Quia uel potẽtia executiua est impedita, uel non; Si est impedita, non datur usus actiuus; Si non est impedita: Ergo statim ponetur executio propter simpathiã, & subordinationẽ potentiæ executiuæ ad uoluntatem. Ratio huius sententiæ.

45 Hæc quidem sententia difficilis intellectu mihi uidetur, quomodo possit esse, quod usus actiuus reali- Impugnatur hæc sententia.

Digitized by Google

ter distinguatur eo usu passiuo, & per Diuinam potentiam non possit esse unus sine altero.

Obiectio. 46 Dices materia est distincta realiter à forma, & unam nequit esse sine alia. Vlterius actio, & passio distinguuntur realiter, quia sunt diuersi prædicamenti, & una non potest esse sine alia.

Respõsio ad obiectionem. 47 Istis obiectionibus posset responderi quod dispar est ratio, quia usus actiuus est immanens, & usus passiuus recipitur in ipsa potentia executiua.

48 Propter quod dico ego, quod utraque est probabilis. Si prima sententia explicatur isto modo, scilicet qnod usus actiuus, quatenus aliquo modo attingit ipsam potentiam executiuam, non potest separari ab usu passiuo. Ipse enim *usus actiuus*, & si sit actus immanens uoluntatis, quia quodammodo attingit ipsam potentiam executiuam propter subordinationem, quam ei habet, quodammodo recipitur in ipsa potentia executiua, & sic est passio respectu eius, & ut sic non potest separari per Diuinam potentiam, ut est actio. Sententia authoris.



QVAE-

Digitized by Google

QVAEST O XV. D.TH.

De Actibus Imperatis à voluntate, in nouem articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum imperare sit actus rationis?

1 RESpõdet primò D. Th. quod imperare sit actus rationis, præsuppositò tamen actu voluntatis. Probat primam partem, scilicet, quod imperiũ sit actus rationis. Quia imperare est ordinare eum, cui imperatur, ad aliquid agendum, intimando, & denunciando: Sed ordinare vnum ad aliud, intimando, & denunciando, est actus rationis: Ergo &c. Probat secundam partem, scilicet, quod actus imperij præsupponat actum rationis: Quia primum mouens in viribus animæ ad exercitium actus est voluntas: Sed secundum mouens non mouet nisi in virtute primi mouentis: Ergo intellectus; qui est secundum mouens, non mouet quoad exercitium actus per imperium, nisi in virtute actus voluntatis.

2 Confirmatur; Quia virtus primi actus remanet virtute in actu sequenti: Nam ideò dictum est supra, quod in electione remaneat aliquid iudicij rationis, quia iudicium est prius illa. Similiter in vsu remanet aliquid rationis, quod est applicare vnum ad aliud, quia præcessit in intellectu actus, quo iudicauit vnum esse vtile ad aliud.

3 Respondeo secundò, quod ista intimatio, vel denunciatio, quæ fit per actum imperij, dupliciter exprimitur; Vno modo per verbum modi indicatiui, scilicet *Hoc est tibi faciendum:* Alio modo per verbum modi imperatiui: *Fac hoc.* Ratio esse potest ex ipso Sancto Doctore; Quia ratio dupliciter potest mouere, vel intimare aliquid alicui: Vno modo indicando; Alio modo imperando.

4 In responsione ad 2. ait S. Tho. quod radix libertatis est voluntas, sicut subiectum; sed sicut causa est ratio, seu intellectus. Ratio est; Quia ex eo voluntas potest ad diuersa ferri, quia ratio potest habere diuersas cõceptiones boni.

LECTIO I.

Vtrum imperium sit actus elicitus voluntatis, an intellectus?

5 PRO huius difficultatis explicatione. Sciendum est, quod imperium dupliciter sumi potest: Vno modo communiter, quatenus est determinatio quædam faciendi aliquid: Altero modo rigorosè, quatenus est ordinatio vnius ad aliud. His notatis. Animaduersio.

6 Respondeo primò. Si actus imperij sumatur primo modo, hoc est communiter, & quatenus est determinatio quædam, vt sic, est actus elicitus à volũtate. Ita Auersa hic sect. 1. 1. Concl.

7 Probatur primò ex communi modo loquendi Theologorum: Nam communiter Theologi distinguunt actus voluntatis in elicitos, & imperatos: Ergo aliquod imperium conuenit voluntati. 1. Ratio.

8 Pro-

8 Probatur secundò, quia ad voluntatem pertinet decernere: An aliquid sit faciendum, vel non?

2. Ratio.

9 Respondeo secundò. Actus imperij sumptus, vt est ordinatio vnius ad aliud, est actus elicitus ab intellectu. Ita communiter Thomistæ.

2. Concl.

10 Prima ratio est; Quia ordinare vnum ad aliud essentialiter pertinet ad cognitionem; nam solius cognitionis est conferre vnum cum alio.

1. Ratio.

11 Secunda ratio; Quia ordinare vnum ad aliud intimando, & denuntiando est quædam locutio: Sed locutio elicitiuè pertinet ad intellectum; Ergo &c.

2. Ratio.

12 Respondeo tertiò: Istud imperium non necessariò debet exprimi modo imperatiuo: Sed benè quidem potest exprimi modo indicatiuo. Ratio est D.Th. clara in hoc art.

3. Concl.

13 Ratio est; Quia intimatio, vel denuntiatio benè potest fieri modo indicatio.

Ratio.

14 Respondeo quartò. Istud imperium essentialiter prærequirit actũ voluntatis.

4. Concl.

15 Ratio est; Quia tria includit actus imperij; Primum est ordinatio alicuius ad aliquid faciendum: Secũdum est intimatio eius, quod faciendum est: Tertium motio: Sed motio pertinet ad voluntatem, tanquam ad primum mouẽs; nam ipsa mouet primò cæteras potentias quoad exercitium: Ergo &c.

Ratio.

16 Confirmatur; Quia quamuis omnes actus aliarum potentiarum, & ipsiusmet intellectus prærequirãt actũ voluntatis; nihilominus actus imperij speciali ratione exigit illum, quia debet mouere quoad executionem cætaras potentias.

Confir.

17 Contra nostram sentẽtiam est Scotus in 2.dist.6.q.1. & alibi (quamuis Vasquez dicat ipsum non fuisse huius entiæ) D.Bonau. & alij relati ab Aluarez hìc, qui dicunt simpliciter actum imperij esse actum voluntatis.

1. Sententia Scoti. D.Bonau.

18 Primum argumentum eorum est, quia D. Aug. ait lib.8.Confess.cap 9. quod voluntas est, quę imperat. Idẽ dicit S.Tho. inf. q.71. a.6.

1. Argum. ex D. Augst. & D.Th.

19 Respondetur, quod S. Aug. & D.Th. loquuntur de imperio communiter dicto.

Respõsio.

20 Secundum argumentum est; Quia actus intellectus cadit sub imperio: Ergo nullus actus elicitus intellectus potest esse imperium. Respondetur, quod imperium præsupponit motionem voluntatis, siue imperium communiter dictum.

2. Argum. & respõsio.

21 Tertium argumentum; Quia actus imperij compellit inferiorem ad faciendum aliquid: Sed hæc compulsio pertinet ad voluntatem: Ergo. Respondetur, quod competit voluntati præsuppositiuè.

3. Argum. & respõsio.

22 Quintum argumẽtum est; Quia tres tantum sunt operationes intellectus, scilicet apprehensio: iudicium: & discursus: Ergo imperiũ non est actus intellectus. Respondetur, quod reducitur ad actum iudicij practici. Præterea respondet D.Th. 2.2. q.83. a.1. ad 3. quod tres actus præfati pertinent ad rationem speculatiuam. Imperium autem est actus rationis practicæ: Sed de hoc magis in lect.seq.

4. Argum. & respõsio.

23 Quintum argumẽtum est; Quia imperium est actus superioris potentiæ, vt docet D.Th.2.2. q.83. a.1. Sed voluntas est suprema potentia: Ergo.

5. Argum.

24 Respõdetur dupliciter. Primò, quod intellectus sit superior potentia, quàm volũtas, quia est de abstractiori obiecto.

1. Respõsio.

25 Secundò, quod voluntas sit suprema quoad exercitium actus, sed voluntatis sic consideratæ est tantum imperium *latè* sumptum, vt diximus in prima nostra responsione.

2. Respõsio.

26 Secunda sententia nobis contraria est Greg.Arimin. in 1.dist vlt. in quam etiam videtur inclinare Riccard. in 4.dist. 15. a.4. q.1. qui dicunt imperium ex æquo pertinere ad intellectum, & voluntatem.

2. Sẽtent. oppoſita Greg. Arimin. Riccardi.

27 Primum argumẽtum est; Quia homo est dominus suarum operationum per intellectum, & voluntatem: Ergo actus imperij ex æquo pertinet ad vtramque potentiam.

1. Argum.

28 Re-

Digitized by Google

28 Respõdetur, quod ordine quodam intellectus, & voluntas dominatur in homine. Vnde essentialiter actus imperij est intellectus, & præsuppositiuè voluntatis.

Respõsio.

29 Secũdum argumẽtum est; Quia lex pertinet ex æquo ad intellectũ, & voluntatem: Sed imperare est actus legis: Ergo &c. Respondetur, quod lex elicitiuè, & essentialiter est actus rationis præsupponens actum voluntatis. Idem dicimus de suo actu imperij.

2. Argum. & respõsio.

LECTIO II.

Vtrum actus imperij sit distinctus ab actu iudicij practici?

30 SVppono tanquam certum, quod alij sint actus intellectus speculatiui: Alij actus intellectus practici. Actus intellectus speculatiui illi dicuntur, qui nullum ordinem dicunt ad opus, siue ad regulandum actus liberos voluntatis: Qui communiter sunt tres apprehensio: iudicium: & ratiocinatio. Actus autem intellectus practici sunt, qui ordinantur ad opus, siue ad regulandum actus liberos volnntatis; Inter quos præcipuus est actus iudicij, quo intellectus iudicat aliquid esse conueniens, vel non conueniens voluntati hìc, & nunc. Tota difficultas ergo est: An actus imperij sit distinctus ab hoc actu iudicij.

Animaduersio.

31 Et respondeo breuiter: Imperium esse actum intellectus practici distinctum ab actu iudicij practico. Hanc sententiam magis communiter sequuntur Thomistæ in hoc art. & est magis ad mentem D.Th.

Concl.

33 Probatur primò ex Arist. qui 3. Eth. à cap. 8. vsque ad 12. ponit tres virtutes practicas in intellectu practico iuxta triplicem actum eius practicum, scilicet consilium: iudicium: & imperium; nam circa consilium ponit Eubuliam, scilicet benè cõsiliatiuam: circa iudicium Synesim, quæ iudicat de rebus secundum communes regulas, & Gnomia, quæ vt interpretatur S.Th. 2.2. q.11. a.4. iudicat de rebus secundum altiora principia: Et circa imperium Prudentiam: Ergo &c. Hãc eadem doctrinam tradit S.Th. 2.2. iã cit. q.51. per totam.

Probat. 1. ex Arist.

34 Probatur secundò magis principalirer ex eodem D. Th. 2.2. q. 47. a.8. vbi expressis verbis ponit hos tres actus in intellectu practico, & dicit, quod præcipere sit principalis actus prudentiæ.

Probat. 2. ex D. Th.

35 Probatur tertiò; quia actus imperij fert secum intimationem, vt ait D.Th. in hoc art. sed actus iudicij solum dicit compositionem, vel diuisionem.

Probat. 3. ratione.

36 Quartò in iudicio practico reperitur falsitas, vel veritas; in imperio autem non reperitur veritas, vel falsitas. Imperãti enim non responderetur: *Mentiris*, sed solum *nolo hoc facere &c.*

Probatur 4.

37 Vltimò, quia in Principe respectu subditi ponitur imperium, quod explicatur per legem aliquam (vt cõstabit ex q.90. a.1. distinctum) ab actu iudicij: Ego idem contingit in homine respectu sui ipsius. Antecedẽs probatur. Quia potest Princeps, & de facto aliquando iudicat aliquid esse cõueniens Reipublicæ; & nihilominus non præcipit illud per legem aliquã: Ergo signum est, quod sint distincti hi duo actus. Prima consequentia patet ex paritate rationis.

Probatur 5.

32 Alia ratio ad probandum quatenus imperium sit distinctum à iudicio. Quia obiectum iudicij est bonum vtile futurum: Sed imperium habet pro obiecto ipsum vtile quasi præsens hìc, & nunc consequendum per potentias exteriores.

38 Contra hanc doctrinam est sẽtentia Suarez t. 1. Metaph. disp. 19. sect. 6. n. 8. & sect. 7. n. 12. & 13. Vasq. hic disp. 49. c. 2. & 3. & 1. p. disp. 87. c. 3. & aliorum antiquiorum Theologorum, qui dixerunt non esse necessa-

Sententia opposita Suarez. Vasq.

rium

rium ponere actum imperij in intellectu distinctum à iudicio, sed esse ipsum iudicium practicũ intellectus.

1. Argum. 39 Primum argumẽtum huius sẽtentiæ est; Quia posito iudicio practico intellectus statim sequitur operatio in potentia executiua: Ergo superfluè ponitur actus imperij.

Respon-sio. 40 Respondetur negando antecedens, nam stante iudicio practico potest quis cessare ab executione operis propter nouas difficultates, ad quas vincendas ponitur actus imperij.

2 Argum. 41 Secundum argumentum; Quia in Deo non ponitur actus imperij distinctus à iudicio practico; Ergo neq; in nobis.

Respon-sio. 42 Respondetur, quod ad opera ad extra ponitur iuxta illud: *Fiat lux &c.* Ad intra autem non ponitur, quia non ponitur in Deo ordo potentiarum inferiorum, & superiorum, sicut in nobis; neq; actus Diuini sunt propter finem tanquam propter causam, vt quæst. prima dictum est. Potest etiam probabiliter negari antecedens respectu sui.

LECTIO III.

Vtrum imperium sit necessarium in homine ad proprios actus?

1. Cõcl. & 1. Ratio ex D. Th. & Arist. 43 RESpondeo primò: Ad proprios actus necessarium est imperium rationis. Probatur primò ex dictis lectione præced. in qua iuxta D. Th. & Arist. diximus, quod principalis actus prudentiæ est præcipere: Sed prudentia non solùm est necessaria ad dirigendum aliorum actus, sed etiam proprios: Ergo &c. Probatur minor. Quia duplex est prudentia ex Arist. 6. Eth. c. 8. & 10. Vna, quam ipse vocat Architectònicam, scilicet regalem, & ciuilem: Altera, quæ dicitur Monastica, & ordinatur ad proprios mores.

Arist.

44 Probatur secundò ex eodem D. Th. q. 83. a. 1. vbi ait: Ad rationem pertinet imperare non solùm potentijs inferioribus, sed etiam alijs hominibus subiectis. 2. Ratio ex D. Th.

45 Tertiò; Quia ad regulandum quemlibet actum voluntatis requiritur actus intellectus: Sed ad vsum actiuum non est sufficiens iudicium rationis: Ergo necessarius est actus imperij. Probo minorem. Primò: Quia iudicium ponitur solum ad regulandum electionem. Secundò: Quia vsus actiuus est diuersus actus ab electione: Ergo requirit diuersum actum intellectus à iudicio: At hic actus non est nisi imperium, quod respicit operationem: Ergo. Tertiò: Quia post iudicium possunt oriri nouæ difficultates, & noua impedimenta in executione operis. 3. Ratio.

46 Confirmatur; Quia ad electionem non sufficit synderis, quæ præcessit actum intentionis, sed requiritur consultatio mediorum: Ergo nec etiam ad vsum actiuum voluntatis est sufficiens iudicium, quod præcessit electionem, sed requiritur imperium, quod sequitur ad electionem. Confir.

47 Quartò principaliter (& est iam tacta hæc ratio.) Quia potest contingere, vt stante recta consultatione, & iudicio de aliquo agibili, quis deficiat ab executione operis propter noua impedimenta, vel difficultates, quæ apparent in opere: Ergo ad superandum has difficultates requiritur actus imperij. 4. Ratio.

48 Respondeo secundò: Imperium non est necessarium ad omnes actus voluntatis, sed solùm ad vsum actiuũ. Ita Montes. hìc q. 2. n. 41. dicens hanc sententiam esse omnium expositorum D. Th. & oppositam falsam. 2. Concl. Montes.

49 Probatur primò ex D. Tho. hìc a. 3. ad 3. dicente actum imperij sequi post electionem, & antecedere vsum. Probat. 1. D. Th.

50 Secundò: Quia actus imperij est actus prudentiæ: Sed virtus prudentiæ respicit tantùm ea, quæ sunt ad finem. Probat. 2. ratione.

51 Tertiò: Quia reliqui actus volun-

Digitized by Google

luntatis sufficienter mouentur, & diriguntur per alios actus intellectus.

52 Quartò, quia imperium pertinet ad ordinem executionis: Sed ordo executionis incipit ab electione: Ergo &c. Probat. 4.

53 Contra primam nostram responsionem est Vasquez hìc disp. 49. cap. 4. & Suar. t. 1. suæ Metaph. disp. 19. sect. 6. n. 7. & sect. 7. Azor. t. 1. lib. 1. cap. 29. qui dixerunt actum imperij nullo modo esse necessarium ad proprios actus. 1. Sẽtẽtia oppolita Vasquez, Suarez, Azorius.

54 Primum argumentum eorum est; Quia actus imperij nec est necessarius *quoad specificationem*, neque *quoad exercitium* ad proprios actus: Ergo &c. Antecedẽs probatur, quod non sit necessarius *quoad specificationem*: Quia iudicium, quod antecedit electionem, sufficienter determinat voluntatem *quoad specificationem*. Quod non sit necessarius quoad exercitium etiam patet; quia ex D. Th. art. 1. huius quæstionis voluntas est primum mouens quoad exercitium. 1. Argum. D. Th.

55 Respondetur primò; Quod imperium moueat *quoad exercitium* in virtute ipsius voluntatis, & ad hanc motionem sit necessarium; Nam virtus primi actus remanet in secundò ait S. Th. loc. cit. 1. Respõsio.

56 Respondetur secundò; Quod sit necessarium tùm *quoad exercitium*; tùm *quoad specificationem*. Quod sit necessarium quoad exercitium iam patet. Quod sit necessarium *quoad specificationem* etiam patet: Quia iudiciũ specificat electionem; imperium autem vsum actiuum intimando, & denunciando. 2. Respõsio.

57 Secundum argumentum; Quia vel imperium ponitur ad mouendum potentias inferiores; vel ad mouendum voluntatem; Non primum, quia potentiæ sunt irrationales, ac proinde incapaces imperij; Non secũdum, quia nec etiam voluntas cognoscit: Ergo inutilis est intimatio ipsius. 2. Argum.

58 Respondetur, quod imperium ponitur ad mouendum, tùm ipsam voluntatem, tùm ipsas potentias inferiores; sed voluntatem *immediatè*; potentias autem inferiores *mediatè*. Ad probationem respondetur breuiter ex D. Th. in hac q. a. 5. ad 2. quod intimatio fit toti homini, qui est capax rationis. Hæc est communis respõsio. 1. Respõsio. D. Th.

59 Addo autem quod si hæc ratio concluderet, vtique concluderet etiam, quod iudicium esset frustraneum ad electionem, quod est cõtra ipsos authores. 2. Respõsio cum Montes.

60 Tertium argumẽtum; Eiusdem ad seipsum non est oratio: Ergo neq; imperium. Probatur consequentia; Quia sicut oratio est inferioris ad superiorem; ita imperium superioris ad inferiorem. 3. Argum.

61 Respondetur negando consequentiam. Ad probationem dicitur, quod dispar sit ratio; Quia oratio etiã supponit indigentiam illius, quod petitur; Nemo autem est indigens respectu sui ipsius, cum sit in sua potestate. At ad imperandũ requiritur superioritas, & vis ad impellendum inferiora: quæ superioritas, & vis reperitur in intellectu, ei communicata à voluntate respectu potentiarum inferiorum. Respõsio.

62 Quartum argumentum; Quia nullus experitur hunc actum imperij in suis operationibus: *Fac hoc*: Ergo &c. 4. Argum.

63 Respondetur primò, quod viri docti illum experiuntur. 1. Respõsio.

64 Secũdò respondetur, quod res intellectus non facilè experiuntur, cũ experientia sit singularium. 2. Respõsio.

65 Tertiò, quod quamuis non experiatur sufficit rationibus singularibus illum probare. 3. Respõsio.

66 Probatur etiam hæc sententia alijs duobus argumentis contrarijs lectionis præcedentis, quæ vide ibi.

67 Contra secundam responsionẽ est Aluarez hìc disp. 64. Med. Val. & alij, qui dicunt ad omnem actum deliberatum voluntatis, siue sit circa finem, siue sit circa media, prærequiri actum imperij. Hanc sententiam nititur Aluar. probare aliquibus testimonijs D. Th. quæ planè nequidem 2. Sẽtẽtia oppolita Aluarez, Med. Valent.

Digitized by Google

tantillum innuent (meo videri) D. Th. fuisse hujus sententiæ, cum potiùs contra eam sit manifestum testimonium in hac quæst.art.3.ad 1,

68 Probatur ergo ratione; Primò; 1.Argum. Quia voluntas de se est indifferens ad omnes suos actus: Ergo indiget determinari per actum imperij,

69 Respondetur, quod sufficienter Respon- determinatur per alios actus intellectus, sio.

70 Secundò; Quia ad electionem studiosam præsupponitur imperium; 2.Argum. nam præsupponitur prudentia: Ergo,

71 Respondetur, quod præsuppo- Respon- natur prudentia, non quoad actum sio. imperij, siue præcepti; sed solum quoad reliquos actus,

ARTICVLVS II.

Vtrum imperare pertineat ad animalia bruta?

72 REspondet D. Th. negatiuè. Ratio est; quia imperare est actus rationis; nam est ordinare aliquem ad aliquid agendum cum quadam intimatiua motione,

ARTICVLVS III.

Vtrum vsus præcedat imperium?

73 PRæmittit D.Tho. in hoc art. quod dupliciter potest sumi *vsus*: Vno modo prout est medij secundum quod est in consideratione rationis referentis ad finem, siue prout est *in ordine intentionis*: Alio modo prout est medij secundum quod subditur potentiæ executiuæ, siue vt est *in ordine executionis*. Rationem autem, cur *vsus* potest esse medij vt est in ordine intentionis, reddit D. Tho. sup.q. 16.a.4. Quia voluntas quodammodo rationem mouet, & vtitur ea. Hoc præmisso,

74 Respondet primò. Si *vsus* sumatur vt est medij *in ordine intentionis*, sic *vsus* præcedit imperium. Ratio est; Quia sic sumptus præcedit electionem: Ergò multò magis imperiũ, quod sequitur ad electionem.

75 Respondet secundò; Si *vsus* sumatur vt est medij *in ordine executionis*, siue vt ait D. Th. expressis verbis, *vt subditur potentiæ executiuæ*; sic imperium præcedit vsum. Ratio est; Quia vsus vtentis est conuinctus cum actu eius, quo quis vtitur: Sed imperium non est simul cum actu eius, cui imperatur: Ergo prius est imperium, quàm vsus. Probatur maior, quia nõ vtitur aliquis baculo, antequam aliquo modo per baculum operetur. Minor etiam probatur; Quia prius est naturaliter, siue natura, imò & aliquãdo tempore, quod imperetur, quàm quod imperio obediatur,

76 Hæc ratio sic breuiùs, & clariùs potest poni in forma. *Vsus* actiuus est simul cum *vsu* passiuo, siue operatione, qua quis vtitur; Sed imperiũ est prius vsu passiuo, siue operatione coniuncta cum vsu actiuo: Ergo &c.

77 In responsione ad primum ait D.Th. clarissimè, quod electio præcedit imperium, & imperium præcedit *vsum*. Ratio est; Quia post determinationem consilij, quæ est iudicium, voluntas eligit, & post electionem ratio imperat ei, per quod agendum est id, quod eligitur: & tunc demum voluntas alicuius incipit vti exequendo imperium rationis,

78 In responsione ad tertium ait D. Tho. quod sicut actus voluntatis vtentis ratione ad imperandum præcedit ipsum imperium: ita etiam potest dici, quod istum *vsum* voluntatis

præ-

Digitized by Google

præcedit aliquod Impetium rationis. Ratio est; Quia actus harum potentiarum supra seipsos inuicem reflectuntur.

LECTIO I.

Vtrum detur aliquod imperium præcedens electionem: an verò subsequatur semper ad electionem?

79 SAnctus Th. in hoc art. ad primum clarissimè docet imperium sequi ad electionem, & antecedere *vsum*. In responsione postmodum ad tertium ait, quod potest dici, quod aliquod imperium rationis præcedat vsum voluntatis, quo voluntas applicat intellectum ad imperandum, ea ratione: Quia actus harum potentiarum possunt inuicem reflectere supra seipsos. Videndum est ergo; An detur aliquod imperium, quod antecedat electionem?

80 Respondeo primò. Posse dari actum imperij, qui præcedat electionem; intentionem finis (excepta tamẽ intentione finis simpliciter prima; vt ait D. Tho. art. 5. huius quæstionis ad 3. quia est ex instinctu naturę;) & alios actus voluntatis, de facto autem non est semper necessarium. Hæc planè mihi videtur mens D. Th. in hoc art. ad 3. & art. 5.

1. Concl.

D. Th.

81 Et probatur quoad primam partem duabus rationibus sumptis ex ipso D. Th. vna ex hoc art. ad 3. & altera ex art. 5. Prima est; Quia actus harum potentiarum, scilicet intellectus, & voluntatis, reflectuntur supra seipsos ad inuicem: Ergo potest intellectus quolibet actu suo reflectere supra quemlibet actum voluntatis.

1. Ratio cõclusionis quoad primam partem.

82 Secunda ratio est; Quia imperium nil aliud est, quàm actus rationis ordinantis cum quadam motione ad aliquid agendum; Sed potest ratio ordinare de quolibet actu voluntatis: Ergo &c. Minor probatur ex eodem D. Th. Quia potest iudicare, quod bonum sit aliquid velle: Ergo potest ordinare imperãdo, quod aliquid velit.

2. Ratio.

83 Confirmatur; Quia potest intellectus imperare volũtati: *Hoc elige:* Similiter potest ei dicere: *Hoc bonum honestum est amplectendum: Hic finis sequendus.*

Confir.

84 Secunda pars probatur, quod de facto non sit semper admittendus hic actus imperij; Quia vt moueatur voluntas efficaciter ad prosecutionẽ, vel fugam alicuius obiecti, sufficit, vt efficaciter proponatur ei sub ratione conuenientis, vel disconuenientis.

Probatur quoad secundam partem.

85 Præterea; Quia ideò de facto ponitur actus imperij respectu *vsus*, quia ad executionẽ mediorum habet specialem difficultatem. Hanc respõsionem quoad primam partem sequitur Auersa hìc sect. 1. dicto quarto, quamuis non ità clarè. Quoad secundam Mont. sup. q. 9. a. 1. disp. 13. q. 3. n. 50. & plures alij, quos ibi ipse refert.

Confir.

Auersa.

Montes.

86 Respondeo secundò: Imperiũ de facto subsequitur ad electionem, & antecedit vsum. Ita D. Tho. in hoc art. & particulariter ad 1. luce meridiana clariùs.

2. Concl. & probatur ex D. Th.

87 Neque valet respondere, vt respondet Auersa loc. cit. quod S. Tho. posuit hìc imperium ante *vsum*, quia hoc erat notius. Nam S. Tho. loquutus est de serie actuum humanorum, quæ regulariter, & de facto accidit.

Euasio Auersæ, & precluſio.

88 Præterea 2. 2. q. 47. a. 8. in corpore ait, quod tres actus sunt prudentiæ, quorum primus est *consiliari*: Secundus *iudicare de inuentis*: & tertius *præcipere*, qui quidem actus consistit in applicatione consiliatorum, & iudicatorum ad operãdum. Sed hęc applicatio est semper post electionem: nam electio pertinet *ad ordinem intẽtionis*: & applicatio ad opus *ad ordinẽ executionis.*

Probatur 2. Concl.

89 Demum probatur; Quia ordo *executionis* habet specialem difficultatem: Ergo regulariter actus impe-

Probatur tertiò.

Digitized by Google

rij ponitur in hoc ordine, & consequenter semper post electionem. Hæc sententia est magis communis inter Thomistas.

Sententia opposita Caiet. Aluar. Medin.

90 Oppositam sententiam defendit Aluar. hic disp. 67. qui etiam refert Caiet. pro ea 2.2.q.88.a.1. circa med. commenti, & Med. qui dicit dari aliquod imperium ante electionem.

1. Argum. & respõsio.

91 Primò probat eam ex responsione ad 3. D. Tho. Sed certè probat nostram primam respõsionem, vt patet ex verbis ipsius D. Th. nimirum: *Potest dici quod istum vsum voluntatis* (intellige, quo aplicat voluntas intellectum ad operandum) *præcedat aliquod imperium rationis.*

2. Argum.

92 Secundò probat; Quia electio est actus maximè liber: Ergo cadit sub imperio rationis. Probat consequentiam ex argumento *Sed contra* D. Tho. art. 6. huius quæstionis, quia quilibet actus liber potest cadere sub imperio rationis.

Respõsio.

93 Hoc argumentum admittimus totum loquendo de potentia; de facto negamus illud regulariter loquẽdo; Quia non sequitur, ex eo quod actus aliquis potest cadere sub imperio rationis, quod de facto cadat.

LECTIO II.

Vtrum imperium sequatur necessariò ad electionem?

94 DIximus iam quod *regulariter* loquendo imperium sequatur ad electionem; modò vidẽdum est: An necessariò sequatur, & immediatè: An verò inter electionẽ, & imperiũ intercedat alter actus voluntatis, qui dicatur *vsus*.

1. Concl.

95 Respondeo primò. Posita electione efficaci, & perseueranti, non potest non sequi imperium pro eo tẽpore, pro quo est electio. Explicatur hæc responsio. Potest enim quis eligere aliquod medium nõ statim exequendum; exempli gratia, crastina die conducere equum ad eundum Neapolim: & potest eligere aliquod medium statim exequendum, vt hìc, & nunc conducere equum &c. Tunc dico, quod pro eo tempore, quo eligitur medium exequendum, sequitur imperium.

Ratio.

96 Ratio est; Quia electio ideò dicitur efficax, quia ea posita sequitur necessariò operatio; alioquin nullo modo diceretur efficax, sed inefficax.

Confir.

97 Prætereà; Quia posita intẽtione efficaci finis statim sequitur consultatio de medijs: Ergo posita electione efficaci, statim sequitur imperium.

Obiectio.

98 Vna obiectiuncula potest esse contra hanc responsionem. Quia posita electione efficaci potest apparere noua difficultas, vel impedimentum in executione operis: Ergo potest cessare imperium.

Respõsio.

99 Respondetur, quod si perseuerat electio efficax sequitur imperium ad vincendum etiam talem difficultatem.

2. Concl.

100 Respondeo secũdò. Inter electionem, & imperium nullus alter mediat actus, sed immediatè sequitur imperium ad electionem.

Probat. 2. ratione.

101 Probatur; Quia inter intentionem efficacem finis, & consilium de medijs nullus alius intercedit actus: Ergo nec etiam inter electionem efficacem, & imperium. Probatur consequentia. Quia ideò inter intentionem efficacem finis, & consiliũ non opus est actu intermedio, quia sufficit efficacia intẽtionis finis; Alioqui non diceretur efficax: Ergo pariter in casu conclusionis. Hanc sententiam tenet Caiet. q. præced. a. 4. Med. Montes. hìc q. 3. & alij Thomistæ.

Caiet. Med. Montes.

Sententia contraria Aluar.

102 Contra secundam responsionem est Aluarez hic disp. 65. dicens multò probabilius esse, quod præter actum voluntatis, qui est electio, requiratur ad imperium alius actus voluntatis, qui est *vsus*, & applicatio, qua voluntas applicat rationẽ ad imperandum.

103 Pro-

Digitized by Google

103 Probat primò ex D. Tho. q. præced. a. 4. in corp. vbi inter intentionem finis,& consilium ponit *usum*, quo voluntas mouet intellectum ad consultandum,& iudicandum de medijs.

1.Argum. ex D.Th.

104 Respondetur, quod S.Th. loquatur ibi de de vsu *latè* sumpto quatenus est motio quædam,qua voluntas mouet intellectum, & vtitur eo ad intelligendum: qui quidem *usus*, si simpliciter, & regulariter admittendus esset ante consilium, & iudicium de medijs deberet etiam admitti ante quemlibet actum intellectus; quia voluntas ad quemlibet actum mouet eum; ac proinde deberet admitti ante actum intellectus præcedentem intentionem efficacem finis, quod non est admittendum. Dicitur ergo, quod hæc motio virtualiter continetur in efficaci intentione finis, ita vt posita hac intentione,statim sequatur consilium,propter naturalem dependentiam horum actuum. Posset quidem voluntas actu speciali applicare intellectum ad consultandum de medijs, sed hæc applicatio non est semper, & regulariter necessaria.

Respõsio.

105 Probat secundò ex responsione ad 3.in hoc art. vbi ait D. Tho. quod sicut actus voluntatis vtentis ratione ad imperandum precedit ipsũ imperium: ita etiam dici potest, quod & istum *usum* voluntatis præcedat aliquod imperium.

2.Arg. ex S.Th.

106 Respondetur; quod Sanctus Th. loquatur non de ordine actuum voluntatis, qui de facto occurrunt, sed de his, qui possunt occurrere.

Respõsio.

107 Secundò respondetur: Quod loquatur de ordine reflexo actuum,vt patet ex ratione,quam reddit.

2. Respõsio.

108 Et tertiò, quod ibi sumit *usũ lato modo* dictum, prout est applicatio intellectus ad suam operationem,quę claudit virtualiter in ipsa electione. Et hæc fortasse est melior responsio.

3. Respõsio.

Replica Aluarezi

109 Impugnat hanc tertiam responsionem Aluarez. Quia eadem ratione potest dici, quod *usus* actiuus, qui applicat potentias exteriores ad operationem, virtualiter contineretur in electione.

110 Respondetur negando hanc illationem, quia virtus electionis finitur in ipso actu imperij cum sit extra ordinem executionis in re, à quo incipit ipse actus imperij.

Respõsio.

111 Probat tertiò;quia si imperiũ sequitur immediatè ad electionẽ, vel sequitur *necessariò*,vel *liberè*. Si *necessariò*:Ergo non opus esset virtute prudentiæ ad imperandum. Si *liberè*: Ergo mediante vsu voluntatis. Probatur hæc consequentia, Quia alioquin nulla posset assignari ratio, cur post electionem efficacem aliquando de facto sequeretur imperium,& aliquãdo non.

3.Argum.

112 Respondetur breuitèr, quod imperium sequatur *liberè*.Deinde negatur consequentia:Ad probationem dicitur,quod ratio, cur aliquando de facto sequatur imperium est electio efficax, & perseuerans in sua efficacitate: Cur autem aliquando non sequatur de facto, est, quia electio est inefficax, vel si est efficax, non perseuerat.

Respõsio.

LECTIO III.

Vtrum vsus actiuus necessariò sequatur ad imperium?

113 PRO tituli explicatione notandum est, quod hìc loquimur de imperio, quo quis imperat sibi ipsi: Nam experientia compertum est, quod quando vnus imperat alteri, non statim ponitur in executione actus imperatus. Deinde dicimus, quod sermo est quando potẽtia executiua non est impedita, quia si impedita est, nullus erit actus imperatus. Hæc pro tituli explicatione.

1. Animaduersio.

114 Pro fundamento autem nostræ sententiæ notandum est secundò, quod

2. Animaduersio.

Digitized by Google

quod duplex esse potest imperium ex D. Tho. art. 5. huius quæstionis ad 1. Vnum perfectum: Alterum imperfectum. Perfectum vocat D. Th. quod est firmum, ita vt mens non moueatur ex diuersis partibus ad imperandum, vel non imperandum, & fluctuat inter duo, exempli gratia, inter velle, & nolle. Imperfectum autem vocat, quod non est firmum, sed instabile, ita vt mens agitetur ex diuersis partibus ad imperandum, & non imperandum, tanquam à contrarijs fluctibus. His notatis.

115 Respondeo primò. Si imperium sit firmum, ac stabile, *necessariò necessitate ex suppositione* sequitur vsus, siue actus imperatus. 1. Concl.

116 Ratio est; Quia istud imperiũ præsupponit etiam electionem firmã, ac stabilem, & efficacem: Sed ad actũ efficacem, siue voluntatis, siue intellectus sequitur *necessariò* actus natura sua consequens: Ergo &c. Ratio.

117 Respondeo secundò. Si imperium non sit firmum, sed fluctuet ex vtraque parte, non sequitur *necessariò* actus imperatus. 2. Concl.

118 Ratio est eadem; Quia non præsupponit electionem efficacem voluntatis. Est doctrina harum duarum responsionum expressa D. Tho. art. 5. huius quæstionis cit. ad 1. Ratio.

119 Contra eam est primum argumentum sumptum ex D. Aug. lib. 8. confes. cap. 9. vbi ait: *Imperat animus, vt uelit animus, nec tamen facit*: Ergo. Respondetur ex D. Th. loco cit. quod hoc ideo est, quia imperium non est firmum. 1. Argum. ex D. August. & responsio ex D. Th.

120 Secundum argumentum est ex D. Th. in hoc art. 3. in quo dicit, quod imperium quandoque tempore præcedit actum imperatum: Ergo. Respondetur, quod imperium antecedit tempore actum imperatum, quando imperat illum pro aliquo determinato tempore futuro. 2. Argum. ex D Th. & respõsio.

121 Tertium argumentum est; Quia appetitus sensitiuus sæpè imperatur à ratione: & non obedit. Respondeo, quod imperium sit imperfectum. Sed de hoc inf. art. 7. 3. Argum. & respõsio.

LECTIO IV.

De serie, & ordine actuum humanorum ad inuicem, scilicet intellectus, & voluntatis.

122 PRO huius difficultatis explicatione notandum est primò, quod duplex est ordo voluntatis ad finem: Vnus, qui dicitur *intentionis*: Alter qui dicitur *executionis*. Ordo *intentionis* est à voluntate ad finem vt habitum in mente. Ordo *executionis* est à voluntate ad finem habendum in re. Ordo intentionis habet duplicem habitudinem; vnam ad finem: Alteram ad media etiam vt in mente. Habitudo ad finem incipit à cognitione finis vsque ad actum intentionis: habitudo ad media incipit à consilio vsque ad electionem, & hìc finitur *ordo intentionis* vt infra clariùs videbitur. Ordo *executionis* incipit ab actu imperij vsq; ad fruitionem perfectam finis in re. Ita colligo ex D. Th. sup. q. 16. a. 4. & Caiet. eodem loco. 1. Animaduersio. D. Th. Caiet.

123 Notãdum est secundò, quod ordo & series actũ intellectus, & voluntatis etiam duplex est: Vna *directa*: Altera *reflexa*. *Directa* est, qua vnus actus succedit alteri in ordine ad idem obiectum. *Reflexa* est, qua vnus actus potest reflecti supra alterũ actum. Quæ reflexio adhuc duplex est: Vna, quæ virtualiter clauditur in eodem actu directo, hoc est, quod dum voluntas intendit aliquem finem, ipsa intentio finis virtualiter est intentio sui, ita vt per eundem actum dicatur voluntas intẽdere suam intentionem: Altera reflexio est formalis, quando vnus actus volũtatis cadit super alterum actum voluntatis distinctum; vt cum voluntas eligit aliquod medium, actu reflexo consentit se eligere, vel applicat actu distincto se ad eligendum. His notatis. 2. Animaduersio.

124 Respondeo primò. Loquendo 1. Concl.

Digitized by Google

do de ordine directo actuum voluntatis, & intellectus, qui regulariter solent occurrere, Primò est *apprehensio*, siue *cognitio* finis. Secundò *intentio* ipsius. Tertiò *consilium* de medijs. Quartò *iudicium* determinans quædam media esse vtiliora, & quædam minùs vtilia in finem. Quintò *consensus* in media. Sextò *electio* de medio vtiliori. Et hìc completur ordo intentionis, & incipit ordo executionis. Septimò *imperium* de executione mediorum. Octauò *vsus* actiuus. Nonò *executio*, siue actus potentiæ executiuæ exequens media ad consequendum finem in re. Decimò *fruitio* finis. Hic est ordo, quem expresse ponit regulariter loquendo inter hos actus D.Th. sup. q. 15. cit. a. 3. in corp. & ad 1. & in hoc art. quem commentamus.

D.Th.

125 Vbi aduertendum, quod *consensus* ex Diuo Th. q. 15. cit. ad 1. in hoc distinguitur ab *electione*; Quod *consensus* sit complacentia mediorũ: *Electio* sit acceptio vnius medij relicto alio, in qua re importatur habitudo ad medium, quod accipitur, & ad illud, quod relinquitur. Quando vero occurreret casus, quod ex multis medijs discussis vnum iudicaretur vtile; tunc *consensus* ait D.Th. distingueretur tãtùm ratione ab electione; Quia *consensus* diceretur medii secũdum quod placet; *electio* autem secũdum quod præferatur mediis, quæ non placent, vel non essent vtilia.

Animad. uerſio.

126 Rationes autem ad probandum hanc esse seriem actuum regulariter occurrentium non opus est adducere. Primò, quia patet ex dictis. Secundò, quia sufficit auctoritas D. Th. Tertiò accedit ipsa experientia; quæ potest fieri. Et vltimò, quia prius est, quod voluntas cognoscat finem, & postea moueatur in finem. Deinde ad consequendum finem opus sunt media: Ergo prius debet intellectus inquirere, quæ sunt vtilia: deinde iudicare: tertiò voluntas consentire; quartò eligere: Vltimò debet media electa ponere in executionem: Ergo debet intellectus imperare, & sic voluntas vti &c.

Ratio cõcluſ.

127 Respondeo secundò: Loquẽdo de *reflexione* actuum, qua vnus actus reflectit supra alterum, regulariter accidunt hi tres actus, scilicet *consensus*: *electio*: & *vsus*. Exempli gratia, si voluntas eligit aliquid ordine reflexo, dicitur, quod eligit se eligere; consentit in electionem, vtitur se ad eligendum, & sic de aliis. Ita D. Th. sup. q. 16. a. 4. ad 3. & Caiet. in cõmentario huius loci. Addit Caiet. quod comparando istos actus reflexos ad inuicẽ, *vsus* deberet dici prior; deinde *consensus*; tertiò *electio*.

2. Concl.

D. Th. Caiet.

128 Ratio ipsius est; quia *vsus* est actus vniuersalis; *consensus* non adeò vniuersalis, & *electio* minùs vniuersalis.

Ratio cõcluſ.

129 Respondeo tertiò: Potest accidere, quod quandoque priùs quàm deueniatur ad intentionem efficacem finis, sit leuis cognitio finis; deinde simplex volitio finis; & tertiò quædã fruitio finis imperfecta ipsius finis vt habita in mente. Potest etiam accidere, quod stante intentione efficaci finis, intellectus imperat sibi ipsi inquisitionem mediorum, vel voluntas applicat illum ad inquirendam media.

3. Concl.

130 Ratio est; Quia voluntas, & intellectus, cum sint purè spirituales, possunt reflectere supra seipsos, & ad inuicem.

Ratio.

131 Cõtrarius nobis videtur Caiet. qui loc. cit. ponit hunc ordinem inter hos actus, vt primò sit apprehensio finis. Secundò voluntas illius. Tertiò imperfecta fruitio. Quartò intentio eius. Quintò usus, quo voluntas applicat intellectum ad cõsiliandum de mediis. Sextò consilium. Septimò consensus. Octauò electio. Nonò imperium. Decimò vsus actiuus. Vndecimò executio ipsa. Duodecimò fruitio.

1. Sẽtẽtia contraria Caiet.

132 Sed certè non est necesse, regulariter loquendo, multiplicare omnes hos actus, vt iam dictum est. Ordine autem reflexo non ponit aliam seriem,

Impugnatur sentẽtia Caiet.

Digitized by Google

riem,quam D. Th. & nos cum D. Th. iam posuimus.

2. Sententia contraria Montes.

133 Montes.hìc disp. 21. q. 3. ponit hunc ordinem inter eos,loquendo de ordine directo, vt primò sit *cognitio* finis; secundò *intentio* eiusdem; tertiò *consultatio*; quartò *iudicium*, aut *sententia*; quintò *electio*; sextò *imperium*; septimò *vsus actiuus*; octauo *vsus passiuus*.

Impugnatur.

134 Sed certè nimis parcus est cũ alij sit actus, qui annumerari debeat, vt ex D Th.iam numerauimus.

Sententia Montes. quoad actus ordine reflexo implicitos

135 Loquendo autem de ordine reflexo implicito dicit, quod idem est ordo inter eos, ac est ordo directus, contra Caiet.ita vt dum voluntas eligit, in quo actu implicitè est consensus; & vsus; primò est, quod consentiat se eligere; Secundò, quod eligat se eligere; Et tertiò,quod vtatur se ad eligendum. Similiter dum voluntas consentit,prius est, quod consentiat se consentire; deinde quod eligat se consentire; Et tertiò, quod vtatur se ad consentiendum.Denique dum vtitur, prius est,quod consentiat in vsũ; Secundò, quod eligat suum vsum; Et tertiò,quod vtatur se ad vtendum. Et quidem probabilis est, & facilior ad explicationem mentis D.Th. & conformior meo videri.

Ordo reflexus actuum explicatorũ.

136 Vltimò loquendo de actibus reflexis explicitis, qui distinguuntur ab actibus directis; ait, quod non est ordo inter eos, sed voluntas pro suo arbitrio potest sic velle,vel aliter velle. Exempli gratia, potest prius velle se eligere, quam velle se vti ad eligẽdum, & è contra.

3. Sententia Aluarez.

137 Aluarez enim,vt colligitur ex sua doctrina, ponit hanc consequentiam actuum in ordine directo,vt primò sit *cognitio* finis: Secundò *intentio*: Tertiò *consilium*: Quartò *iudicium*: Quintò *consensus*: Sextò *imperium* quo quis præcipit sibi ipsi, vt eligat: Septimò *electio*: Octauò *vsus*,quo voluntas applicat intellectum iterum ad imperandum executionem mediorũ: Nonò *imperium*: Decimò *vsus actiuus*: Vndecimò *vsus passiuus*: Duodecimò *fruitio*.

138 Sed re vera actus imperij ante electionem non est ponendus,neq; vnus ante alterum actum imperij cõsequentem ad electionem vt dictum est. Et hæc sufficiant de ordine horum actuum. Impugnatur.

ARTICVLVS IV.

Vtrum imperium, & actus imperatus sint vnus actus, vel diuersi?

139 Ræmittit D.Th. in hoc art.quod aliqua sunt *simpliciter* multa, & *secũdum quid* vnũ; sicut multi homines *simpliciter* sunt multi, & *secundum quid* vnum, scilicet vnus populus. Similiter multi lapides *simpliciter* sunt multi, sed *secundum quid* vnum, scilicet vnus aceruus. Vlterius multa iudicia sunt *simpliciter* diuersa,& multa, & *secundum quid* vnũ, scilicet vel genere, vel specie.

140 Aliqua verò è contra sunt *simpliciter* vnum, & *secundum quid* multa; Sicut compositum substantiale est *vnum simpliciter*, & secundam partes componentes multa. Ratio est; Quia vnum consequitur ad ens: Sed illud dicitur *simpliciter* ens, quod est substantia *simpliciter*: Ergo illud est vnum *simpliciter*, quod consequitur ad substantiam *simpliciter*. Quod autem est *secundum quid* ens,sicut accidens, vel ens rationis,dicitur *secundum quid* vnum: Vnde compositum accidentale ex multis accidentibus dicitur *secundum quid* vnum, & *simpliciter* multa. Similiter compositum rationis, scilicet collectio vnius populi dicitur *secundum quid* vna, & *simpliciter* multiplex.

141 His præmissis respõdet D.Th. quod imperium, & actus imperatus sunt

Digitized by Google

sunt vnus actus humanus, sicut quoddam totum est vnum, sed est *secũdum partes* multa. Ratio est; Quia compositum *naturale*, quemadmodum est homo compositus ex anima, & corpore, est unum ens naturale, licet habeat multitudinem partium. Siue est unum *simpliciter*, & *secundum quid* multa, scilicet secundum partes: Ergo etiam compositum *morale*, scilicet ex actu imperante, & imperato est unum *simpliciter* in esse *moris*, & *secundum partes* multa. Probatur consequentia; Quia imperium comparatur ad actũ imperatum, sicut forma ad materiam: nam primum mouens, quod est uolũtas imperans, se habet formaliter ad instrumentum, quod est potentia exequens actum imperatum. Hìc est aduertendum, quod Sanctus Th. loquatur de actu imperante, & imperato in *esse moris*.

ARTICVLVS V.

Vtrum actus voluntatis imperetur?

37 REspondet D. Th. quod actus volũtatis potest esse imperatus. Ratio est; Quia imperiũ est actus rationis ordinantis cum quadam motione ad aliquid agendũ: Sed potest intellectus ordinare de actu voluntatis: Ergo &c. Probat minorem D. Th. Quia potest iudicare, quod bonum sit aliquid velle: Ergo potest imperare, quod homo velit.

38 In responsione ad primum ait D. Th. quod ad imperium perfectum sequitur volitio: Ad imperfectum verò imperium, quod fluctuat, non sequitur volitio.

39 In responsione ad secundum ait, quod dum intellectus imperat aliquem actum alicuius particularis potentiæ, vt oculi (exempli gratia) imperat toti homini. Ratio est; Quia mẽbrum non operatur sibi soli, sed toti corpori; sicut oculus non solum videt sibi, sed toti corpori.

40 In responsione ad tertium ait, quod primus actus voluntatis non imperatur, sed est ex instinctu naturę, aut superioris causæ.

41 Contra hac doctrinam D. Th. solum potest esse vnum argumẽtum; Quia idẽ nõ potest esse mouẽs, & motum in eodem genere causæ: Ergo voluntas non potest mouere intellectum ad imperium, & moueri ab ipso per imperium. Respondetur, quod ipsa mouet intellectum ad imperium applicando; intellectus verò mouet illam per imperium dirigendo.

ARTICVLVS VI.

Vtrum actus rationis imperetur?

42 PRæmittit D. Tho. quod actus rationis potest considerari dupliciter: Vno modo quãtum ad exercitium actus, vt quando dicitur alicui, quod attendat, & ratione vtatur: Alio modo quantum ad obiectum. Quod obiectum duplex esse potest: vel prima principia per se nota, quæ omninò conuincunt intellectum, vel alia apprehensa, quæ non omninò conuincunt intellectum. His positis.

43 Respondet primò. Actus intellectus potest esse imperatus. Ratio est; Quia intellectus supra seipsum reflectit. Confirmatur; Quia sicut ordinat de actibus aliarum potentiarum, ita etiam potest ordinare de suo actu.

44 Respondet secũdò, quod actus rationis quantum ad exercitium semper imperari potest. Probat exemplo, vt cum dicitur alicui quod attendat, & ratione vtatur.

45 Respondet tertiò. Si exercitiũ actus intellectus sumatur quantum ad

Digitized by Google

hoc, vt circa aliquod obiectum veritatem apprehendat vt sic, non est in potestate nostra neque imperari potest. Ratio est; Quia hoc pendet à lumine naturali, vel supernaturali.

46 Respondet quartò: Quod actus intellectus circa prima principia, quo ad dissensum, vel assensum non est in potestate nostra. Ratio est; Quia subiacet imperio naturæ.

47 Respondet quintò: Quod actus intellectus circa alia obiecta, quæ nõ sunt prima principia, vel non adeo conuincunt intellectum quoad assensum, vel dissensum, est in potestate nostra. Ratio est; Quia potest ob aliquam causam quis assentire, vel dissentire, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere.

Difficultas vnica super hũc art. resoluitur.

48 Super istum art. mouet vnam quæstionem Aluarez: An ante omnẽ actum liberum voluntatis detur aliquod imperium naturale. Sed facilè respondetur ex dictis negatiuè; Quia de ratione imperij est, vt prærequirat actum voluntatis.

ARTICVLVS VII.

Vtrum actus appetitus sensitiui imperetur?

49 PRæmittit D. Tho. quod actus appetitus sensitiui dupliciter considerari potest: Vno modo vt pendet ex potentia animæ, siue ex ipsa vi appetitiua: Alio modo vt pendet ex dispositione organi corporalis; sicut uisio pendet ex potentia uisiua, & ex qualitate oculi, per quam iuuatur, vel impeditur. Ratio est; Quia appetitus sensitiuus est uirtus organi corporalis, siue affixa organo corporeo. His positis.

50 Respondet primò D.Th. quod actus appetitus sensitiui vt pendet à potentia animæ, siue ab ipsa vi appetitiua subiacet imperio rationis. Ratio est; Quia vt sic sequitur apprehensionem sensitiuam: Sed apprehensio sensitiua subiacet imperio rationis: Ergo &c. Probatur minor; Quia apprehensio sensitiua est particularis, & apprehensio rationis est uniuersalis; Sed uirtus cognoscitiua particularis regulatur ab uniuersali; sicut uirtus actiua particularis à uirtute actiua uniuersali: ergo &c.

51 Respondet secundò; Quod actus appetitus sensitiui ut pendet ex dispositione organi corporalis, non subiacet imperio rationis. Ratio est clara; Quia dispositio corporalis non subiacet imperio rationis.

52 Respondet tertiò: Quod motus appetitus sensitiui subitanei non subiacent imperio rationis. Ratio est; Quia antecedunt imperium rationis, neque præuidentur.

53 Respondet quartò ex Arist. 1. Polit. cap. 5. quod appetitus sensitiuus obedit imperio rationis politicè. Ratio est; Quia pendet ex dispositione corporali; Vnde potest ei resistere.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum actus animæ vegetabilis imperentur?

54 REspondet D. Th. quod actus animæ uegetabilis nõ subduntur imperio rationis. Ratio est; Quia hi actus sunt appetitus naturalis, qui non sequitur cognitionem.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS IX.

Vtrum actus exteriorum membrorum imperantur?

55 REspõdet primò S. Th. quod motus membrorũ, quæ mouentur à potentijs sensitiuis subduntur imperio rationis. Ratio est; Quia uires sensitiuæ subduntur imperio rationis.

56 Respondet secundò; Quod motus membrorum, qui consequuntur uires naturales non subduntur imperio rationis. Ratio est; Quia uires naturales non subduntur imperio rationis.

57 In responsione ad secundum ait, quod motus cordis non subiacet imperio rationis. Ratio est; Quia est à natura: Vlterius dicit, quod motus, qui consequitur ad potentias sensitiuas, subiacet imperio rationis; Quia illæ potentiæ subiacent imperio rationis.

58 In responsione ad tertium item ait, quod motus cordis, & genitalium membrorum non subiacẽt imperio rationis. Quia utrumque membrorum est quoddam animal separatum in quantum est principium uitæ. Principium enim est in uirtute totum.



Digitized by Google

QVAESTIO XVIII. D.TH.

De Bonitate, & Malitia humanorum actuum in generali in vndecim articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum omnis humana actio sit bona, vel aliqua mala?

1 PRæmittit D.Tho.in hoc art. duo, & deinde respondet quæsito. Primum, quod prę mittit est, quod eodem modo oportet loqui de bono, & malo, quod reperitur in actionibus,ac de bono, & malo,quod reperitur in rebus. Ratio est; Quia vnaquæque res talem actionem producit, qualis est ipsa. Secundum est, quod vnumquodque tantum habet de bono,quantum habet de *esse*; Quia bonum & ens conuertuntur, vt dictũ est 1.p.q. 5. a. 3. Tantum verò habet de malo, quantum ei deest de plenitudine essendi sibi conuenienti. Explicat hoc exemplo. *Esse*, quod conuenit homini,est,quod compositus sit ex anima, & corpore, & habeat omnes potentias, & instrumenta cognitionis, & motus: Si aliquid ei desit de hoc *esse*, dicitur quod habeat malum. His præmissis.

2 Respondet D.Tho. quod omnis actio in quantum habet aliquid de *esse*, in tantum habet de bonitate: In quantum verò deficit ei aliquid de plenitudine essẽdi,quę debetur actioni humanæ,in tantum deficit à bonitate, & sic dicitur mala: puta si deficiat ei, vel determinata quantitas secundum rationem, vel debitus locus, vel aliquid huiusmodi. Rationem nõ reddit specialiter D.Th. huius respõsionis, sed supponit illam ex præmissis,quæ est huiusmodi.Quia vnaquęq; res,vel actio tantum habet de bonitate, quantum habet de *esse*, & tantum de malitia quantum ei deficit de *esse* sibi conuenienti.

3 Respondet secundò D. Th. cõsequenter, & implicitè quæsito,quod non omnis actio humana sit bona,sed aliqua potest esse mala. Ratio est; Quia in actione humana potest reperiri aliquid, quod ei desit de plenitudine essendi sibi debita; siue potest ei deesse aliqua bonitas sibi debita.Probat etiam illam in argumento *Sed cõtra* ex illo Ioann. 3. *Omnis, qui malè agit,odit lucem*. Hæc conclusio est de fide,Primò contra Lutherum asserentem omne opus hominis etiam iusti esse peccatum: Secundò contra Valentinum, & Manicheos dicentes nullam humanam operationem, ac procedentem à libero arbitrio hominis esse peccaminosam; Sed rationem peccati habere à solo Dæmone. Sed de his in materia de Gratia Deo dãte.

LECTIO I.

Vnde dicatur hoc nomen morale, & quid significet?

4 REspondeo primò, quod hoc nomen *morale* deriuatur à more: nam apud latinos idẽ est morale, quod ad mores pertinet, vt constat ex Cicer.lib. de facto. *Mos* etiam prima sui significatione significat 1. Concl. Cicero.

ficat actuum similium frequentiam, vel assuetudinē. Ita D.Th. in hac 1.2. q.58.a.1.& in 3.dist.24.q.1.a.4. Quia autem in hac actuum similium frequentatione, vel assuetudine intercedit mora temporis, ideò hæc actuum similium frequentia, vel consuetudo dicitur *mos*; & consequenter *mos* dicitur à mora temporis. Vnde radicitus loquendo *morale*, & consequenter *moralitas* dicitur à more: *mos* autem à mora temporis, quæ intercedit in actuum similium frequentia. Ita Arist.1.Mag.Moral.cap.7. vbi ait: Morem à mora habuisse cognomen: Moralis siquidem appellatur, ex eo, quod ex mora consuescat.

D.Th. Aristot.

5 Prætereà, quia hæc actuū frequentia oritur ex voluntaria determinatione,& inclinatione,ideò secundò *mos* significat hanc voluntariam inclinationem, & determinationem ad eosdem actus iuxta illud Psal.67. *Qui habitare facit vnius moris in domo.*

Psal.67.

6 Tertiò *mos* significat inclinationem, & determinationem naturæ, & sic *mos* tribuitur etiam brutis, vt patet Macchab. 2.cap.11. vbi dicitur de Iuda,& exercitu eius: *Leonum more impetu irruentes in hostes:* Tribuitur apud Plin.lib. 14.cap. 1. inanimatis. Vnde ibi dicuntur mores cœli, sed re vera impropriè,& metaphoricè.

Machab. 2.cap. 11. Plin.

7 Quartò significat legem scriptam,iuxta quam significationem dicitur Actib.15.*Si circumcidamini secūdum morem Moysi*, ideſt secundum legem Moysi.

8 Vltimò significat consuetudinem habentem vim legis, quæ significatio coincidit cum prima; & sic B. Isid.lib.5.Ethimol.cap.3. definit. *Morem esse vetustate firmatam consuetudinem.* Et postea subdit. *Consuetudo est ius quoddam moribus introductum.* In quibus definitionibus apparet quidā vitiosus circulus; sed re vera facilè excusari potest.

S. Isidor.

9 Proprijssimè autem *mos*, vt iā dictum est,significat actuum similium frequentationem, vel cōsuetudinem, in qua mora temporis intercedit. Ita communiter Theologi hìc. Hinc iam patet quid dicendum sit ad secūdam partem quæsiti.

10 Respondeo secundò: Nomen *morale* primò, & principaliter impositū est ad significādum actum liberū voluntatis, siue bonum, siue malum. Vnde actus liber voluntatis dicitur actus *moralis*. Ita D.Th. in hac q.5.a. 5.& 9.De quare clariùs inf.lect. seq.

2.Concl. D. Th.

11 Secundò ad significandū obiectum talis actus. Tertiò ad significandum principium ipsius actus: Qua ratione habitus voluntatis dicuntur habitus, siue virtutes morales. Etiam extensum est ad significandum alias res, quas non opus est hìc singillatim numerare.

LECTIO II.

An detur esse morale, & quidnam sit?

12 NOmine *esse moralis* sumimus hìc quoddam esse commune ad actum bonum,& malum: Consequenter etiam nomine *moralitatis*, quod est nomen abstractum ab hoc nomine concreto *morale*, sumimus quandam formam communem bonitati, & malitiæ. Quomodo autem sit illis commune, communitate analoga, an vniuoca? Ex dicendis infra constabit.

1. Animaduersio.

13 Rursus supponimus hìc tanquam certum (quod lectionibus seq. est etiam magis declarandum,& probandum) quod *bonum morale* est illud, quod est conforme regulis rationis, & consequenter *bonitas moralis* est conformitas quædam regulis rationis. E contra verò *malum morale* dicitur illud,quod est difforme regulis rationis, & consequenter *malitia moralis* est difformitas quædam à regulis rationis. Ita Aluar.in notationibus super hunc art. Mōtes.q.6.§.n.62. & alij Theologi.

2. Animaduersio. Aluar. Montes.

14 San-

Digitized by Google

D. Th. 14 Sanctus Thomas in hoc art.explicat bonitatem, & malitiã per proportionem, & analogiam ad res naturales, in quibus id dicitur bonum, quod perfectum, vel hebet omnem perfectionem sibi debitum, Id autem malum, quod caret aliqua perfectione sibi debita: Ita à pari in actibus moralibus id dicitur bonum,& perfectum, quod habet perfectionem sibi debitam: id verò malum, quod caret perfectione sibi debita. Quæ explicatio in eamdem recidit cum nostra: nã perfectio debita actui morali sumitur per conuenientiam ad rationem, vt infra magis explicabimus, & probabimus. His præmissis.

1. Concl. 15 Respondeo primò. Datur hoc *esse morale* in actibus humanis. Ita communiter Theologi: siue autem sit reale, siue rationis patebit in disputationibus sequentibus. Pro nunc sufficit dicere quod detur.

Ratio. 16 Ratio est; Quia hoc nomẽ *morale*, vt supra vidimus, impositum est primariò,& principaliter ad significãdum actuum frequentiam, vel cõsuetudinem, in qua intercedit mora temporis: Sed hæc actuum frequentia re vera datur in rebus moralibus; Ergo &c.

Confir. 17 Confirmatur; Quia *esse morale* est quidam modus actus humani, vel liberi, intrinsecè afficiens ipsum, vt infra constabit: Sed datur actus liber: Ergo datur *esse morale*.

2. Concl. 18 Respondeo secundò. *Esse morale* est quoddam *esse* per ordinem ad regulas motionis, abstrahendo à conformitate, vel difformitate ad illas. Ita Montes. super hunc art. q. 3. n. 30. qui dicit hanc sententiam esse fere omnium expositorum D.Th. Est autẽ hæc responsio in lectionibus seq, longiùs probanda, & examinanda.

Ratio. 19 Interim breuiter probatur; Quia bonitas, vel malitia *moralis* sumitur per conformitatem, vel difformitatem ad regulas rationis: Ergo *esse morale*, quod est cõmune vtrique, sumitur per ordinem ad regulas rationis, abstrahendo à conformitate, vel difformitate ad illas.

1. Sẽtẽtia opposita Suarez. 20 Contra hanc responsionem videtur Suarez hìc disp. 1. sect. 2. n. 15. ubi dicit, quod *esse morale* in actu uoluntatis est modus cuiusdam emanationis, seu cuiusdam moralis depẽdentiæ à ratione aduertente, & uolũtate liberè operante.

Ratio huius sentẽtiæ. 21 Ratio ipsius est; Quia posito hoc modo operandi, impossibile est, quin sit moralis. Præterea, quia posito hoc modo emanationis actus sequuntur ipsius proprietates morales.

Explicatur sentẽtia Suar. 22 Iste modus dicendi in re non uidetur distinctus à modo dicendi eorum, qui dicunt *esse morale* non esse distinctum à modo liberè operandi; Neq; ipsius rationes aliud probãt, quod nos ultrò concedimus, scilicet idẽticè esse idẽ *esse morale*, & esse *liberum* in actu, qui pendet à ratione dirigente, & uoluntate liberè operante.

2. Sẽtẽtia Curielis. 23 Curiel. uero dub. 1. §. 9. super hunc art. dicit *esse morale* sumptum in communi consistere in habitudine actus ad obiectum, ut subiacet regulæ morum dictanti: An sit fugiẽdum, uel prosequendum nostris actibus liberis.

Ratio Curielis. 24 Ratio fundamentalis ipsius est; Quia actus nostri quatenus sunt liberi recipiunt *esse morale* quatenus ex propria directione operantis tendunt in obiectum, aut finem: Sed hoc *esse morale* non potest ei tribui ab obiecto secundum suam naturam cõsiderato; Ergo tribuitur ab ipso, ut substat regulis morum.

Explicatur sentẽtia Curielis. 25 Hic modus dicendi non est nobis contrarius, nisi tantum in uerbis: Nam *esse morale*, quod sumitur per ordinem ad obiectum, quatenus substat regulis morum, quid aliud est, quam idem *esse morale* sumptum per ordinem ad regulas rationis? Regulæ enim morum sunt regulæ rationis.

Petrus Corneius. 26 Hanc eandem sententiam Curielis sequitur Petrus Corneius hìc disp. 1. dub. 3. n. 9. concl. 3. sub clarioribus terminis dicens *moralitatem* actus consistere in habitudine ipsius ad regulam rationis mediata, scilicet mediante obiecto. Quia ratio non aliter

Digitized by Google

ter regulat actum voluntatis, quàm dictando quale sit obiectum, ad quod terminatur, ostendendo, scilicet illud esse conforme, vel dissonum legi, vel ipsi rationi.

27 Hic modus dicendi neq; etiam vrget contra nos. Quia semper vltimatè ordo actus refunditur in regulas rationis. Vnde expeditiùs dicamus, quod sumatur *esse morale* per ordinem ad regulas rationis tanquam ad primum, & radicale specificatiuum; Sed de his clariùs, & longiùs inf.

Explicatur sensus Corneius.

LECTIO III.

Vtrum hoc esse morale reperiatur in actibus humanis, & eorum obiectis, circumstantijs, legibus, ac habitibus?

28 REspõdeo breuiter in omnibus enumeratis in titulo reperiri *esse morale*, sed diuersimodè. In actibus reperitur formaliter, & intrinsecè: in eorum obiectis tanquã in terminis, siue speccificatiuis proximis: in circumstantijs tanquam accidentibus, si non sunt mutantes speciem; quia tunc reperitur in eis tanquam in terminis: in legibus, & præceptis tanquam in regulis: in habitibus tanquam in causis effectiuis. 1. Concl.

29 Probatur per partes singillatim. Et primò de actibus: Quia actus humanus ex probabiliori sententia (vt infra clariùs constabit) se habet vt subiectum respectu esse moralis: Ergo formaliter, & intrinsecè reperitur illis. 1. Ratio.

30 Confirmatur; Quia libertas actus humani, siue requiratur vt conditio ad esse morale, siue ipsum *esse morale* sit modus, siue proprietas ipsius actus, semper intrinsecè, & formaliter afficit ipsum actum: Ergo &c. Confir.

31 Probatur de obiectis. Et primò ex D. Th. inf. q. 19, a. 1, ad 3. vbi cum sibi proposuisset D. Th. hoc argumentum. *Obiectum voluntatis habet bonitatem in esse naturæ: Ergo non tribuit bonitatem moralem actui.* Respondet Sanctus: *Bonum, quod per rationem repræsentatur voluntati vt obiectum, & in quantum cadit sub ordine rationis pertinet ad genus moris, & sic causat bonitatem moralem in actu voluntatis.* Quid clariùs? Secundò probatur ratione; Quia obiectum quatenus stat sub regulas rationis, vel proponitur voluntati vt fugiendum, vel sequendum, specificat actum ipsius voluntatis: Ergo moralitas pertinet ad ipsum tanquam ad terminum, vel specificatiuum; Quod *esse morale* potest vocari obiectiuum. Hęc eadem ratio cõcludit de circumstantijs mutantibus speciem, siue transeuntibus in obiectum. 2. Ratio ex D. Th.

32 Probatur de circumstantijs nõ transeuntibus in obiectum, sed solum aggrauantibus. Quia hæ circumstantiæ afficiunt, & tangunt ipsum obiectam tanquam accidentia: Ergo etiã eius moralitas redundat in eas. 3. Ratio.

33 Probatur de legibus, & præceptis. Quia ipsa influunt tanquam regulæ moralitatem in obiectum. Confir.

34 Vltimò probatur de habitibus. Quia habitus concurrunt efficienter ad actum humanum: Ergo in eis reperitur moralitas actus tanquam in causa, & principijs. Hoc argumentum concludit etiam de voluntate ipsa. Prætereà; Quia ex D. Th. inf. q. 58. distinguuntur habitus morales ab intellectualibus: Ergo, quia ad ipsos tanquam ad principia pertinet *moralitas*. Vltima Ratio. D. Th.

35 Deinde probatur simul, & semel tota responsio. Quia sanitas, quæ est formaliter in animali, denominat sana omnia ea, quæ concurrunt ad eam, vel tanquam causa; vel signum; vel aliquid huiusmodi: Ergo *moralitas*, quæ intrinsecè, & formaliter reperitur in actu humano, denominat omnia, quæ concurrunt ad eum. Ita communiter Theologi hìc. Confir.

36 Contra nos est solum Lorca, qui disp. 27. ait nullum dari *esse morale* Vnicũ argum. Lorcæ.

Digitized by Google

rale in obiectis actuum. Ratio ipsius est; Quia eadem res est obiectum diuersorum actuum moralium, vt exẽpli gratia, Deus quandoque est obiectum odij; quandoque amoris; Idem dicitur de proximo.

Respon-sio. 37 Respondetur, quod obiectum quodcumque sub diuersa ratione potest esse obiectum odij, & amoris; Ex quo nullum sequitur inconueniens.

LECTIO IV.

Vtrum sit idem formaliter actus moralis, & actus liber; Seu an moralitas actus liberi sit formaliter ipsa libertas?

38 HÆC quęstio procedit generaliter de actu libero, siue elicito, siue imperato, tàm interno, quàm externo, vt sensus eius sit iã expressus in toto: An scilicet actus *liber* ut sic sit formaliter actus *moralis*: uel *libertas*, quæ reperitur in actu libero, sit eadem formaliter, ac *moralitas?*

1. Concl. 39 Respondeo primò. Actus liber non est formaliter actus moralis: Seu moralitas non est eadem, ac libertas formaliter. Est hæc sententia communior inter Theologos.

1. Ratio. 40 Probatur primò. Idem actus liber numero habet duplicem moralitatem specie distinctam: Ergo *libertas* est distincta formaliter à *moralitate*. Consequentia est nota. Antecedens probatur. Furtum in loco sacro est unus numero actus liber, & habet duplicem moralitatem specie diuersam; Nam est in specie sacrilegij, & iniustitiæ. Similiter largitio eleemosynæ ad satisfaciendum pro peccatis est in genere charitatis, & in genere pœnitentiæ, quæ reducitur ad iustitiam: Ergo &c.

2. Ratio. 41 Probatur secundò. Idem numero actus liber transit de bono in malũ, ut patet de eo, qui uescitur carnibus nocte feriæ quinte, & protrahit cœnam usque ad feriam sextam: Ergo signum est, qnod non sit eadem formaliter libertas, ac moralitas.

3. Ratio ex Corneio. 42 Probatur tertiò ex Corneio. Quia *liberum* ut liberum solum requirit propositionem obiecti cum indifferentia: *Morale* uerò respicit ex parte intellectus regulas rationis: Sed hæ duæ formalitates distinguuntur: Ergo &c.

Confir. 43 Confirmatur; Quia secluśa regula, uel lege rationis non daretur actus bonus, uel malus *moraliter*: Nã bonitas, uel malitia sunt differentiæ, siue species adæquarè diuidentes *genus moris*: At secluśa quacumque regula, & lege rationis, & posito solum intellectu proponente bonum, vel malum, adhuç daretur libertas: Ergo distinguuntur formaliter &c. Minor probatur; Quia *libertas* in suo conceptu est indifferentia ad bonum, & malum in communi; ad hoc, vel illud bonum particulare; ad exercitium actus, & omissionem actus.

2. Confir. 44 Confirmatur secundò clariùs; Quia *libertas*, siue actus *liber* dicit tãtum quemdam modum superadditum naturæ rationali liberè perueniendi ad suum finem, siue perueniendi ad ipsum ex propria directione præcisis regulis rationis: Sed actus *moralis* addit supra hoc respectum ad regulas rationis: Ergo &c.

45 Alia conformatio, & explicatio conclusionis, & rationis; Quia *esse morale* præsupponit esse *naturale* actus liberi, sicut esse artificiale esse naturæ. Nam esse artificiale sequitur regulas artis: Ergo &c.

Euasio aduersa-riorum. 46 Respondet aliqui huic rationi cum suis confirmationibus, quod secluso dictamine rationis, etiam nullus esset actus liber, & consequenter actus liber dicit ordinem ad dictamen rationis.

Præclu-sio. 47 Sed contra; Quia istud dictamen rationis quatenus est terminus actus liberi præscindit à regulis ratio-

tionis: Ergo &c. Probatur istud antecedens clarissimè: quia secluso dictamine rationis, quo ratio regulat actus liberos secundum regulas supernaturales ad finem supernaturalem, adhuc potest intelligi actus liber fugæ, vel prosecutionis in voluntate in ordine ad finem naturalem iuxta dictamen rationis regulantis illum regulis naturalibus: Ergo signum est, quod regulæ rationis addunt aliquid supra actum liberum.

Confir. Præclusio. 48 Et confirmatur; Quia sicut possunt præscindi ab actu libero regulæ rationis supernaturales, ita, & naturales: Ergo &c.

2. Concl. 49 Respondeo secũdò. Actus moralis est identicè actus liber. Ità D. Th. in hac p. 2. q. 18. a. 5. & 9. & q. 21. a. 2. & alijs pluribus locis.

1. Ratio. 50 Probatur; Quia actus moralis dicitur actus humanus: Sed actus humanus est liber: Ergo &c.

2. Ratio. 51 Secundò; Quia regulabilitas, vel commensurabilitas ad regulas rationis, quæ constituit actum moralem reuera reperitur in actu libero: Ergo identicè sunt vnum.

3. Ratio. 52 Tertiò; Quia actui libero conueniunt proprietates actus moralis, scilicet, quod sit meritorius, vel demeritorius; laudabilis, vel vituperabilis: nam ab eo profluunt tanquam à prima quadam radice.

2. Concl. & eius Ratio. 53 Respondeo tertiò. Liberum nõ est genus ad bonum, & malum morale. Ratio est; Quia eadem numero natura generica, siue eadem natura generica contracta ad vnum indiuiduũ non potest pertinere ad diuersas species, vel transire de vna in alteram speciem: nam idem numero animal non potest esse simul rationale, & irrationale, vel transire de rationali in irrationale: Sed idem numero actus liber potest simul habere diuersas species in genere moris, vel transire de vna in alteram, vt supra in ratione primę responsionis dictũ est: Ergo &c.

Confir. 54 Confirmatur; Quia potest variari libertas inuariata manente moralitate in actu: Ergo libertas non potest esse genus ad moralitatem. Consequentia patet. Antecedens probatur; Quia idem est specie homicidium directum, & indirectum in genere moris; & diuersum in genere liberi: nam diuersa est libertas directa à libertate indirecta: Ergo &c. Hæc ratio etiam clarè concludit, quod non sit formaliter eadem ratio moris, & ratio liberi.

5. Concl. 55 Respondeo quartò. Liberum est subiectum, vel fundamentum moralitatis. Aliqui probabiliter dicunt, quod sit conditio sine qua non. Sed probabilius est, quod sit fundamentum, vel subiectum.

Ratio. 56 Ratio est ex dictis; Quia eidem actui libero accidunt diuersæ moralitates.

1. Sét. opposita Durand. Scoti. Greg. de Valent. & Cornei. 57 Contra nostram primam responsionem est *D*urand. Scot. Greg. de Valent. apud Corneio hìc disp. 1. dub. 2. n. 6. qui dicunt eundem esse formaliter actum liberum, & moralem.

1. Argum. Durand. 58 Prima ratio ex *D*urando est: Quia actus dicuntur morales à mora, & consuetudine propria hominis: Sed proprius mos, & consuetudo hominis est operari liberè, quia ita frequenter, & vt in plurimum operatur: Ergo idẽ formaliter est actus liber, & moralis.

Respõsio. 59 Respondetur concessa maiori, & minori negando consequentiam; & ratio est: Quia mos dicitur à consuetudine, siue frequentia actuum liberorum tanquam à cõnotato materiali, & ab ordine ad regulas rationis tãquam à connotato formali: Sicut lapis dicitur à lesione pedis formaliter, & significat materialiter ipsum lapidem tanquam corpus durum, & terrestre.

2. Argum. 60 Secunda ratio. Sola libertas facit actum imputabilem: Ergo moralem. Antecedens probatur ex *D*. Th. inf. q. 21. a. 2. vbi dicit, tunc actum imputari homini, quando est in eius potestate, & dominio. Consequentia etiã probatur; Quia cui conuenit passio, conuenit etiam essentia, à qua profluit passio: Sed imputabilitas est passio moralitatis in communi, sicut imputabilitas in particulari conuenit moralitati

litatẽ in particulari; scilicet imputabilitas ad laudem, & præmium actui bono; imputabilitas ad vituperium, & pœnam actui malo.

Respon-sio.

61 Respondetur breuiter, quod sola libertas facit actum imputabilem *fundamentaliter:* non verò *formaliter*; vt iam patet ex dictis. Ad id autem, quod additur de dominio ex *D.* Th. in probatione antecedentis, dico, quod duplex est dominium: Vnum, quod consistit in libera facultate exercendi, vel non exercendi proprias actiones præscindendo à quibuscumque regulis morum, & artis: Alterum, quod consistit in iure quodam, ratione cuius liceat, vel non liceat sibi exercere suas actiones iuxta regulas morum; Primum dicitur dominium naturale: Secundum morale: Ad primum sequitur imputabilitas naturalis: Ad secũdum sequitur imputabilitas moralis; Hæc autem imputabilitas est propria passio actus moralis *formaliter*, & facit actum bonum, vel malum; & est, quæ arguit actum moralem *formaliter*; Et de hac loquitur S. Th. loc. cit. *formaliter*, de illa verò *fundamentaliter.*

LECTIO V.

Vtrum hæc moralitas actus liberi sit realis; an rationis?

Conclus.

62 Respondeo breuiter: Moralitas in actibus elicitis liberis est modus quidã realis intrinsecè ipsis superadditus.

1. Ratio.

63 Probatur primo; Quia hæc moralitas, vt in lectione præcedẽti probatum est, consistit in habitudine actus liberi ad obiectum vt subsłat regulis rationis: Sed hæc habitudo est modus quidam realis intrinsecus: Ergo moralitas &c. Minor, quæ solum probanda est, probatur; Quia habitudo actus ad proprium obiectum est realis, nam est trascendentalis.

1. Cõfirm.

64 Confirmatur; Quia velle facere opus artificiosum iuxtà regulas artis est quidam modus realis distinctus ab actu, quo quis vult facere opus aliquod præscindendo à regulis artis: Ergo similiter voluntas operandi secũdum regulas moris est modus quidam realis distinctus à voluntate operãdi præscindẽdo à regulis moris.

2. Cõfirm.

65 Confirmatur secundo; Quia hæc habitudo actus liberi eliciti ad regulas rationis est mensurabilitas actus à regulis rationis: At mensurabilitas in mensurato est quid reale illi intrinsecum: Ergo &c.

2. Ratio.

66 Secundò probatur; Quia per actus morales generãtur habitus morales reales: ità vt moralitas in eis sit quid reale: Ergo etiam moralitas actuum est realis. Consequentia patet; Quia effectus realis non potest pẽdere nisi à causa reali. Antecedens est etiam certum quoad primam partẽ: Quia habitus acquirũtur per actus; Et probatur, & explicatur magis; Quia habitus in esse physico, & naturali acquiruntur per actus in esse naturali: Ergo habitus in esse moris acquiruntur per actus in esse moris. Similiter habitus virtuosi per actus virtuosos, & habitus vitiosi per actus vitiosos.

67 Quoad secũdã partẽ probatur; Quia habitus moralis acquisitus per quosdam actus morales est reuera causa realis aliorum actuum in esse moris; nam si non diceretur causa realis in esse moris, nullo modo deberet dici habitus moralis, sed tantum habitus in esse phisico, in re, neque bonus, neque malus.

Euasio aduersa-riorum.

68 Huic rationi potest responderi, quod actus morales in esse naturæ causent habitum moralem; similiter habitus moralis acquisitus in esse etiã naturæ causaret alios actus morales.

Præclusio

69 Sed contra: Quia actus in esse naturæ non magis essent causa habitus vitiosi, quàm virtuosi; similiter habitus in esse naturæ non magis causaret actus vitiosos, quàm virtuosos; nã idem actus, vt diximus, in esse naturæ successiuè est bonus, & malus: Et habitus

bitus etiam in esse naturæ præscindit à bonitate, & malitia.

3. Ratio.

70 Tertio probatur; Quia bonitas, & malitia sunt entia realia: Ergo moralitas actus est etiam ens reale. Antecedens patebit infra, pro nunc breuiter suadetur; Quia bonitas actus est quidam ordo intrinsecus trascendentalis ad obiectum bonum. Idem potest dici de malitia (de qua re pro nunc nihil constanter affirmo, sed remitto me ad ea, quæ dicturus sum infrà q. 71.) quod scilicet sit ordo ad obiectum malum contra regulam rationis. Consequentia autē probatur clarissimè; Quia bonitas, & malitia sunt differentiæ actus moralis vt sic: Sed differentiæ reales non contrahūt aliquid rationis, sed rei: Ergo &c.

4. Ratio.

71 Quartò probatur specialiter, quod non possit esse denominatio extrinseca (vt voluerūt aliqui;) Quia denominatio extrinseca sēper habet ortū ab aliqua forma intrinseca, vt patet de dexteritate columnæ, quæ habet ortum à dexteritate animalis: Sed denominatio extrinseca moralitatis à nulla forma intrinseca potest sumi, præterquam à moralitate actus: Ergo, Minor probatur; quia non sumitur ab obiecto; neq; à circumstantijs; neque à præcepto, vel lege; neque ab habitibus, vt conceditur ab ipsis aduersarijs, & patet quia omnibus illis conuenit, vel *terminatiuè*, vel *causatiuè*: Ergo à solo actu.

Euasio aduersariorum, & 1. Præclusio.

72 Respondent quod intrinsecè sumatur ab intellectu regulatore, & voluntate liberè operante. Sed contrà; Quia intellectus regulans, & voluntas liberè operans dicuntur morales per attributionem ad actum moralem, qui fit; ante enim quam sit actus, reuera est intellectus regulans, & voluntas liberè operans in actu primo, & non denominantur morales; Ergo sola denominatio moralis intrinsecè conuenit actui.

Confirm. Præclus.

73 Confirmatur hæc impugnatio; Paries non potest denominari visus, antequam sit actus visionis circa illū; Ergo antequam sit actus moralis non potest denominari intellectus regulās, & voluntas liberè operās *moralis*. Neque certè paries visus ab oculo Potest denominare extrinsecè oculum videntem, quia tota denominatio visionis prouenit ab ipso oculo actualiter vidente: Ergo &c.

2. Præcl.

74 Præterea ipsa regulabilitas actus est moralitas intrinsecè inhærens, siuè modificans actum: Ergo ipse dicitur moralis intrinsecè.

Sententia opposita Durad. Scoti Hēnici. Conradi. Gregorij de Val. Vasquez Salas.

75 Contra nostram sententiam est sententia aliquorum Theologorum dicentium moralitatem esse denominationē extrinsecam, ac proindè ens rationis, si concipiatur ad modum entis realis: Verum non omnes eodem modo illam explicant. Durand. enim, Scotus, Henr. Conrad. Greg. de Val. dicunt esse denominationem extrinsecam suptam ab ipsa libertate, à qua tanquam à forma denominatur actus moralis; Ita vt moralitas actus nihil aliud sit, quam ipsum actum fuisse exercitum à libertate. Vasq. verò hìc disp. 73. cap. 9. dicit esse denominationē extrinsecam sumptam à regula rationis; Et post modum disp. 95. ca. 10. dicit hanc denominationem extrinsecam, siue regulabilitatem actus esse relationem rationis. Salas verò hìc tract. 7. disp. 1. sect. 1. n. 7. & sect. 2. n. 10. & seq. distinguit duas moralitates in actu humano: vnam primariam: alteram verò secundariā. Primariam dicit consistere in hoc, quod est actum liberum procedere à voluntate libera, quod importat denominationem intrinsecam in ipso actu. Secundariam verò consistere in regulabilitate per rationē, & esse denominationem extrinsecam. Ità refert Petrus Corneio hìc disp. 1. dub. 1. num. 2.

Petr. Corneio.

1. argum. Vasquez.

76 Primum argumentum huius sententiæ sic explicatæ est, quod format Vasq. Quia idem actus humanus inuariatus in sua reali entitate potest variari, & transire de vna moralitate in aliā facta tamen variatione legis, & extrinsecarum circumstantiarum: Ergo moralitas est ens rationis, vel sola

Digitized by Google

denominatio extrinseca. Antecedens probatur; Quia idem actus comedẽdi carnes, qui feria quinta est bonus, fit malus feria 6. adueniẽte præcepto prohibitiuo. Vel eadem feria quinta potest fieri malus adueniente aliqua circumstantia mala, scil. quod sit superflua commestio illa.

Confir. 77 Confirmatur etiam hæc ratio; Quia idem motus primò primus, sine vlla aduertentia rationis nõ est malus; si continuetur cum aliqua aduertentia rationis fit bonus, vel malus.

Respõsio ad 1. arg. 78 Respondetur, quod semper varietur quoad entitatem intrinsecam moralẽ; Et ratio est; quia leges, vel circũstantiæ non variant actũ, nisi cognitæ, aut volitæ: Non potest autem hæc cognitio, & volitio esse variarum circumstantiarum, & legum, quin intrinsecè varietur actus moralis ob nostrã rationem dictam; Quia vnusquisque actus sumit suam speciem, & entitatẽ à principio, ex quo exit, & ab obiecto, ad quod terminatur.

Respõsio ad confir. 79 Ita etiam respõdetur ad confirmationem, quod semper mutetur intrinsecè ille actus moraliter posita aduertentia rationis, & volitione sequente talem aduertentiam.

2. argum. 80 Secundum argumentum. Regulari nihil intrinsecum ponit in ipso actu regulato. Ergo talis denominatio regulabilitatis in actu morali est pura denominatio extrinseca.

Respõsio. 81 Respondetur; quod regulari in actu secundo nihil addit supra ipsum actum, benè autem ipsa regulabilitas in actu primo; sicut mẽsurabilitas passiua addit aliquid supra quantitatem, quia est passio eius, & visibilitas passiua supra colorem.

3. argum. 82 Tertium argumentum. Moralitas actus est relatio ipsius actus ad obiectum sumptum in *esse moris*: Ergo est relatio rationis extrinseca. Probatur cõsequentia; Quia relatio actus ad obiectum est mensuræ ad mensurabile ex Arist. 5. Metaph. cap. 15. Sed hæc est relatio rationis: Nam est tertij generis, quæ non est mutua; Sed ex parte mensuræ est rationis, & ex parte mensurabilis est realis.

Aristot.

Respõsio. 83 Respondetur breuiter negãdo consequentiã, & ratio est; Quia relatio, quam dicit actus ad obiectum morale, est mensurabilis ad mensurãta vt actus sit mensurabilis, & obiectum morale sit mensura; quia essentia actus consistit in commensuratione ad suum obiectum, & sic est mensurabilis per illud: Hæc autem relatio est realis: Tum, quia est *secundum dici*, & trascendentalis: Tum quia etiam si sit prædicamẽtalis hæc est realis ex parte mensurabilis, non verò ex parte mensuræ. Ad probationem, quæ sumebatur ex Arist. quod actus dicat relationem mensuræ ad obiectum, & hæc sit rationis, Dico, quod Arist. non loquatur ibi de mensurabilitate ex natura rei; sed de mensurabilitate secundum solam denominationem, quæ tribuitur obiectis ab actibus (quemadmodum obiectum dicitur volibile ab actu voluntatis; intelligibile ab actu intellectus &c.) vel de mensurabilitate quoad nostram certificationem, qua nos reddimur certi de perfectione obiecti, mensurando illud nostris actibus; quæ important tamen relationes prædicamentales, & rationis.

4. argum. & respõsio. 84 Quartũ arg. Sepè obiectũ actus liberi est impossibile, vel non existens; Ergo relatio actus ad illud non est realis, sed rationis. Respondetur, quod hæc sit relatio trascendentalis, quæ non exigit terminum realem.

LECTIO VI.

Vtrum moralitas actus sit modus realis absolutus: An relatiuus: Et quis nam sit terminus eius?

Animaduersio. 85 IAM in parte determinatum est quid sit *moralitas* actus humani; proponitur etiam hæc difficultas

Digitized by Google

Animaduersio.

citas maioris claritatis, & doctrinæ gratia. Pro cuius explicatione notandum est id, quod supra q.1. a.3. diximus, scilicet actionem, vt actionem specificari à principio actiuo; vt passionem verò specificari à termino.

1.Concl.

86 Respondeo primò. Moralitas actus est modus realis respectiuus, non verò absolutus. Ita Corn. hìc

Corne. Montes.

disp.1.dub.3. & Montes. disp.22. q.5. n.48. in fine.

87 Nota, quod conclusio intelligitur, tam de actibus elicitis, quam de imperatis, sed cum hac differentia, quod iste modus dicatur intrinsecus actibus elicitis, & extrinsecus imperatis.

Ratio.

88 Ratio breuis est, & fundamentalis; Quia voluntas est causa effectiua actus non sub ratione absoluta, sed sub ratione respectiua ad regulas moris, & finis: Vel obiectũ terminat hunc actum vt substat regulis moris: Ergo quidquid moralitatis est in actu est respectiuum, non verò absolutum. Probatur consequentia; Quia causa causans per respectum ad aliud, quidquid trasfundit in effectum, *vt quo* saltem, est respectiuum; Et obiectum causans per modum termini extrinseci etiam importat relationem ad rem terminatam: Ergo quidquid in suo genere causat in effectu, est per respectum ad semetipsum.

1. Sẽtent. opposita Caiet.

89 Contrariam sententiam insinuauit Caiet. inf. q.45.a.3. circa finem in solutione ad quoddam argum. Durandi, vbi dixit, Moralitatem saltem in actibus elicitis esse rationem formalem absolutam superadditam entitati naturali actus per modum formæ, & qualitatis absolutæ.

Argum. Caiet.

90 Fundamentum Caiet. Quia inter actus virtutis, & vitij est oppositio contraria: Sed inter relationes non est contrarietas, vt docuit Arist. in prædic. Ergo &c. Maior probatur; Quia inter habitus virtutis, & vitij, vt inter liberalitatem, & prodigalitatem, est contrarietas: Ergo inter eorum actus.

Respõsio.

91 Respondetur admissa maiore negando minorem, loquendo de relationibus transcendentalibus; Nam relatio transcendentalis sicut potest esse forma actiua, ita potest habere contrarium. Ad id, quod innuitur ex Arist. dicimus, quod locutus est de relatione purè prædicamentali.

2.Concl.

92 Respondeo secundò. Moralitas actus humani in quantum actus sumitur per ordinem ad voluntatem, vt subiectam regulis rationis. Explico hanc propositionem. *Diximus supra* q. 1. a. 3. quod voluntas, vt exeat in actum, debet actuari per finem; & cõstitui sufficienter in actu primo per eũ in ratione motiui, vt possit exire in actum secundum; Nunc dico, quod actus moralis vt actus moralis specificatur proximè per ordinem ad voluntatem actuatam per finem, vt substat regulis rationis, & inde sumit suã moralitatem.

Ratio.

93 Probatur ex dictis loco cit. Quia actus vt actio specificatur à suo principio actiuo: Sed actus moralis est actio immunes: Ergo &c.

Euasio Cornei.

94 Huic rationi respondet Corn. hìc disp. 1. dub. 3. quod actio vt actio specificatur à suo principio in genere causæ efficientis.

Præclusio.

95 Sed hæc responsio iam impugnata fuit loco cit. quod quãuis principium actiuum in genere causæ efficientis concurrat ad speciem actus, nihilominus in genere causæ formalis extrinsecæ, quatenus ordinatur ad ipsum specificat ipsum actũ; alioquin idem actus haberet duo specificatiua; vnum ex parte principij; & aliud ex parte obiecti. Hanc sententiam tenet Zumel. inf. q.71.a.6. disp.1. concl.1. & eam debent tenere omnes Thomistæ, qui dicunt actionem specificari à principio.

Zumel.

Sententia opposita Cornei.

96 Contrarius est nobis noster Corneio loco cit. n.8. vbi dicit, quod moralitas actus humani non constitit formaliter in respectu illo, quẽ habet ad suum principium efficiens morale, scilicet ad voluntatem vt subiectum regulis morum.

Argũ huius sẽt. & respõsio.

97 Ratio ipsius principalis est; Quia actio vt actio non respicit principiũ, sed

sed terminum. Respondetur negando antecedens, nam, vt modò dicemus, vt passio respicit terminum.

3. Concl. 98 Respondeo tertiò. Moralitas actus humani in quantum passio cõsistit in respectu, quem dicit actus humanus ad suum obiectum, vt substat regulis morum, vel regulis rationis. Ita tamen, vt *immediatè* hic respectus respiciat suum obiectũ regulabile per rationem, & *mediatè* ipsas regulas rationis.

Ratio 1. huius cõclusionis. 99 Probatur prima pars huius responsionis. Quia actio in quantum passio specificatur à termino.

Confir. 100 Et cõfirmatur. Quia quamuis moralitas in actu sit quędam ratio generica, potest tamen sumi à termino sub quadam ratione generica considerato.

Probatur quoad 2. partem. 101 Probatur etiam secunda pars responsionis. Quia actus vt passio nõ est regulabilis immediatè per rationem, vel legem, sed mediante obiecto: Ergo &c.

1. Argum. in cõtrarium. 102 Contra hanc responsionem est primum argumentum ad probandum, quod actus moralis sumat suam moralitatem per respectum immediatum ad legem, vel regulam rationis. Quia stante eadem lege, & variato obiecto, non variatur actus moralis: & variata lege, & nõ variato obiecto variatur actus moralis: Ergo &c. Probatur antecedens: Quia stante lege ieiunij, vel prohibitione carnis, non variatur malitia actus intemperantiæ, si modo comedatur vna caro, modò altera: & ablata legè ieiunij, nulla comestio quorumcumque ciborum est mala: Ergo &c.

Respõsio. 103 Respondetur, quod quotiescumque variatur lex, variatur etiam obiectum morale actus humani *formaliter*, non *materialiter*; Nam quando dicimus, quod actus moralis sumit suam moralitatem in ordine ad obiectum, non loquimur de obiecto *in esse rei*, & *materialiter*, sed *formaliter*, vt substat legi, & regulis rationis: Etenim, vt patet in exemplo carnium allato in argumento, cibus carnium vt recedit à regulis ieiunij, & præcepti prohibentis eum, est obiectum formale actus intemperantię; vt substat (exẽpli gratia) præcepto Medici ad tuendã vitam est obiectum formale actus tẽperantiæ; siue autem sit hæc, vel illa caro, non consideratur, nam hoc est *materiale* respectu actus moralis.

2. Argum. 104 Secundum argumentum est: Quia actus moralis nõ dicitur cõformis, vel difformis obiecto, sed legi: Ergo specificatur per ordinem immediatum ad legem.

Respõsio. 105 Respondetur, quod dicitur cõformis, vel difformis obiecto, vt substat legi, vel regulæ rationis, nam quãdo est aliqua lex præcipiens, vel prohibens aliquem actum, ratio dictat, vt sequamur talem legem.

Animaduersio. 106 Notandum est hic, quod ex hac difformitate, vel conformitate ad obiectum, vt substet legi, potest consurgere aliqua relatio prædicamentalis, quæ dicat immediatum ordinem ad legem.

3. Argum. 107 Tertium argumentum. In Deo est actus moralis dignus laude, verbi gratia, actus misericordiæ erga homines: Sed bonitas huius actus nõ sumitur per ordinem ad obiectum regulabile per legem, cum Deus nulli legi subsit: Ergo.

Respõsio. 108 Respondetur, quod actus diuini regulantur per legem æternam, siue rationis.

Coroll. 109 Ex dictis sequitur, quod actus moralis simpliciter loquendo sumitur per ordinem ad obiectum, vt substat regulæ rationis; Quia obiectum hoc modo sumptum est specificatiuum ipsius, scilicet in sua generica ratione.

LECTIO VII.

In quo nam consistat bonitas actus moralis in communi?

110 HActenus tractauimus de moralitate actus humani,

Digitized by Google

ni, quæ est veluti genus ad bonitatem, & malitiam ipsius; Nunc tractandum est de ipsa bonitate, & postmodum de ipsa malitia eiusdem actus. Et sic quærimus in quo consistat bonitas actus moralis? Seu quid sit ipsa bonitas actus humani?

1. Anim. 111 Pro cuius difficultatis explicatione aduertendum est primò; quod bonitas actus moralis dupliciter sumitur: Vno modo, vt est bonus in se ipso, quia habet omnia requisita ad suam integritatem, & perfectionem in genere moris, vt loquitur D. Tho. in D. Th. hoc art. Alio modo, vt est bonus, & cõueniens ipsi homini, à quo pendet, scilicet, vt est conueniens naturæ rationali. Ratio huius est, quia ita sumitur bonum in esse naturæ, scilicet, vt est bonum in se, & vt bonum alteri. De bonitate primo modo sumpta procedit difficultas.

2. Animaduer. 112 Aduertendum est secundo, quod certum est in ipsis actibus, obiectis, & habitibus moralibus reperiri bonitatem moralem. De actibus enim & habitibus nulla est hæsitatio: De obiectis potest esse aliqua difficultas, sed neque de obiectis dubitãdum est; nam sicut in eis reperitur moralitas obiectiua per ordinem ad regulas rationis: ita reperitur etiam ipsis bonitas obiectiua per conuenientium ad rationem.

113 An autem hæc bonitas, & moralitas obiectiua addat aliquid supra ipsum obiectum. Dico breuiter, quod addit saltem aliquam denominationẽ extrinsecam, & relationem rationis sumptam ab ipsa ratione, vel actu morali. Etenim nihil additur Deo præter relationem rationis, vel denominationem extrinsecã per hoc, quod dicatur obiectum conueniens nostræ dilectionis. Tota ergo difficultas præcedit solum de actibus, scilicet, in quo consistat eius bonitas.

1. Concl. 114 Respondeo primò. Bonitas actus humani non consistit formaliter in collectione obiecti, finis, & circũstantiarum honestarum, prò vt recta ratio dictat.

115 Ratio est; Quia bonitas formalis actus debet esse illi intrinseca: Sed hæc bonitas est illi extrinseca, vt patet: Ergo non consistit in ea. Maior, in qua posset esse difficultas, probatur. Quia bonitas formalis est modus intrinsecus ipsius actus, nam est differẽtia contrahens moralitatem in communi; quę est modus intrinsecus actus. Ratio.

116 Respõdeo 2. Vt actus moralis sit bonus, & perfectus requiritur collectio obiecti, & finis honesti, ac circũstãtiarum honestarũ, & aliorũ requisitorũ. 2. Concl.

117 Ratio est; Quia vnũ horũ si desit, actus nõ dicitur consentaneus rationi. Ratio.

118 Præterea: Quia vt ait D. Th. in hoc art. quotiescumque deficit aliquid alicui rei naturali, quod est illi debitum, non dicitur bona, & perfecta in ordine naturæ: Sed omnino prædicta sunt debita actui morali, vt bonus sit moraliter: Ergo si vnum ex prædictis ei desit, non dicitur bonus moraliter: Ergo &c. Confir. ex D. Th.

119 Respondeo tertio. Bonitas actus moralis consistit formaliter in habitudine ipsius actus ad obiectum; finem; circumstantias; & alia requisita, vt conuenientia regulis rationis. Quod est breuius dicere: Consistit in conuenientia actus ad regulas rationis, vel ad naturam rationalem. 3. Concl.

120 Probatur primò. Moralitas actus, vt supra probatum est, consistit in habitudine actus ad obiectum, vt substat regulis rationis in communi: Ergo bonitas actus moralis consistit in habitudine actus ad obiectum &c. vt conformia regulis rationis. Probatur consequentia; Quia bonitas actus contrahit moralitatem, vt sic. 1. Ratio

121 Confirmatur hæc ratio; Quia malitia moralis, de qna infra, consistit in deformitate actus ad regulas rationis: Ergo bonitas actus &c. 1. Confir.

122 Confirmatur secundo ex D. Th. infra q. 71. ar. 1. & 2. vbi docet virtutem esse secundnm naturam rationalem hominis; peccatum verò, vel vitium contra naturam rationalem. 2. Confir. ex D. Th.

123 Secundò probatur principaliter; 2. Ratio.

Digitized by Google

ter; Quia bonitas actus formaliter sumitur per ordinem ad bonitatem obiecti: Sed bonitas obiecti consistit in cõformitate ad regulas rationis: Ergo etiam bonitas ipsius actus.

124 Tertio probatur, & est etiam confirmatio præcedẽtis rationis; Quia actus moralis dicitur formaliter bonus, vel honestus per ordinem ad bonum honestum: Sed bonum honestum est illud, quod est conueniens naturæ rationali: Ergo actus dicitur honestus per conformitatem ad naturam rationalem. Hæc sententia sic explicata est communis inter Theologos super hunc art. 3. Ratio.

125 Contra nostram sententiã sic explicatam est sentẽtia Greg. de Val. hìc disp. 2. quæst. 13. par. 1. vt refert Petrus Corn. hoc loco disp. 2. qui dicit bonitatem moralem consistere in collectione omnium requisitorum, vt recta ratio postulat, scil. obiecti, finis, & circumstantiarum. Hanc sentẽtiã videtur docere Scot. in 2. disp. 40. q. 1. cap. 8. §. *de secundo dico*. Et quodlib. 18. §. *de primo* quamuis aliqui id negent. Sententia opposita Scoti. Greg. de Valent. Scotus.

126 Probatur primò; Quia bonitas moralis consistit in plenitudine essendi in genere moris, vt videtur insinuare *D.* Th. in hoc art: Sed plenitudo essendi in genere moris consistit in collectione eorum, quæ recta ratio postulat: Ergo &c. 1. Argum.

127 Respondetur breuiter, quod istud argumentum concludit nostram secundam responsionem. Vnde ad minorem dicimus, quod bonitas moralis extrinseca actui consistit in collectione eorum, quæ recta ratio postulat: bonitas verò moralis intrinseca consistit in habitudine actus ad talem collectionem. Neque aliud videtur insinuare D. Th. in hoc art. vt constabit art. seq. ad 3. & art 4. ad 2. Respõsio. D. Th.

128 Secundo. Bonitas naturalis rei consistit formaliter in collectione eorum, quæ ei debentur secundum exigentiam suæ naturæ, & idem est de bonitate entis artificialis: Ergo etiam bonitas moralis consistit in collectione eorum, quæ debentur actui secundum legem, vel rationem. 2. Argum.

129 Respondetur negando antecedẽs de entibus naturalibus quodãmodo respectiuis, vt sunt potentiæ, habitus, & actus: quia hæ res constituuntur bonæ in genere naturæ per bonitatem intrinsecam cum ordine ad extrinsecam: concedendo verò illud de entibus absoluris, vt est homo, leo &c. Quia bonitas naturalis eorum consistit in collectione eorum, quæ ei debentur secundum naturam. Idem dicimus de rebus moralibus seruata proportione. Respõsio.

130 Tertiò; Quia malitia moralis consistit in defectu plenitudinis essendi: Ergo bonitas moralis in plenitudine essendi. 3. Argum.

131 Respondetur eodem modo distinguendo antecedens. & concedendo illud de malitia extrinseca; negando verò de malitia intrinseca actui: Nam hæc siue sit aliquod positiuum, siue priuatiuum, de quo inf. consistit in habitudine actus mali ad obiectum, finem, &c. contra regulas rationis. Respõsio.

132 Est, & alia sententia cuiusdam Angasti in suis moralibus cap. 6. & 7. qui dicit, quod bonitas moralis consistit in conformitate ad legem. 2. Sentẽt. opposita.

133 Ratio est, Quia actus malus definitur, quod sit contra legem: Ergo actus bonus est conformis legi. Ratio huius sentẽtiæ.

134 Respondetur, quod actus malus in communi sumptus definitur quod sit contra legem rationis, ita similiter dicitur de actu bono. Respõsio.

LECTIO VIII.

Vtrum bonitas actus moralis eliciti sit realis: An rationis?

135 Respondeo breuiter: Bonitatem actus moralis esse realem; non verò rationis, neque denominationem extrinsecam. Ita D. Th. in hoc art. vbi ait bonitatem moralem per analogiam ad bonitatẽ physi- Concl. & probat. ex D. Th.

Digitized by Google

physicam consistere in plenitudine essendi: Plenitudo autem essendi non potest esse nisi realis. Prætereà à quatuor huius quæstionis ad secundum, vbi ait, quod quamuis finis sit extrinsecus actioni: proportio tamen ad finem, & ordo ad illum inhæret actioni. Ipsum sequuntur communiter Thomistæ.

1. Ratio. 136 Probatur prima ratione ducta ex *D.* Th. loco proximo citato. Quia ordo actus ad obiectum est realis; nam est illi intrinsecus, & est trascendentalis: Ergo &c.

2. Ratio. 137 Secundò; Quia bonitas habitus virtuosi est realis; Ergo, & actus, qui pendet ab illo.

3. Ratio. 138 Tertiò; Quia ante quamcumque intellectus operationem distinguitur actus iustitiæ ab actu temperãtiæ.

4. Ratio. 139 Quartò; Quia si bonitas moralis esset denominatio intrinseca, sequeretur *Deum* non esse causam bonitatis. Probatur sequela; quia Deus non est causa entis rationis, neque denominationis extrinsecæ. Quod nõ sit causa entis rationis patet; quia nullo modo fit à *Deo* ens rationis. Quod attamen non sit causa denominationis extrinsecæ etiam patet: quia denominatio extrinseca tribuitur ibi causæ, quæ est causa vitalis actus, vel formæ, ad quam sequitur denominatio. E.g. denominatio, visio in pariete tribuitur oculo videnti, quia sequitur ad actum visionis. Similiter denominatio dexteritatis in columna sumitur à positione animalis, & illi tribuitur: Ergo si bonitas moralis esset denominatio extrinseca debet tribui actui libero, vt ab homine, non vt à Deo, quod est falsissimum.

Confir. 140 Confirmatur; Quia denominatio extrinseca non habet causam.

Aduersariorum euasio, & præclusio 141 Respondent aduersarij, quod *Deus* sit causa moralis actus boni precipiendo, & consulendo illum. *De* actibus bonis bonitate naturali non potest facilè, impugnari hæc responsio, nisi recurratur ad id, nimirum quod moralitas sit aliquid reale: Ergo debet habere causam physicam realem. *De* actibus attamen supernaturalibus facillimè impugnatur; Nam bonitas moralis eorũ supernaturalis est saltem dispositio ad gratiam, & gloriam: Ergo realis; quia dispositio ad formam realem opus est, vt sit realis.

Replica. 142 Respondebit fortasse aduersarius, quod in actu supernaturali duplex est bonitas: vna supernaturalis, & intrinseca: altera moralis, & extrinseca.

1. Præcl. 143 Sed contra primò; Quia non admittitur regulariter ex Theologis hæc duplex supernaturalitas.

2. Præcl. 144 Secundò; Quia illa bonitas supernaturalis, quæ dicitur intrinseca, est moralis, vt patet in actu dilectionis *Dei*: nam eius substantia est moralis: tum quia fundatur in libertate: tùm quia est conueniens natura rationali eleuatam esse per gratiam.

1. Senten. opposita Vasquez & Durãd. 145 Contrariam sententiam defendit Vasquez disp. 55. c. 10. qui dicit bonitatem moralem etiam solã denominationem extrinsecam, vel relationem rationis. Ipsi vid. tur fauere Duran. in 2. dict. 38. q. 1. quatenus asserit bonitatem moralem nihil addere supra entitatem actus.

1. Argum. 146 Probatur primo de actibus, qui natura sua sunt indifferentes, & sunt solum boni, quia conformes alicui legi positiuæ *Dei*, quidem actus sunt tamen boni, & voluntate legislatoris; Ergo sunt tamen boni denominatione extrinseca: nam per voluntatem Legislatoris, siuè per legem ipsã nihil reale ponitur in actibus subditorum.

Respõsio. 147 Respõdetur; quod ordo actus ad obiectum, vt conforme tali legi est realis; nam eo ipso, quod est conformis legi, est conformis rationi, cũ ratio dictet seruandam esse legem iustam.

2. Argum. 148 Secundò bonitas obiectiua est pure, extrinseca obiecto. Vlterius quædam obiecta important tamen negationem, vt non furari non mechari. Quædam verò formaliter ens

Digitized by Google

rationis, vt accessus ad suam vxorem, qui est licitus ratione matrimonij, quod est ens rationis; Ergo &c.

149 Respondetur breuiter, vt diximus, quod ordo actus ad hæc obiecta, vt subsunt dictamini rationis est realis. Neque refert quod quandoque hæc obiecta sint negationes; vel entia rationis; quia iste ordo, vt dicemus lect. seq. est ordo, trascendentalis, vel relatio secundum dici, cuius terminus potest esse ens rationis.

Respõsio.

150 Tertiò bonitas moralis fundatur in actu libero: Sed libertas est denominatio extrinseca in eodem actu: Ergo & bonitas. Minor probatur, quia actus quandoque de necessario fit liber, & de libero fit necessarius.

3. Argum.

151 Respondetur negando minorem. Ad probationem dico, quod semper actus variatur moraliter, nam dicit diuersum ordinem ad principiũ, à quo procedit, scil. ad voluntatem, & ad obiectum diuersimodè propositum.

Respõsio.

152 Secunda sententia est Lorcæ, qui disp. 26. dicit bonitatem moralẽ esse realem in illis actibus, qui sunt *intrinsecè* boni, vt est dilectio Dei; largitio elemosinæ; In actibus verò, qui sunt *extrinsecè* boni, vt sunt illi qui pendent ex lege, & circumstantijs extrinsecis, esse ens rationis, vel denominationem extrinsecam.

2. Senten. opposita Lorcæ.

153 Ratio ipsius est quoad primã partem. Quia actus *intrinsecè* boni sunt per suammet entitatem boni. Ergo bonitas eorum est realis. Quoad secundam partem vtitur rationibus supra factis.

Ratio huius sententiæ.

154 Sed hæc sententia reijcitur; Quia bonitas moralis vniuocè dicitur de omnibus bonitatibus particularibus: Ergo si in vno actu est realis est etiam in alio.

Impugnatur sentẽtia Lorcæ.

LECTIO IX.

Vtrum bonitas realis sit modus quodam absolutus: an relatiuus: & quis nam sit terminus eius?

155 HÆc difficultas ex dictis de moralitate in communi facile potest resolui. Et idcò respondeo primò breuiter, quod sit modus relatiuus, non verò absolutus.

1. Concl.

156 Ratio est. Actus pendent ex potentijs, vel habitibus efficienter, & ex obiectis finaliter: sed hæc principia sunt relatiua, & mutuò se respiciunt: Ergo totum id, quod communicant actui, est relatiuum. Nam causæ communicant suam naturam. Intelligitur autem hæc responsio cum sua ratione de relatione trascendentali, & secundum dici.

Ratio.

157 Contrariam sententiam tenet Caiet. in hac q. Ar. 5. & q. 71. Ar. 6. & q. 72. A. 1. vbi dicit, quod bonitas sit quid absolutum, non verò relatiuum.

Sententia opposita Caiet.

158 Prima ratio est; Quia inter malum, & bonum est oppositio contraria: Sed hæc oppositio est inter absoluta: Ergo &c.

1. Argum.

159 Respondetur, quod etiam sit inter relatiua secundum dici quia cũ hæc relatiua sint actiua, etiam possũt esse contraria.

Respõsio.

160 Secunda ratio; Quia bonitas moralis habitus est absoluta: Ergo etiam & actus ipsius. Respondetur, quod autem bonitas moralis habitus est respectiua secundum dici, cum dicat ordinem ad actum.

2. Argum. & respõsio.

161 Tertia ratio; Quia in actu bono est relatio ad obiectum conforme regulæ rationis: Sed quælibet relatio supponit fundamentum absolutum. Ergo in tali fundamento consistit bonitas.

3. Argum.

162 Respondetur; quod relatio pro-

Respõsio.

Digitized by Google

prædicamentalis supponit fundamẽtum distinctum, non verò relatiò secundum dici. Nisi velimus dicere, quod ex actu bono consurgat relatio rationis, quæ supponit aliquod fundamentum absolutum, & tunc dico etiam, quod hoc fundamentum absolutum est ipsa bonitas realis formaliter.

163 Respondeo secundò. Termi-
2. Concl. nus bonitatis moralis, siuè actus boni moraliter est obiectum, siuè finis cum circumstantijs, & alijs requisitis ex parte ipsius, vt conformis regulæ rationis *proximè*, & *remotè*, *& radicaliter*, naturæ rationali. Ratio est; Quia bonitas honesta, & rationalis sumitur per conformitatem ad regulas rationis: Ergo &c.

LECTIO X.

In quo consistat malitia moralis: an sit quid reale: & an absolutum?

164 HAnc difficultatem re-
1. Concl. mitto ad quæstionem 71. Art. 6. vbi contra discutitur ab interpretibus *D.* Tho. Et possem breuiter, & facilè resoluere ex dictis, dicẽdo quod cõsistat in habitudine actus mali ad obiectum, & circumstantias contra regulas rationis,

2. Concl. 165 Secundò, quod hæc habitudo etiam sit realis.

3. Concl. 166 Tertiò, quod sit relatiua. Quæ omnia possunt probari rationibus supra factis pro bonitate morali.

Ratio. 167 Sed præcipuè, quia moralitas vt sic est genus vniuersum ad bonitatem, & malitiam moralem tamquam ad differentias intrinsecè contrahentes.

Euasio Montes. 168 Cui rationi respõdet Mõtes. Quod malitia fundamentaliter sumpta est differentia contrahens genus moris, non verò malitia formaliter sumpta quæ est priuatio rectitudinis.

169 Sed de his nihil hic firmiter dictum volo, totum me remitto ad ea, quæ infra q. cit. dicturus sum.

ARTICVLVS II.

Vtrum actio hominis habeat bonitatem, vel malitiam ex obiecto.

170 REspõdetur primo ex D. Th. quod prima bonitas moralis attẽditur ex obiecto conuenienti, quæ a quibusdam vocatur bonum ex genere, puta *vti re sua*. Probatur. Quia prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma; quę dat speciem ei: Ergo prima bonitas actus moralis attenditur ex obiecto conuenienti. Consequentia est legitima. Quia sicut res naturalis habet speciem ex forma; ità actio habet speciem ex obiecto. Antecedens probatur a D. Th. hoc modo; Quia bonũ, & malum actionis, sicut & cæterarum rerum attenditur ex plenitudine essendi, vel defectu ipsius: Sed primum, quod ad plenitudinem essendi pertinere vt est id, quod dat speciem rei: Ergo &c.

171 Respondit secundò. Primum malum in actionibus moralibus est quod est ex obiecto, sicut accipere aliena, & dicitur malum ex genere, genere pro specie accessio eo modo loquendi, quo dicimus genus humanum totam humanam speciem. Probatur. Quia in rebus naturalibus primum malum est, si res generata non consequitur formam specificam, puta si non generetur homo, sed aliquid loco hominis: Ergo &c. Hæc ratio est clara ex probatione præcedenti. Vtrãque responsionem, simul probat D. Th. in argumento, *Sed contra* ex illo

Digitized by Google

Oseæ 9. *Facti sunt abhominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.*

172 Contra hunc Doctorem proponit sibi D. Th, hoc arg. & est tertiũ in ordine. Obiectum morale est effectus actus moralis: Ergo non potest illi tribuere primam bonitatem, vel malitiam. Antecedens probatur. Quia obiectum parti actiuæ comparatur ei, sicut effectus ad causam. Consequentia est clara, quia effectus non potest tribuere aliquod causæ, cum pendeat ab illa.

173 Respondit D. Th. primò; quod tunc semper obiectum actionis humanæ est obiectum actiuæ potentiæ. Quia potentia appetitiua est passiua, in quantum mouetur ab appetibili.

174 Secundò quod obiecta potẽtiarum actiuarum non semper habẽt rationem effectus, sed quando iam sũt trasmutata, sicut alimentum trasmutatum est effectus potentiæ nutritiuæ.

175 Tertiò, quod quamuis obiectum sit effectus potentiæ actiuæ, nihilominus potest ei tribuere speciem: quia habet rationem termini, & terminus dat speciem motui.

176 Quartò, quod quamuis bonitas actionis non causetur à bonitate effectus, tamen actio dicitur bona ex hoc, quod bonum effectum causare potest. Vnde proportio actionis ad effectum est ratio bonitatis ipsius.

Quatuor notabilia super hũc articulum

177 Super istum Art. nihil principaliter occurrit dicendum; solum autem notanda sunt quatuor breuiter. Primum ex corpore Art. quod actus bonus, vel malus ex suo genere dicitur bonus, vel malus ex obiecto. Vnde quãdo apud Theologos morales inquiritur: an actus sit bonus, vel malus, ex suo genere; Idem est quærere: an sit bonus, vel malus ex obiecto.

178 Secũdũ etiã ex corpore, quod actus debet dici bonus per ordinem ad obiectum conueniens, scil. rationi.

179 Tertium ex responsione ad 3. quod bonitas actionis formaliter est ipsa proportio ad effectum, vel obiectum bonum.

180 Quartum quod hic actus: *Velle studiosè, vel honestè viuere*, est ab inclinatione naturali rationali. Neq; opus est ponere habitum virtuosum specificum distinctum; Nisi velimus dicere, quod sit à Syndereſi, quod etiã est probabile.

ARTICVLVS III.

Vtrum actio hominis sit bona, vel mala ex circumstantia?

181 REspondit breuiter D. Thom. quod actio dicitur bona, vel mala ex circũstantia. Ratio est. Quia in rebus naturalibus bonitas naturalis non sumitur solum ex forma substantiali, sed etiam ex alijs accidẽtibus, ità vt si desit eis aliquod accidens, dicantur secundum illum defectum malæ: Ergo pariter bonitas moralis actus humani non solum sumitur ex obiecto, sed etiam ex circũstantijs debitis, ità vt si aliqua ei desit, dicatur malus. Consequentia est nota ex paritate rationis. Antecedẽs etiam patet, & explicatur exemplo. Quia perfectio hominis non solum consistit in forma substantiali, sed etiã in colore; vigore; pulchritudine, quorum accidentium si ei desit aliquod, dicitur malus secundum eam rationẽ.

182 Probat secundò S. Th. hanc conclusionem in argumento, *sed contra* ex Arist. qui lib. 2. Eth. cap. 6. ait; quod virtus operatur secundum quod oportet, & quando oportet, & secundum alias circumstantias: Ergo è contrario (infert D. Th.) vitiosus secũdum vnumquodque vitium operatur quando non oportet: vbi non oportet, & sic de alijs circumstantijs: Ergo &c.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

Vtrum actio humana sit bona, vel mala ex fine?

183 PRæmittit *D.* Th. in hoc Art. 1. quod eadem est dispositio rerum in bonitate, & in esse. Hoc autem probat *D.* Th. sed supponit tanquam certum ex dictis; nihilominus breuiter ex ipso suaderi potest. Quia in tantũ aliquid habet de bonitate, in quantum habet de esse.

184 Præmittit secundò, quod quędam sunt, quorum esse ab alio non dependet, vt *D*eus: Et sic eorum etiã consideratur absolutè. Quædam verò sunt, quorum esse ab alio dependet, vt essentiæ, & sic debent considerari per ordinem ad causam. His præmissis.

185 Respondit primò. Actiones humanæ habent rationem bonitatis ex fine præter bonitatem absolutam, quæ in eis est. Subintellige, obiecti. Ratio est. Quia dependent ex fine tanquam à causa; Nàm sicut esse res dependet ab agente, & forma: ita bonitas rei dependet ex fine.

286 Confirmatur; Quia ideò Personæ Dininæ non habent bonitatem ab alio, quia non dependent ab alio.

287 De malitia nihil expresse dicit D. Th. sed eundem esse non ipsius ac bonitatis. Secundò probat in arg. *Sed contrà* ex Boetio lib. 3. Topic. cap. 1. dicente: *Cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est, & cuius finis malus, ipsum quoque malum est.*

288 Respondit secundò, quòd in actione humana quadruplex bonitas considerari potest. Vna quidem secũdum genus, prout scilicet est actio: quia quãtum habet de actione, & entitate, tantum habet de bonitate: Alia secundum speciem, quæ accipitur secundum obiectum conueniens: Tertia secundum circumstantias, quasi secundum accidentia quædam: Quarta secundum finem, quasi secundum habitudinem ad causam bonitatis.

189 In responsione ad tertium dicit primò, quod contingit actionem, quæ est bona secundum speciem suã, vel circumstantias, ordinari à fruitione ad malũ; vel è conuerso. Ratio est. Quia nihil prohibet actioni habenti vnam prædictarum bonitatum deesse aliam.

190 Dicit secundò, quod actio nõ est bona *simpliciter*, nisi omnes bonitates concurrant. Quia quilibet singularis defectus causat malum: bonũ autem causatur ex integra causa, vt ait Dionys. de Dimin. nom. cap. 4.

191 Super istum Art. notandum primò, quod nomine finis intelligit D. Th. finem operantis; ita vt sensus ipsius sit, quod actio humana potest esse bona, vel mala ex fine apposito ab ipso operante. Quia pendet ab illo. Supra autem q. 1. Art. 3. sumpsit finem pro obiecto proximo, siuè fine operis. Prima animadu. super hunc Art. IV.

192 Secundò nomine bonitatis absolutè intelligit bonitatem obiecti nõ ordinatum ad finem extrinsecum, & ipsius operantis. Dicit enim D. Th. quod actus præter bonitatem absolutam, hoc est sumptam ex fine operis, habet boni tamen aliam ex fine operantis. 2. Anim.

193 Tertiò notandum, quod bonitas generica, quam tribuit actui sumitur pro bonitate physica, vt patet ex eius ratione, quę est, quod vnumquodque tamen habet de bonitate, quantum de entitate. 3. Anim.

194 Quartò notandum est cum Conrado, & Vasq. quod tres illæ bonitates, excepta bonitate physica, quę ex *D.* Th. requiruntur ad constituendum actum bonum; scilicet bonitas obiecti, circumstantiarum, & finis, requiruntur ad constituendum ipsum vnum vnitate ordinis, non vero vnitate obiecti individuali, & simplici. 4. Anim.

LE-

Digitized by Google

LECTIO VNICA.

Continens dua dubia. Primum est: Vtrum vt actus humanus sit bonus, præter finem operis debeat habere finem operantis, scilicet Deum? Secūdum: An idem actus moralis possit esse simul bonus, & malus ex diuersis principijs?

195 QVoad primum breuiter dico, quod non est opus, vt actus humanus dicatur bonus, semper dirigatur in Deum. Sufficit enim, quod finis proximus sit bonus. Optimum consilium est semper dirigere operationes suas in Deum; Sed si non actu dirigerentur in Deum, non propterea esse malæ, dummodò non aliundè vitiarentur. Ita Montes. hic, & communiter Theologi.

1. Concl. quoad 1. dubium.

Montes.

196 Ratio est. Quia bonum honestum, quod est obiectum actus humani de se est bonum. Ergo, & actus tēdens ad illud, quamuis non referatur *expressè* in Deum.

Ratio.

197 Præterea. Bonum particulare cuiuscumque actus virtutis particularis, scilicet misericordia, iustitia, &c. *implicitè* dicit ordinem ad Deum; cū sit participatio diuinæ bonitatis: Ergo, & actus etiam *implicitè*, & *virtualiter* ex parte obiecti tendit in Deum.

Confirm.

198 Contrariam sententiam docuit Greg. cum aliis, quos refert hic Mont. qui dixit, quod præter bonitatem, quam habēt actus, & obiecta, deberet referri in Deum, tanquam in finem vltimum, vt esset bonus.

Sententia opposita Gregorij.

199 Probatur primò ex illo Diui Pauli 1. ad Corinth. cap. 10. *Quidquid facitis, in gloriam Dei facite*. Respondetur, quod hoc sit consilium, non præceptum.

1. Argum. & resp.

200 Secundò: Quia opus, quod nō ordinatur in Deū, ordinatur in creaturam: Ergo est malum. Respondetur, quod obiectum operis honesti, & ipsum opus *virtualiter*, & *implicitè* tendunt in Deum, vt dictum est.

2. Argum. & resp.

201 Quo ad secundum etiam breuiter dico, quod nullo modo idem actus moralis non potest esse bonus, & malus ex diuersis principijs, nempè ex fine operis, bonus; & ex fine operantis, malus: ex vna circumstantia bonus; ex altera malus. Ita Mōtes. hic. Et magis patabit hæc donum cum inf. qu. 19. Art. 7. tractabimus: an electio bona potuit esse mala ex fine malo, & è conuersò.

2. Concl. quoad 2. dubio.

Montes.

202 Nunc breuiter probatur ex *D.* Th. ad 3. Quia malum ex quocūq; defectu: Ergo cum in aliquo actu bono est circumstantia mala, vitiatur totus actus.

Probatur 1. ex *D.* Thoma.

203 Præterea. Quia qui facit aliquem actum bonum ex malo fine, vel mala circūstantia, vult illum sub ratione mali: Ergo non potest esse *simpliciter* bonus; imò nullo modo est bonus.

Probatur 2. ratione.

204 Contrariam sententiam tenet Lorca relatus à Montes. hic disp. 23. q. 5. Fundamentum primum ipsius est ex *D.* Tho. hoc ad 3. Sed non vrget contra nos, vt intuenti patebit. Bene enim explicat suam intentionem in vltimis verbis.

Sententia contraria Lorcæ. 1. Argum. & resp.

205 Secundum argumentum est. Quia quamuis circumstantia mali finis vitiet actum; tamen aliæ circumstantiæ magis extrinsecæ non vitiant actum, quippè quæ non sunt causæ, neq; influunt in actum.

2. Argum Respons.

206 Respondetur, quod quælibet circumstantia, si afficit actum, & est ei intrinseca vitiat actum: Si autem est purè extrinseca actui, concomitanter se habet, & est volita per distinctum actum, & sic erunt duo actus: vnus bonus; alter malus. Patet in eo qui vult suscipere Sacramentum, & posteà vult illud ex fine inanis gloriæ.

Respōsio

207 Tertium argumentum. Quia in rebus naturalibus potest stare bonitas essentialis cum defectu alicuius accidentis, vt patet in aqua calida;

3. Argum.

in

in homine cęco, &c. Ergo similiter in moralibus.

Respõsio. 208 Respondetur neg. cons. Prima ratio disparitatis est. Quia in naturalibus seruatur forma substantialis. In moralibus autem deficiente vna circumstantia, non seruatur forma substantialis. Nàm forma substantialis actus boni est, vt sit secundum dictamen prudentiæ. Hoc autem dictamen prudentiæ est, vt hic, & nunc actus sit benè circumstantio natus. Secunda est, quæ coincidit fortasse cum prima, quia bonitas naturalis est bonitas *secundum se*: bonitas autem moralis est per cõuenientiã ad naturam rationalem: actus autem moralis habens circumstantiam malam non conuenit naturæ rationali, prout hic, & nunc fit.

4. Argum. 209 Quartum argumentum est. Quia circumstantia mala non destruit bonitatem essentialem ex obiecto, cũ sit accedentalis: Ergo, &c. Antecedẽs probatur, & explicatur magis hoc exemplo videlicet. Si quis faceret actum misericordiæ, scilicet eleemosinæ propter inanem gloriam: Si inanis gloria destrueret bonitatem eleemosinæ, iam essent duæ malitiæ ibi: vna ex obiecto: altera ex ipsa circumstantia inanis glorię, quod est falsum.

Respõsio. 210 Respondetur, quod destruitur bonitas obiecti ex mala circumstantia, quia tunc actus bonus est volitus sub ratione mali, & sic materialiter erit bonus ex obiecto. Ad probationem dico, quod non esset dupliciter malitia; Sed tamen malitia finis mali, siue circumstantiæ appositę, ad quam ordinatur actus bonus, qui tamen materialiter est bonus. Sed de his diffusiùs qu. 19. Art. 7. cit.

ARTICVLVS V.

Vtrum aliqua actio humana sit bona, vel mala in sua specie? Sensus huius tit. est. An bonum, & malum sint species actus moralis, vt sit.

211 REspõdit *D.* Th. quod bonum, & malum diuersificant speciem in actibus moralibus. Ratio est. Quia differentiæ *per se* diuersificant speciem: Sed bonitas, & malitia sũt differẽtiæ *per se* actus moralis? Ergo, &c. Probatur minor. Quia actus humani dicuntur morales, secũdum quod sunt à ratione, sed bonitas, vel malitia comparantur *per se* ad rationem, scilicet secũdum quod obiectum est ei conueniens, vel disconueniens: Ergo. Minor huius probationis etiam probatur ex D. Dionys. de diuin. nom. cap. 4. quia bonum hominis est secundum rationem esse. Et confirmet Sanctus dicens: *Vnicuiq; enim rei est bonum, quod conuenit ei secundũ suam formam, & malum quod est ei præter ordinem suæ formæ.*

212 In resonsione ad cõseq. Cõtra hãc doctrinam obijcit sibi D. Th. vnum argumentum, quod est secundũ in ordine, scilicet *Malum est priuatio, priuatio vero est non ens. Non ens autem non potest esse differentia ex Philosopho 3. Metaph. Ergo, &c.*

213 Respondit *D.* Th. quod malũ morale non importat priuationem *absolutè*, sed consequentem ad obiectum non conueniens rationi. Obiectum autem non conueniens rationi; siuè actus respiciens tale obiectum est quid positiuum, & sic potest constituere speciem mali moralis.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

Vtrum actus habeat speciem boni, vel mali, ex fine.

214 SVpponit primò D. Th. quod actus humanus duplex est: Interior: & Exterior; Nam omnis actus humanus est volontarius: actus autem voluntarius est duplex: interior: & exterior: Ergo &c.

215 Supponit secũdò, quod vterque horum actuum habet suum obiectum. Non reddit rationem huius suppositi, quia patet ex se, & potest facilè reddi, quia actus quilibet importat habitudinem ad aliud, scil. ad obiectum.

216 Supponit tertiò, quod finis sit obiectum actus interioris voluntatis: id autem, circa quod versatur actus exterior, est obiectum illius, scil. materia, circa quam versatur actus exterior, obiectum illius; vt in furto ablatio rei alienæ, &c. His præmissis.

217 Respõdit primò D. Th. quod actus interior accipit speciem boni, vel mali à fine. Probatur; Quia finis est obiectum actus inierioris: sed ab obiecto habet actus speciem boni, vel mali; Ergo &c.

218 Respondit secundo, quod actus exterior accipit speciem a materia, circa quam versatur. Ratio est eadem, ac præcedens. Quia materia circa quam versatur est obiectum ipsius. Confirmatur etiam in solutionc ad secundum. Quia accidit actui exteriori, quod ordinetur ad aliquem finem pet actum interiorem. Accidit enim furto, quod ordinetur ad adulterium, & eleemosinæ, quod ordinetur ad inanem gloriam

219 Rerspondit tertiò comparãdo ad inuicem actum interiorem cum exteriori, quod Ipecies actus humani *formaliter* consideratur secundum finem, *materialiter* secundum obiectũ actus exterioris. Ratio est. Quia actus interior se habet quid *formaliter* respectu actus exterioris. Nam voluntas vtitur membris ad agendum, sicut instrumentis. Vlterius sumunt rationem moralitatis in quantum sunt voluntarij. Confirmatur ex Arist. 5. Eth. cap. 2. Quia ille, qui furatur, vt committat adulterium, est magis adulter *per se* loquendo, quam fur.

220 In responsione ad tertium ait D. Th. quod quando multi actus specie differentes ordinantur ad vnũ finem, est quidem diuersitas speciei ex parte actuum exteriorum; sed vnitas speciei ex parte actus interioris. Erat enim argumentum. Ad vnum finem inanis gloriæ possunt ordinari plures actus diuersarum virtutum, vel vitiorum; Ergo bonum, & malum nõ accipitur ex fine.

221 Respondet iam D. Th. quod diuersitas bonitatis, vel malitiæ moralis *materialis* sumitur ex obiectis actuum exteriorum vnitas verò malitia, vel bonitatis *formalis* sumitur ex fine, siuè obiecto actus interioris.

222 Super istum Art. Tria sũt notanda breuiter. Primum, quod nomine finis intelligit finem operantis. Secundum, quod non coincidit hæc difficultas cum illo Art. 4. huius quæstionis, quia ibi agit de fine operantis *secundum se*; hic autem agit de fine operãtis comparato ad finem operis. Tertium, quod nomine actus interioris sumit D. Th. quemlibet actum voluntatis internum, siuè internum, siuè electioncm.

Tria notabilia super hunc Articulũ 7.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS. VII.

Vtrum ſpecies, quæ eſt ex fine, contineatur ſub ſpecie, quæ eſt ex obiecto, ſicut genere, vel è conuerſo?

223 PRæmittit D. Th quod obiectũ actus exterioris dupliciter poteſt ſe habere ad finẽ voluntatis: Vno modo ſicut *per ſe* ordinatum ad ipſum, ſicut benè pugnare per ſe ordinatur ad victoriam: Alio modo *per accedens*, ſicut accipere rem alienam, *per accidens* ordinatur ad dãdum eleemoſinam.

224 Reſpondet ergo primo. Si obiectum actus exterioris eſt *per accidens* ordinatum ad finem; tunc actus moralis eſt ſub duabus ſpeciebus, quaſi diſparatis. Vndè dicimus, quod ille, qui furatur, vt mœchetur, committit duas malitias in vnb actu. Ratio eſt. Quia neutra ſpecies eſt *per ſe* determinatiua alterius: Ergo vna non continenetur ſub altera: Ergo ſunt diſparatæ.

225 Reſpõdet ſecũdò. Quod ſi obiectum *per ſe* ordinetur ad finem; Vna continetur ſub altera. Ratio eſt. Quia vna eſt *per ſe* determinatiua alterius.

226 Reſpondet tertiò. Quod ſi obiectum *per ſe* ordinetur ad finem; ſpecies, quæ ſumitur ex obiecto, continetur ſub ſpecie, quæ ſumitur ex fine. Ratio eſt; Quia finis eſt generalior, & obiectum eſt magis particulare: Ergo ſpecies, quæ ſumitur ex obiecto, cõtinetur ſub ſpecie, quæ ſumitur ex fine.

227 Contra hanc doctrinam obijcit ſibi *D.* Th. vnum argumentum, & eſt primum in ordine. Idem actus non poteſt eſſe in duplici ſpecie: Ergo non poteſt habere bonitatem, ex obiecto, & fine. Reſpondet, quod idẽ actus non poteſt eſſe in duplici ſpecie ſubſtantiali: bene tamen in duplici ſpecie accidentali; ſicut idem pomum eſt in ſpecie coloris, & ſaporis, &c. Sic etiam idem actus moralis in eſſe phyſico eſt in vna ſpecie ſubſtantiali, in eſſe morali poteſt eſſe in pluribus ſpeciebus, quia eſſe morale eſt accidentale reſpectu eſſe phyſici.

228 Pro faciliori intellectu doctrinæ huius Art. eſt primo notandũ, quod Art. præcedẽti determinauit *D.* Th. eumdem actũ poſſe habere duas malitias, vel duas bonitates: vnam ex obiecto: alteram ex fine in hoc Art. autem determinat vnam contineri ſub alia, ſcil. eam, quæ ſumitur ex obiecto ſub ea, quæ ſumitur ex fine, quãdo eſt per ſe determinatiua illius; quando verò non eſt determinatiua illius *per ſe*, ſed tantũ *per accidens* ordinatur ad illam, eſſe diſparatas. 1. Anim. ſuper hũc Articulũ.

229 Notandum eſt ſecundò, quod non contradicit ſibi D. Th. (vt vult Vaſquez; qui magis reuerenter loqui poterat 2. 2. q. 11. Ar. 1. ad 2.) vbi ait, quod quando quis mœchatur propter furtum, mœchia continetur ſub furto tamquam ſpecies ſub genere, vel effectus ſub cauſa. Quia ibi loquitur de prẽcontinentia effectus in cauſam; quia quamuis mœchia *per accidens* ordinetur ad furtum; intentio furti nihilominus eſt cauſa electionis mœchiæ: hic autem *abſolutè, ſimpliciter* loquitur de continẽtia ſpeciei ſub genere. Præterea ſi ibi loquatur de præcontinentia ſpeciei ſub genere, ſe remittit ad ea, quæ hic docuit. Addo etiam, quod hic loquatur principaliter de cõtinentia *per ſe* ſpeciei ſub genere; ibi autem de continentia *per accidens*. 2. Anim.

LECTIO I.

Vtrum idem actus, siuè interior, siuè exterior, possit habere plures malitias?

230 NOtãdum est quod quædam peccata ad sui essentiam requirunt expressam volitionem sui obiecti: Quædam verò non requirunt expressam volitionem sui obiecti. Peccata primi generis sunt scandalum, inobedientia, odium Dei; & similia. Scandalum enim, vt sit speciale peccatum, debet *expressè* tẽdere ad ruinam proximi. Inobedientia *directè*, & *expressè* contra voluntatem sui Superioris: Odium Dei *directè*, & *expressè* ad volendum illi malum. Peccata verò secundi generis sunt furtum in loco sacro, homicidiũ clerici, & cætera id generis. Furtum enim in loco Sacro est in specie sacrilegij, quamuis aliquis *expressè* non intendat iniuriam loci sacri. Idem dicitur de homicidio clerici, & de alijs similibus. Animad.

231 Ratio autẽ huius discrimnis est. Quia sunt multæ circumstantiæ, quæ generaliter conueniunt cuicumque peccato; vt patet de scandalo, quæ est circumstantia cuiuscumque peccati commissi in publico, vel cum alia persona: de inobedientia, quæ est circumstantia generalis, conueniẽs cuicumque peccato commisso contra legem positiuam, siuè humanam, siuè diuinam: de odio Dei, quæ est circũstantia conueniens cuicumque peccato, quatenus est offensa, & iniuria facta Deo. Et sic de alijs; Ergo vt hæc peccata habeãt propriam speciem peccatorum, requiritur, vt obiectum eorum sit *expressè* volitũ. His notatis. Ratio animaduers.

232 Respondeo primo. Idẽ actus interior, siuè peccatum interius de illis, quæ non requirunt, ad suam speciem *expressam* volitionem obiecti 1. Concl. potest habere duplicem malitiam.

233 Ratio est. Quia habens votũ castitatis potest delectari interius de re venerea. Ratio.

234 Præterea potest quis ex odio Dei velle furari, fornicari &c. In quo casu voluntas furandi habet duas malitias: vnam furti, quod non requirit *expressam* volitionem obiecti: alterã, quæ requiritur expressam volitionem obiecti. Confirm.

235 Respondeo secundò. Idem actus numero in esse naturæ interior potest habere duplicem malitiã, quarum vtraque requirat ad sui speciem *expressam* volitionem obiecti. 2. Concl.

236 Patet clarissimè. Quia potest quis agere *expressè*, & *directè* contra præceptum Superioris ex odio, quem habet in ipsum. Hic sunt duæ malitiæ: vna inobedientiæ: altera odij, quarũ vtraque ad sui speciem requirit *expressam* volitionem obiecti. Ratio.

237 Respõdeo tertiò. Generaliter quilibet actus, siuè interior, siuè exterior potest habere duas malitias, & plures etiam. 3. Concl.

238 Ratio est; Quia potest quis elicere actum contra plures virtutes simul. Hæc est communis Doctorum Theologorum, & hactenus indubitata; solum Vasquez voluit nobis præbere occasionem disputandi hanc doctrinam, nescio quibus speculationibus superfluis. Ratio.

239 Ait ergò ipse in cõuẽtarijs super Art. 7. huius quæstionis, & infra disp. 101. cap. 4. & 5. Primò, quod peccata, quæ non consumantur *interius*, siue *exteriora*, & quæ non requirunt expressam volitionem obiecti, possunt esse plura in vno actu, vt patet exemplo furti in loco sacro. Sententia opposita Vasq.

240 Ratio est; Quia potest quis velle plura *explicitè*, aut vnum *implicitè*, & aliud *explicitè*.

241 Secundò, quod peccata interiora, & quæ requirunt *expressam* volitionem obiecti, nõ possunt esse plura in eodem actu. Ratio est; Quia non potest idem actus tendere in duo obiecta, vel habere duo motiua *explicitè*.

Digitized by Google

sitè. Hoc secundum dictum cum sua ratione est falsum, vt patet ex nostra secunda responsione.

LECTIO II.

Vtrum idem actus possit habere simul duas bonitates?

242 NOtandũ est primo, quod loquimur de vno, & eodem actu *in esse naturæ*. 1. Anim.

243 Secũdò, quod dupliciter potest intelligi eumdẽ actum posse habere simul duas bonitates: Vno modo, vt honestas vnius obiecti sit volita propter honestatem alterius, vt martyriũ propter amorem Dei; largitio eleemosinæ in pœnam peccatorum &c. Alio modo, vt in vno, & eodem obiecto inueniantur duæ honestates; Vt si quis velit dare eleemosinam Sacerdoti pauperi. De primo sensu erit lectio sequens; de secundo lectio præsens. 2. Anim.

244 Respõdeo. Quoties in obiecto est duplex honestas, potest voluntas vnico actu intendere vtramque, & sic talis actus habebit duplicẽ bonitatẽ. Concl.

245 Ratio fundamentalis. Quia potest voluntas vnico actu intendere plures fines per modum vnius: Ergo plures fines honestos: Ergo habebit vnus, & idem actus plures bonitates. Estq; ratio quæ colligitur ex *D.* Th. sup. q. 12. Ar. 3. Nescio quid sibi respõdeat Vasquez huic rationi, quod planè inutile est adducere. 1. Ratio. D. Th. Vasq.

246 Probatur secundò ex ipso Vasquez. Quia vno, & eodem actu possumus adorare humanitatẽ Christi adoratione Latriæ propter vnionem ad Verbum, & adoratione duliæ propter excellentiam Sanctitatis creatæ, qui actus tunc habebit duas bonitates: Ergo cur eodem actu non possumus etiam in alio obiecto velle duplicem honestatem? Vt patet in eo, qui largitur eleemosinam pauperi Sacerdoti. 2. Ratio.

247 Respõdet ipse negando cons. & ratio disparitatis, quam affert est. Quia in primo casu latria, & dulia conueniunt in vna ratione communi honestatis proxima, scilicet excellentiæ. Respons. Vasq.

248 Sed contra quia sufficit, vt obiectum habeat duas bonitates specie distinctas conuenientes in vna ratione communi bonitatis, & volũtas tendat in vtramq; per modum vnius. Impugnatur Vasq. primò.

249 Præterea: Quia latria, & dulia non conueniunt in vna ratione proxima, nàm latria pertinet ad virtutem religionis secundum D. Th. 2. 2. q. 84. dulia verò ad virtutem obseruantiæ, vel pietatis, vt idem D. Th. docet 2. 2. q. 103. Impugnatur 2.

250 Contrariam sentẽtiam tenet Vasq. in Art. 7. huius quæstionis, & inf. disp. 51. cap. 3. dicens, quod dùm obiectum habet duas honestates simul, vt patet in exemplo Sacerdotis pauperis, voluntas non potest ferri eodem actu in ipsum, sed distincto actu. Vndè infert, quod idem actus numero nõ potest habere duas bonitates simul. Sent. opposita Vasquez.

251 Primum argumentum ipsius est, quod voluntas non potest intendere vnico actu duplicem finem. 1. Argum.

252 Respõdetur, quod potest voluntas vnico actu intẽdere duplicem finem per modum vnius, vel etiam intendere plures fines intermedios ordinando illos ad vnicum finem. Respõsio.

253 Secundum argumẽtum, quia intellectus non potest simul de vtraq; honestate obiecti vnico actu cogitare: Ergo, &c. 2. Argum.

254 Respondetur, quod potest intellectus simul plura cogitare per modum vnius, quatenus ad inuicem ordinantur, vel ad vnum tertium. Respõsio.

255 Tertium argumentum, quia potest voluntas velle vnam honestatem istarum sine alia: Ergo signum est, quod duplici actu feratur in ipsas. 3. Argum.

256 Negatur cõsequentia in vniuersum, sed potest voluntas duplici actu, & vnico actu ferri in vtramque honestatem, vt dictum est. Respõsio.

Digitized by Google

LECTIO III.

Vtrum quando obiectum vnius uirtutis est volitum propter obiectum alterius virtutis in eodem actu sint duæ bonitates?

256 IN præcedenti lectione diximus, quod quando quis eodem actu vult plura obiecta honesta per modum vnius, in tali actu esse plures bonitates. In præsenti lectione quæritur. An quãdo obiectũ vnius virtutis assumitur, vt medium ad cõsequendum obiectum alterius sit in eodem actu duplex bonitas? Vt quãdo quis patitur martyrium ex fine charitatis. Et procedit hæc difficultas etiam quãdo vnum malum est volitũ propter aliud; vt furtũ propter adulterium: An tunc sit duplex malitia in actu?

Explicatio rituli.

257 Et respondeo affirmatiuè. Est communis omnium Theologorum excepto Vasq. vt inf. referam.

Concluſ.

258 Probatur ex D. Tho. infinitis locis. Art. 4. huius quæstionis, vbi dicit actum habere bonitatem ex obiecto, & fine. Et art. 6. in corp. & ad 3. Et in hoc art. 7. ad 1. Et 2 2. q. 85. art. 3. Et clarissimè q. 124. art. 2. ad 2. vbi ait, martyrium esse actum elicitum fortitudinis, & in imperatum à charitate. Id ipsum etiam docuit 3. contra gentes cap. 138 expressissimis verbis; Ait enim ibi, quod sicut vnum vitium imperatur ab alio, vt cum quis furatur propter fornicationem, & talis actus ex sua specie est furtum; ex fine autẽ est fornicatio: Sic in virtutibus actus vnius ordinatur ad alium, sicut cum quis dat sua alteri propter amicitiam ex charitate, actus ex sua specie est liberalitatis, ex fine est charitatis.

Probatur 1. ex *D.* Thoma.

259 Probatur secũdò ratione ducta ex D. Th. locis citatis, & specialiter ex 2. 2. q. 124. ar. 2. ad 2. Quia quãdo actus imperatur ab vna virtute, non tollitur quin eliciatur à virtute imperata, vt cum quis dat eleemosinam ad satisfaciendum pro peccatis; In isto enim casu pœnitentia imperat actum misericordiæ, &c. Ergo non tollitur, quin actus imperatus habeat duplicem bonitatem: vnam ex obiecto: alteram ex fine. Non enim finis destruit rationem obiecti, sed perficit. Quod magis patebit in lectione seq.

Probatur 2. ratione.

260 Probatur tertiò. Quia Charitas est forma omnium virtutum: Sed forma non destruit id, cuius est forma dùm non est violẽta, imò potius perficit. Ergo actus virtutum qui fiunt ex charitate habebunt duplicem bonitatẽ: vnum ex obiecto: alteram ex fine. Minor, in qua posset esse aliqua difficultas patet inductione in omnibus formis naturalibus.

Probatur 3.

261 Probatur quartò. Et hæc est ratio fundamentalis, & à priori complectens duas præcedentes rationes. Quia finis intermedius duo habet; & quod sit appetibilis propter se; & quod ordinetur ad vlteriorem finẽ: Sed potest obiectum vnius virtutis assumi, vt finis intermedius, ad obiectum alterius virtutis: Ergo tũc actus habebit duplicem bonitatem: vnam ex fine proximo, & intermedio: alteram ex fine remoto, & vltimo.

Probatur 4.

262 Quintò probatur ex maximo inconuenienti, quod sequeretur ex opposita sententia. Quia sequeretur non esse maioris meriti, si quis funderet sanguinem propter amorem Christi, quam si ieiunaret vno die: nàm tãtum haberent bonitatem charitatis.

Probatur 5.

263 Huic argumento resp. Vasq. neg. sequelam, quia cæteris paribus ex parte charitatis esset maioris meriti opus præstantioris virtutis; nàm esset aptiuus medium ad finem charitatis.

Euasio Vasq.

264 Sed contra; Quia hæc maior aptitudo medij nil aliud est, quam maior bonitas virtutis, quæ assumitur

Digitized by Google

tur, vt medium ad finem charitatis.

265 Concluditur ergò ex his rationibus, quod vnus, & idem numero actus, siuè interior, siuè exterior potest habere plures bonitates, si respiciat plures fines honestos subordinatos, & plures malitias, si respiciat plures fines inhonestos subordinatos.

Sententia opposita Vasq.

266 Aduersus hanc communem doctrinam est Vasq. super art. 6. huius quæstionis disp. 51. cap. 2. & 3. vbi dicit: Electionem non accipere vllam bonitatem ex medio secundum se cõsiderato: benè tamen ex eo accipere malitiam. Hãc sententiam tenet ipse, quia negat fines intermedios. Quæ quomodo possit cohærere, non facilè video. Ait enim electionem nullam sumere bonitatem ex medio, bene autem malitiam, quando ordinatur ad finem malum; cùm de vtraque pariter philosophandum esset.

1. Argum. Vasq.

267 Probat ipse primò, quoad primam partem suam sententiam: quia medium secundum se nullam habet bonitatem, vel si habet bonitatem, tota sumitur per ordinem ad finem: Ergo electio totam suam bonitatem habet ex fine.

Respõsio.

268 Respondetur, quòd principalis bonitas, & principaliter intenta sumitur ex fine; minus principalis verò sumitur ex medio, quando illud habet propriam bonitatem relatiuã.

2. Argum. ex Arist.

269 Probat secundò. Quia ex Aristot. 2. Eth. cap. 4. & 6. vna ex conditionibus requisitis ad actum virtutis est, vt sit circa bonum honestum propter ipsum bonũ honestum; Ait enim quod vt opus virtuosum sit honestũ tres conditiones requiruntur: Vna, quod fiat *scienter*. Altera, quod fiat ex electione, siuè *liberè*: Et tertia, quod sit propter ipsum finem honestum, siuè propter proprium obiectum honestum: Ergo si fiat propter alium finem honestum, non habebit bonitatẽ ex obiecto.

1. Respõs.

270 Respondetur, quòd nil aliud intendit Arist. ibi (vt optimè explicat D. Th.) nisi quod, vt opus sit virtuosum debeat esse, circa bonum honestum secundum se, non verò propter finem inhonestum.

3. Argum.

271 Respondetur secundò, quòd vt actus sit virtuosus: ex mente Arist. requiritur, vt sit propter propriũ obiectum honestum, non tamen cum exclusione finis, ad quem potest ordinari.

272 Probat deindè secũdam partem suæ sententiæ. Quia ad hoc, vt sumatur malitia ex aliqua re volita nõ opus est hac ratione, vel alia; ex hoc motiuo, vel alio volitam esse, sed satis est esse volitam quocumque modo; Quia malum ex quocumque defectu.

Respõsio.

273 Respondetur, quòd eo ipso, quod eligitur malitia furti. E. g. propter adulterium, non est volita malitia furti quocumque modo, & in genere, sed ipsa malitia furti in specie. Vult enim quis dùm furatur, verè furari. Vndè hæc nõ est sufficiens disparitas, quam assignat Vasq. inter electionem boni, & mali, quia propterea debeat purgari à contradictione.

LECTIO IV.

Quænàm bonitas, vel malitia sit prima, & essentialis respectu actus habentis plures bonitates, vel malitias; illa quæ sumitur ex obiecta; an illa quæ sumitur ex fine.

Animad.

274 NOtandũ est, quod hic loquimur tũ de actu imperato, tùm de actu imperante ipsius voluntatis. Vlteriùs loquimur de actu imperato, siue interno, siue externo. Vt sensus difficultatis sit, quando quis largitur eleemosinã propter Deum, quænàm sit prima, & essentialis bonitas largitionis eleemosinæ: illa, quam habet ex proprio obiecto? an illa, quã habet ex fine charitatis, siuè ex obiecto ipsius charitatis imperantis? Eodẽ modo dubitamus in actibus malis.

Quæ-

Digitized by Google

Quænam scil. sit prima, & essentialis malitia, dū quis furatur, vt fornicetur: mælitia furtiʔ an malitia fornicationisʔ Hanc difficultatem optimè, & clarissimè tractauit D. Th. in Art. 6. huius quæstionis, à quo ne quidem latum vnguem discedam. Quidquid Montes. & alij longa disputatione hic dicant.

D. Th.

276 Respondeo ergo primò. Si Actus imperatus E. g. largitio eleemosinæ sumatur. *secundum se* primariam, essentialem, & specificam bonitatem sumit ex proprio obiecto.

1. Concl.

277 Ratio est. Quia vnusquisque actus primariò, & *per se* specificatur ex proprio obiecto.

Ratio.

278 Confirmatur. Quia bonitas illa, quæ ei aduenit ex fine, ad quem ordinatur, est ei purè accidētalis: nam sicut ordinatur ad vnum finem, potest ordinari ad alterum.

Confirm.

279 Respondeo secundò. Si actus imperans etiam consideratur *secundū se*, prima essentialis, & specifica bonitas, quæ ei conuenit, sumitur ex fine, quem respicit.

2. Concl.

280 Ratio est; Quia finis est obiectum suum in eo casu. Vndè si quis vult ieiunare ad satisfaciendum Deo pro peccatis suis prima bonitas actus imperantis, nimirum pænitentiæ, est bonitas quæ reductiuè pertinet ad iustitiam; bonitas autem temperantiæ est secundaria, & accidentaria; quia secundò aduenit ipsi actui pænitentiæ.

Ratio.

281 Respōdeo tertiò. Si actus imperatus, & imperans conferuntur ad inuicem, & sumantur tanquam vnū aggregatum, prima bonitas est, quæ sumitur ex fine actus imperantis.

3. Concl.

282 Ratio est ex *D.* Th. in hoc Ar. 6. Quia actus imperans se habet vt forma respectu actus imperati. Eandem rationem tradit sup. q. 17. Ar. 4.

Ratio D. Th.

283 Et hæc de actibus bonis, quæ omnia dicenda sunt de actibus malis seruata proportione. Nequè video quid probabiliter in contrarium obijci possit. Habent enim maximum fundamentum in *D.* Th. a. 2. & 6. huius quæstionis.

LECTIO V.

Vtrum actus reflexus habeat bonitatem ex actu volito directo? & an ipse actus directus accipiat bonitatem ex fine actus reflexi?

284 EXplicatur titulus huius difficultatis hoc exemplo. Potest quis actu reflexo velle actum charitatis ad satisfaciendum pro peccatis suis; tunc est difficultas: An actus reflexus, qui habet pro obiecto actum charitatis, habeat bonitatem ipsius charitatis vltrà bonitatem pænitētiæ. Et vlterius an actus charitatis volitus habeat bonitatem pænitentiæ, quæ est finis actus reflexi? Id ipsum potest disputari de actu malo reflexo; An scil. actus malus reflexus accipiat malitiam ex actu volito? & an actus volitus accipiat malitiam ex fine actus reflexi? Vt dum quis vult odio habere Deum, vt cōsequatur regnum temporale. Quod est exemplum Caietani, sicut & præcedens.

Explicatio tituli.

285 Pro qua difficultate exponenda suppono tamquam fundamentum certum, quod voluntas potest reflectere supra suos actus elicitos, & illos imperare per actus reflexos.

Animad.

286 Primo. Quia reuera actus intentionis imperat, seù causat actum electionis, qui est actus elicitus volūtatis.

287 Secundò. Quia actus intentionis potest imperare actū intentionis, vt clarè docet D. Th. q. seq. Art. 2. ad 1. vbi ait, quod *per accidens* potest finis pendere ex fine, & voluntas ex voluntate. Terriò. Quia actus elicitus ab vna virtute potest esse imperatus ab alia virtute, vt D. Th. clarissimè asserit 2. 2. q. 124., Ar. 2. ad 2. de actu martyrij, qui est actus elicitus à virtute fortitudinis imperatus à charita-

1. Ratio animad.

rita-

Digitized by Google

ritate. Neque per charitatem imperatur actus externus martyrij, vt voluit Vasquez infra citandus, sed actus internus ex mente D. Th; quia loquitur de actu elicito fortitudinis: actus autem externus non est elicitus à fortitudine. Neque etiam imperatur per charitatem actus internus fortitudinis, qui sit electio, vt idem Vasq. asserit, sed actus internus, qui sit intẽtio. Quia actus internus fortitudinis, qui dicitur electio, quatenus est, actus potius elicitus à charitate. Præterea, quia electio, vt electio, electio est non habet aliam bonitatem nisi finis. His præmissis.

287 Respondeo primò. Actus voluntatis reflexus habet speciem bonitatis. vel malitiæ ex actu volito, qui est obiectum; Sicut actus imperans voluntatis habet speciem bonitatis, vel malitiæ ab actu imperato elicito ab eadem voluntate. Explicatur hæc responsio. Cum quis vult diligere Deum, talis voluntas habet speciem bonitatis ex actu dilectionis Dei volito: Cum quis vult odisse Deum, talis voluntas habet speciem malitiæ ex actu odij, quod est obiectũ volitũ. 1. Concl.

288 Ratio fundamentalis sumitur ex *D.* Th. Ar. 2. huius quæstionis, & cõmuni sensu philosophorũ, & Theologorum. Quia actus specificatur ab obiecto, neque vlla potest esse disparitas, cur actus directus sumat speciẽ ex obiecto, & non actus reflexus, cum vterque dicat intrinsecam habitudinem trascendentalem ad suũ obiectũ. Ratio D. Thom.

289 Respondeo secundò. Actus volitus, siuè imperatus participat bonitatem, vel malitiam ex fine actus reflexi, siuè imperantis. E. g. actus charitatis imperatus ab actu pœnitentiæ participat bonitatem pœnitentiæ. Idẽ dicitur de actu malo seruata proportione. 2. Concl.

290 Ratio est. Quia actus imperatus refertur ad finem actus imperantis: Ergo participat bonitatem, vel malitiam ex fine actus imperantis. Probatur consequentia, quia vnusquisque actus accipit bonitatem, vel malitiam ex fine, quem respicit. Ratio.

291 Respondeo Tertiò. Actus reflexus, siuè imperans primariam bonitatem habet ex fine, quem respicit. Ratio est. Quia finis est ipsius obiectũ principale. 2. Concl. & eius Ratio.

292 Respondeo quartò. Actus volitus, siuè imperatus per actum reflexum, primariam bonitatem habet ex proprio obiecto; secundariam, & accidentariam ex fine, ad quem ordinatur ab actu imperante. 4. Concl

293 Ratio. Quia natura sua respicit proprium obiectum, & accidit illi, quod ordinetur ad hunc, vel alterum finẽ actus imperantis, & reflexi. Hanc doctrinã tradit Caiet. in hoc Ar. 6. ad 2. Montes. hic Art. 7. disp. 24. q. 7. Ratio. Caietan. Montes.

294 Contrarius est nobis Vasq. super Ar. 6. huius quæstionis, disp. 51. cap. 5. vbi dicit primò: Actum elicitum à voluntate, qui non est electionis, sed intentionis, aut qui fertur in obiectum suum propter ipsum, nullã omnino bonitatem, aut malitiam, etiã accidentariam, & secundariam habere ex alio actu reflexo, à quo dicitur imperari. Sententia oppʾsita Vasq.

295 Probat primò ex D. Th. in hoc Ar. 6. (vbi ait ipse Vasq.) actui interiori nullo modo accidere posse referri in alienum finem, sed tantum, quod actus interior respiciat finem pro suo obiecto primario. 1. Argum. ex *D.* Th.

296 Respondetur quod Sanctus Th. non loquitur in dicto Art. de actu interiori reflexo, & imperato, vt de eo nos hic loquimur, sed de actu interiori directo per comparationem ad actum externum, quo sensu potius est imperans, quam imperatus, & habet pro obiecto primario, & essentialiter ipsum finem. Respõsio.

297 Probat secundo. Quia actus interior imperatus nullam habet bonitatem ab actu reflexo, & imperante: Ergò &c. Probat antecedens, quia elicitur ab ipsa voluntate: Ergo habet proximè esse liberum ab ipsa voluntate eliciente: Ergo proximè ab ipsa bonitatem, vel malitiam, cum libertas sit fundamentum bonitatis, vel 2. Argum.

ma-

Digitized by Google

malitiæ. Vndè hæc est differentia inter actum exteriorem, & interiorem, quod actus exterior habet libertatẽ, & consequenter bonitatem, vel malitiam ab actu interno imperante: Actus autem internus ab ipsa voluntate, à qua proximè elicitur.

298 Respondetur breuiter, quod
Respõsio. etiam si eliciatur à voluntate, participat vltra propriam libertatem, aliam libertatem ab actu reflexo, & imperante, ex eo, quod ordinatur ad eius obiectum, sicut ait *D.* Th. sup. q. 17. Ar. 6. ad 2. quod vnus actus intellectus imperatus potest participare de alio actu intellectus imperante. Quẽadmodum cognitio conclusionum participat cognitionem principiorũ.

299 *Dicit* secundò quod actus reflexus imperans non accipiat bonitatem ab actu imperato, neque habeat cum eo eandem speciem bonitatis, sed diuersam. Verbi causa (ait ipse) cum quis ex intentione, vt satisfaciat Deo pro peccatis, aut reconcilietur cum eo, vult habere actum charitatis, & deindè habet actum charitatis, voluntas illa habendi actum charitatis non est actus charitatis, nec habet eandem speciem bonitatis cum eo, sed est proprius actus virtutis pœnitentiæ.

300 Probat ipse. Quia actus imperatus nullo modo pendet ab actu imperante: nam posito actu reflexo, & imperante potest voluntas pro sua libertate elicere, vel non elicere actũ imperatum.

301 Respondetur, quod non opus est, vt actus imperatus pendeat ab actu imperante, vt tribuat illi bonitatem, sed sufficit, quod respiciatur tanquam obiectũ. Quis vmquam dixit quod obiectũ, quod tribuit bonitatem, vel malitiam actui, debeat pẽdere ab actu tãquã effectus semper. Et hæc de sententia Vasquez quam Montes. vocat falsam loco sup. cit.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aliquis actus sit indifferens secundum suam speciem?

302 REspondit *Diu.* Tho. affirmatiuè. Ratio ipsius est. Quia actus dicitur bonus secundum suam speciem, si conueniat ordini rationis, sicut dare eleemosinam indigenti: & erit malus secundum suã speciem, si includat aliquid, quod repugnet rationi sicut furari: Sed contingit, quod obiectum alicuius actus non pertineat ad ordinem rationis: sicut, quod neq; repugnet, neque cõueniat ei, sicut leuare festucam, ire ad campum: Ergo erit indifferens secundum suam speciem.

303 In responsione ad primum ait, quod priuatio duplex est: Quædã, quę consistit in *priuatum esse*, sicut cæcitas: quædam verò in *priuari*, sicut ægritudo, quæ non aufert totaliter sanitatem, sed est in via ad auferendum illam. Hoc posito, dicit primò, quod inter primam priuationem, & habitũ nullum datur medium. Inter secundã autem priuationem, & habitum datur medium, scilicet salus non totaliter ablata. *Dicit* secundò, quod bonum, & malum hoc secundò modo apponuntur: Quia malum non est priuatio totius bonitatis: Subintellige saltim naturalis.

304 Contra doctrinam huius art. est Scotus, qui dicit non dari actum indifferentem in specie.

305 Primum argumentum. Quia bonum, & malum opponuntur contrariè. Respondetur primò ex *D.* Tho. q. 2. de malo. Art. 5. ad 3. quòd in naturalibus opponuntur *priuatiuè*: immo-

Digitized by Google

moralibus *contrariè*. Secundò, quòd opponantur priuatiuè etiam in moralibus, non tamen respectu subiecti secundum suam speciem.

306 Secundum argumentum. Inter verum, & falsum non datur medium: Ergo neq; inter bonum, & malum morale.

307 Respondetur negando cons. Quia verum, & falsum opponuntur, sicut ens, & non ens. Etenim ex hoc, quod aliquid existens in mente est conforme obiecto dicitur verum; per hoc, quòd non est illi conforme dicitur falsum: Bonum autem, & malum morale non opponuntur, sicut ens, & non ens. Nàm ad hoc, vt actus humanus sit malus, non sufficit, quod non sit consonus rationi, sed requiritur, quod sit dissonus. Vndè *fundamentaliter positiuè* opponuntur bonum, & malum.

308 Respondetur secundò, quòd inter verum, & falsum etiam datur medium, vt est veritas, vel falsitas futurorum contingentium intra suas causas contingentes, vel liberas.

ARTICVLVS IX.

Vtrum aliquis actus sit indifferens secundum indiuiduum?

309 REspõdit *D.* Th. primò. Necessè est omnem actum hominis à deliberatiua ratione procedentem in indiuiduo consideratum esse bonum, vel malum. Ratio est. Quia necessè est, vt quilibet actus indiuidualis deliberatus ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Nàm necessè est, vt habeat ad minus circumstantiam finis: Ergo si ordinabitur ad debitum finem, erit bonus; si ad indebitum, erit malus.

310 Respõdet secundò: Actus indeliberatus potest esse in indiuiduo indifferens, neq; bonus, neq; malus, vt cum quis fricat barbam, mouet manum, aut lapidem. Ratio est. Quia talis actus non est moralis, & humanus.

311 In responsione ad primum, ait D. Thom. quod dupliciter aliquis actus potest dici indifferens: Vno modo, quia ex sua natura exigat, quod sit indifferens: Alio modo, quod ex sua natura, neque exigat, neque repugnet esse indifferens, sicut homo ex sua natura, neque exigit, neque repugnat esse albus, vel niger. Primo modo actus non dicitur indifferens secundum suam speciem ad bonum, & malum. Quia nullum est obiectum actus humani, quod non possit ordinari ad bonum, vel malum. Secundò modo dicitur indifferens secundum suam speciem, quia actus ex se, neque repugnat, neque exigit ordinari ad bonum, vel malum.

LECTIO I.

Vtrum reuera possit dari aliquis actus deliberatus indifferens in indiuiduo?

312 PRoponitur hæc difficultas, vt magis clarescat doctrina huius Artic. In qua loquimur de actibus deliberatis. 1. Conel.

313 Et respondeo primò: Nullo modo posse dari actum indifferẽtem in indiuiduo. Ita communiter Thomistæ cum D. Th. in hoc Art. 1. Ratio ex D. Th.

313 Prima ratio est, quam innuit D. Th. in argumento, sed contra. Quia Verbum otiosum, & sine debito fine est malum: Ergo, & opus otiosum sine debito fine erit malum, & si ei apponatur debitus finis, erit bonum. Antecedens probatur, quia de verbo otioso reddituri sumus rationem in die

iudicij ad pœnam, non ad præmium ex Christo Domino Matth. 14. Sed verbũ otiosum ex communi sensu Patrum, quos referunt Theologi super hunc Art. est illud, quod caret debito
D.Greg. fine. Et specialiter ex *D.* Greg. lib. 7. Moral. cap. 21. & homil. 16. in Euang. in fine, & in past. parte 3. cap. 25. *Otiosum verbum est, quod aut ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret.* Consequentia patet ex paritate rationis. Quia non est maior ratio, cur verbum otiosum debeat esse malum, & non opus otiosum.

314 Huic rationi plures solent
Euasio Vasquez. adhiberi solutiones, quas breuitatis causa omitto, tùm etiam, quia ex ipsa ratione benè perpensa facili possunt eludi. Adduco solam responsionem Patris Vasq. qui dicit, quod non omnia verba, quę carent debito fine sunt otiosa, sed solùm illa, quæ ordinantur ad humanum conuictum, & colloquium quotidianum inter homines. Hæc enim si carent honesto fine dicuntur otiosa, & reddituri sumus de eis rationem in die iudicij. Illa autem, quæ ordinantur in solam commoditatem naturæ, vt si quis diceret vrgẽte frigore *ambulemus*, *accedamus ad ignem*, &c. non sunt otiosa, quamuis careant honesto fine. Tunc enim ista verba de se essent indifferentia in genere moris.

315 Sed contra primo, quia ver-
1. Præcl. ba dicta alteri ad commoditatem naturæ pertinent etiam ad humanum conuictum, & familiare colloquium.

316 Secundò. Quia hæc commo-
2. Præcl. ditas naturæ, vel habet rationem boni honesti, vel delectabilis. Si boni honesti: Ergo verbum erit honestum: Si delectabilis: Ergo verbum erit inhonestum, & malum, quia quodcũque verbum, vel opus ex fine solius
D.Aug. delectationis ex D. Aug. & communi Theologorum doctrina, erit ad minus peccatum veniale.

317 Respondebit quis huic impu-
Respõsio ad 2 præclusionẽ. gnationi in fauorem Vasq. quod cõmoditas naturæ respicitur tamquam bonum *vtile*.

318 Sed contra. Quia *vtile*, vt *vtile* ordinatur ad bonum honestum, vel Impugn. delectabile: Ergo &c. Præterea quia actus terminatus ad obiectum præcisè *vtile* est determinatè malus, vt docet D. Aug. lib. 2. de serm. *Domini* D.Aug. in Monte. cap. 20. 21. 34. & 35. & D. D.Th. Th. 2. 2. q. 118. Ar. 2. de actibus terminatis ad lucra temporalia, vt *vtilia*.

319 Secũda ratio à priori est, qua
2. Ratio. D.Thom. vtitur D. Th. in corp. Art. Quia tenetur homo dum *deliberatè* operatur, operari propter finem consentaneum suæ naturæ rationali: Ergo si nõ operatur propter finem debitum, actus eius erit malus in indiuiduo, & si operabitur propter finem debitum, actus eius erit bonus. Antecedens, in quo est difficultas probatur. Quia agentia naturalia ex inclinatione naturali sunt determinata ad finem suis naturis conuenientem; Agentia verò moralia, ex inclinatione libera, quæ libera inclinatio, siuè determinatio præceptum quidem est.

320 Confirmatur hæc ratio. Quia Confirm. dum homo agit ex deliberatione, agit vt *rationalis*, & vt distinctus à brutis: Ergo debet operari ex fine distincto a fine operationum brutalium, qui est bonum conuenies rationi.

321 Respondeo. Secundo contra 2. Concl. aliquos Thomistas: Neq; *per accidens* potest dari actus indifferens in indiuiduo procedẽs à ratione deliberata.

322 Probatur. Quia tota ratio cur posset dari iste actus indifferẽs in Ratio. indiuiduo est, quia posset quis ex ignorãtia inuincibili existimare sententiã oppositam probabilem, & cum hac ignorantia leuare E. g. festucam, de terra absque vllo bono, vel malo fine: Sed hæc ratio est nulla: Ergo.

323 Probatur minor: Quia quamuis ille in eo casu excusaretur à culpa ratione ignorantiæ; nihilominus non propterea deberet dici, quod ille actus non esset malus in se, & *materialiter* ex carentia debiti finis. Sicut si quis ex ignorantia inuincibili committeret furtum, quamuis esset immunis à culpa ex parte subiecti, tamen non propterea

Digitized by Google

tereà dicendum esset, quod furtum, siuè ablatio rei alienæ esset mala secundum se, & ex parte actus; quia reuera esset ablatio rei alienæ quamuis *materialiter*.

Sententia oppositа Scoti.

324 Oppositam sententiam docuit Scotus in 2. dist. 7. q. 3. & dist. 41. q. vnica, & quodlibet. 13. Ar. 1. qui duo dixit, quæ videntur sibi inuicem repugnare, quamuis nullo modo repugnent.

1. dictum Scoti.

325 Primum, quod non posset dari vllus actus indifferens in specie, sed quod omnis actus esset in specie, vel determinatè bonus, vel determinatè malus.

2. dictum.

326 Secundum, quod in indiuiduo possit dari actus indifferens. Ratio etiam, cur excusetur à contradictione est, quia primum dictū habet per respectum ad obiectum; secundum per respectum ad circumstātias, quæ cum non omnes cōcurrant ad actum bonum, dicitur ille actus indifferens per ipsum.

Vasquez.

327 Eadem sententiam specialiter quoad secundum dictum sequtus est Vasq. hic disp. 52. cap. 2. dicēs specialiter eos actus, qui fiunt ob naturæ necessitatem esse indifferentes.

1. Argum. Scoti ex D. Hier.

328 Primum argumentum huius sententiæ sumitur ex *D.* Hieronymo ep. 89. ad August. vbi loquens de operibus indifferentibus, cuiusmodi sunt, *digerere stercora sputis reumata proijcere, ambulare &c.* ait: *Siue enim feceris, siuè non feceris, nec iustitiam habebis, nec iniustitiam.*

Respōsio.

329 Respondetur, quod S. Hieronym. loquatur de operibus indifferentibus in *specie*: quæ ex vi eorum specifica siuè fiant, siuè nō fiant, nec iustitia, nec iniustitia contrahitur: bene autem ex fine eis adiuncto.

2. Argum

330 Secundum argumentum pugnat directè contrà nostram tationē nimirum: Nullum præceptum est obligās nos ad dirigēdum actus nostros in bonum finem moraliter: Ergo &c. Antecedens probatur quintupliciter, Primò. Quia istud præceptum non continetur inter præcepta *D*ecalogi. Secundò. Quia non est assignabilis virtus, ad quam pertineat obseruantia huius præcepti. Tertiò. Quia lex supernaturalis non obligat nos ordinare omnes nostros actus in finem supernaturalem: Ergo neque lex naturalis obligabit ad ordinandum eos in finem naturalem. Quartò. Quia nullo præcepto obligamur ad exercitium operis indifferentis ex obiecto quantum ad sui substantiam: Ergo neque quantum ad circumstantiam finis. Quintò. Quia amissio operis indifferentis, neque est prohibita, neque mala: Ergo neque volitio.

1. Respōs.

331 Ad hoc argumentum negatur antecedens. Ad primam probationem respōdetur dupliciter: primo, quod reducatur ad primum præceptū *D*ecalogi: nam sicut ex isto præcepto tenemur Deum diligere super omnia; ità tenemur ad eum referre omnia nostra opera tanquam ad vltimum finem, siuè *immediatè*, siuè *mediatè*, mediante, inquam aliquo fine honesto.

2. Respōs

332 Respondetur secundò, quod hoc præceptum sit quoddam generale præceptum contentum in omnibus præceptis *D*ecalogi; Quemadmodum aliqui Theologi dicunt de præcepto dilectionis proximi, quod contineatur in omnibus præceptis secundæ tabulæ. Ad secundam probationem respondetur iuxtà duplicem responsionem iam assignatā, vel quod obseruantia ipsius reducatur ad virtutem charitatis erga *D*eum; vel quod non pertineat eius obseruantia ad aliquam specialem virtutem: nam circa bonum, vel malum in communi, neque determinata virtus, neque determinatum vitium datur. Ad tertiam probationem negatur consequētia. Et ratio disparitatis est. Quia lex supernaturalis non tollit, neque tollere debet finem naturalē: At si præciperet omnes actus nostros dirigi in finem supernaturalem, aboleretur finis naturalis. Perficit autem ordo supernaturalis ordinem naturalem. Ad quartam probationem etiam nega-

Digitized by Google

tur cõsequètia. Quia ex suppositione, quod quis vult facere opus indifferẽs in indiuiduo, tenetur dirigere illud in finem honestum. Ad quintam probationem etiam dico, quod ex suppositione, quod quis vult omittere aliquod opus indifferens, debet referre illam omissionem in finem honestum.

3. Argum. Valquez.

333 Tertium argumentum est quod Vasquez sumpsit ex *D.* Tho. in hoc Art. ordine primum. Quia datur actus indifferens in specie: Ergo in indiuiduo. Probatur consequentia, quia nulla est species, quæ non habeat aliquod indiuiduum sub se.

334 Respondetur neg. consequẽtiã. Ad probationem dico breuiter cũ *D.* Th. quod species, quæ est *positiuè* indifferens debet habere aliquod indiuiduum sub se: Species autem quæ *negatiuè* est indifferens non exigit indiuidua sub se, vt patet de homine, qui ex sui specie neque est albus neq; niger: natura etiam apud logicos neque vniuersalis, neq; singularis. Insudat Vasquez ad impugnandam hãc responsionem. Et quidem parum, vel nihil vrgent eius impugnationes; imò (vt optimè aduertit Montes.) debet ipse in sua sententia etiam admittere; quod actus indifferens *in indiuiduo* possit vitiari, vel reddi bonus ex aliquo prauo, vel bono fine, vel alia circumstantia. Vndè tũc illa species erit etiam talis *negatiuè*.

Montes.

335 Contra secundam responsionem est Pater Aluar. super hunc Art. Val. Curiel, & alij dicentes *per accidẽs*, & suppositа ignorantia inuincibili dari actum indifferentem in indiuiduo. Argumentum eorum est. Quia potest quis inuincibiliter ignorare hic, & nunc leuare festucam de terra, nec esse malum, neque bonum. Imò potest quis existimare probabilem sententiam Scoti, & cum hoc dictamine rationis leuare festucam de terra: Ergo tunc actus neque erit bonus, neque malus.

2. Sentẽtia oppositа Aluar contra secundam Conclusionem, & eius Ratio.

336 Respondetur hũc actum *materialiter* esse malum ex defectu finis requisiti, qnamuis ignorantia inuincibilis, & probabilitas operis excuset eum à culpa, non tamen facit quin actus *materialiter*, & in *singulari* sit malus; sicut si quis ex ignorantia inuincibili committeret furtum tanquã licitum, quamuis excusaretur à culpa non propterea deberet iudicari actus ille secundum se bonus, & licitus.

Respõsio.

337 Ex dictis concluditur omnem actum in indiuiduo esse bonum, vel malum. Remanerẽt duo dubiola examinanda. Primum quod nam peccatum esset operari sine debito fine: *omissionis*: an *commissionis*? Et dico breuiter, *commissionis*, quia esset contra præceptum negatiuum prohibens operari sine debito fine. Quamuis etiam posset dici virtualiter *omissioni*, quia esset contra virtuale præceptum affirmatiuum apponendi debitum finem operibus proprijs.

Duo dubia breuiter soluũtur.

338 Secundum: An actus indifferentes cuiusmodi sunt *confricare manus* ad expellendum frigus, *deambulare &c.* facti propter solam commoditatem naturæ; sint boni, vel mali. Et dico primo, quod quando sunt notabiliter vtiles naturæ, sunt boni, quia tenemur conseruare naturam. Dico secundò, quãdo essent propter solam delectationem animalem essent mali. Quia actus propter solã delectationẽ sunt mali saltem venialiter, vt dicit Aug. de actu cõiugali propter solã delectationem, & D. Th. 2. 2. q. 68. Ar. 2. ad 2. de ludo propter solius delectationis finem.

Digitized by Google

ARTICVLVS X.

Vtrum aliqua circumstantia constituat actum moralem in specie boni, vel mali?

339 REspõdit D. Th. Quandocũque aliqua circumstantia respicit specialem ordinem rationis, vel *pro*, vel *contra*, oportet, quod circumstantia det speciem actui morali, vel bono, vel malo. Ratio est. Quia transit in condictionem obiecti. Nàm cum ratio non sit determinata ad vnum, potest de qualibet circumstantia actus specialiter disponere,& ordinare,& sic circumstantia illa transit in conditionem obiecti.

340 In responsione ad secundum ait, quòd circumstantia manens in ratione circumstantiæ non dat speciẽ, sed in quantum mutatur in principalem condictionem obiecti,& secundũ hoc dat speciem. Ratio est. Quia manens circumstantia habet rationem accidentis.

341 In responsione ad tertium, ait, quod non est inconueniens, quod vnus actus moralis sit in pluribus speciebus moris etiã disparatis, vt dictum est sup. Art. 7. ad 1. & qu. 1. Art. 3. ad 3.

LECTIO I.

Vtrum circumstantia tribuens speciem actui maneat in ratione circumstantiæ, an verò transeat in obiectum?

342 SVpponendum est, quod aliæ sunt circumstantiæ mutantes speciem: aliæ non mutantes speciem. Rursus ex mutantibus speciem: aliæ tribuunt prima n speciẽ actui: vt patet de eo, qui dat eleemosinam propter inanem gloriam, vel de eo, qui facit aliquod opus indifferens ex bono, vel malo fine; putà si eat ad campum, vt oret, vel furetur: Aliæ autem superaddunt nouam speciem, vt patet in eo, qui furatur in loco Sacro, vel largitur eleemosinam in Satisfacionem peccatorum. His suppositis:

343 Respondetur primò loquendo de circumstantijs, quæ tribuunt primam speciem actui, hæ non manẽt intra ordinem circumstantiarum, sed transeunt in conditionem obiecti; Siuẽ circumstantiæ comparatæ ad ipsã speciem, quam constituunt, habẽt rationem obiecti. 1. Concl.

344 Ratio est, quæ sumitur ex *D.* Th. in hoc Art. quia dicunt primum ordinem conformitatis, vel difformitatis ad rationem. Ratio ex D. Th.

145 Confirmatur primò, quia nullam aliam speciem boni, vel mali moralis præsupponunt. 1. Cõfirm.

346 Confirmatur secundò, quia qui largitur eleemosinã propter inanem gloriam, habet totum hoc coniunctum pro obiecto. 2. Cõfirm.

347 Respondeo secundò: circumstantiæ, quæ addunt nouam speciem comparatæ ad speciem, quam supponunt, manent in ratione circumstantiarum: comparatæ verò ad ipsam ratio- 2. Concl.

Digitized by Google

tionem, transeunt in cõditionem obiecti.

348 Probatur quoad primã partẽ primo, quia circumstantia finis est accidentalis, siuè aduenit bonitati, vel malitiæ, quæ sumitur ex obiecto. Et Confirmatur, quia circumstantia addens nouam speciem præsupponit aliam speciem. Ergo aduenit illi: Ergo si ei comparetur erit illi accidentalis. Probatur 1.

349 Secundò probatur. Quia alioquin finis nũquam haberet rationem circumstantiæ, nisi comparatus ad obiectum, actus autem illi accidentalis. Probatur 2.

150 Respondet Aluar. quod haberet rationem circumstantiæ respectu actus externi, non verò interni. Sed contra. Quia si esset circumstantia actus externi: Ergo etiam esset circumstantia actus interni, quatenus habet pro obiecto actum externum. Euasio Aluar. & eius Præcluſ.

351 Probatur autem secunda pars nostræ responsionis. Quia circumstantia addens nouam speciem comparata ad rationem dicit peculiarem ordinem conformitatis, vel difformitatis ad ipsam rationem. Nam (vt ait S. Th.) ex eo quod ratio non sit determinata ad vnum, sicut forma naturalis potest peculiariter determinare, vel non determinare de qualibet circumstantia mutante speciem, & sic habere, vel non habere rationem obiecti. Probatur 2. pars Concluſ.

352 Oppositam sententiam secundæ nostræ responsioni defẽdit Aluar. hic dicens, siuè circumstantia det primam speciem, siue secundam, nunquam manere in ratione circumstantiæ, sed semper transire in conditionẽ obiecti. Sententia oppoſita Aluarez.

353 Primò vrget ex responsione ad 2. *D.* Th. vbi ait, quod circumstãtia manens circumstantia, non tribuit speciem, quia habet rationem accidẽtis. Neque (ait ipse) D. Th. hic distinguit inter circumstantiam dantem primam speciem, vel secundam. 1. Argum ex *D.* Th.

354 Respondetur quod S. Tho. hic loquatur de circumstantia, quæ nullum habet peculiarem ordinem conformitatis, vel difformitatis ad regulas rationis, quemadmodum etiam loquitur in corp. Art. Hæ enim circumstantiæ sic consideratæ semper habẽt rationem accidentis, & sic nullam tribuunt speciem, quæ erat ratio D. Th. Si autem considerantur cum isto ordine, statim transeunt in conditionẽ obiecti, & sic addunt nouam speciem. Nam intentum D. Th. erat indagare, quæ circumstantiæ sunt illæ, quæ tribuũt nouam speciem actui morali, vt patet ex ipso tit. Art. Respõsio.

355 Secundo vrget etiam ratione D. Th. in corp. Art. Quia si circumstantia dans nouam speciem non trãsiret in conditionem obiecti, nullo modo posset mutare speciem, nàm tãtum tribueret speciem accedentariã, quæ nullo modo variaret speciẽ substantialem, vt patet in naturalibus. 2. Argum

356 Respondetur, quod quidem comparata circumstantia ad regulas rationis speciales, transit in conditionem obiecti, & sic variat speciem substãtialem, hoc est addit nouam aliam speciem substantialem. Cum qua doctrina benè cohæret, quòd hæc circumstantia comparata ad aliam, quã supponit, sit illi accidentalis; Quia illi aduenit, & prima ordinatur ad secũdam; Sicut si per impossibile in naturalibus duæ formæ substantiales possent informare eandem materiam, & vna cum ordine ad aliam: hæc secunda diceretur accidẽtalis respectu primæ. Respõsio.

357 Ex dictis colligitur regula ad cognoscendum, quando circumstantia mutat speciem, quam suprà in tractatu de circumstantijs tradidimus, & eam tradit singulariter D. Tho. in hoc Art. scilicet, quòd quando aliqua circumstantia dicit peculiarem conformitatem, vel difformitatem ad regulas rationis, tunc mutat speciem. Corollar.

Digitized by Google

LECTIO II.

An circumstantia, quæ dat actui secundam speciem, sit differentia specifica respectu prioris?

1. Anim. 358 SVpponimus primò in hac difficultate, quod non loquimur de circumstantia, quæ dat actui primam malitiam, qualis est illa, quæ actum, qui ex obiecto est bonus, reddit malum, vt cum quis largitur eleemosynam propter inanem gloriam; nam certum est apud omnes quod hic sit vna tantum malitia.

2. Anim. 359 Supponimus secundò, quod non loquimur de circumstantia finis aduenientis obiecto, vt dum quis furatur, vt fornicetur; nã etiam certum est apud omnes Theologos etiam apud Conradum, cum quo nobis est disputatio, quod tunc sint duæ malitiæ disparatæ, vt docuit D. Th. Ar. 7. huius quæstionis. Loquimur ergo de alijs circumstantijs excepta circumstantia finis. E. g. quando quis furatur in loco sacro: Vtrum furtum se habeat vt *genus*, & circumstantia loci sacri, vt *differentia specifica* determinans, & contrahens furtum ad vnã speciem atomam sacrilegij: an verò sint ibi duæ species disparatæ? Quod idem quæritur de actibus bonis, vt cum quis ieiunat ex voto.

360 Et Respondeo breuiter esse ibi duas species disparatas; non verò vnam in specie atoma. Ità D. Th. & maior pars Thomistarum cum eo.

Concl. Probatur 1. ex D. Th. 361 Probatur ex D. Th. hic ad 3. & Ar. 7. & infrà q. 73. Ar. 5. ad 1. vbi ait, quod adulterium est in specie luxuriæ, & iniustitiæ. Eandem doctrinam repetit 2.2. q. 65. Ar. 4. ad 3. & q. 154. Ar. 2. & alibi.

Probatur 2. ratione. 362 Deindè probatur ratione. Quia in casibus prædictis est duplex conformitas, vel difformitas disparata ad regulas rationis.

Confirm. 363 Præterea. Quia ex oppositã sententia sequeretur eandem speciem contineri sub diuersis generibus disparatis, & nõ subordinatis, quorum vnum non cõtinetur sub altero, quod est impossibile. Probatur sequela. Quia furtum continetur sub specie iniustitiæ, & sacrilegium sub specie irreligionis.

Sententia opposita Contad. 364 Contrariam sententiam sequutus est Conradus super hũc Art. dicens in casibus positis esse vnã etiã speciem atomam, scil. in furto sacrilego esse etiam vnam speciem sacrilegij.

1. Argum. ex D. Th. 365 Probat hanc suam sententiam. Primò ex D. Th. 2. 2. q. 154. ar. 6. 7. 8. 9. & 10. vbi docet Stuprum, raptũ, adulterium, incestum, & sacrilegium esse species luxuriæ.

Respõsio. ex Caiet. 366 Respõdetur cum Caiet. quod D. Th. sumat eodem loco speciem *metaphoricè, abusiuè*, & *extensiuè*; non verò *in rigore logico*.

2. Argum. ex D. Th 367 Probat 2. ex eodem D. Th. q. 2. de malo art. 6. ad 3. vbi expresse docet quod species, quæ sumitur ex circumstantia comparatur ad eam, quæ sumitur ex obiecto tãquam species ad genus subalternum. Et in solut. ad 12. ait, quod adulterium se habet ad fornicationem, sicut species eius.

Respõsio. 368 Communior responsio his locis est, quod D. Th. retractauit hanc sententiam præfatis locis. Secundo potest applicari his etiam locis respõsio præcedentis loci.

2. Argum. & Respõs. 369 Tertiò. Quia furtum propter fornicationem est vnum tantum peccatum: Ergo &c. Respondetur quod sit vnum numero, & duplex specie ratione vnius subiecti, scil. vnius actus in indiuiduo.

AR-

ARTICVLVS XI.

Vtrum omnis circumstantia augens bonitatem, vel malitiam constituat actum moralem in specie boni, vel mali?

370 REspondet D. Th. Non omnis circumstãtia addens in bonitate, vel malitia, variat speciem moralis actus. Ratio est. Quia circumstantia dat speciem boni, vel mali actui morali, inquantum respicit specialem ordinem rationis: sed contingit quandoque, quod circumstantia non respicit ordinem rationis in bono, vel malo, nisi præsuppositа alia circumstantia, à qua actus moralis habet speciem boni, vel mali, vt patet de parua, vel magna quantitate in specie furti: Ergo &c.

371 Respondet secundò prædicta circumstantia, quæ non respicit ordinem rationis in bono, vel malo, nisi præsuppositа alia circumstantia, potest augere, vel minuere bonitatem, vel malitiam actus.

LECTIO I.

Quænam sit regula ad cognoscendum, quando circumstantia mutet speciem, quando vero non?

372 IN hoc Art. & præcedenti tradit D. Th. duas regulas ad cognoscendum, quando circumstãtia mutat speciem actus, quando verò non: Prima est quod quando circumstantia respicit specialem ordinẽ rationis, mutat speciem: Secunda est, quod quando non respicit specialem ordinem rationis, sed *natura sua* præsupponit aliam circumstantiam respicientem particularem ordinem rationis, non mutat speciem.

373 Pro faciliori istorum captu supponendum est, quod duo sunt genera circumstantiarum: Vnum earũ, quæ nulla præsuppositа conditione ex se respiciunt ordinem rationis, hoc est ex *sui natura* cadunt sub ratione approbante, vel reprobante illas; sicuti est furari propter Mœchiã; Mœchia enim ex sui natura, & *immediatè* cadit sub regulis rationis reprobãtis illam, etiam si nullũ esset furtum: Alterum verò est earum, quæ ex *sui natura*, & *mediatè* respiciunt ordinem rationis, hoc est, mediante aliqua cõditione, & actu, quem afficiunt, ità vt non alium ordinem rationis respiciant natura sua, & ex se nisi eum, quẽ respicit actum, quem afficiunt. Vt sũt circũstantiæ qnantitatis, & qualitatis, scil. *multũ*, & *paucum*, *maius*, & *minus*, *intensè*, & *remissè*. Hæ enim circumstantiæ cadunt sub ratione approbante, vel reprobante illas medio actu, quem afficiunt, & ratione ipsius, ità vt eandem conformitatem, vel difformitatem importent ad rationem, quam importat ad eã ipsemet actus. Animad.

374 Hinc facile intelligitur prima regula pro circumstantijs mutantibus speciem. Illa enim dicitur circumstãtia mutans speciem, quæ ex natura sua cadit sub regulis rationis approbantis, vel reprobantis illam speciali modo distincto ab actu, cuius sunt circumstantiæ. Concluſ.

375 Secunda verò regula pro circumstantijs non mutantibus speciem est illa, quæ non ex se, & natura sua cadit sub regulis rationis approbantis, vel reprobantis illam, sed dependenter ab actu, quem afficiunt. Concl.

376 Ratio est. Quia tota bonitas, vel malitia actus sumitur ex regulis rationis. Ratio.

377 Contra has regulas est prima obiectio. Quia sequeretur, quod circumstantia loci Sacri in furto non mutaret speciem, siuè nõ diceret specialem ordinem rationis; nam sacrilegium dependenter a furto dicit ordinem ad regulas rationis in tali casu. Idem argumentum potest fieri de 1. Obiect.

per-

Digitized by Google

percutiente clericum, & similibus.

378 Respondetur neg. seq. Ad probationem dico, quod iniuria loci Sacri est illa, quę *per se*, & *natura sua* prohibetur. Quamuis enim in fieri pendeat a furto in casu prædicto, non pẽdet tamen in prohiberi. Respõsio.

379 Secunda obiectio. Scandalũ præsupponit bonitatem, vel malitiam in actu, & nihilominus est diuersæ speciei. Respondetur quod scandalũ *specialiter dictũ* est diuersæ speciei, nõ verò *vniuersaliter dictum*. 2. Obiectio, & responsio.

380 Tertia obiectio. Quia *multum*, & *paruum* in cibo, & potu constituunt diuersas species in materia temperantiæ: nam *multum* constituit speciem *gulæ*, *paruam* speciem *insensibilitatis*. Respondetur quod temperãtia habet pro obiecto medium *rationis*, nõ verò mediũ *rei*, & ideò *multũ*, & *paruum* in isto casu dicunt ordinẽ *immediatè*, & *natura sua* ad rationem. 3. Obiect. & respõs.

LECTIO II.

Quomodo debeant esse volitæ circũstantiæ, vt dent speciem, vel vt augeant, aut minuant speciem actus?

381 TRipliciter potest esse aliquid volitum: Primo *formaliter directè*, & *expressè* in se ipso: Secundò *virtualiter*, *indirectè*, & *implicitè* in alio: Tertiò *interpretatiuè*. Vlterius aliæ sunt circumstantiæ generales, & quæ communiter trascendũt, & imbibũtur in omnibus actibus humanis, vt in actibus bonis obediẽtię præceptũ, iustitia, gratitudo, humilitas, & subiectio ad Deũ prudentia, & charitas ad se &c. In actibus verò malis aliæ his oppositæ: Aliæ verò sunt particulares, quæ non imbibuntur in omnibus actibus, & sunt illæ, quas supra q. 7. numerauimus, scil. *quis*, *quid* &c. His suppositis. Animad.

382 Respondeo primò. Circumstantiæ communes, & trascendentes, vt constituant peculiarem speciem actus moralis, debent esse *expressè* volitæ. Ità communiter Theologi. 1. Concl.

383 Probatur. Quia eodem præcepto, quo quis tenetur non esse fur, tenetur esse obediens præcepto non furandi &c. Ergo circumstantia generalis, siuè trascendentalis obedientię non importat distinctam speciem, nisi quis velit *expressè* obedire, vel non obedire. Probatur consequentia. Quia præceptum non furandi est ex solo motiuo iustitiæ. Ratio.

384 Respondeo secundò. circumstantiæ particulares, vt tribuant nouã speciem, sufficit vt sint volitæ, siuè *directè*, siuè *indirectè*, siuè *intemperatiuè*. 2. Concl.

385 Probatur. Quia vt actus sumat speciem ex obiecto, sufficit vt sit volitus vno ex tribus modis: Ergo etiam vt sumat speciem ex circumstantijs, sufficit vt ipsæ sint volitæ vno ex tribus modis. Ratio.

386 Respondeo tertio: Circumstantiæ augentes, vel minuentes speciem sufficit etiam vt si uolitæ vno ex tribus modis. Ratio est. Quia sequũtur naturam actus, quem afficiunt. Ergo si actus dicitur voluntarius, quia est volitus vno ex tribus modis, etiam ipsæ circumstantiæ &c. 3 Concl. & eius Ratio.

387 Aliqui etiam solent discurrere per singulas circumstantias, explicando quòmodo possunt esse volitæ, vel non volitæ. Sed nè longius quam par sit currat hæc leuis difficultas, talem discursũ, & explicationẽ ommittimus.

388 Circa circumstantiam temporis est solum aduertendum quantum ad durationem intrinsecam ipsius actus, quod non habeat bonitatem, vel malitiam infinitã ipse actus, ex eo quia coexistit infinitis instantibus durationis temporis, quia bonitas, vel malitia actus non correspondet *determinate* instantibus, & partibus proportionabilius, sed *indeterminate*: partibus etiam aliquotis, quæquæ sunt finitæ correspondet *determinate*. Quædã obiectiones in contrarium possent adduci, sed quia leues, & facilè ex dictis possunt solui, omittuntur. Animad.

Digitized by Google

QVAESTIO XIX.

De bonitate, & malitia actus interioris voluntatis in decem Art. diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum bonitas voluntatis dependeat ex obiecto?

1 SEspõdit D. Th. Bonum, & malum in actibus voluntatis *priè* attenditur secundũ obiecta. Ratio est. Quia bonum, & malum sunt *per se* differentiæ specificæ actus voluntatis: Sed differentia specifica actuum sumitur ex obiectis: Ergo bonum, & maluu in actibus voluntatis pendet ex eorum obiectis. Probatur maior à *D.* Th. Quia ita bonum, & malum pertinent ad actus voluntatis, sicut verũ, & falsum pertinet ad actus intellectus: Sed verum, & falsum sunt differentiæ per se actuum intellectus; dicitur enim opinio per se esse vera, vel falsa. Minor est certa. Cõseq. probatur facillimè: Quia bonitas, & malitia, secundum quas dicitur actus bonus, vel malus intrinsecè pendet ex obiecto; nàm obiectum actus voluntatis fugæ, & prosecutionis est bonũ, & malum.

2 In responsione ad tertium, ait *D.* Th. quòd obiectum in quantum cadit sub ordine rationis pertinet ad genus moris.

LECTIO I.

Vtrum bonum, & malum sint differentiæ per se actus interioris voluntatis in esse moris: an verò in esse naturæ?

3 REspondeo primò. Bonum; & malum morale sunt differentiæ accidentales actus exterioris imperati considerati in *esse naturæ*. Ita D. Th. sup. q. 1. Art. 3. ad 3. vbi ait, quod idem actus in *esse naturæ* possit habere plures species in *esse moris*. Quia potest ordinari in diuersos fines, sicut occidere hominem à priuato ordinatur ad finem vindictæ; à iudice ordinatur ad bonum Reipublicæ. 1. Concl. & probat. ex *D.* Th.

4 Probatur deindè ratione. Quia per accidens conuenit actui exteriori imperato, quòd fit imperatus ab actu interiori: Ergo accidentaliter ei conuenit genus moris: Ergo accidentaliter bonum, & malum, quod pertinet ad genus moris. Ratio cõclusionis.

5 Respondeo secundò. Bonum, & malum morale sunt etiam differentiæ accidentales actus interioris in *esse naturæ* considerati. Ita communiter Thomistæ, excepto Corrado, vt infra referam. 2. Concl.

6 Probatur ex D. Th. multis in locis. Primò ex responsione ad tertiũ huius Art. vbi ait, quòd obiectum in quan- Probatur ex *D.* Th.

Digitized by Google

quātū cadit sub ordine rationis, pertinet ad genus *moris*. Secūdò ex Ar. 7. præcedentis quæstionis ad 1. vbi ait, quod idem actus in *esse naturæ* potest esse in genere *moris* sub diuersis speciebus; sicut idem pomum, &c. Tertiò ex q. 2. de malo art. 6. ad 3. vbi idipsum repetit, scil. sicut idem corpus est album, & dulce, quæ sunt diuersæ species qualitatis: ità idem actus in *esse naturæ* potest esse in diuersis speciebus in esse peccati. Deindè probatur multis rationibus.

1. Ratio Concl.

7 Prima ducitur ex D. Th. in corp. huius art. Quia verum, & falsum sunt differentiæ accidentales actus intellectus *secundum se* considerati: Ergo bonum, & malum actus interioris voluntatis. Consequentia est nota ex paritate rationis, quam facit D. Th. Antecedens probatur: Quia idem actus intellectus (vt colligitur ex Arist. cap. de substantia) potest esse successiuè verus, & falsus propter solam mutationem obiecti, vt si in mente sua dicat *Petrus sedet*, Petro sedente, est verum tale iudiciū; ipso surgente est falsum: Ergo &c.

2. Ratio.

8 Secunda ratio sumitur ex præcedente responsione. Actus exterior est accidentaliter bonus, vel malus *moraliter*: Ergo actus interior imperans talem actum. Probatur consequentia. Quia actus interior, & imperans informat actum imperatum.

3. Ratio. Caiet.

9 Tertia est ratio Caiet. in hoc art. Quia idem actus interior potest esse sub duplici specie morali: Ergo bonum, & màlum morale non sunt differentiæ actus interioris in *esse naturæ*. Probatur consequentia. Quia non potest idem simul esse sub duplici specie substantiali.

4. Ratio. eiusdem Caiet.

10 Quarta ratio & est etiã Caiet. Quia plures actus interiores voluntatis possunt pertinere ad vnam, & eãdem speciem bonitatis, vel malitiæ moralis.

Vltima Ratio.

11 Et vltima ratio fundamentalis est. Quia liberum (vt supra diximus) est fundamentum, vel saltem conditio esse moralis; prius enim est quod aliquid sit liberum, quam quod sit bonum, vel malum: Ergo &c.

Cõfirm.

12 Confirmatur. Quia idem actus de non libero potest transire in liberum, vt patet de motu primo primo, qui sola ratione aduertente potest fieri liber: Ergo potest trãsire de bono in malum, vel è contra de malo, in bonum: Ergo &c. Hæc ratio magis patebit lectione sequenti.

3. Concl.

13 Respondeo tertiò: Bonum, & malum dicuntur differentiæ *per se* actus interioris per comparationem ad actum exteriorem. Hoc vult S. Th. in corpore art. quando simpliciter dicit, quod sint differentiæ *per se* actus interioris.

Probatur ex D. Th.

14 Colligitur hæc mens *D.* Tho. quia prius egit de bonitate, & malitia actus humani in communi: postea in hac quæstione de bonitate, & malitia actus interioris. Et demum in q. seq. de bonitate, & malitia actus exterioris, quam sumit per comparationem ad actum interiorem: Ergo signum est, quod bonum, & malum dicuntur differentiæ *per se* actus interioris, ex mente *D.* Th. quia non cõueniunt ei ratione actus exterioris, sicut actui exteriori conuenit aliqua bonitas ratione actus interioris.

Ratio Concl.

15 Probatur deindè ratione. Quia actus interiores sunt boni, vel mali ex se nullo actu imperante elicito ab alia potentia distincta ab ipsa voluntate, & actus exteriores dicuntur boni, vel mali ex ipso actu interiore imperante, vel vt pendent ab ipsa volũtate: Ergo &c.

Confirm.

16 Cõfirmatur, & explicatur hæc ratio. Quia ignis dicitur *per se* calidus, quia calor conuenit ei *immediatè*, & *per se*, & non ab alia causa naturali: Ergo non formaliter, quia sit ei essentialis.

Sententia opposita Conradi.

17 Aduersus secundam responsionem nostram est Conradus in hoc art. & q. seq. ar. 6. vbi docet bonum, & malum morale esse *per se* differentias actus voluntatis *in esse naturæ*.

18 Primò maximam vim facit ex

Digitized by Google

1. Argum. ep D. Th. eo quod D. Th. dicat in hoc art. bonum, & malum esse *per se* differentias specificas actus voluntatis. Et confirmat, quia bonum, & malum vocauit differentias specificas ipsius voluntatis.

Respõsio. 19 Sed iam respondetur per ea, quæ dicta sunt in tertia nostra respõsione. Ad id quod additur in confirmatione dico etiã, quod dixit bonũ, & malum differẽtias esse specificas actus interioris, sumpto actu interiori in *esse moris*.

1. Replica 20 Vrgetur contra hanc responsionem. Quia etiam bonum, & malũ sunt differentiæ specificæ actus exteterioris in esse moris.

Respõsio. 21 Respondetur quod non ità, sicut dicuntur actus interioris, quia actus interioris dicuntur independenter ab alio: actus autem exterioris dependenter ab ipso actu interiori.

2. Replica 22 Vrgetur secundò, quia bonũ, & malum dicuntur differentiæ actus voluntatis, sicut verum, & falsum actus intellectus; sunt autem aliqui actus intellectus *per se*, & essentialiter veri, vt actus fidei supernaturalis, actus scientificus.

Respõsio. 23 Respondetur breuiter (quid quid sit de hoc) quod verum, & falsum conueniant *per se* actibus intellectus, actibus, inquam, interioribus: & exterioribus, cuiusmodi sunt voces, signa, & scripturæ dependenter ab actibus interioribus. Et in hoc consistit paritas D. Th.

2. Argum. ex D. Th. 24 Aliud testimonium *D.* Th. ex 2. dist. 40. q. 1. ar. 1. affert pro sua sententia Conradus, vbi docet, quod bonum, & malum sunt *per se* differẽtiæ actus eliciti; actus autem exterioris differentiæ *per accidens*.

Respons. 25 Respondetur quod S. Th. retractauit hic hanc sententiam. Vasq. verò dicit, quod sit ei adeo difficile, vt nesciat ei respondere.

3. Argum. exr ation & respõs. 26 Tertiò, & melius respondetur quod sit intelligendus *D.* Th. iuxta præcedentem responsionem.

27 Deindè argumentantur ratione. Quia sunt aliqui actus *intrinsecè* boni, & aliqui *intrinsecè* mali: Ergo &c. Respondetur, quod hoc idem dicitur de actibus exterioribus. Deindè dico, quod id prouenit, quia obiectum nulla ratione deturpari, vel honestari possit. Sunt enim quædam obiecta bona, quæ ità cadũt sub regulis rationis, vt nullo modo deturpari possint, vt patet de Deo, quatenus est obiectum charitatis. Similiter sũt aliqua obiecta mala, quæ nulla ratione honestari possunt, vt pater de blasphemia, &c. Ex hoc autem non sequitur, quod esse morale eorũ nõ-sit eis accidentale, quia semper sumitur per ordinem ad regulas rationis, & præsuppponit eorum esse ordinis naturæ. Quod patet in ipsomet Deo, quatenus est obiectum charitatis. In via enim est obiectum dilectionis liberæ. & in patria est obiectum dilectionis necessariæ.

LECTIO II.

Vtrum idem actus voluntatis, secundum substantiam, possit esse successiuè bonus, aut malus?

28 HÆc difficultas non procedit de actibus exterioribus, vel aliarum potentiarum à volũtate imperatis: nam certum est hos *successiue* posse esse bonos, & malos, vt patet ex D. Th. q. seq. ar. 6 & ipsis aduersarijs. Eadem enim dispensatio eleemosynæ, quæ in principio fiebat ex fine honesto misericordiæ; potest postmodum continuari ex fine inanis gloriæ. Procedit ergo de actibus interioribus elicitis ipsius voluntatis: An scilicet idem actus uolũtatis, qui antea erat bonus, possit fieri malus ex aliqua noua circumstantia, aut præcepto superueniente. Explicatio titul.

29 Et respondeo primo. Idem numero actus interior uoluntatis *quoad suam substantiam* potest fieri de non bono bonus, & de non malo ma- 1. Concl.

Digitized by Google

malus *moraliter*, & è contra de bono non bonus, & de malo non malus.

Ratio

30 Probatur breuiter. Idē actus de nō libero potest fieri liber, & è cōtrà de nō libero liber: ergo potest fieri de non bono bonus &c. Consequ. est nota. Quia libertas est fundamentum, vel conditio bonitatis, vel malitiæ, (vt supra diximus.) Antecedēs probatur ex motibus primò primis motus enim subitaneus ex defectu aduertentiæ rationis non est liber; si aduertat ratio, & continuetur actus, fit liber. Similiter si quis elicit actum ex aduertentia rationis, & postea distrahitur, vel omninò incidit in amentiā fit non liber.

Confirm.

31 Confirmatur, & explicatur. Quia actus bonus virtutis, E. g. charitatis, potest in nobis inaduertenter incipere, & postmodū aduertēte ratione continuari: tunc in principio non erit bonus, & in ipsa prosecutione fiet bonus. Similiter dicitur de actu odij non aduertente ratione potest inchoari, & aduertente ratione continuari, tunc de non malo fiet malus: Ergo &c. Idipsum dicitur de actibus bonis, qui de bonis possunt fieri non boni, & de malis possunt fieri nō

2. Concl.

mali propter eandem rationem.

32 Respondeo secundò. Idem actus *moraliter* potest secūdum suam substātiam esse *successiuè* bonus, & malus moraliter. Hoc est de bono potest fieri malus. Ita Montesinus, Vasq. & alij super hunc Art. Durand. in 2. dist. 40. quæst. 1. Art. 4.

Probatur 1. ex D. Tho.

33 Probatur primò exemplo, quo vtitur *D.* Th. in hoc Art. 5. idem actus opinatiuus potest de vero fieri falsus.

Probatur 2.

33 Secundò. Si aliquis audit missam die feriali, & currat præceptum subueniendi proximo in aliqua extrema necessitate, & ipse nihilominus perseueret in auditione missæ, tunc ille actus, qui in principio erat bonus, currente precepto, quod contemnitur, fit malus: Ergo, &c.

Probatur 3. ratione Durand.

34 Tertiò probatur ratione, & exemplo, quo vtitur Durandus. Si aliquis Sacerdos celebret sacrū, & dum ipse celebrat, interdicatur Ecclesia, qua interdictione non obstante, cū ignorantia vincibili ipse prosequatur missam, tunc actus de bono fit malus: Ergo.

Euasio Conradi.

35 Huic rationi respondit Conradus, quòd tunc variatur actio substantialiter; Nàm primò erat actio cū iudicio intellectus dictante illā actionem esse bonam, & postmodum est actio cum iudicio intellectus saltem *virtuali* dictante actū non esse bonū.

1. Præcl.

36 Sed contrà primò, quia sola variatio cognitionis non variat actū, quoad substantiam, vt patet de actu charitatis continuato, variata cognitione de obscura in claram.

2. Præcl.

37 Secundò; Quia illud iudicium *virtuale*, quo dictatur actum non esse bonum, nō aufert iudicium expressū, quo intellectus iudicat *expressè* celebrandum in eo loco illo tunc: Ergo manet substantialiter idem actus, & de bono fit malus.

2. Euasio.

38 Secundò respondetur; quod in casu posito si adsit notitia aliqua *expressa* interdicti positi, & tunc variatur substantialiter actus ob variationem cognitionis, scilicet ob nouam cognitionem superuenientem, quæ dictat in ea Ecclesia nō esse prosequendum celebrationem.

Præclusio

39 Sed contra. Quia non quælibet noua cognitio superueniens facit actū voluntatis distinctum substantialiter, sed ea solum, quæ representat nouum obiectum, vel nouum motiuum, quòd ipsa voluntas prosequitur. Probatur hoc ant. quia potest quis facere actū virtutis propter ipsius honestatem, & distrahi aliqua cogitatione alicuius finis vani, quem nō amplectatur. Similiter, dum quis peccat, multæ sāctæ cogitationes occurrunt, quæ ipsū auertere conantur ab actu peccati, & nihilominùs ipse continuat peccatum suum: Ergo pari ratione quamuis occurrant Sacerdoti Celebranti cogitationes conantes auertere eum à sacrificio in loco interdicto, potest ipse nihilominùs continuare substantialiter sacrificium suum.

3. Euasio.

40 Subsistunt adhuc ad respon-

den-

dendum aduersarij, quòd in casu posito aduenientе interdicto mutatur primum obiectum, siuè motiuum de honesto in inhonestum.

Impugnatio.

41 Sed contra. Quia potest etiam in eodem Sacerdote perseuerare *expressa* volitio obiecti honesti aduenientе interdicto: Ergo semper perseuerabit idem actus quoad substantiam, qui fit inhonestus ratione interdicti aduenientis.

3. Concl. & Ratio Vasq.

42 Respondeo tertiò. Aliquis actus de malo potest fieri bonus *moraliter*. Vasquez probat hanc responsionem ratione præcedenti è contrariò assumpta nimirum. Potest quis Sacerdos stante interdicto alicuius Ecclesiæ celebrare, & dum celebrat, remoueri interdictum; tunc ille actus de malo substantialiter transit in bonum.

Ratio Montes.

43 Montes. autem probat exemplo de actibus malis contra legem naturæ scilicet: Potest quis concupiscere rem alienam, & perseuerante hac concupiscentia acquirere illam dono, vel venditione, tunc ille actus, qui prius erat malus, incipit esse bonus. Ex qua ratione dicit ipse matrimonia Clandestina ante Concilium Trid. valida, quamuis illicita, fiebant licita per copulam maritalem. Nam detur casus quod inciperetur copula absque affectu maritali, & postea consumaretur affectu maritali, tunc de mala transibit in bonam ex solo communi consensu copulantium.

44 Infert Montes. præfatam doctrinam esse veram nõ solum in actibus, qui pendent ex lege positiua, sed etiam in actibus, qui pendent ex lege naturali. Et de actibus bonis probat: quia potest quis largiri eleemosynam ex fine honesto, & postmodũ continuari, ex inani gloria *indirectè* volita. De actibus etiam malis probat præcedenti exemplo. In quo quis cõcupiscit iniustè rem alienam, & postea illam emit. Quamuis hic casus rarò accidat (inquit ipse.)

45 Cõtra hãc nostrã sententiã est Conrad; qui consequenter ad suam sententiam, qua dixit bonum, & malum esse differentias actus moralis in *esse naturæ*, dicit eumdem actum substantialiter non posse transire de bono in malum, nec è contra. Ipsum sequutus est Lorca, quoad actus *elicitos* non verò *imperatos*. Sententia oppositа Conradi, & Lorcæ.

46 Argumentum planè difficilè est pro hac sententia. Quia quando actus de bono transit in malum, mutatur dictamen rationis, & consequẽter obiectum: Ergo variatur substantialiter. 1. Argum.

47 Respõdetur primò, quod quãuis mutetur dictamen rationis, & obiectum, non mutatur actus substantialiter, sed *accidentaliter* quoad modos moralitatis. Sicuti quando aqua ex calida fit frigida mutatur tantum *accidentaliter*. Respõsio.

48 Aliud argumẽtum directè esse potest contra nostram tertiam rationem. Quia in intellectu non possũt esse simul duæ cognitiones, duo dictamina rationis contraria. 2. Argum.

49 Respõdetur quod respectu diuersorum possunt esse; nam in eo, qui proijcit merces metu tẽpestatis, est iudiciũ efficax respectu proiectionis, & inefficax respectù conseruationis. Addo quod vniuersaliter potest esse duplex iudicium in vno: vnum expressum: alterum implicitum: vnum intẽsum: alterũ remissũ: vnũ efficax: alterũ inefficax. Respõsio.

AR:

Digitized by Google

ARTICVLVS. II.

Vtrum bonitas voluntatis dependeat ex solo obiecto?

50 REspondet D. Th. primò, quod bonitas, & malitia voluntatis (intellige actus interioris) *per se* dependet ex solo obiecto. Ratio est. Quia obiectum est illud, quod *per se* facit bonitatem, vel malitiam in actu; nã obiectum est principium actum humanorum: & principium in quolibet genere est *per se* non verò *per accidens*.

51 Confirmatur. Quia illud, quod est principium in aliquo genere, debet esse vnum, & simplex; vt patet in genere corporalium; elementa enim cum in isto genere sunt principia, sunt simplicia, & habent magis de vnitate: Sed obiectum est principium in genere actum humanorum Ergo ex solo obiecto, & non ex circumstantijs sumitur *per se* bonitas, vel malitia, &c.

52 Respondet secundò, quod bonitas, & malitia voluntatis *per se* non sumitur ex circumstantijs, sed reductiuè, & quatenus pertinent ad obiectum. Ratio est. Quia circumstantiæ sunt accidentia actus. Confirmatur. Nam circumstantiæ multiplicãtur: Id autem, quod *per se* specificat, & est principium alicuius rei, non potest consistere in multis; sed debet esse simplex, vt dictum est. Confirmatur secundò, quia id, quod est *per accidens* in aliquo genere reducitur ad id, quod est *per se*.

53 In responsione ad primum ait D. Th. Quantum ad actum voluntatis (intellige semper internum) non differt bonitas, quæ est ex obiecto à bonitate, quæ est ex fine. Ratio est. Quia finis est obiectum voluntatis. Dicit secundò, quod in actibus aliarum virium differt bonitas ex obiecto à bonitate, quæ est ex fine. Ratio esse potest ex ipso D. Th. quam ipse expressè non tradit. Nam actus aliarum virium diriguntur per actus volũtatis ad proprium obiectum, quod est finis. Dicit tertiò, quod *peraccidẽs* bonitas, quæ est ex obiecto potest differre, à bonitate, quæ est ex fine respectù actus *interioris* voluntatis, inquantum finis dependet ex fine, & voluntas ex voluntate. Hoc est, quia voluntas potest ordinare vnum finẽ ad alterum, & per vnum actum potest imperare alterum a se elicitum.

54 In responsione ad secundum dicit, quod dupliciter aliqua circumstantia potest considerari; vnò modo, vt refertur ad volitum: alio modo, vt refertur ad actum volendi. Si consideretur, vt refertur ad volitum, impossibile est, quod voluntas sit bona, quando circumstantia non est bona; vtputa si aliquis velit facere aliquid, quando non debet. Ratio est. Quia tunc illa circumstantia vitiat obiectũ, siuè volitum. Si autem consideretur, vt refertur ad actum volendi, etiam impossibile est, quod voluntas velit bonum, quando circumstantia non est bona; putà quia vult aliquid quãdo non debet. Nam semper tenetur velle bonum, siuè debet velle bonũ. Potest etiam esse *per accidens*, quod velit aliquod bonum, ex quo actu volendi impediatur à bono debito, quod tenetur velle. Et tunc voluntas illa non est mala, nisi quia impeditur à bono, quod tenetur velle.

55 In responsione ad 3. ait, quod ignorantia circumstantiarum secundum quod se tenent ex parte obiecti voliti, excusat malitiã voluntatis.

LE-

Digitized by Google

LECTIO I.

Vtrum bonitas, vel malitia actus interioris pendeat ex solo obiecto, vel fine: an etiam ex circumstantijs?

1.Concl. 56 RESpondeo primò. Actus interior sumit bonitatẽ, vel malitiam ex obiecto. Ità D. Th. in hoc art. & q. præced. art. 4. vbi loquitur de actu morali in communi ad actum *interiorem*, & *exteriorem*.

Ratio. 57 Ratio est. Quia obiectum, & finis respectu actus *interioris* sunt idẽ: sed finis tribuit ei bonitatem, vel malitiam: Ergo &c.

2. Concl. 58 Respondeo secundò actus *interior* sumit etiam bonitatem, vel malitiam ex circumstantijs. Ità *D.* Th. q. præced. ar. 8. vbi loquitur de actu morali in communi ad *interiorem*, & *exteriorem*, id expressis verbis docet.

Ratio. 59 Ratio est. Quia perfectio cuiuscumque rei naturalis non constat solum ex materia, & forma substantiali, sed etiam ex formis accidentalibus; ità vt si aliqua forma accidentalis eis debita desit, dicatur mala: Ergo pariter perfectio actus moralis non constat ex solo fine, sed etiam ex circumstantijs debitis, quarum si aliqua ei desit, nõ erit bonus: Ergo &c.

3. Concl. 60 Respondeo tertiò. Actus interior, ex *D.* Th. in hoc art. sumit bonitatem, vel malitiam ex solo obiecto, & non ex circumstantijs, circũstantiæ enim respectu ipsius actus *interioris* se habent per modum obiecti voliti; ad differentiam actus *exterioris*, respectù cuius se habent vt puræ circumstantiæ, & nullo modo sumit bonitatem, vel malitiam ex ipsis circumstantijs.

Explicatur Cõcl. 61 Explicatur hæc responsio circumstantiæ dupliciter possunt considerari ex ipso *D.* Th. hic ad 2. vno modo ex parte obiecti voliti: alio modo ex parte actus. Respectù actus *exterioris* semper sumuntur, & considerantur ex parte actus, vt patet de furto in loco sacro: locus enim sacer respectù actus *interioris* furti semper est circumstantia se tenens ex parte actus: respectù autem actus interioris *regulariter* loquendo, semper se tenet ex parte obiecti.

1. Ratio. Concl. ex D. Tho. 62 Ratio est. Quia totus actus *exterior* cum suis circumstantijs est obiectum respectù actus interioris.

63 Hæc responsio sic explicata probatur ratione D. Th. Quia actus *interior* est primus in genere *moris*, & specialiter respectù ipsius actus *exterioris*: Sed quod est primum in aliquo genere, est simplicius; vt patet inductione: Ergo actus *interior* debet esse simplicior actu exteriori: sed hæc maior simplicitas actus *interioris* respectu actus *exterioris* non potest cõsistere in alio, nisi quod ea, quæ sunt dispersa, & multa respectù actus *exterioris* congregẽtur in vno respectù actus *interioris*: Ergo tota collectio obiecti, & circumstantiarum respectù actus *exterioris* debet coadunari in vna ratione obiectiua respectù actus *interioris*, & sic actus *interior* sumit bonitatem, vel malitiam ex obiecto.

1. Ratio ex Durãd. 64 Probatur secũdò ratione Durandi. Non potest voluntas, siuè actus *interior* habere bonitatem, vel malitiam, nisi ex eo quod est volitũ: sed quidquid est volitum, habet rationem obiecti: Ergo ex solo obiecto habet bonitatem, vel malitiam. Ità communiter interpretes exponũt *D.* Th.

4. Concl. & Ratio ex D. Th. 65 Respondeo vltimò. Circumstantiæ respectù actus *interioris* debent esse cognitæ, vel *directè*, & *expressè*, vel *indirectè*; & *implicitè*, ad hoc vt tribuãt ei bonitatem, vel malitiam. Ità *D.* Th. in hoc art. ad 3. Ratio est. Quia voluntarium prærequirit cognitionem.

1. Obiect. 66 Contra tertiam responsionem sunt aliquæ obiectiones. Prima obiectio est. Quia respectù actus *interio-*

rioris sunt aliquæ circumstantiæ, quæ non sunt obiecta illius: Ergo non ex solo obiecto sumit bonitatem, vel malitiam: Antecedens probatur. Quia circumstantia *modi*, scil. quod actus sit intensus, vel remissus, & circumstantia *temporis*, scil. quod actus fiat tali, vel tali tempore, non sunt obiecta ipsius.

Respõsio. 67 Respondetur breuiter, quod hæ circumstantiæ, & omnes aliæ (vt dictum est in vltima responsione) debent esse cognitæ ab actu *interiori*, ex eo autem quod sunt cognitæ transeũt in rationem obiecti.

Replica & modatio. 68 Vrgebis, quia tunc mutabunt speciem. Respondetur negando antecedens quia quamuis trãseunt in obiectum, non dicunt nouum ordinem ad regulas rationis, sed *reductiuè* pertinent ad speciem obiecti principalis, vt ait D. Th. in hoc art. nam id, quod est purè *per accidens*, reducitur ad id, quod est *per se*.

69 Vrgebis secundò? Quia etiam respectu actus *exterioris* debent esse cognitæ: Ergo pari ratione respectu ipsius transibunt in obiectum. Respõdetur negando antecedens, quatenùs actus *exterior* materialiter sumitur, & concedendo illud, vt subsłat actui *interiori*, & imperatur ab illo, & Secũdũ hanc rationem habebunt circumstãtiæ rationem obiecti respectu actus *interioris*.

2. Obiect. 70 Secunda obiectio est. Quia circumstantia *personæ* operantis non debet esse cognita respectu actus interioris: Ergo hæc circũstantia non trãsit in obiectum. Probatur antecedẽs. Quia vt actus sit meritorius, nõ opus est, vt quis cognoscat se esse in gratia.

Respõsio. 71 Respondetur, negando antecedens; nam ad hoc vt aliquis actus *interior* sit magis, vel minus bonus, opus est, vt aduertat quis se esse, vel non esse religiosum huius, vel illius dignitatis, aut status. Hinc opera Christi Domini habebant, quasi infinitam bonitatem ratione infinitæ dignitatis personæ, ad quam aduertebat in suis operibus. Ad probationẽ concedo illam: nam quod aliquis sit in gratia, vel nõ, nõ est circũstantia *personæ* de qua loquimur hic. Vlterius dico, quod ad meritum sufficit cognitio circumstantiæ, ratione cuius actus redditur bonus: quia meritum est passio natura sua fluens ad actum bonum.

LECTIO II.

An reuera circumstantiæ non mutãtes speciem transeant in obiectum volitum respectu actus interioris?

Conclusio eius Ratio. 71 RESpondeo affirmatiuè. Ratio est ex dictis. Quia debent esse cognitæ suo modo. Secũdò. Quia dum aliquis diligit Deum intensè, reuera vult illam intensionẽ sui actus, vel per actum reflexum distinctum, vel *virtualiter* per eumdem actum directum: nam vt diximus supra, quilibet actus directus est reflexio sui ipsius. Tertiò. Quia dum quis furatur centum aureos, reuera vult illam circumstantiã quantitatis: Ergo &c.

Sententia opposita aliquorũ Thomist. 72 Oppositam sententiam defendunt aliqui Thomistæ dicentes, quod circumstantiæ tàm respectu actus *interioris*, quàm *exterioris* sunt veræ circumstantiæ, nec vnquam transeunt in obiectum.

1. Argum. & Resp. 73 Prima ratio est. Quia illud, quod transit in obiectum, mutat speciem. Respondetur, quod mutat speciem, quando dicit natura sua diuersum ordinem ad rationem.

74 Secũda ratio. Quia idem actus interior potest esse magis, vel minus intensus. Respondetur, quod hæc maior, vel minor intensio semper erit cognita *virtualiter*, & *implicitè*, & sic volita.

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

Vtrum bonitas voluntatis depẽdeat ex ratione?

75 RESponsio D. Th. est affirmatiua. Ratio est. Quia bonitas volũtatis, vt dictum est art. præcedentibus, pendet ab obiecto: sed obiectum pendet à ratione proponente: Ergo &c. Confirmatur. Quia bonum intellectum siuè rationale est bonum proportionatum voluntati: nam est appetitus respiciens bonum vniuersale: Ergo &c.

76 In responsione ad 2. ait, quod intellectus practicus, scil. consiliatiuus, & ratiocinatiuus eorum, quæ sunt ad finem, est bonus per conformitatem ad finem bonum volitum. Quia tota bonitas sumitur ex fine. Et sic intelligendus est Arist. 6. Eth. cap. 2. vbi dixit, quod intellectus practicus dicitur verus per conformitatem ad appetitum rectum. Super istum art. nota quod voluntas pẽdet à ratione, sicut à regula, & hæc est mẽs D. Th. in ipso art.

ARTICVLVS IV.

Vtrum bonitas voluntatis dependeat ex lege æterna?

77 RESpondit D. Th. quod multò magis depẽdet bonitas voluntatis humanæ à lege æterna, quã à ratione humana. Ratio est. Quia effectus plus dependet à causa prima, quã à causa secunda: quia causa secunda non agit nisi in virtute causæ primæ. Sed bonitas voluntatis pendet à ratione humana tanquam à regula, & hæc pendet à lege æterna, quæ est ratio diuina: nã ab ipsa habet, quod sit regula actus humani, Ergo &c.

ARTICVLVS V.

Vtrum voluntas discordans à ratione errante sit mala?

78 RESpondit D. Th. Omnis voluntas discordans à ratione, siuè ecta, siue errãte sẽ per est mala. Ratio est. Quia volũtas sequitur obiectũ propositũ sibi per rationẽ: Ergo quotiescũque discordat ab obiecto proposito ei per rationem, est mala: Ergo si ratio errans proponit ei, quod malum est, tamquam bonum, vel id, quod bonum est, tamquam malum, & ipsa discordat ab illa, mala est.

AR.

ARTICVLVS VI.

Vtrum voluntas concordans rationi erranti sit bona?

79 PRimò supponit D. Th. in hoc art. quod idem est quærere: Vtrum conscientia erronea excuset. Secundò supponit, quod duplex sit error, sicut dictum est sup. q. 6. de ignorantia: Vnus voluntarius: Alter inuolũtarius; siuè clariùs: vnus vincibilis: alter inuincibilis. His suppositis.

80 Respondit primò. Si error erit *vincibilis*, vel *culpabilis*, voluntas cõcordans rationi, vel conscientiæ erranti, erit mala. Ratio est. Quia error in eo casu est voluntarius *directè*, vel *indirectè*.

81 Respondit secundò. Si error erit *inuincibilis*, vel *inculpabilis*, voluntas concordans rationi, vel conscientię erranti, non erit mala, siuè excusabitur à culpa. Ratio est. Quia tunc ille error nullo modo est voluntarius.

82 Super istos Art. 3. 4. 5. & 6. agũt Commentatores de conscientia. Quare nos etiam cum illis agemus de conscientia, sed breuiori stylo.

LECTIO I.

Quid sit conscientia, & quotuplex sit?

83 REspondeo primò: Conscientia est iudicium intellectus practici, quod dictat malum esse fugiendum, bonum autem prosequendum: Siuè est iudicium practicũ intellectus, quo iudicamus illud, quod faciendum est, esse bonum, vel malũ, ac propterea fugiendum, vel prosequendum. Solet ab alijs definiri conscientia, quod sit regula boni, & equi indicans creaturæ rationali, quid prosequendum sit, & quid fugiendũ. Quamuis enim lex naturalis: siue diuina, vel humana sit prima regula nostrorum actuum; nihilominùs ipsa conscientia dicitur proxima regula nostrorum actuum. Ita communiter Theologi hic, & alibi. 1. Concl.

84 Hinc infertur primò, conscientiam esse actum, non verò habitum, vel potentiam. Ita D. Tho. 1. p. 79. Art. 13. Prima ratio est ex ipso D. Tho. locis citatis ex ipsa ethymologia nominis: Nàm conscientia dicitur cum alio scientia, siuè applicatio scientiæ.

85 Secunda ratio. Quia dicitur testificari de præteritis, an fecerimus, vel non fecerimus aliquid: excusare, vel reprehendere de præsẽtibus iam factis, an benè, vel malè sint facta, nàm si bene sunt facta, excusat, defendit, & laudat: si malè, accusat, reprehendit, remordet: & tertiò instigare, impellere, aut retrahere, vel remouere quoad futura: nàm instigat, & impellit ad bona agenda, & retrahit, vel remouet à malis faciendis. Quæ omnia importãt actum.

86 Tertia ratio. Quia dicimur deponere conscientiam, non verò deponitur potentia, vel habitus saltem per vnum actum.

87 Est autem aduertendum hìc, quod cum actus dicat ordinem ad obiectum, & ad potentiam, vel habitum, à quo dependet, quandoque cõscientiam significat, siue sumitur pro ipsa re conscita: quãdoque significat potentiam, vel habitum, quo conscimus. Hinc Hieronymus Ezech. 1. synderesim vocauit conscientiam. Bas. in Prouerb. in princ. Comment. Naturale iudicatorium; & Damasc. lib. 2. de fide orth. cap. 22. lucem intellectus nostri: sed *propriè*, & in rigore nominat actum. Ita D. Th. locis sup. citatis.

88 Infertur secundò nõ esse syn-

dereſim. Quia ſicut intellectus eſt habitus principiorum in ſpeculabilibus: ita ſyndereſis eſt habitus principiorũ in operabilibus. Ita D. Tho. p. 1. q. 79. citata artic. 12. Eſt ergo conſcientia actus ſyndereſis, vel prudentiæ, vel opinionis, vel alicuius alterius habitus, ita vt sẽper præſupponat habitũ ſyndereſis. Ita idem D. Tho. 1. p. q. 79. art. 13. ad 3.

1. Sentẽt. Henrici. 89 Contra hanc noſtram reſpõſionem cum ſuis illationibus eſt prima ſententia Henrici Gandau. quod, lib. 1. q. 18. aſſerentis conſcientiam eſſe actum voluntatis, ſiuè pertinere ad voluntatem.

1. Argum. 90 Ratio ipſius eſt. Quia conſciẽtia ex Sacra Scriptura 1. ad Timoth. 1. & 4. dicitur bona, vel mala: ſed bonum, vel malum pertinet ad voluntatem: Ergo, &c.

Reſpõſio. 91 Reſpondetur: quod conſcientia dicitur mala, vel bona effectiuè ex actibus voluntatis bonis, vel malis, ad quos mouet, vel poteſt dici mala, vel bona, quatenus ſequitur aliquem appetitum bonum, vel malum.

2. Argum 92 Secunda ratio eſt. Quia conſcientia dicitur impellere, vel inſtigare: hi autem ſunt actus volũtatis, quia important motionem.

Reſpõſio. 93 Reſpondetur, quod impellere eſt actus intellectus habens vim motiuam ſibi communicatam à voluntate. Vlterius, quod impellere excitando eſt actus intellectus.

2. Sentẽt. Durandi. 94 Secunda ſententia eſt *Durandi* in ſecundo diſtinct. 39. quæſt. 4. aſſerentis, conſcientiam pertinere ad intellectum, & voluntatem. Ratio eſt. Quia conſcientia eſt ſimul cum altero ſcientia: Hoc alterum non poteſt eſſe niſi voluntas.

94 Reſpondetur, quod hoc alterum intelligitur ipſum obiectum, cui applicatur ſcientia, ſicut dicitur de actu conſenſus.

2. Ratio Durandi. 95 Secunda ratio. Quia qui agit contra propriam conſcientiam, ſolet triſtari, & qui iuxta rectam conſcientiam, ſolet gaudere: Sed gaudere, vel triſtari pertinet ad voluntatem. Reſpondetur, quòd hi actus ſunt effectus bonæ, vel malæ conſcientiæ. Reſpõſio.

96 Tertia ſententia eſt Scoti, *D. Bonau.* & aliorum, qui dicunt eſſe habitum intellectus, non verò actum. 3. Sentẽt. Scot & aliorum.

97 Ratio eſt. Quia conſcientia dicitur habere plures actus, vt ſupra dictũ eſt, ſcilicet, *teſtificari, arguere, mordere, impellere, laudare*: &c. Ergo eſt habitus. 1. Argum

98 Reſpondetur: quod omnes hi actus conſequuntur ad iudicium illud dictans hic, & nunc aliquid eſſe faciẽdum, quia *bonum*: vel fugiẽdum, quia *malum*, in quo conſiſtit formaliter cõſcientia. Reſpõſio.

99 Secunda ratio eſt. Quia conſcientia dicitur manere in dormientibus. 2. Argum.

100 Reſpõdetur; quod dicitur manere ratione ſyndereſis, vel alterius habitus, à quo procedit: vel dicitur manere, quatenus non retractatur. Reſpõſio.

101 Reſpondeo ſecundò: Communiter diuiditur conſcientia in rectam: erroneam: dubiam: probabilẽ, ſiuè opinatiuam, & ſcrupuloſam. 2. Concl.

102 Vt autem clariùs, & meliùs percipiatur natura harum conſcientiarum, eſt priùs aduertendum, quid ſit error, quid dubium, quid opinio, & quid ſcrupulus. Error ergo eſt iudiciũ, quo quis falsò aſſentitur alicui rei: dubium eſt aſſenſus non magis in vnam partem, quam in aliam, ita vt intellectus ſiſtat in æquilibrio. Opinio eſt aſſenſus in vnam partem cum formidine alterius. Scrupulus eſt leuis quædam ſuſpicio orta ex leuibus fundamentis, ſiuè eſt formido quædam alterius partis orta ex leuibus rationibus, & fundamentis, qua quis credit aliquid eſſe peccatum, quòd re vera non eſt nimis angens, & excrucians. Vndè ſcrupulus differt ab opinione, quod opinio eſt aſſenſus in vnam partem cum formidine alterius, quæ formido ſit fundata in probabilibus rationibus; Scrupulus verò eſt aſsẽſus in vnã partẽ cum formidine alterius fundatus in leuibus rationibus.

103 Vlterius notandum eſt, quod ſcien-

Digitized by Google

scientia,opinio, & dubium possunt esse speculatiua, & practica.Speculatiua dicũtur,quãdo intellectus tantũ iudicat, an ita res se habeat, uel nõ, solum respiciendo ad rei ueritatem. Vndè hæc propositio furtũ est malũ, est tantum speculatiua,quãuis inferri possit, ex ea alia propositio practica; Ergo furtum non est faciendũ. Practica dicuntur, quãdo intellectus iudicat, uel dubitat, uel opinatur an aliquid sit faciendum hic, & nunc,uel non;respiciendo solum ad operationem. Vt E. g. furtum non est faciendum, quia malum. Ità *D*. Th. q. 14. de uerit.n. 4.Præterea scientia,dubiũ, uel opinio practica dupliciter possũt esse practica. Vno modo *speculatiuè*, uel *incõpletè* practica, ut cum intellectus iudicat, uel dubitat, aut opinatur de aliqua re inutili: an sit faciendum, uel non faciendum: Alio modo *complete*,uel *practice* practica.Vt quãdo intellectus hic, & nunc perpensis omnibus circumstantijs iudicat: an aliquid sit faciendum, vel non faciẽdum.

104 Demum notandum, quod iudicia practica vt discordent à iudicijs speculatiuis,debent habere aliquam rationem, vndè ad id cogantur. Esset enim contra rationem iudicare *speculatiuè*,omnem hominem teneri ad restitutionem rei alienæ, & postea sine vlla ratione de facto non restituere.

105 Hinc facilè intelligitur natura prædictarum conscientiarum. Conscientia igitur recta est iudicium certum, & verum dictans id, quod verum,& certum est.Et procedit ex Syllogismo practico vero. Conscientia erronea est, quæ aliter dictat, quam res sit,& procedit ex Syllogismo falso, vel Sophistico.Vt si quis discurreret hoc modo: Quod est lege prohibitum non est faciendum: Sed iurare est omninò prohibitum iuxtà illud Matth. 5. *Nolite omninò iurare*: Ergo nullo modo iurandum est. Ista conclusio, siuè iudicium est falsum:Quia est tantũ prohibitum omninò iurare falsum, vel vanum; non vero verum, quod aliquando meritorium est.

106 Vbi aduertendum est, quod conscientia erronea quandoque procedit ex errore, vel ignorantia vincibili:quandoque ex ignorantia inuincibili,& inculpabili. Dubia cõscientia est, quæ neque assentit, neque dissentit,sed manet anceps. Probabilis, seù opinatiua est, quæ adhæret vni parti cum formidine alterius, & procedit ex Syllogismo probabili,& apparenter vero, qui cũ quãdoque à parte rei possit concludere falsum, tunc conscientia probabilis diceretur materialiter erronea.

107 Scrupulosa est, quæ adhæret vni parti cum formidine alterius orta ex leuibus ratiunculis, quibus iudicatur aliquid esse peccatum, cum non sit, ex quo maximè quis angatur, & crucietur.

108 Solet autem addi ab alijs his conscientiis enumeratis: conscientia temeraria,quæ est quãdo quis nullo motiuo, vel ratione probabili ductus iudicat sibi licitum esse, vel non esse aliquid operari: & conscientia suspicios,qua quis magis in vnam partẽ, quam in alteram inclinat, nec tamen illi assentitur; nam suspicio propriè dicta;est quando intellectus in alterã partem magis inclinat,non tamen illi assentitur.

109 Hi autem, qui has duas conscientias addunt,sunt,Suar. & Merolla hic, quæ quamuis possint admitti, non est recedendum à communi diuisione.

110 Ratio autem huius diuisionis est. Quia conscientia est iudicium intellectus practici dictans quid faciendum, vel respuendum sit ductũ ex principiis practicis *mediate*, vel *immediate* per modũ cõclusionis: sed potest intellectus quandoque concludere certè, & verè, quandoque erroneè, quandoque remanere dubius,quandoque &c. Ergo &c.

LE-

Digitized by Google

LECTIO I.

De Conscientia Recta.

Vtrum conscientia vera, & certa obliget; & an sit peccatum speciale operari contra ipsam?

Animad. 111 SVppono, quod conscientia dictans aliquid esse bonũ dupliciter dictare potest illud esse bonum: Vno modo tanquam bonum necessariò faciendum ex *præcepto*: Alio modo tamquam faciendum ex *consilio*. De bono, quod dictat esse faciendum ex *consilio*, certum est, non obligare, ac proindè non esse peccatum eam in hoc casu non sequi. Quia non semper tenetur quis sequi id, quod melius est. Difficultas est solũ de bono, quod dictat sequendum esse sub *præcepto*, ac de malo, quod fugiendum est, quia re vera malum.

1. Concl. 112 Et respondeo primo: Conscientiam veram, & certam obligare ad sui sequelam, quãdo *certè*, & *verè* dictat aliquid esse bonum sequendum sub *præcepto*, vel aliquod malum fugiendum; ità vt si aliquis non eam sequatur, reuera peccet. Est communis sentẽtia omnium Theologorũ super hos art. D. Th. ità vt aliqui Theologi dicant, eam esse de fide. Idem potest asseri de conscientia erronea; sed de hac suo loco.

Probatur 1. ex Sac. Scrip. 113 Probatur primo ex Sacra scriptura ad Rom. 14. *quod non est ex fide, peccatum est.* Id est (vt omnes ferè interpretes, & Theologi exponunt) quod non est secundum cõscientiam, peccatum est. Item ex illo ad Gal. 5. *Testificor enim homini circumcidenti se, quia debitor est vniuersa legi facienda*, scil. ratione conscientiæ.

Probatur 2. ratione 114 Secundò probatur ratione. Quia conscientia est regula proxima nostrarum actionum humanarum, sicut lex æterna, vel naturalis est remota: sed peccatum est non se conformare legi æternæ, vel naturali: Ergo peccatum est non se conformare regulæ propriæ conscientiæ. Breuiùs, & clariùs: potest proponi hæc ratio. Quia conscientia est iudicium, & dictamen practicum nostræ rationis: Ergo debemus sequi illud; alioquin non esset bonus actus, qui sumitur per ordinem ad regulas rationis.

2. Concl. 115 Respondeo secũdò: Qui operatur contra conscientiam *rectam*, vnum specie peccatum committit: nõ vero duo: vnum contra virtutem, vel præceptum, quod proponitur seruãdum per ipsam cõscientiam; & aliud contra dictamen ipsius conscientiæ. Explicatur hæc responsio. *Dictat* cõscientia, quod sit abstinendum à carnibus feria sexta: si quis comedit carnes tali die, vnum peccatum committit contra præceptum Ecclesiæ, vel virtutem temperantiæ, neque committit aliud contra dictamen conscientiæ.

Ratio Concl. 116 Ratio fundamentalis est. Quia quælibet virtus, uel præceptum obligat medio iudicio, siuè dictamine cõscientiæ, quæ est proxima, & immediata regula nostrarum operationũ.

Confirm. 117 Confirmatur. Quia, vt supra dictum est, conscientia non est actus cuiusdam specialis uirtutis. Ità cõmuniter Theologi hic. Quæ responsio intelligitur etiam de conscientia erronea, de qua suo loco.

Sententia opposita Ioannis Medinæ & eius Ratio. 118 Contrariam sententiam secundæ nostræ responsionis docuit Ioannes Med. Cod. de confess. quæst. 8. asserens agentem contra conscientiã committere speciale peccatum. Fundamentum ipsius est ex illo Pauli ad Rom. 14. pro nostra prima responsione allato, scilicet: *Omne quod non est ex fide, scil.* conscientia, *peccatum est.*

Respõsio. 119 Respondetur; quod sit peccatum contra eam uirtutem, uel præceptum, quod proponit sequendum conscientia, & quis non illud sequitur.

120 Angelus uerò cap. 7. Moral. lib.

Digitized by Google

Sententia Angeſti, & eius Ratio.

lib. 2. tenet agentem contra conſciẽtiam erroneam unicum tamen peccatum committere: Quia eſt una deformitatis ratio. Agente uerò contra conſcientiam: altera contra præceptum quod uerè uiolatur. E. g. dum quis die feſto non audit miſſam contra dictamen conſcientiæ; duo peccata committit: unum contra cõſciẽtiam dictantem eſſe diem feſtum, ac proindè eſſe audiendam miſſam: alterum contra præceptum Eccleſiæ quod reuera uiolatur.

Reſpõſio.

121 Reſpondetur; quod ſemper committitur unum peccatũ, ſiuè peccatur contra conſcientiã erroneã: ſiuè rectam. Peccatum autem, quod committitur eſt contra præceptum, quod dictat conſcientia eſſe ſequendum, ut in exemplo poſito, eſſet contra uirtutem religionis, ex cuius motiuo Eccleſia præcepit auditionem ſacri in diebus feſtiuis. Addo autem quod ſi quis uellet *directè* reſiſtere, uel contemnere præceptum, quod conſciẽtia dictat eſſe ſequendum; tunc committeretur duplex peccatum; unum inobedientiæ contra præceptum Superioris: & aliud contra uirtutem, ex cuius motiuo fieret præceptum, uel poneretur lex. Nam hic intercederet duplex deformitas, non autem ibi.

LECTIO II.

An ſit peccatum mortale operari cõtra conſcientiam, quando in confuſo aliquid illicitum iudicat, non determinando an ſit mortale, vel veniale?

Explicatio tituli.

122 DVpliciter poteſt conſcientia *in confuſo* dictare aliquod malum: vno modo proponendo illud in aliqua peculiari materia, E. g. in materia iniuſtitiæ; non exprimendo, an ſit graue, vel leue: alio modo non proponendo illud in aliqua peculiari materia, ſed *in confuſo* abſtrahendo à quacumque peculiari materia.

1. Concl.

123 Reſpondeo primo ſi conſcientia dictat primo modo, hoc eſt in aliqua peculiari materia aliquid *in confuſo* eſſe malum: quantitas culpæ debet iudicari ex materia: ſiuè virtute, contra quam dictatur eſſe illud malum.

Ratio.

124 Ratio eſt. Quia grauitas cuiuſcumque culpæ, vel leuitas ſumitur ex virtute, cui opponitur: Ergo &c.

2. Concl.

125 Reſpondeo ſecundò. Si conſciẽtia dictat aliquod eſſe malum ſecundo modo, ſcil. non in determinata materia, *ſed in confuſo*, probabile eſt, quod ſit veniale.

Ratio.

126 Ratio eſt. Quia velle aliquod malum *in cõfuſo*, & in generali, quod poteſt eſſe commune ad mortale, & veniale, eſt velle aliquod malum imperfectum in genere mali: Ergo erit tãtum veniale. Ita Val. Salas hic Nauar. & alij, quos refert Merol. diſp. 3. de conſc. cap. 1. dub. 3. Et hanc ſententiam ipſe Merol. exiſtimat probabilem, cum ſententiam oppoſitam dicat probabiliorem: quo modo loquẽdi vtitur Sanch. lib. 1. Sum. cap. 11. num. 6. Vndè etiam videtur huius ſententiæ.

Valentia, Salas, Nauarr. Merolla, Sanchez.

Ratio.

127 Reſpondeo tertiò. Probabilius eſt eſſe peccatum mortale agere contra talem conſcientiam dictãtem aliquid eſſe malũ in genere ad mortale, & veniale.

Vaſquez Merolla.

128 Ratio eſt. Quia qui hoc modo, & ſine vllo examine operaretur, exponeret ſe periculo peccandi mortaliter: Ergo peccaret mortaliter: nã qui ſe exponit periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter iuxtà illud Eccl. 3. *qui amat periculum, peribit in illo.* Ità Vaſq. hic diſp. 59. cap. 3. n. 10. & alij, quos refert, & ſequitur Merol. loc. cit.

Reſponſ. ad rationem Cõcluſ.

129 Rationi ſecundæ reſponſionis in fauorem tertiæ reſponderi poteſt, quod dum quis vult illud malum *in confuſo*, & in cõmuni ad mortale, & veniale, non vult malum im-

per-

Digitized by Google

perfectum in genere mali; sed malum periculosum, & proximum mortali. Vndè mortaliter peccaret.

130 Rationi autem tertiæ responsionis in fauorem secundæ posset responderi, quod dum quis uult illud malum, non uult se exponere, neque de facto se exponit periculo peccandi læthaliter; quia uult tantum illud malum imperfectum, quod de se neque cognoscit esse mortale, neque ueniale.

LECTIO III.

Vtrum actu debeat perseuerare iudicium conscientiæ contrà quod peccatur: an sufficiat, vt perseueret virtute?

Concluſ. Sanchez Azorius.

131 RResponde o debere actu perseuerare. Ità Sanch. lib. 1. Sum. cap. 11. n. 7. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 8. & alij, quos refert, & sequitur Sanch. loc. sup. cit. cap. 4.

Ratio.

132 Ratio est. Quia intentio aliqua eatenus dicitur *virtualiter* perseuerare, quatenùs in aliquo effectu perseuerat: sed nullus est effectus, in quo possit perseuerare iudicium conscientiæ transactum: Ergo &c.

Confirm.

133 Præterea. Quia ex opposita sententia sequeretur, Gentilem, qui semel habuit iudicium conscientiæ erroneum de omnibus operibus suis referendis in idolum, ut sint bona; peccare, dum facit opus ex obiecto bonum, V. g. dum largitur eleemosynam, talis iudicij oblitus.

Euasio Medinæ.

134 Respondet Medina, qui est contrariæ sententiæ, (ut infra referam) quod dum Gentilis ex naturali compassione tribuit eleemosynam, uirtute retractat illud primum iudicium conscientiæ erroneum: quia opus eleemosynæ ex se pugnat cũ tali fine.

Præcl.

135 Sed contra. Quia quamuis opus eleemosynæ ex se pugnet cum intentione referendi illud in idolum, non tamen pugnat cum iudicio erroneæ conscientiæ, quo crederet illud esse malum, si nõ referret in idolũ.

Sententia oppositа Medinæ, & Rodriquez.

136 Contrariam sententiam tenet Med. sup. hunc art. 6. uers. *sed nũquid*, & Rodriq. 1. p. Sum. cap. 71. n. 2. dicentes: sufficere iudicium uirtuale. Quod eatenùs perseuerat, quatenùs non est reuocatum per actum contrarium. Vt si quis iudicaret erroneè esse furtum tollere alienum in extrema necessitate, & postmodũ huius iudicij immemor, tolleret alienũ, esset quidem peccatum contra iudicium illud conscientiæ erroneæ non retractatum. Huius sententiæ nulla affertur ratio, nisi quod illud iudiciũ, cum non sit retractatum, uidetur perseuerare. Sed reuera nullo modo perseuerat, cum nullus sit effectus consequens, uel actus, in quo dicatur perseuerare.

LECTIO IV.

Vtrum Deus possit dispensare, vt sine peccato quis operetur contrà propriam conscientiam?

Concluſ. Vasqez Merolla.

137 REspondeo negatiuè. Ità Montes. hic disp. 19. q. 2. dub. 6. n. 31. Vasq. disp. 61. cap. 2. Merol. disp. 3. de consc. cap. 1. dub. 5. & alij communiter.

Ratio

138 Ratio est. Quia implicat, vt perseuerante aliquo præcepto prohibente aliquid, possit quis operari cõtra illud sine peccato: est enim manifesta contradictio operari contra aliquod præceptum, & non peccare: nã hoc est peccare, operari contra legẽ: Ergo implicat, quod perseueret aliquod dictamen conscientiæ, & quis operetur contra illud, & non peccet: Ergo *Deus* non potest in hoc dispensare.

Confirm. 1.

139 Confirmatur. Quia admissa sententia eorum Theologorum, qui dicunt Deum posse dispẽsare in lege natu-

Digitized by Google

naturali, vel præceptis secundæ tabulæ, adhuc *Deus* non potest dispensare, vt quis operetur contra regulam conscientiæ, & non peccet. Nam ideo quis operando contra legem naturalem, non peccaret, quia *Deus* sua dispensatione auferret legem: At in nostro casu perseueraret dictamen conscientiæ: Ergo non potest quis operari contra illud, & non peccare.

140 Confirmatur secundò hæc sententia. Quia conscientia est regula applicans præceptum, & perseuerante conscientia, semper perseuerat præceptum: Ergo &c.

141 Contrariam sententiam tenet Almaynus tract. 3. Moral. cap. 15 & quidam Andreas de Castronouo, quē refert Corduba in quæstionario lib. 3. quæst. 10. Eamque existimat probabilem ipse Cord. loco cit. Sed certè ab omnibus Theologis reputatur hęc sententia improbabilis:

Contraria sententia Almayni, & Andreæ de Castronouo

142 Ratio ipsius est. Quia potest Deus tollere sua dispensatione præcepta iuris naturalis: Ergo potest tollere præceptum, quo tenemur sequi conscientiam.

Ratio huius sententiæ.

143 Respondetur transeat antecedens, & negatur consequentia, nam hoc implicat propter rationem allatam pro nostra sententia. Vlterius addo, quod si Deus auferret præceptum, quod proponitur per conscientiam, tunc non diceretur quis operari contrà conscientiam; & sic non essemus in casu nostro. Hæc de conscientia recta, quæ possunt applicari etiam conscientiæ erroneæ, sed de illa sit specialis tractatus.

Respōsio.

De Conscientia erronea.

LECTIO I.

Vtrum sit peccatum operari contra conscientiam erroneam?

144 PRæmitto primo, conscientiam erroneam dici illam, quæ dictat esse bonum, quod certò constat esse malum, vel è contra, quæ dictat esse malum, quod certò constat esse bonum. 1. Anim.

145 Secundò, quod duplex esse potest conscientia erronea: vna culpabilis: alia inculpabilis: nam cum error sit ignorantia prauæ dispositionis quemadmodum est duplex ignorantia: vna inculpabilis, seù inuincibilis: altera culpabilis, seù uincibilis. Ità duplex esse potest conscientia erronea: vna culpabilis, & vincibilis: altera inculpabilis, vel inuincibilis. 2. Anim.

146 Conscientia erronea vincibilis describitur, quod sit iudiciū, quo quis ità imprudenter iudicat, vt si debitam adhiberet diligentiam, minimè erraret. Inculpabilis verò, quādo ità prudenter iudicat, vt virtute modi, quo iudicat, vel errori adhæret, prudenter existimare potest se nō errare. His notatis.

147 Respondeo: Agere contra conscientiam erroneam, siuè culpabilem, siuè inculpabilem est peccatū. Ità communiter Theologi. Concl.

148 Probatur primo ex illo ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide*, scil. conscientia, (vt communiter interpretantur) *peccatum est.* Probatur 1. ex S. Script.

149 Secundò. Quia conscientia est regula proxima nostrarum operationum proponens nobis id, quod agendum est, vel secundum legem naturalem, vel diuinam, vel humanam: Ergo agere contra ipsam, peccatum est. Probatur 2. ratione

150 Confirmatur. Quia licet conscientia erret dictans aliquid esse malum, quod reuera bonum est, si quis illud amplectitur, reuera ex sui dispositione vult malum. Similiter si dictet aliquid esse bonum hìc & nunc sequendum, quod reuera malum est, & voluntas illud non amplectatur, reuera ex sui dispositione auertitur ab eo, quod bonum iudicatur: Ergo &c. Confirm.

151 Est autem hæc responsio intelligenda, quando actio, vel omissio Explicatio Concluſ.

Digitized by Google

contra conſcientiam erroneam eſt libera. Nam ſi eſſet neceſſaria, nullo modo peccaret, quamuis iudicaret quis ſe peccaturum; E. g. ſi quis carcere detentus iudicat eſſe mortale omittere ſacrum, non audiendo illud, non peccaret, quia talis omiſſio non eſſet ei libera. Similiter ſi quis manu violenter ab alio impulſa alium percuteret, nullo modo peccaret, quāuis iudicaret erroneè ſe peccare; quia talis actio eſſet ei violenta. Etenim vt actio ſit bona, vel mala *moraliter* debet eſſe libera, cum libertas ſit fundamentū bonitatis, & malitiæ. Ità Sāch. in Sum. lib. 4. cap. 11. n. 3. & Merol. ex ipſo diſp. 3. de conſc. cap. 2. dub. 1. & alij.

Sanchez Merolla.

152 Hinc infertur primo, obligationem non operandi contra conſcientiam erroneam non oriri *per ſe* ex ipſa cōſcientia erronea, ſed ex Synderesi, vel virtute, contra quā dictat eſſe malum, quod dictat. Vt ſi dictet eſſe furtum, erit contra iuſtitiam, ſi dictet eſſe fornicationem, erit contra caſtitatem. Nam conſcientia ſe habet tāquam conditio proponens id, quod homo tenetur facere, vel vitare, qua ſecluſa, ipſe non tenetur.

1. Coroll.

153 Infertur ſecundò, peccatum contra conſcientiam erroneam pertinere ad eam malitiæ ſpeciem, & culpæ quantitatem, quam ipſa conſciētia errans dictat: Vt ſi dictet eſſe veniale, erit veniale; ſi mortale, erit mortale; ſi adulterium, erit adulteriū. Ità *D.* Th. in hoc art. 5. ad 3. Id autē quod dicimus de conſciētia erronea dictante aliquid eſſe veniale, intelligēdum eſt, quod ſit veniale, dummodo à parte rei non ſit mortale, & ipſa conſcientia erronea ſit culpabilis: nā tunc non erit veniale, ſed mortale.

2. Coroll.

D. Tho.

154 Infertur tertio nō eſſe ſpeciale peccatum ire contra conſcientiam erroneam, vt ſupra de conſcientia recta dictum eſt: ſed tantum vnum peccatum contra eam virtutem, vel præceptum, quod proponit ſequendum.

3. Coroll.

155 Infertur quarto probabilius eſſe peccatum mortale contra ipſam, quando *in confuſo* dictat aliquid eſſe peccatum, non determinando, an ſit mortale, vel veniale. Quia ſe exponit quis periculo ſemper peccandi mortaliter. Sed hæc illatio clarius patet ex dictis ſup. Lect. 2. de conſcientia recta.

4. Coroll.

156 Infertur vltimò, quod depoſita conſcientia erronea nullum erit peccatum. Quia tota culpæ ratio ex ea conſurgebat. Quomodo autem ſit deponenda, dicam lect. ſeq.

5. Coroll.

157 Contra noſtram ſententiam fuit quorumdam ſententia, quos tacito nomine refert *D.* Th. in hoc art. 5. & Gl. in can. *omnes.* Verbo *conſcientiam* 28 q. 1, dicentium, quod facere contra conſcientiam erroneam, non ſemper eſt peccatum, ſed tantum quando prohibet, vel præcipit indifferentia; ità vt ſi præcipiat tamquam bonum id, quod ex ſe eſt malum, nullum peccatum erit facere contra illā. Similiter ſi prohibeat tamquam malū id, quod reuera bonum eſt.

Sententia oppoſita

158 Probari poteſt primò hæc ſēntia, quæ abſolutè improbabilis, & falſa eſt. Quia ſi conſcientia erronea dictaret diligere *Deū* ſuper omnia eſſe peccatum, tunc etiam ſi quis contra hoc iudicium diligeret Deum ſuper omnia, nullo modo peccaret: nam impoſſibile eſt diligere Deum ſuper omnia, & ipſa dilectione peccare: Ergo &c.

1. Argum.

159 Reſpondetur primò, quod eſt impoſſibile, vt quis habeat Dei cognitionem, & ſimul iudicet erroneè, eſſe peccatum eū diligere ſuper omnia. Quia eo ipſo, quod cognoſcit eū tamquam *Deum*, cognoſcit tamquā ſummum bonum, ac proindè ſummè amabilem.

1. Reſpō.

160 Sed admiſſo caſu per impoſſibile, reſpondetur ſecundò, quod peccaret ille talis contra conſcientiā erroneam, diligendo *Deum* ſuper omnia.

2. Reſp.

161 Secundò. Quia nullus poteſt obligari ad id, quod eſt contra legem Dei: ſed conſcientia erronea aliquādo dictat id, quod eſt contra legem

2. Argum.

Dei,

Digitized by Google

Dei, vt E. g. quod licitum sit mentiri ad tuendam vitam hominis: Ergo nõ potest quis in eo casu sequi conscientiam erroneam, nam faceret contra legem Dei, quæ præferenda est obligationi conscientiæ: Ergo non peccaret faciendo contra dictamen talis conscientiæ.

172 Respondetur breuiter ad minorem, quod dum conscientia erronea dictat aliquid, numquam dictat illud tamquam formaliter contra Dei legem: nam existimat illud (licet falsò) esse conforme legi Dei.

Respõsio.

LECTIO II.

Quomodo deponenda sit conscientia erronea, vt opus factum contra eam excusetur à culpa?

173 DVpliciter deponi potest conscientia erronea: vno modo ex sola libertate absque vllo iudicio positiuo, vel ratione cõtraria: altero modo cum aliquo iudicio positiuo, & ratione contraria. Difficultas est, quonam ex his modis debeat deponi, vt licitè, & sine culpa deponatur.

Animad.

174 Et respondeo primò, quod debet deponi secundo modo, scil. ex aliqua ratione positiuè contraria.

175 Ratio fundamẽtalis est. Quia vnum iudicium intellectus positiuũ non potest auferri, nisi per aliud contrarium: quia ratio tantum rationi cedit, non voluntati, quæ non est sibi contraria.

1. Concl.
1. Ratio.

176 Deindè probatur impugnando oppositam sententiã. Primò. Quia posset quis ex duobus cõcurrentibus, vel pluribus ad aliquam dignitatem eligere quemlibet etiam indignum: nam posset ex suo libito habere aliquod dictamen eum esse aptum ad dignitatẽ. Secundò. Quia posset quis deponere etiam conscientiam rectã, vel probabilem. Tertiò: Quia voluntas nullo modo potest moueri ad exẽcutionem operis rationabiliter ex solo beneplacito. Vltimò specialiter impugnatur exemplum Caiet. qui tenet contrariam sententiam, vt statim referam de muliere ornante se. Ait enim ipse, quod si aliqua mulier audiret ab aliquo cõcionatore, esse peccatum ornare se capillis alienis, quia esset quoddam genus mendacij, posset illa ornare se excludendo talem opinionem, vel errorem absque vlla ratione contraria, sed solum pro suo libito, affirmando illam falsam.

2. Ratio.
Caiet.

177 Impugnatur, inquã, hoc exẽplum tali pacto. Vt hæc mulier licitè posset se ornare alienis capillis, deberet habere iudiciũ aliquod, quod non esset peccatum: Istud autem iudicium non potest habere ex sua libera volũtate, sed solum ex aliqua ratione conuincente. E. g. quia hoc audiuit ab alio prędicatore, quod illud dixerit concionator ille exagerationis causa, vel aliqua alia simili ratione. Nam vt ait Arist. 3. de Anim. cap. 3. Non est in nostra potestate opinari, aut non opinari. Neque vllus absque aliquo principio potest iudicare: an astra sint paria, vel imparia. Hanc sẽtentiam magis communiter sequuntur Theologi, & sunt aliqui de quorũ numero est. Merol. de consc. disp. 3. cap. 2. dub. 2. qui reputant eam improbabilem.

Arist.
Merolla.

178 Respondeo secundò. Non opus est, vt iudicium erroneum ratione aliqua conceptum semper efficaciori ratione, vel fundamento probabiliori contrario deponatur, sed sufficit ad eum deponendum ratione probabili contraria. Ità Sãch. in summa lib. 1. cap. 11. n. 10. Merol. loc. cit. & alij.

2. Concl.
Sanchez.

179 Ratio est. Quia sufficit ad rectam operationem regula rationis probabilis; Neque opus est sequi sẽper opinionem probabiliorem, vt infra *Deo* dante dicemus.

Ratio.

180 Ex hac nostra sententia his duabus responsionibus explicatis, se-

Digitized by Google

quitur quod si aliquis ad suum libitū cōscientiā deponeret, peccaret ea culpæ specie, cuius speciei esset operari *directè* contra ipsam conscientiam erroneam nullo modo exclusam. Nā semper ipsa viget, vt dictum est. Ità Sanch. & Merol. locis cit. Ergo &c.

Sententia opposita Caiet.

180 Contra primam responsionem est Caiet. in comment. super Art. 5. & 6. simul, dicens depositionem conscientiæ erroneæ fieri posse non solum per oppositam rationem, aut veritatis cognitionem, sed etiam per exclusionem (vt ipse loquitur) ad applicationem ad opus. Hoc est per exclusionem erroris absque vlla ratione. Sed solum non acceptando illum, neque applicando ad opus. Exemplificat suam doctrinam, hoc exemplo. Si mulier audiens à concionatore, quod sit peccatum mortale vti capillis alienis ad ornatum, quia est simulatio, & concipiat hunc errorem; & ex alia parte trahatur appetitu ornandi se capillis alienis; quod possit ipsa vti capillis alienis absque peccato solum non aeceptando illam opinionem, vel errorem, nec applicando ad opus: quamuis nesciat soluere rationes incontrarium, vel habeat rationes aliquas, quæ dicent nō esse peccatum.

Ratio Caiet. Medina, Nauarrus, Valentia. Azorius, Sayrus.

181 Ratio ipsius est. Quia cōsciētia erronea tunc obligat, quando acceptatur, & applicatur ad opus: In hoc casu nullo modo acceptatur, Caiet. sequuti sunt Med. in hoc Art. 5. dub. 3. Nauar. cap. si quis etiam n. 62. de pænit. dist. 67. Valen. Azor. Sayr. & alij, vt refert Merol. loc. cit. n. 12. in fine.

Respōsio.

182 Sed respondetur eius rationi, quod si non adsit iudicium, vel ratio contraria illum errorem excludens, semper virtualiter acceptatur: nam semper viget, vt supra declaratū est.

2. Sentēt. opposita Bonacinæ.

183 Contra etiam nostram primā respōsionē videtur esse Bonac. de peccatis disp. 2. q. 4. p. 6. nu. 30. cum multis authoribus, quos ibi refert, dicens conscientiam *temerè* conceptam, & absque fundamento posse deponi sine ratione contraria. Quia res per causas, per quas nascitur, per easdem dissoluitur.

184 Sed hæc sententia non est nobis contraria; nam nos loquimur de conscientia erronea contracta aliqua ratione, vel fundamento apparenti. Conscientia enim, quæ sine vllo fundamento, & ratione contrahitur, etiā sine vllo fundamento, & ratione relinqui potest. Quis hoc negabit? Si gratis error contrahitur, gratis, & ad libitum relinqui potest.

3. Sentent. Vasq. & Montes.

185 Contra secundam responsionem est Vasq. hic disp. 67. cap. 1. n. 4. & Montes. infra q. 21. ar. 4. disp. 29. q. 6. §. 2. n. 266. in fine, dicentes requiri rationem efficaciorem contrariam ad deponendam conscientiam erroneam.

Ratio. Vasquez.

186 Ratio Vasquez est. Quia minus efficax ratio non est sufficiens ad generandum assensum contrarium, & extirpandum errorem.

Respōsio.

187 Respondetur, quod quamuis non sit sufficiens ad destruendum errorem, est sufficiens ad regulandum opus contrarium.

LECTIO III.

Vtrum operari secundum conscientiā erroneam sit peccatum?

188 DIximus in præcedentibus lectionibus, quod operari contra conscientiam erroneam non rationabiliter depositam, sit peccatum, modo quæritur: an operari conformiter ad conscientiam erroneam, sit etiam peccatum. Et supponitur etiam hic, quod alia sit conscientia erronea culpabilis: alia inculpabilis.

1. Concl.

189 Respondeo primò: Quando conscientia erronea est culpabilis, & dictat aliquid esse sub præcepto, quod reuera prohibitum est, vt si dictet teneri quempiam furari, vt subueniat pauperi, peccatum erit se cō-

for-

Digitized by Google

formare huic conscientiæ, scilicet furari, & peccatum etiam erit contra illam ire, scilicet non furari ad subueniendum pauperi. Ita D. Tho. in hoc Art. 6. & cum eo communiter Theologi.

D. Thom.

190 Ratio est. Quia ignorantia, siue error vincibilis, ex vna parte non excusat, & ex alia parte conscientia sequenda est, quia est regula immediata nostrarum actionum.

Ratio.

191 Sed obicies. Ergo iste talis necessariò peccabit, & non liberè: nàm si sequitur conscientiam, peccabit, si nõ sequitur, peccabit. Quid ergo acturus est?

Obiectio.

192 Respondeo cum D. Th. ad 3. quod non peccabit *necessitate absoluta*, sed *necessitate ex suppositione*. Suppositа enim sua ignorãtia culpabili, quam liberè potest deponere, peccat. Vndè sibi hoc imputet. Sicut (vt vtar exemplo eiusdem D. Tho.) suppositо, quod quis ex inani gloria vult facere, quod debet, vt audire sacrum, peccabit, siuè dimittat sacrum, siue non dimittat. Non enim est aliquis in similibus casibus *necessariò*, & *absolutè* perplexus, sed tantum facta suppositione. Quia est ipsi voluntaria ignorantia, vel inanis gloria.

Respõsio ex D. Th.

193 Respondeo secundò; Quando cõscientia est inculpabilis, siuè inuincibilis, & dictat aliquid esse bonũ, quod re vera malum est: vt si dictaret esse mentiendum ad saluãdam vitam proximi; tunc operari secundum istã conscientiam est bonum, & actus illius virtutis, cuius esset, si obiectum, ita esset à parte rei. Ita cõmuniter Theologi. Ratio est, quia voluntas in eo casu fertur in malum materialiter sub ratione boni.

2. Concl.

194 Maior difficultas est, quando ignorantia est inuincibilis, & errans iudicat vtramq; partem contradictionis, esse peccatũ. E. g. si pastor ouium ex vna parte iudicet esse peccatum in die festi non audire sacrum, & ex alia parte iudicet esse peccatum relinquere oues sine custodia: Nec sciat inculpabiliter quam partem debeat sequi. Quid acturus est in isto casu: peccabit nè sequendo alterutram partem?

195 Et respondeo tertiò. Hunc nullo modo peccare, siuè sequatur vnam partem, siuè aliam. Ita Sãch. in summa loco sup. cit. Art. 14. Merol. etiam loc. cit. dub. 3. num. 21., & alij apud eosdem auct.

3. Concl. Sanchez Merolla.

196 Prima ratio est. Quia huic non est liberum culpam vitare; Sed agere contra conscientiam absque libertate, non est peccatum: Ergo, &c. Maior probatur. Quia quidquid faciet, erit peccatum: Ergo non pendet à sua libertate vitare peccatum. Minor etiam patet. Quia libertas est fundamentum, vel conditio requisita ad culpam.

1. Ratio.

297 Confirmatur; Quia quamuis possit admitti hũc *physicè* liberè operari, non tamen *moraliter*.

Confirm.

198 Secunda ratio est. Quia alioqui daretur perplexitas absoluta, & simpliciter, quam omnes DD. negãt. Nàm daretur status, vel casus, in quo quis sine culpa sua necessariò deberet peccare.

2. Ratio.

199 Tertia ratio; Quia ad impossibile nemo tenetur: sed impossibile est fimùl adimplere dicta præcepta: Ergo, &c,

200 Limitatur autem hæc respõsio, vt sit vera, quando vtraque pars contradictionis apparet æqualis culpa. Nàm si altera appareret grauior, non posset licitè eligi, sed deberet eligi leuior. Quia ex duobus malis minus est eligendum. Sed quid si quis eligeret, id quod apparet maius peccatum? Tunc dico, quod si esset hoc maius peccatum veniale, esset tantum electio venialis. Si autem esset mortale, & id, quod relinquitur veniale esset mortale. Si verò vtrumq; esset mortale, & vnum appareret grauius alio, secundum leuem quendam excessum, esset venialis electio; si autem esset excessus grauis, esset mortalis. Ita Merolla loc. cit. num. 23. & 24.

Limitatio 3. Concl.

Merolla.

201 Contrà tertiam respõsionẽ, sunt aliqui Theologi, quos tacito nomine refert Sanch. loc. cit. dicentes esse pec-

Sententia oppositа cõtra tertiam conclusionẽ.

se peccatum eligere alterutrum in prædicto casu. Adduntque casum esse impossibilem: nam pertineret tũc ad diuinam prouidentiam sic errantẽ illuminare. Hanc sententiam expressè tenet Med. q. 1. super hunc Art. 6. relatus ab eodem Sanch. eãdemq; reputat probabilem etiam ipsemet Sanch. Mediua

202 Et ego quidem (si fas est interponere meũ iudiciũ) reputo impossibile, quod Deus destituat aliquẽ in tali perplexitate, quando ità piè est affectus, vt reuera Deum nolit offendere, sed potius eum illuminabit quodnam præceptũ prælaturus sit.

Ratio huius sententiæ. 203 Sed audiamus rationem huius sententiæ. Dicunt, quod in eo casu quis liberè amplecteretur alterutram partem: Nam esset ibi obiectum malum cognitum, & voluntas expedita ad amplectẽdum vnum ex duobus, vt patet in exemplo allato; posset enim pastor relinquere gregem, & audire Sacrum, vel omittere Sacrum, & custodire gregem.

Respõsio. 204 Sed respondetur, neg. ant. Neque eius probatio vrget; Quia tũc ex circumstantijs loci, & temporis, & alijs quodamodo esset coactus pauperculus pastor ad determinandum se ad vnam partem.

LECTIO IV.

Quod nam peccatum maius sit agere contra conscientiam erroneam culpabilem: an ipsam sequi, vel ei se conformare?

Concl. 205 REspõdeo non posse assignari certam regulam. Sed considerandã esse materiã, circa quam versatur conscientia erronea in agendo, vel non agendo. Ità communiter Theologi.

Ratio Cõclus. quoad 1. partem. 206 Ratio primæ partis responsionis est. Quia quandoque accidere potest, vt leuius peccatum sit conformare se conscientiæ erroneæ vincibili, quam operari contra illam. Nam si quis iudicaret ex conscientia erronea se esse obligatũ ad mẽtiendũ ad saluandum vitam proximi; tunc si mentiretur, esset leuius peccatum, quã si non mentiretur. Quia dum mentitur committit tantum peccatum veniale, cum sit mendacium officiosum: dum non mentitur, committit peccatũ homicidij, quod est grauius. Quãdoque verò è contra accidere potest, vt grauius peccatum sit conformare se conscientiæ erroneæ, quam agere contra illam. E. g. si quis existimat conscientia erronea, se peccare, si non furatur ad dandam eleemosynam, tunc si furatur maius peccatum committeret, quam si nõ largiretur eleemosynam, quia furtum est grauius peccatum, quam non largiri eleemosynam ex superfluis, vel ex furto, cum illud sit mortale ex genere, hoc autem veniale.

Ratio quo ad 2. partem. 207 Ratio autem secundæ partis responsionis est. Quia obligatio conscientiæ non est diuersa ab obligatione materiæ, vel præcepti, quod ponit sequendum, vel fugiendum: Ergo ex tali diuersitate consideranda est grauitas, vel leuitas peccati.

LECTIO V.

An conscientia erronea propriè dicatur obligare?

Animad. 208 PRo huius difficultatis breui resolutione supponendum est contra Duran. quod nulla sit differentia inter *obligare*, & *ligare*. Primò quia D. Th. confundit hæc duo vocabula, & pro eodẽ vsurpat *ligare*, & *obligare*, vt patet art. 5. & 6. huius quæstionis in principio corporis cuiusque art. & p. p. q. 79. art. 13. Secundò. Quia lex conscientiæ non ligat *physicè*, sed tantum *moraliter*, quod idem est, ac *obligare*. Et tertiò. Quia si attendamus rigorem gram-

Digitized by Google

grammaticalem Verbum *obligare* differt à verbo *ligare* tamquam verbum compositum a simplici; Vndè habent eandem significationem. Hoc posito.

Concl. 209 Respondeo generaliter loquendo. Siuè conscientia erronea sit vincibilis, siuè inuincibilis in rigore obligat.

1. Ratio ex S. Th. 210 Probatur, ex D. Th. in hoc art. 5. quem commentamus, vbi docet, quod non licet discordare à conscientia erronea: Ergo obligat. Probatur consequentia. Quia si non licet discordare ab ea: Ergo neque licet facere contra eam: Ergo debemus facere secundum eam. Nam licet quis teneatur deponere conscientiam erroneam, si sit vincibilis; nihilominus si ipsam non deponit, debet facere secundum eam.

2. Ratio. 211 Secundò probatur ratione satis efficaci. Nam conscientia est regula immediata nostrarum operationum: Ergo debemus operari secundum eam: Ergo obligat, siuè sit vincibilis, siuè inuincibilis: nã nil aliud est *obligare* quam operati secundum eam.

3. Ratio. 212 Tertiò probatur etiam contra ipsum Durandum. Quia per ipsum conscientia erronea ligat: Ergo etiã obligat, cum in rigore loquendo nulla sit differẽtia inter *ligare*, & *obligare*. Ità magis communiter Theologi.

1. Sententia Durã. 213 Contra hanc sententiam nostram est Durand. in 2. dist. 39. q. 5. n. 7. vbi antequam determinet suam sententiam, supponit, quod aliud sit *ligari*, & aliud *obligari*. *Ligari* est, quando quis ità est dispositus, & determinatus ad vnam partem, vt non possit procedere ad partem oppositã sumpta metaphora ab eo, qui ligatus est corporaliter, qui non potest ire per hanc, vel illam viam, per quam sibi libuerit. *Obligari* autem est quãdo quis debet facere id, ad quod obligatur, ità vt si non faciat quantum est ex parte sua, non liberatur ab obligatione. Hoc posito dicit primo Durandus quod cõsciẽtia erronea ligat.

214 Ratio est. Quia voluntas non potest operari contrarium eius, quod cõsciẽtia erronea dictat. Dicit 2. quod cõsciẽtia erronea non obligat. 1. Ratio Durandi.

215 Ratio fundamentalis, & potissima est. Quia nullus obligari potest ad faciendum id, quod reuera illicitum est. 2. Ratio.

216 Secundò. Quia adueniente notitia, siuè cognitione contraria cõsciẽtiæ erroneæ, reuera tollitur obligatio: Ergo signum est, quod conscientia erronea non obligabat. Hæc sententia placuit Val. hic disp. 2. q. 14. p. 4. quæ reuera non est consequens, nam si conscientia erronea ligat, etiam obligat. Imo per ipsum Durand. non licet facere contra conscientiam erroneam: Ergo debet fieri secundum eam, ac proindè obligat. Confirm.

217 Respondetur ergo duabus rationibus dicti secundi, quod est contra nos. Ad primam dicitur, quod per se loquendo nullus obligatur neque obligari potest ad faciendum malum, per accidens autem & ratione conscientiæ erroneæ, siuè ignorãtiæ vincibilis, vel inuincibilis proponentis malum sub ratione boni obligari potest. Respõs. ad 1. rationẽ.

218 Ad secundam dicitur, quod in re cõscientia erronea non obligabat, in appræhẽsione autẽ obligabat. Respõsio ad 2.

219 Secunda sentẽtia nobis contraria est Vasq. hic disp. 60. cap. 2. n. 5. quem sequutus est Merol. disp. 3. de conscientia erronea cap. 2. dub. 4. qui dicit duo. 2. Sententia opposita Valquez.

220 Primum quod conscientia erronea ex ignorantia *vincibili* obligat *negatiuè*, non *positiuè*. Idest obligat, vt non faciamus contra eam: non verò obligat, vt faciamus secundum eam. Ratio primæ partis est. Quia obligat, ne fiat contra ipsam, siuè ne discordemus ab ea. Ratio secundæ partis est fundamentum Durandi, quia nullus obligatur *positiuè* ad faciendum malum. 1. dictum Vasq. & eius Ratio.

221 Dicit secundo quod conscientia erronea ex ignorantia *inuincibili* obligat, siuè ligat *positiuè*. 2. Dictum.

222 Ratio est. Quia inter obliga-

re

Ratio 2. dicti. rè *negatiuè*, & *positiuè* respectu huius conscientiæ non datur medium: Nam si daretur medium, maxime esset deponere conscientiam erroneam: At hoc fieri nequit, alioqui non esset *inuincibilis*. Respectu autem conscientiæ erroneæ *vincibilis* datur hoc medium, quod debet deponi. Hæc sententia quoad primum dictum iuxtà censuram Montesini quamuis acuta sit, est nihilominus falsa, & contra D. Th.

223 Primo ex *D.* Paulo ad Gal. 5. ibi: *Testificor omni homini circumcidēti se, quod debitor sit vniuersæ legis faciendæ.* Vbi S. Paulus indistinctè loquitur de conscientia erronea, siuè *vincibili*, siuè *inuincibili*, & dicit, quod obligat ad obseruandū vniuersam legem Moysi. Vide commentarium D. Th. ibi lect. 5.

Impugnatur sentētia Vasq. quoad 1. dictum.

224 Secundò. Quia ex D. Th. in hoc art. 5. ad 2. per accidens quis *positiuè* obligatur ad faciendum malū ex conscientia erronea. Et art. 6. ait, quod nullus potest esse perplexus absolutè, hoc est obligatus ad faciendum malum *positiuè*, sed tantum ex suppositione conscientiæ erroneæ.

Impugnatur 2. ex D. Th.

225 Tertiò. Quia si conscientia erronea *vincibilis* obligat *negatiuè*: Ergo obligat *positiuè*. Probatur consequentia, nam si quis non facit secundum illam, & operetur *positiuè* id, quod dictat: Ergo facit contra illam: nam non facere secundum illam est facere contra illam.

Impugnatur tertiò.

226 Respondet Vasquez neg. cōs. & quia datur mediū inter obligare *negatiuè*, & *positiuè* scil. deponere conscientiam.

Euasio Vasquez.

227 Sed contra primò. Quia supponamus, quod conscientia erronea *vincibilis* perseueret, & non deponatur; tunc nullum erit medium.

Recluditur.

228 Secundò. Quia quamuis ille, qui habet conscientiam erroneam *vincibilem*, teneatur illam deponere ex generali quadam obligatione, nihilominus ipsa conscientia erronea non dictat, quod deponatur, sed secundum se obligat. Aliud enim est quod vnusquisq; teneatur deponere conscientiam erroneam *vincibilem*, & aliud quod ipsa conscientia erronea *vincibilis* obliget. Obligare namque est, nè faciamus contra eam. Et per hæc patet ad suum primum dictū; imò fundamentum ipsius solutum est in solutione primæ rationis Durandi.

Secundò.

LECTIO VI.

An magis obliget præceptum Prælati, quam conscientia erronea?

229 DIfficultas in eo consistit: An potius parendum sit conscientiæ erroneæ dictanti aliquid contra præceptum Prælati, quā præcepto ipsius Prælati?

230 Pro quo notandum est, quod stante præcepto Prælati, conscientia potest esse erronea vincibiliter, vel inuincibiliter. Quo posito.

Animad.

231 Respondetur primò. Si stante præcepto Prælati conscientia est erronea *inuincibiliter*, magis parendum est ipsi conscientiæ, quam præcepto Prælati; Siuè magis obligat conscientia, quam præceptum Prælati. Ita colligitur ex *D.* Th. in 2. dist. 39. q. 3. Art. vlt, ad 3.

1. Concl. D. Tho.

232 Ratio est. Quia conscientia est proxima regulà nostrarum operationum, & magis proxima, quam præceptum Prælati, cum per ipsam proponatur præceptum Prælati.

1. Ratio

233 Secundò. Quia conscientia id, quòd dictat, dictat tāquam præceptū Dei: quādo autē dictat præceptū Prælati, dictat illud, tanquam præceptum humanum *directè*, & ex consequenti, & *indirectè* tanquam præceptum Dei.

2. Ratio.

234 Respondeo secundò. Si vrgente præcepto Prælati conscientia est erronea *vincibiliter*; tunc magis parendum est præcepto Prælati, quā conscientiæ. Ratio est. Quia in eo casu præceptum Prælati obligat ad de-

2. Concl.

po-

Digitized by Google

ponendum conscientiam erroneam, & obediendum sibi. Prætereà. Quia tutius est, quando aliter non constat euidenter de rei veritate, sequi iudicium, & operationem Prælati.

235 Respondeo tertiò. Si conscientia erronea *vincibilis* perseuerat stante præcepto Prælati, plus obligat, quam præceptum Prælati. Ratio est ex dictis. Quia est immediata regula nostrarum operationum, qua mediãte ipsum Prælati præceptum vim obligandi habet.

1. Sentét. opposita.

236 Prima sententia nobis contraria videtur sententia D. Tho. loc. sup.cit. quatenus absq; vlla distinctione docet magis obligare conscientiã erroneam, quam præceptum prælati. Quam sententiam sequutus est Med. hic Art. 5. q. 3. sed re vera docet primã nostram responsionem, & tertiam.

2. Sentent. contraria Alensij D. Antonin. Siluestri.

237 Secunda sententia est Alensis D. Ant. Ang. Siluest. apud Merol. disp. 3. de cons. erron. cap. 2. dub. 5. dicentium plus obligare præceptum Prælati, quam conscientiam erroneam.

238 Primò. Quia Prælatus præcipit potestate deriuata à Deo. Secundò. Quia conscientia deponi potest præcipiente Prælato. Tertiò; Quia alioqui daretur occasio subditis discolis non obediendi: facilè enim possent respondere; conscientia mea aliter dictat.

Explicatur hęc sẽtia.

239 Hæc sententia vera est iuxtà secundam nostram responsionem, & quando non clarè constat de veritate rei, & ipse Prælatus habetur tamquã vir doctus, & prudens. Alioquin simpliciter intellecta falsa est, & satisfit suis rationibus.

Responsio ad rationes huius sententiæ.

240 Ad primam, quia potestas deriuata à Deo magis relucet in ipsa cõscientia, quam in præcepto Prælati; imò per conscientiã proponitur ipsũ Dei præceptum. Ad 2. quod potest, & debet deponi à subdito conscientia, quãdo Prælatus iudicatur vir doctus, & prudens. Ad 3. quòd nullo modo datur occasio religiosis discolis non obediendi: quia semper tenẽtur obedire Prælato iustè, & prudenter præcipienti, & facilè apparet vincibilitas conscientiæ eorum.

3. Sentent. oppositа Moroll.

241 Tertia sententia est ipsius Meroll. loc. cit. qui primo dicit, quod quia conscientia *vincibiliter* errat, plus obligat, quam præceptum Prælati. Quia is conscientiam sequendo non peccat: obediendo autem delinquit contra ipsius conscientiæ dictamen, quamdiù non deponitur. Dicit secundò, quod quãdo *vincibiliter* errat, plus obligat *intensiuè*, quam præceptũ Prælati. Quia est regula immediata nostrarum operationum, qua mediante præceptum prælati vim habet.

242 Dicit tertiò, quòd si conscientia erronea sit *vincibilis*, *extensiuè* plus obligat præceptum Prælati, quam conscientia. Quia præceptum Prælati obligat ad deponendum conscientiã, & sibi obediendum; conscientia autẽ obligat tãtum ad se sequendum. Vltimò determinat duas nostras responsiones.

243 Certè hæc sententia quo ad 2. & 3. dictum mihi superflua videtur: nullo enim modo conscientia erronea vincibilis obligat concurrente præcepto Prælati. Quia deponi debet. Quod si deponi nequit aliqua vrgente ratione, tunc fit *inuincibilis*, & magis obligabit, siuè *intensiuè*, siuè *extẽsiuè*, hoc parum refert.

244 Addo, quòd si conscientia *vincibiliter* errãs perseueret, plus obligat iuxtà tertiam responsionem. An autem plus *intensiuè*, vel *extensiuè*, parum ad rem.

LECTIO I.

De conscientia dubia.

Vtrum operari cum conscientia dubia sit peccatum?

1. Anim.

245 DVplex est dubium: practicum, & speculatiuum. Speculatiuum est, quandò quis absq;

Digitized by Google

ordine proximo ad operationem in exercitio ponendã dubitat: an sit licita: vel illicita? Vel vt alij dicũt, quãdo in genere quis dubitat: an aliquid sit peccatum: vel non. E.g. an sit licitum iterfacere die festo, vt sic, & in communi. Practicum, quando quis cum ordine immediato ad opus dubitat: an sit licitum: vel non: siuè quãdo ipso tẽpore faciendi opus dubitatur: an sit licitum: vel illicitum, id quòd faciendum est. E.g. dùm quis est iam accinctus ad iterfaciendum in die festo; dubitat: an sit licitum: vel illicitum iterfacere. Hinc infertur, conscientiam dubiam duplicem esse speculatiuam; & practicam.

246 Præterea notandum est, quod
2. Anim. ex dubio speculatiuo semper debet inferri in praxi simile iudicium, vel dubium practicum, nisi sit aliqua ratio, vel circumstantia vrgens ad variandum ipsum iudicium, vel dubiũ practicum: E.g. si quis in cõmuni dubitat; an sit iterfaciendum in die festo: occurrente die festo, & itinere, debet habere idem iudicium dubium: an hic, & nunc, sit iterfaciendum, nisi aliqua specialis ratio, vel circumstantia dictet illo tunc licitum esse iterfacere: nempè quia agitur de salute proximi spirituali, vel temporali in extremo longè constituti.

246 Demum notandum est, quod
3. Anim. habenda est ratio potiùs conscientiæ practicæ, quam speculatiuę. Et ratio est. Quia cum conscientia practica dicat immediatiorẽ, & proximiorem ordinem ad operationẽ, est proximior, & immediatior regula nostrarũ operationum. His notatis.

248 Respondeo primò. Operati
1. Concl. & eius Ratio. cum conscientia practica dubia peccatum est. Ratio est. Quia qui in hũc modum operatur, exponit se periculo peccandi. Qui autem se exponit periculo peccãdi, peccat, iuxtà illud Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

249 Respondeo secundò: Quì
2. Concl. operatur cum conscientia practica dubia, committit peccatum eiusdem speciei, cuius speciei est peccatum, cuius periculo se exponit; Verbi causa, si dubium sit: an sit peccatum adulterij, committit peccatum adulterij, & sic de alijs.

250 Ratio est. Quia dùm est dubius, & stante tali dubio operatur, vi- Ratio.
detur habere affectum ad obiectum peccati, de quo est dubium.

251 Respondeo tertiò: Operari
3. Concl. cum conscientia dubia speculatiua tãtum, scilicet variata ex rationabili causa in praxi, nullum est peccatum.

252 Ratio est. Quia conscientia pra-
Ratio. ctica est immediata regula nostrarũ operationum. Ita communiter Theologi.

LECTIO II.

Vtrum in dubijs tutior pars sit eligenda?

253 OCcasione explicãdi hãc difficultatem Doctores multa tradunt pertinentia ad diuersas materias: ad materiam de legibus, de voto, de irregularitate, ac de alijs. Ego in communi breuiter eam explicabo, cum nõ sit mens ea, quæ proprijs sedibus tradenda sunt in particulari huc reducere, vbi agitur de rebus moralibus in communi.

254 Pro qua explicanda, noto pri-
1. Anim. mo, quod duplex sit dubium: alterum iuris: alterum facti. Dubium iuris est, quando dubitatur: an lex aliqua posita sit. Potest etiam multis alijs modis accidere, quos hic non opus est adducere. Dubium facti est, quando non dubitatur de lege, sed de facto, seù opere: an sit contra legem.

255 Noto secundò, quod illa pars
2. Anim. dicitur tutior, in qua eligenda, nullum peccatum esse potest, vel quando ex duobus malis vnum necessariò eligẽdum est, eligitur minus, relicto graui ori. Ita colligitur ex DD. communiter hic, ex multis textibus canonicis, quos ipsi referunt. His notatis.

256 Re-

Digitized by Google

Conclusio & eius Ratio.

256 Respondeo. Regulariter loquendo, siuè in dubio iuris, siuè in dubio facti, quãdo non obstat possessio ex altera parte, & ipsæ partes omninò sunt æquales, semper est eligenda tutior pars. Hæc responsio in sequentibus lectionibus magis explicabitur; pro nunc probatur breuiter. Quia semper malum vitandum est.

Sententia opposita.

257 Contrariam sententiam tenẽt aliqui apud Vasq. hic disp. 65. cap. 3. asserentes, quod in dubio facti tutior pars sit eligenda, non verò in dubio iuris, quos optimè confutat num. 11. hac ratione.

Impugnatur Vasq.

258 Quia tota ratio, cur in dubio facti tutior pars est eligenda, est, ne fiat id, quod reuera malum est: sed idem periculum esse potest in dubijs iuris: Ergo siue in dubio iuris, siue in dubio facti semper tutior pars est eligenda. Est autem intelligenda hæc impugnatio cũ grano salis ne retorqueatur contra nos; nimirum vt semper vera sit, quando non obstat possessio in materia quarumcumque virtutum, vt dicemus infra, in quo casu potest sequi pars minùs tuta.

LECTIO III.

Vtrum teneamur dubia in meliorem partem explicare?

259 HAnc difficultatẽ tractat D. Th. 2. 2. q. 67. art. 4. & ibi diffusè cum eo Interpretes; ego obiter, & breuiter hìc illam tangam. Et in eo consistit: An actiones indifferentes, quæ tàm ob bonum, quàm ob malum finem fieri possunt, quis credere debeat factas ob malum finem: An dũ quis habet indicia aliqua ad iudicandum aliquod crimen fuisse commissum ab aliquo, teneatur credere non fuisse ab eo commissum?

Animad. ex Caiet.

260 Pro cuius difficultatis expositione notandum est ex Caiet. loc. sup. cit. & alijs, quod dubium aliquod dupliciter interpretari potest: vno modo *negatiuè*, scil. neque affirmando, neque negando aliquid, sed suspendendo iudicium: altero modo *positiuè* scil. actu positiuo iudicando, siuè *affirmatiuè*, vel *negatiuè*. Hoc posito.

1. Concl.

261 Respondeo primo. Regulariter loquendo tenemur dubia interpretari *negatiuè* in meliorem partem, hoc est suspendendo iudicium. Ità Caiet. ibi, & alij Theologi communiter contra Sotum lib. 3. de iust. q. 4. art. 4.

Probatur 1. ex Sac. Scriptur.

262 Probatur ex illo Matth. 7. *Nolite iudicare.* Item ex illo ad Rom. 14. *Qui non manducat, manducantem non spernat.*

Probatur 2. ratione.

263 Demum ratione. Quia proximus non habet ius, vt de illo benè *positiuè* opinemur, siuè iudicemus, sed tantum ne malè iudicemus: quia malè iudicare de alio est iniuriosum, & contra iustitiam.

Confirm.

264 Confirmatur. Quia malè iudicare de re dubia est quædam certa pœna pro re incerta.

2. Concl.

265 Respondeo secundò. Ex suppositione, quod quis vult ferre iudicium *positiuum* de aliquo, tenemur semper dubia in bonam partem interpretari. Ità D. Tho. loco cit. & alij Theologi cum eo.

1. Ratio ex D. Th.

266 Ratio est ipsius D. Th. Quia dum aliquis habet malam opinionẽ de aliquo absque sufficienti causa, iniuriatur ei, & contemnit ipsum: sed quando res est dubia, non est sufficiẽs causa, ad ferendum iudicium certum *positiuum*, & malum de eo: Ergo &c. Maior est certa. Quia vnusquisque habet ius ad bonam sui opinionem, nisi sint sufficientia indicia contraria. Minor etiam est certa. Quia dum quis fert iudicium certum de re dubia, & incerta, potest esse falsum in re.

2. Ratio.

267 Secundò probatur, Quia in dubijs melior est conditio possidentis, vt in seq. Lect. dicemus: sed proximus in hoc casu bonam possidet famam: Ergo &c.

268 Obicies contra hanc responsionem. Fieri potest, vt dum quis benè

1. Obiect. & respõsio ex D. Tho.

nè *positiuè* iudicet in dubijs, erret: Ergo &c. Huic argumento respondet. D. Th. loc. cit. ad 1. quod melius est errare iudicando benè de proximo, quam non errare malè iudicando; nam errare benè iudicando, non est peccatum, cum hoc iudicium sit conforme appetitui recto, vt dicitur 6. Eth. errare autem malè iudicando est peccatũ, quia læditur fama proximi.

2. Obiect.

269 Obiicies secundò. Si audio aliquã propositionem hæreticam ab aliquo, possum iudicare illam esse hæreticam: Ergo etiã possum iudicare proferentem illam hæreticum.

1. Respõs. ex D. Th.

270 Huic argumento respondit *D.* Th. loc. cit. ad 2. neg. cons. quia aliud est iudicare de rebus, aliud de hominibus, quãdo iudicamus de rebus, nulli fit iniuria; quando iudicamus de hominibus, fit eis iniuria.

2. Respõs.

271 Secundò etiam respondetur neg. cons. Ratio disparitatis est. Quia iudicando illam propositionem hæreticam, fertur iudicium certum de illa ex certis fundamentis fidei; & iudicando proferentem hæreticum, nõ habetur certum fundamentum, cum potuit esse, quod protulerit illam hæresim non ex intentione; sed ex inaduertentia. Idem dicitur de alijs actionibus malis, quæ nullo modo excusari possunt. Semper enim excusari potest intentio, quod fecit, vel inaduertentia, vel aliquo huiusmodi.

3. Concl.

272 Respondeo tertiò. Quando agitur de aliquo damno vitando, vel de aliquo remedio adhibẽdo ad precauendum mala nostra, licitum est ex suppositione *positiuè* malè interpretari dubia. Hoc est, non existimãdo proximum improbum, & malum absolutè; sed ex suppositione, quod possit esse, vel fieri talis. Ità *D.* Tho. loc. cit. ad 3.

1. Ratio ex D. Th.

273 Ratio D. Th. est. Quia sic adhibetur remediũ efficacius; sed hoc non probat, quod mala sint in deteriorem partem interpretanda.

2. Ratio.

274 Secunda ratio principalis, & fundamentalis est. Quia nõ repugnat rectæ rationi adhibere media ad precauenda mala, quæ propter prauam hominum inclinationem, & dispositionem, quamuis incerta, possumus incurrere.

3. Ratio.

275 Tertia ratio. Quia licitum est cum damno famæ alterius aperire delictum ad euitandum proprium, vel alterius damnum: Ergo &c. Ita communiter Theologi, & specialiter Sanch. lib. 1. suæ sum. cap. 7. n. 17. vbi testatur hãc esse communem Doctorem sententiam, vt iam dixi.

LECTIO IV.

An in dubijs pertinentibus ad materiam iustitiæ melior sit conditio possidentis?

Explicatio tituli.

276 EXplicatur tit. difficultatis. Possidet quis bona fide rem aliquam, de qua est dubium: an sit aliena; si iste adhibeat debitam diligentiam, & non reperiat: an possit illam licitè sibi retinere, vel alienare ea tantum ratione; quia possidet bona fide illam.

Animad.

277 Vbi singulariter aduertendũ est, quod loquimur de possessore bonæ fidei: nam certum est, quod possessor malæ fidei non potest eam sibi retinere, vel alienare, sed tenetur adhibere diligentiam ad inquirendum Dominũ, & si facta diligentia, adhuc perseuerat dubium, debet illam diuidere pro rata dubij inter eos, de quibus dubitatur, an sint Domini. Ità communiter.

Conclus. & eius Ratio.

278 Et respondeo breuiter affirmatiuè. Ratio est. Quia in dubijs melior est conditio possidentis: ex reg. Iuris in 6. 65. vbi dicitur. *In pari causa, vel delicto melior est conditio possidentis.* Ratio autem, cur in pari causa melior sit conditio possidentis, est. Quia in dubio possessor præsumitur à iure Dominus rei possessæ: nam præsumptio iuris habetur pro veritate, donec contrarium manifestè probe-

Digitized by Google

betur. Ità communiter Theologi hìc, & in materia de reſtitutione. Ex hac doctrina inferunt *DD.* plures caſus pertinentes ad materiã de reſtitutione, de voto, & alijs materijs, quos longũ eſſet hic tractare. Conſulere poteſtis *DD.* hic, & in propijs locis.

279 Contrariam ſententiam videtur tenere: Adrian. in 4. tract. de reſt. quæſt. de præſcript. §. hoc ſuppoſito, & alibi. Quia vt dictum eſt in dubijs tutior pars eſt eligenda: ſed tutior pars eſt reſtituere pauperibus id, quod cum dubio, an ſit alienum poſſidetur. Nam ſi reſtituetur, nullum eſt peccatum, & ſi retinetur, poteſt eſſe peccatum.

1. Sententia oppoſita Adriani, & eius Ratio

280 Reſpondetur quod regula illa tutior pars eſt eligenda in dubijs, intelligitur, quando oppoſitum non poteſt fieri ſine peccato. In noſtro autem caſu facta debita diligẽtia à poſſeſſore bonæ fidei, nullum peccatum eſt eam ſibi retinere propter rationẽ allatam. Vnde vtraque pars eſt tuta, ſi reſtituatur pauperibus, & ſi retineatur facta debita diligentia, nam nullũ eſt ibi peccatum, vt iam dictum eſt.

Reſpõſio.

281 Secunda ſententia eſt Soti lib. 4. de Iuſt. & iure q. 5. art. vlt. qui dicit, rem iſtam, de qua eſt dubium, diuidendam eſſe inter poſſeſſorem bonæ fidei, & pauperes, ſi dubium non ſit de determinata perſona, ſi verò ſit de determinata perſona, inter ipſum poſſeſſorem bonæ fidei, & hanc perſonam, quæ exiſtimatur Dominus.

2. Sententia Soti.

282 Ratio eſt, Quia vterque habet ius ad rem illam iuxtà qualitatẽ dubii. Reſpondetur, quod poſſeſſor bonę fidei ratione tituli poſſeſſionis bonæ fidei habet plenum ius, ſiue maius ius ſupra rem.

Ratio, & eius Præcinct.

LECTIO V.

An in materia aliarum virtutum melior ſit conditio poſſidentis, quando eſt dubium de aliqua re?

283 IN præcedenti lectione diximus in dubijs in materia iuſtitiæ meliorem eſſe conditionẽ poſſidentis, ac proindè dubitantem rem alienam eſſe, non teneri ad reſtitutionem, modò bona fide inceperit illam poſſidere, & adhibuerit debitã diligentiam ad reperiendum Dominum, quo non inuento, poſſe ſibi retinere, alienare, vendere &c. ea tantum ratione, quia bona fide incepit illam poſſidere. Modò quæritur, an non ſolum in dubijs pertinentibus ad materiam iuſtitiæ, verum etiam ad materiam aliarum virtutum, melior ſit conditio poſſidentis.

284 Et reſpondeo affirmatiuè. Ità Sanch. in Sum. lib. 1. cap. 10. n. 11. Bonac. de reſtit. diſp. 1. q. 2. p. 2. §. Incid. Merol. de conſc. diſp. 3. cap. 3. dub. 2 & plures alij, quos referunt authores prædic. loc. cit.

Concluſ. Bonacinæ Merolla.

285 Ratio prima eſt. Quia ideo in materia iuſtitiæ melior eſt conditio poſſidentis, quia inter poſſidentem, & non poſſidentem ius eſt æquale, quantum eſt ex parte dubii, ſed ex parte poſſidentis creſcit ius ob ipſam certitudinẽ poſſeſſionis, ſed hæc ratio æquè militat in materia aliarum virtutum. Nam quantum eſt ex parte dubii, eſt æquale ius obligationis inter virtutem, & voluntatem, ſed quãtum eſt ex parte voluntatis creſcit ius ratione poſſeſſionis ſuæ libertatis, dũ priuatio libertatis non probatur: E.g. ſi quis dubitet: an vouerit, vel non vouerit ieiunium, quãtum eſt ex parte dubii, eſt æquale ius inter vouentem, & ieiunium, ſed quantum eſt ex parte vouentis, creſcit ius ratione

1. Ratio.

poſ-

possessionis suæ libertatis, quousque non probetur manifestè priuatio suæ libertatis, scil ipsum vouisse; ac proinde, vt infra tangemus, non tenebitur ad ieiunium.

286 Dicet quis, quod illa maxima: In materia iustitiæ melior est cõditio possidẽtis fundatur in hoc, quod obligatio restituendi est odiosa, ac proinde restringenda. Et ideo vbi non est fundamentum certum obligans ad restitutionem, non debet fieri certa restitutio. Vndè valet tantum in materia iustitiæ. Euasio.

287 Sed contra. Quia etiam obligatio in quacũque materia est odiosa, siue sit obligatio restituendi, siue ieiunandi, siue faciendi quodcumq; aliud ex motiuo alterius virtutis. Vnde semper debet restringi eodem modo in quacumque materia. Præcl.

288 Secunda ratio est. Idem est iudicium in vtroque, foro interno, scil. & externo, quãdo forum externũ non nititur falsæ præsũptioni, quod est commune axioma iuristarum: sed in foro externo cognita veritate, quod dubia sit obligatio, siue sit iustitiæ, siuè alterius virtutis, nullus astringetur, sed pro libertate possessionis iudicabitur. Nam fauorabilior est causa rei, quam actoris, & actore non probante, reus absoluitur: Ergo idem dicendum est in foro interno. Minor explicatur, & probatur. Quia in exteriori foro si dubium sit: an quis vigesimum primum annum expleuerit; non cogitur ieiunare. Similiter si dubium sit: an vouerit non cogitur votum seruare. 2. Ratio.

289 Tertia ratio est. Quia possessio est titulus communis omnibus virtutibus: Ergo si suffragatur iustitiæ, debet suffragari aliis virtutibus. 3. Ratio.

290 Ex hac sententia sequitur decisio plurimorum casuum. Primò iudicandum esse in fauorem eius, quando dubitatur: an tale ius extet. Quia possessio stat pro subdito, qui possidet suam libertatem. Secundò dum quis dubitat æqualiter an emiserit votum, vel non, non teneri ad seruandũ votum, quia possessio stat pro libertate vouentis. Idem dicitur de eo, qui dubitat: an iurauerit: non enim tenetur ad implendum iuramẽtum propter eamdem rationem. Tertiò eum qui dubitat an alteri promiserit matrimonium, non teneri ad executionem promissionis. Quartò adulterum, qui dubitat, an proles suscepta sit sua, vel mariti adulteræ, non teneri ad educationem ipsius, & alia obsequia debita filiis, quia potest credere eam esse mariti ipsius adulteræ ob possessionem suæ libertatis. Ità Bonac. loc. cit. Alterum casum infert Bonac. loc. cit. ex hac sententia satis practicũ, scil. vouentem in dubio teneri solum ad id, quod est minus. Vt si vouerit religionem, & dubitat: an vouerit religionem in communi, vel hanc in particulari: tenetur solum eligere hanc in particulari, ad quam, si non acceptetur, liber est à voto. Item si vouerit abstinere à copula, & dubitat an licita, vel illicita, tenetur solum ad abstinendum ab illicita, & sic ducere potest vxorẽ. Ratio est quia possessio stat pro libertate. Vlterius quia in obscuris minimum est sequendum. Decisio plurium casuum.

291 Contrariam sententiam tenẽt plures *DD.* apud Sanch. & Merol. locis supra citatis singulariter Azor. Vasq. Sayr. & alii eamque reputat probabilem ipse Sanchez, nimirum quod melior sit conditio possidentiũ solum in dubiis pertinẽtibus ad materiam iustitiæ. Ex qua sententia inferunt, quod si facta sufficienti diligentia non constat: an in aliquo casu imposita sit lex, vel præceptum, sed res dubia manet, teneri quempiam seruare legem, vel præceptum, quia restutior est. Similiter dubitantem: an vouerit, teneri ad seruandum votũ. Vlterius coniugem dubitantem de valore matrimonij teneri ad abstinẽdum à petitione debiti. Sententia opposita Azorius, Vasquez, Sayrus.

292 Probatur primò hæc sententia. Quia sequeretur ex opposita nostra sententia dubitantem de homicidio non esse irregularem, quia melior est conditio possidenis immunitatem 1. Argum.

ab

ab irregularitate: sed hoc est contra cap. *significasti* 2. de homicidio vbi statuitur, talem esse irregularem ob eam rationem. Quia in dubiis tutior pars est eligenda.

Respõsio. 293 Respondetur negando seq. quia id specialiter statuitur à iure ibi. Et ratio, quæ affertur ibi, est congruentia, non verò præceptum. Neque enim prædicta regula semper habet vim præcepti, vt magis infra explicabitur, sed tantum, quando pars opposita est peccatum, vt præcedenti lectione dictum est. Ità respondent DD. sup. cit. pro nostra sententia.

Replica, & enodatio. 294 Vrgebit quis; quia Pontifex ibi non condit ius nouum, sed declarat antiquum. Respondetur; quod ibi statuat ius nouum, quod quoad pænã irregularitatis vult extẽdi etiã ad factum dubium de homicidio præteritum.

2. Argum. 295 Secundò probatur hæc sententia ex cap. illud de cler. excommunicato ministrante, vbi Pontifex statuit dubitantem de sua excommunicatione esse deponendum, si ante absolutionẽ celebrauerit propter eãdẽ rationẽ. Quia in dubiis tutior. &c.

Respõsio. 296 Respondetur, quod ibi punitus sit quidam Episcopus, qui nulla adhibita diligentia, an esset excommunicatus, celebrauit, nos autem loquimur de dubiis, quæ perseuerant adhuc adhibita diligentia. Vlterius respondetur, quod ille Episcopus nõ erat merè dubius de sua excommunicatione, sed habebat opinionem probabilem de ea.

3. Argum. 298 Tertiò probatur ex cap. *iuuen* de *sponsalibus*, vbi statuit Pontifex iuuenem quemdam, qui duxerat puellam non dum septennem, & postmodum consobrinam eiusdem puellæ in matrimonium sibi copulauerit, debere separari ab hoc secundo matrimonio tamquam irrito ratione impedimenti publicæ honestatis, quod impedimentum erat dubiũ propter eamdem rationem. Quia in dubiis tutior pars. &c.

299 Respõdetur quod valor priorum sponsalium erat quasi certus, nõ verò dubius, nam interuenerat inter eos conatus ad copulam, vt ibi dicitur, & propterea præsumebatur puellam fuisse doli capacem. Vnde non assignauit Pontifex pro ratione tutius esse eligendum, sed certiùs esse amplectendum. Respõsio.

300 Quartò probatur. Quia numquam verificaretur regula illa communis: In dubiis tutior pars est eligenda, quod est contra communem sensum Doctorum. 4. Argum.

301 Respondetur, quod verificatur in dubio practico, & quando cætera sunt paria, scil. quando non obstat possessio. 1. Respõs.

302 Clarius dico, quod verificatur quando ex vna parte esset peccatum, & ex altera non. Quando autem ex vna parte stat possessio, & ex altera non, redditur pars, pro qua stat possessio licita, sicut pars opposita, quia sic communius opinantur Doct. & dum quis sequitur opinionẽ probabilem, licitè operatur. E. g. si quis dubitat: an vouerit ieiunium nec ne; si ieiunat, licitè operatur: si non ieiunat, licite etiam operatur; quia possessio libertatis facit hanc partem licitam. Si autem quis dubitaret: an comestio esset superflua, vel non superflua, deberet abstinere à superflua. Quia ex neutra parte simpliciter staret possessio; & comedere superfluum, esset periculosum. Ex parte enim comedentis esset ius ad comedendum iuxtà exigentiam naturæ, ex parte autem temperantiæ est ius, vt non comedatur superfluè; esset ergo ius æquale ex parte vtriusque amplectenda: Ergo esset pars temperantiæ, quæ esset tutior. Similiter si quis dubitaret: an facere aliquid esset mortale, vel veniale, nullo modo faciendum esset, quia tutius est etiam, à veniali abstinere. 2. Respõ.

303 Vltimo probatur. Quia ex duobus malis, quorum alterum est necessarium eligendum, semper minus est eligendum: Ergo quando est dubium: an aliquid eligendum sit illici- Vltimum argumentum.

Digitized by Google

licitum, semper debet eligi id, quod tutius est.

304 Respondetur, quod ità est, quãdo possessio non facit, qood dubium sit licitum. Et hæc dicta sufficiant de conscientia dubia.

Respõsio.

LECTIO I.

De conscientia probabili, siuè opinatiua.

Continens aliqua dubia præambula ad difficultatem illam principalem: an licitum sit sequi opinionẽ probabilẽ relictã probabiliori, & alia pertinentia ad hanc materiam.

DVBIVM I.

Quid sit opinio vt sic, & in communi, & quotuplex sit?

305 OPinio est assensus intellectus incertus, & ineuidens determinatus ad vnam partem cum formidine alterius. Quapropter differt opinio à scientia, nam scientia est assensus certus, & euidẽs intellectus: opinio autem assensus incertus &c. vt dictum est. Differt etiã à dubio. Quia dubium est quidam assensus intellectus incertus ineuidens, & indeterminatus non magis, vni parti, quam alteri; opinio autem importat assensum determinatum.

Definitio opinionis

306 Duplex est: speculatiua: & practica, vt etiam diximus de dubio. Speculatiua, qua quis opinatus de rebus in particulari hìc, & nunc agendis.

Diuisio opinionis

DVBIVM II.

Quid sit opinio probabilis, vel quænam sit?

307 OPinio probabilis est cognitio incerta, & ineuidens, quæ tãtũ rationibus probabilibus, topicis nititur, vel auctoritati Doctorũ peritorũ in ea materia, de qua aliquis opinatur. Ità Montes. hic disp. 29. q. 5. & alij. Sanch. vero lib. 1. Sum. cap. 9. n. 6. ait quod opinio probabilis est, quæ rationibus alicuius momenti innititur; ità tamen vt pro oppositã parte nihil conuincens sit. Addit autem n. 11. alias duas conditiones Prima vt communiter reputetur non continere errorem. Secunda, vt non sit antiquata in scholis Bonac. t. 2. de peccatis disp. 2. q. 4. p. 9. n. 1. addit tertiam, vt scil. eius authores sint probatæ conscientiæ, & docti in illa re. Merol. disp. 3. de consc. cap. 3. dub. 2. ex Sal. 2. 2. q. 63. art. 7. ait ad cognoscendum an opinio sit probabilis tria requiri.

efinitio opinionis

Montes. Sanchez.

Bonacina Merolla, Salas.

308 Primum an DD. qui eam defendunt sint timoratæ conscientiæ, & docti, vel multum versati in ea re: Secundum quot sint, qui eam defendũt: nam nõ debemus sequi opinionem vnius quamuis periti contra opinionem plurimorum. Tertium quod debeant expendi rationes vtriusque partis.

309 Sed quid (dicam ego) si sit illiteratus, & nesciat discutere eas, vel si sit litteratus, & sine discussione velit eam amplecti, nam vt infra videbimus, potest etiam literatus sequi opinionem aliquam probabilem solum confisus Doctrinæ suorum authorum. Secundum requisitum etiam claudicat, quia in sententia plurium vnus auctor doctus, & pius sufficit ad faciendam opinionem probabilem.

310 Quare breuiter dico, quod duæ pincipales conditiones requirun-

Digitized by Google

Duæ conditiones pro opinione probabili.

runtur ad faciẽdum opinionem probabilem. Prima est, vt nitatur rationibus alicuius momenti, & ponderis. Secunda auctoribus pijs, & doctis in ea materia, de qua erit difficultas.

311 Ex hac doctrina sequitur primò, quod opinio probabilior ea est, quæ nititur rationibus maioris momenti, vel Doctoribus classicis maioris pietatis, & scientię. 1. Coroll.

312 Sequitur secundò, quod opinio dupliciter dicitur probabilis: ab intrinseco: & ab extrinseco. Ab intrinseco, quando fundatur in rationibus alicuius momenti. Ab extrinseco, quando fundatur in auctoritate Doctorũ probatorũ, & scientiatorũ. 2. Coroll.

313 Sequitur tertiò, quod formaliter conscientia probabilis distinguitur ab opinione, nam cõscientia probabilis sequitur opinionem probabilem, & eam præsupponit: siuè est quidam actus reflexus, qui respiciens ad aliquã opinionẽ, vel iudiciũ probabile dictat quid faciẽdũ, vel nõ faciẽdũ sit. Ipsa autem opinio est quidã actus intellectus directus determinans, an aliquod opus sit licitum, vel illicitum cum formidine inspectus ab ipsa conscientia. Quæ quidem opinio sicut in speculabilibus potest esse multiplex, ità in operabilibus. 3. Coroll.

DVBIVM III.

Vtrum opinio eo ipso, quod est probabilior dicatur tutior?

314 NOtandum est ex dictis, quod ea pars dicitur tutior, in qua sequenda nullum est peccatum: ea autem opinio probabilior, quæ fundatur in rationibus melioribus, & probabilioribus, vt dictum est. Animad.

315 Hoc supposito, dico, quod nõ omnis opinio; quæ probabilior est eo ipso dicitur tutior. Ità Montes. Sanch. Bonacin. & alij locis citatis. Conclus.

316 Probatur, & explicatur exẽplo. Potest esse casus, quod aliqua opinio, quę dictat aliquid non esse restituendum, fũdetur in melioribus rationibus, ac opinio, quæ dictat illud esse restituẽdũ & tamẽ tutior pars est restituere, quam non restituere, vt patet. E. g. Si aliquis creditor diceret alicui, tuus pater mortuus debebat mihi centum, solue mihi illos, & nullam afferat cautionem obligatoriam, vel aliquid huiusmodi ad verificandum debitum, neque Pater de eo fecit mentionem in testamento. Tunc opinio, quæ diceret hunc filium non esse obligatum ad soluendum, esset probabilior opinione, quæ fortasse diceret esse obligatum, quia creditor est timoratæ conscientiæ: nã illa fundantur in efficacioribus rationibus, quippe cum nulla sit cautio, vel cõiectura aliquo modo efficax ad verificandum debitum; & nihilominus non esset tutior. Ratio.

317 Ratio autem fundamentalis, & breuis huius doctrinæ in communi esse potest. Quia maior probabilitas fundatur in rationibus magis apparentibus; maior autem securitas incertitudine vitandi peccatum, quæ duo sunt disparata.

DVBIVM IV.

An auctoritas vnius Doctoris probi, & docti sit sufficiens ad faciendam opinionem probabilem?

318 SAnch. loc. cit. n. 7. referens pro hac sententia plures Doctores affirmat absolutè auctoritatem vnius Doctoris probi, & docti facere opinionem probabilem. Ratio ipsius est. Quia opinio probabilis ea dicitur, quæ non nititur leui fundamento: sed auctoritas viri docti, & pij non est leue fundamentum. Nam non est leue fundamentũ ad credendum aliquid magni Romæ Sẽtentia Sanchez, & eius Ratio.

Digitized by Google

contigisse, si id referat pius, & prudens homo. Hanc eamdem sententiã
Merolla. sequutus est Meroll. loc. cit. dub. 1. qui videtur quodãmodo sibi contrarius, quatenùs postmodũ dicit, quod ad dignoscendum: an opinio sit probabilis, videndum sit, quot auctores habeat.

319 Limitat eam primò Portel.
Limitatio 1. Portell. apud *Dian.* par. 4. tract. 4. resol. 30. vt sit vera in casu nouo numquam ab alijs disputato.

320 Limitat secundò Villalobos
2. Limitatio Villalobos. apud eumdem auctorem eodem loco, vt sit vera, quando fundata in rationibus probabilibus fauet valori matrimonij, vt ipsemet Sanch. docuit de matrim. lib. 1. disp. 18. nu. 7. vel causæ piæ, pupillo, &c.

DVBIVM V.

Quænàm dicatur opinio communis?

321 OPinio communis non
Concluſ. dicitur illa, quam sequuntur plures *Doctores* sine discussione more auium (vt loquitur Nauar. infra citand.) sequentium primam volantem, vel ouium sequentiũ præcedentem; sed illa, quam sequũtur sex, vel plures *Doctores* classici ex professo eam tractantes, & discutientes, ac optimis rationibus eam
Nauarr. Sanchez. Merolla confirmantes. Ità Nauar. in Sum. cap. 27. n. 289. & ex eo Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 44. n. 2. & in Sum. loc cit. n. 9. Meroll. disp. 3. de consc. cap. 4. dub. 1. n. 19.

DVBIVM VI.

An licitum sit recedere à communi opinione?

322 ANgelus, & Siluest. apud Sanch. in Summa loc. cit. n. 9. aiunt numquam licere, nisi habeat quis pro se rationem certam, & conuincentem.
Sentẽtia Aageli, & Siluestri

323 Vasq. hic disp. 62. cap. 4. in initio, & Azor. apud eumdem auctorem dicunt licere viro docto, qui nõ parum litteris vacarit, & rectè vtriusque sententiæ fundamenta expenderit suam singularem opinionem probabiliorem iudicare, & illam sequi. Quia hic non videtur imprudẽter, & irrationabiliter operari, & sæpè *Doctores* posteriores sequuntur priores sola eorum auctoritate nixi.
Sententia Vasquez, Azor.

324 Ipse autem Sanch. duo dicit. Primum non crebrò, & passim recedẽdum à communi opinione ob vnius *Doctoris* sententiam, sed quando prudenter ea iudicatur firmiori fundamento niti. Secundum, quando opinio alicuius singularis *Doctoris* ex propriis eius fundamentis considerata ipsi considerãti nõ est probabilis, sed potius opposita, & communis: & vlterius videt illius vnius Doctoris sententiam auctoritati inniti, quod non sit sufficienter probabilis, vt eam sequi, & consulere possit. Ratio est. Quia id debile fundamentum reputatur.
Sentẽtia Sanchez.

DVBIVM VLTIMVM.

An scholaris sequens opinionem sui magistri dicatur sequi opinionem probabilem.

325 REspondetur affirmatiuè. Ità D. Th. Azor. & alii. Limitatur dummodo non sit aperte falsa, & magister non sit suspectus hæresis.

LE-

Digitized by Google

LECTIO II.

Vtrum licitum sit operari iuxtà conscientiam, vel opinionem probabilem relicta probabiliori?

326 LOquimur in hac Lectione de conscientia, vel opinione probabili practica; in sequenti lectione loquemur de opinione probabili speculatiua.

327 Communis iam ferè opinio Theologorum est hic, & alibi, quod licitum sit sequi opinionem probabilem relicta probabiliori.

328 Aliqui eam tenent sine vlla limitatione, vt est Sanch. in Sum. lib. 1. cap. 9. n. 14. Merol. disp. 3. de consc. cap. 4. dub. 1. n. 24. Dian. 2. parte tract. 13. resol. 1. & alij apud præfatos auctores.

1. Senten. Sanchez, Merollæ, Dianæ.

329 Aliqui verò defendunt eam cum quadam limitatione, vt est Montes. hic disp. 29. q. 5. §. 3. n. 176. vbi ait, quod regulariter loquendo est vera, sed in aliquo casu potest deficere, vt in casu medici, qui quoad salutem infirmi debet sequi opinionem probabiliorem; in casu confessarii quo ad salutem spiritualem pœnitentis &c. Aluar. qui hic disp. 80. dicit sequendam esse opinionem probabiliorem, quando imminet detrimẽtum honoris diuini, vel tertiæ personæ. Bonac. qui tr. 2. de peccatis disp. 11. q. 4. p. 9. n. 4. & 5. eodem modo dicit posse quemlibet sequi opinionẽ probabilem relicta probabiliori, quãdo non imminet aliquod periculum, ad quod vitandum prudentia, vel iustitia, vel charitas dictet oppositam sententiam eligi debere.

2. Senten. Montes. Aluarez, Bonacinæ

330 Ego vero dico cum Montes. (regulariter loquendo) licitum esse sequi opinionem probabilem relicta probabiliori exceptis aliquibus casibus, in quibus agitur de damno proximi, vel reuerentia Sacramentorũ, vel cultu diuino, de quibus infra.

Concl.

331 Probatur autem hæc sententia primò. Quia operans secundum opinionem probabilem relicta probabiliori rationabiliter, & prudenter operatur: nam habet pro se rationes alicuius momenti, in quibus ipsa opinio fundatur.

1. Ratio.

332 Secundò. Quia nullus tenetur semper sequi id, quod perfectius, & securius est, sed solum sequi id, quod perfectum, & securum est.

2. Ratio.

333 Tertiò. Quia in rebus moralibus non potest haberi omnimoda certitudo, cum sint satis contingentes: Ergo sufficit, vt habeatur certitudo probabilis, & secundum eam operemur. Quartò. Quia si teneremur sequi opinionem probabiliorem, & tutiorem, angeremur infinitis scrupulis ad inuestigandum semper opinionem probabiliorem.

3. Ratio. 4. Ratio.

334 Vltimo. Quia licitum est in speculabilibus, sine periculo erroris sequi opinionem probabilem: Ergo etiam licitum est in agibilibus sine culpæ periculo sequi etiam opinionem probabilem.

Vltima Ratio.

335 Ampliatur primò hæc sentẽtia contra aliquos Theologos, vt licitum sit, tùm viro docto, tùm indocto; Quia rationes pro ipsa militant pro vtroque. Ità communiter Theologi.

1. Ampl. huius Cõclus.

336 Ampliatur secundò, vt possit quis operari secundum opinionem probabilem contra opinionem propriam probabiliorem, & tutiorem.

2. Ampl.

337 Ampliatur tertiò, vt subditus doctus teneatur obedire Prælato cõtra propriam sententiam probabiliorem, & tutiorem. Tum quia licitum est sequi opinionem probabilem, tũ quia tenemur obedire Prælato præcipienti, quæ licita iudicantur secundum opinionem probabilem: nã ipse vtitur potestate sua. Ità Montes. Vasq. & alii.

3. Ampl.

338 Ampliatur quartò, quod cõfessarius possit absoluere pœnitentem iuxtà opinionem probabilem ipsius

Digitized by Google

4. Ampl. pœnitentis contra propriam opinionem probabiliorem, & tutiorem: An autem teneatur, Montes. Sanch. Merol. & alii ferè communiter dicunt, quod ante confessionem auditam si sit alienus Sacerdos, non tenetur, si sit proprius, & pœnitens rationabiliter petat, tenetur; post verò confessionem, auditam, siuè sit proprius Sacerdos, siuè alienus, tenetur. Quia alioqui irrogaret maximam iniuriam pœnitenti, nam obligaretur cum rubore ad iterum confitendum peccata sua. Vlterius. Quia post confessionem, & debitam dispositionem pœnitens habet ius, vt absolutio ei impendatur, & ad id quilibet confessarius tenetur ex officio.

339 Addunt tamen aliqui, quod negare huic absolutionem in isto casu, sit mortale, si de mortalibus sit facta confessio, vt Sancius, & alii. Vasq. verò Montes. & alii, dicunt regulariter non esse mortale, quia id cõfessarii faciunt ex bono zelo. Suarez verò, & Sanch. aiunt esse mortale, vel veniale iuxta grauitatem, vel leuitatem materiæ, scil. quia confessio est mortalium, vel venialium solum.

340 Ampliatur quintò, vt licitum 5. Ampl. sit præbere consilium iuxta opinionẽ probabilem contra propriam opinionem probabiliorem.

341 Limitat hanc ampliationem Limitatio Vasq. quem sequitur Merolla loc. Vasquez Merollæ. cit. vt sit vera, quando petens consilium eximitur ab obligatone restituẽdi; non verò quando obligaretur ad aliquam restitutionẽ, vel ad aliquid huiusmodi; quia in eo casu teneretur sequi opinionem probabiliorem.

342 Sed reiicit hanc limitationẽ, Impugnatur à Sãchez. & optimè, Sanch. Quia si iuxtà opinionem probabilem potest licitè eximere ab obligatione; cur non possit illum licitè obligare; eadem enim opinione, vel sententia, qua potest quis absolui, potest licitè damnari. Addit tamen quod si consulens expressè rogaret ipsum de sua opinione, tunc teneretur illam manifestare; alioquin esset infidelis, vel mendax.

343 Limitant alii prædictam ampliationem, quando vniuersaliter nõ est in materia iustitiæ, quia in hoc casu tenetur consulens sequi opinionẽ probabiliorem in consulendo, sicut Iudex in determinando. 2. Limitatio alioque.

344 Sed nec etiam hãc limitationem admittit Sanch. & ratio disparitatis inter iudicem, & consulentem est. Quia iudex est medius inter partes, siuè inter hominem, & hominẽ; consulens verò est medius inter hominem, & Deum; & iudicium illud est externum, hoc autem internum, & medicinale ad componendum cõscientiam cum Deo; & Iudex videtur positus à Republica, vt ferat iudicium secundum id, quod magis æquũ est. Impugnatur.

345 Ex hac nostra sententia sequitur à fortiori, quod ex duabus opinionibus æquè probabilibus, possit aliquis eligere, & sequi quam maluerit contra aliquos Theologos antiquiores, qui id negant. 1. Coroll.

346 Sequitur secundò contra Caiet. vt modò referam, quod ad licitè operandum, non requiritur iudicium omninò certum moraliter cum exclusione formidinis alterius partis: Quia licitum est sequi opinionẽ probabilem. 2. Coroll.

347 Contrariam sententiam defendit Caiet. in Sum. Verb. *Opinio*, vbi ait non esse licitum, operari cum opinione admittente formidinem alterius partis, sed requiri iudicium moraliter certum excludens quamlibet formidinem partis oppositæ. Hanc eamdem sentẽtiam sequutus est Armil. in sum. verbo opinio. 1. Sententia opposita

348 Ratio est. Quia cum talis opinio sit ambigua, si quis non sequitur certiorem partem, exponit se periculo faciendi aliquod malum. Ratio. Caiet.

349 Respondetur, quòd rationabiliter quis operaretur, neque formaliter se exponeret periculo faciendi id, quod malum est; Vndè nõ peccaret. Respõsio.

350 Secundò confirmat hanc suã sententiam ex *D.* Th. quodlib. 8. art. 13. vbi docet, quod cum sint duæ Confirm. ex D. Th.

opi-

Digitized by Google

opiniones circa hoc: Vtrum licitum ſit habere duas præbendas, peccatũ erit habere illas, ſequendo opinionẽ affirmatiuam cum formidine cõtrariæ ſententiæ.

Reſpõſio.

351 Reſpondetur, quod S. Th. loquitur ibi de formidine, quæ idẽ eſt, ac dubiũ, vt patet in vltimis verbis ar.

2. Sententia oppoſita Arm. Conrad. Cordubę.

352 Alia ſententia eſt nobis contraria nimirum ſemper ſequendum eſſe ſententiam probabiliorem. Hãc ſequuntur Caiet. Armil. Conradus, Corduba, & plures alij apud Monteſ. loc. cit. §. 3. & apud Merol. & Sanch. etiam loc. cit.

1. Ratio huius ſẽtentiæ, & reſpõſio.

353 Probatur primò hæc ſententia; Quia opinio minus probabilis comparata ad probabiliorem habet ſe, vt falſa, & vt talis æſtimanda eſt.

354 Reſpondetur neg. antecedẽs, quia probabilior etiam poteſt eſſe falſa.

2. Ratio.

355 Secunda. Quia tutior pars eſt eligenda: Ergo opinio probabilior, quia eſt tutior.

Reſponſ.

356 Reſpondetur primò, quod vt ſuprà diximus non ſemper opinio probabilior eſt tutior. Secundò reſpondetur, quòd dicta maxima in dubijs habet vim præcepti, inter opiniones vim conſilij. Tertiò, quod nec etiam ſemper in dubijs habet vim præcepti, vt ſuprà diximus, quando pro altera parte ſtat poſſeſſio.

3. Ratio.

357 Tertiò probatur prædicta ſententia: Quia dùm quis ſequitur opinionem probabilem relicta probabiliori, ſemper habet formidinem partis oppoſitæ: ſed operari cum formidine, eſt operari cum conſcientia dubia, quod eſt illicitum: Ergo.

Reſpõſio.

358 Reſpondetur, quod talis formido non excludit aſſenſum determinatum ad vnam partem, quod non eſt operari cum conſcientia dubia: quia dubium excludit omnem determinationem.

LECTIO III.

An ex opinione ſpeculatiuè probabili licitum ſemper ſit inferre iudicium, vel opinionem probabilẽ practicam, & ſecundum illum licitè operari?

Animad.

359 IN hac difficultate duo ſunt certa. Primum: Opinionem *ſpeculatiuè* probabilem licitè ſuſtineri poſſe, & ſinè periculo erroris E. g. qui vellet ſuſtinere opinionem Caiet. dicentis hanc eſſe ſufficientem formam ad valorem Baptiſmi: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & ſpirati* licitè hoc poſſet. Quia eſt probabilis. Et ratio eſt. Quia ſi non poſſet illã licitè ſuſtinere, ſequeretur, quod non eſſet probabilis.

360 Secundum, quod ſupponitur, vt certum, eſt, quod etiam diximus: Opinio *ſpeculatiuè* probabilis non poteſt eſſe immediata regula noſtrarum operationum. Quia, vt ſuprà diximus, conſcientia, ſiue iudicium practicum eſt immediata regula noſtrarum operationum. Difficultas ergo eſt: An opinio *ſpeculatiuè* probabilis poſſit in praxi tutò amplecti, ſiuè: An ſemper ex ea poſſit iudicium *practicum* tutò deduci ad regulandum noſtras operationes relicta opinione probabiliore.

1. Concl.

Sanchez. Merolla. Aluarez.

361 Et reſpondeo primò breuiter, quod ex opinione *ſpeculatiuè* probabili non vniuerſaliter licitum eſt deduci ſemper opinionem *practicè* probabilem, & ſecundum eam operari relicta probabiliori. Ita Sanch. de Matrim. lib. 7. diſp. 32. num. 17. in fine Merol. diſp. 3. de conſc. c. 4. dub. 3. qui affert Sanch. pro contraria ſententia in ſumma, vbi non clarè loquitur, ſicut in loco præcitato. Aluar. hic diſp. 80. § *Primò ſupponendum eſt*: & alij.

1. Ratio

362 Ratio eſt. Quia illa dicitur opi-

opinio *speculatiuè* probabilis, quæ habet tantum pro se rationes probabiles, vt *speculatiuè* defendatur, & approbetur.

363 Præterea: Quia opinio *speculatiuè* probabilis, vt talis non est regula operationum humanarum.

2. Ratio. 364 Demùm probatur ex aliquibus specialibus casibus. Et primus sit, quem adduximus ex Caiet. sup. Nàm quis non potest licitè illam opinionẽ suam applicare ad opus, & secundum eam formam baptizare. Secundus sit, quem adducit Sanch. loc. cit. scilicèt, quod mulier quinquagenaria *speculatiuè* loquendo, est exempta à lege ieiunij ob imbecillitatem sexus, & illius senilis ætatis: nihilominùs in praxi non est eximenda, nisi sit sexagenaria: Quia hæc ætas est communis, tùm viris, tùm fœminis, quoad exemptionem ieiunij. Tertius casus sit, quẽ affert. Merol. loc. cit. n. 97. Quia si quis inuenit rem aliquam, quam æqualibus rationibus, vel coniecturis iudicat esse Petri, vel Pauli, non potest illam totam alteri dare, sequendo vnã opinionem probabilem, sed debet illam diuidere, si est diuisibilis, vel si est indiuisibilis, alteri dare dimidium pretij. Quia cum ius sit æquale, non est maior ratio, cur potiùs detur tota vni, quam alteri. Deniq; possũt multiplicari infiniti alij similes casus.

365 Respondetur secundò. Aliquando licitum est ex opinione *speculatiuè* probabili inferre iudicium, vel opinionem practicam, ratione cuius potest aliquis licitè operari. 2. Concl.

366 Hæc responsio sequitur ex prima, & probatur breuitèr. Quia opinio *practica* comparatur ad opinionẽ *speculatiuam*, tanquam effectus ad causam: imò opinio *practica* semper oritur à *speculatiua*, tanquam effectus à causa. Ratio.

367 Et confirmatur. Quia id, quod quis opere exequitur, siuè *licitè*, siuè *illicitè*, ex eo ortum habet, quod *speculatiuè* iudicauerit priùs id posse fieri *licitè*, vel *illicitè*. Confirm.

368 Hanc sententiam docet Sancius in suis selectis disputationibus disp. 44. num. 63. & disp. 54. num. 11. quamuis sinè limitatione vlla. Et cũ eam retulisset Dian. p. 2. tract. 13. resolut. 12. Concludit: sed an probabilis sit, remitto me iudicio aliorum. Sed reuera cum limitatione admittenda est, quod scilicet in aliquibus casibus sit vera, & non vniuersalitèr, vt eam admittit Merol. loc. cit. Sanchez. Diana. Merolla.

369 Ad cognoscendum autẽ, quãdo ex opinione probabili speculatiua *licitè* possit inferri opinio tuta in praxi; tres regulas assignat ipse Merol. loc. cit. num. 102. Prima est: Quando pro vna parte est opinio probabilis, & de opposito nulla est probabilitas, licitum est ex opinione probabili *speculatiua* inferre opinionem *practicam*, & secũdum eam operari. E. g. si quis vouit dare pauperibus certam eleemosynam, & habet opinionem probabilem ex vna parte, se voto satisfeciisse, & ex alia nullam probabilitatem, se non satisfeciisse; tunc potest *licitè* se gerere, ac si satisfeciisset. Et ratio est. Quia tunc talis opinio non potest vocari dubia, sed quasi moralitèr certa, cum ex alia parte nulla sit opinio, ex qua possit deduceri aliud iudicium. Alia exempla adducit ipse ad confirmandum hanc doctrinam. 1. regola pro replicatione 2. Conlus.

370 Secũda regula est: quãdo sunt duæ opiniones *speculatiuæ*, quæ probabiles contrariæ; in tali casu quis debet se gerere, tanquam si res esset dubia. Ratio est: *Quia* ex æqualitate probabilitatis speculatiuæ resultat dubium. 2. regula.

371 Tertia regula. *Quando* ex duabus opinionibus *speculatiuis* altera est probabilior, debet semper ex hac inferre iudicium, vel opinionem practicam ad *licitè* operandum. Hæ regulæ, quamuis sint optimæ, nihilominùs plures possunt pati difficultates, & impugnationes, & specialiter propter exempla, quæ ipse adducit, in quibus potiùs datur locus opinationi *practicæ*, quam *speculatiuæ*. Vndè regula certa assignari non potest meo vide- 3. regula.

Digitized by Google

videri,sed attendendum est ad subiectam materiam, de qua erit difficultas.

372 Prima regula est optima. Secunda nō mihi probatur. Quia æqua probabilitas non potest causare dubium, cum probabilitas ferat secum assensum determinatum. Tertia multas habet difficultates in particularibus materijs, vt in sequētibus lectionibus videbimus.

1. Sentēt. opposita. Suarez, Sanchez.

373 Pro contraria sententia affert Merol.loc.cit.num.87. Suarez tom.4. in 3.p.disp.22.sect.9.nu.5. & 6. Sāch. in sum.lib.1.c.10. num. 76. quatenus dicunt,non teneri quempiam confiteri peccatum à se commissum,quod probabili opinione iudicatur nō fuisse mortale,quamuis opinio opposita probabilior dictet fuisse mortale. Nā ait ipse Merol. eiusmodi opinio, qua quis existimat, se nō commisisse peccatum mortale, est speculatiua,cum non agat de operatione.

375 Sed reuera prædicti auctores deducunt hanc doctrinam ex præcedenti de opinione probabili practica. Et certè opinio potius *practica*, quam *speculatiua* est ista,qua quis iudicat se non commisisse peccatū mortale,& an sit obligatus ad illud confitendum. Sed quidquid sit de horum opinione, probatur. Quia,vt dictū est in præcedenti lectione licitum est sēper sequi opinionem probabilem relicta probabiliori.

376 Respondetur, quod tantum procedit in opinionibus practicis. Alias rationes adducit ipse Merol. pro hac opinione, quæ re vera vidētur concludere de opinione probabili practica, quamuis ille conetur eas soluere. Vndè supersedeo ab illis referendis.

2. Sentēt. opposita Sancij.

377 Contrariam sententiam videtur etiam docere Sancius loc. cit. quatenùs dicit vniuersalitèr verum esse,quod ex opinione *speculatiuè* probabili possit inferri iudicium practicum,& secundum illud operari. Durū enim esset (ait ipse) excogitare aliquam rationem probabilem ad *licitè* operandum,& non posse illam deducere ad praxim. Esset quis veluti Tātalus, qui haberet cibos, & aquam propè os,& non posset se satiari. Rationes ipsius sunt illæ, quas adduximus pro nostra secunda responsione; neque aliud concludunt, cum in vniuersum proxima regula nostrarum operationū sit opinio probabilis *practica*,& non *speculatiua*.

LECTIO IV.

Vtrum liceat in administratione Sacramentorum relicta opinione tutiori, & probabiliori sequi opinionem minus tutam, & probabilem?

376 TRia breuitèr supponē-da sunt pro breui resolutione huius difficultatis. Primum est, quod aliud est in materia Sacramentorum dari opiniones pro vtraque parte,quarum vna sit altera probabilior, vel tutior; & aliud dari pro vna parte opinionem probabilem, & pro altera sententiam certam. E. g. quod hæc sit forma Baptismi. *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* est sententia certa. Quod autem hæc sit sufficiens: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti,& Procedentis ab vtroque*, est opinio probabilis *speculatiuè*. Similiter quod baptizato capite hominis, non sit vlterius baptizandus sub conditione,est sententia certa. Quod autem baptizato pectore, vel scapulis, sit baptizandus sub conditione,est hinc indè opinio. 1. Præsuppositum.

377 Secundum est, quod possumus loqui de his, quæ pertinent ad validitatem Sacramenti ex parte iurisdictionis,vel de his, quæ pertinent ad validitatem Sacramenti ex parte materiæ, & formæ. 1. Præsuppositum.

378 Tertium,quod in administratione Sacramentorum possumus respicere ad reuerentiam Sacramento- 3. Præsuppositum.

rum

3. Præsup-positum rum ex virtute Religionis, & ad vtilitatem proximi suscipientis Sacramentum ex virtute Charitatis, vel etiam iustitiæ. His breuiter notatis.

379 Respondeo primò. Si loquamur de valore Sacramentorum ex parte iurisdictionis requisitæ, licitum est sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori. Ità communiter Theologi hic, & in materia de pœnitentia.

1. Concl.

380 Ratio est. Quia in eo casu Ecclesia supplet iurisdictionem. Vndè nec irreuerentia irrogatur Sacramẽto, cum validè administretur, nec damnum suscipienti.

1. Ratio

381 Alia ratio est. Quia in quacũque alia materia fas est sequi opinionem probabilẽ relicta probabiliori: Ergo &c. Maior difficultas est: An licitum sit in materia iurisdictionis relicta sententia certa, sequi opinionem probabilem, vel probabiliorem.

382 Et respondeo secundò. Loquando in hoc casu ex principiis intrinsecis, hoc est, ex rationibus, non esse licitum. Ità Sancius in suis selectis disputationibus disp. 44. n. 10. referens etiam pro hac sententia Salas 1.2. tom. 1. disp. vnica sect. 10. n. 97.

2. Concl.

Sancius

Salas.

383 Primò, quia Sacramentum habet ius religionis, vt validè administretur. Secundò. Quia imprudenter quis operatur, eligendo viam incertam pro certa. Tertiò. Quia in hoc casu nõ est certum summum Põtificem, vel Ecclesiam conferre iurisdictionem, nã plures auctores, quos refert ipse Sancius loc. cit. negant.

Ratio.

384 Respondeo tertiò. Ex principiis extrinsecis hoc est ex auctoritate Doct. qui hanc partem defendunt, licitum est sequi opinionem probabilem, relicta sententia certa in prædicto casu. Ità idem Sancius vbi sup.

3. Concl.

385 Ratio est. Quia auctoritas probatorum, & *Doctorum* hominum, vt supra diximus, reddit opinionem probabilem, & consequenter licitam operationem secundum illam.

Ratio.

386 Præterea. Quia confirmant hanc sententiam rationibus probabilibus. Nam prima ratio eorum est, quia in tali casu probabilitatis Ecclesia supplet iurisdictionem. Secunda, quod error communis est sufficiẽs ad conferendum iurisdictionem: Ergo multò magis opinio probabilis doctorum hominum. Tertia, quia hęc sententia permittitur: Ergo sicut ratihabitio de præsẽti est sufficiens ad validandum Sacramentum ex parte iurisdictionis, ità, & permissio.

Confirm.

387 Dices: Ergo propter istas rationes hæc sententia est probabilis ab intrinseco. Respondetur neg. cõs. Nam prima ratio soluitur, quod sunt aliqui *DD.* qui dicunt, quod in prædicto casu Ecclesia non suppleat auctoritatem. Vndè semper remanet dubia res. Secunda soluitur. Primò quod de errore expressè sãcitum est l. Barbarius ff. de officio Prætoris; sed de opinione nullo iure expressè sancitum est. Secundò, quia quamuis par ratio esse potest de errore, & opinione in voluntate superioris, situm est fauere errori, & nõ opinioni. Tertiò, quia habens errorem de iurisdictione alicuius, nulla via illum vincere potest. Vndè non est æquum auferre iurisdictionem à confessario in pœnam huius erroris: sed pœnitens habens opinionem, quod vnus Confessarius possit minus probabiliter absoluere, potest quærere alium. Vndè sibi imputet, si non conferatur ab Ecclesia tali Confessario iurisdictio, & eius confessio inualidè fiat. Tertia ratio soluitur, quod sit dispar ratio de ratihabitione, & permissione; Nam ratihabitio de præsenti æquualet licentiæ expressæ: Permissio autem non est approbare aliquid, sed tantum non impedire. Vndè si Pontifices permittunt talem opiniõnem, non est in detrimentum animarum, quia nec confessarius, nec pœnitens sequendo illam, delinquunt contra reuerentiam debitam Sacramento, cũ sit probabilis. Vlterius quia neque Summus Pontifex præsumit confessarium ea vtentem de illa non certiorem facere pœnitentem. Vndè si

Obiect. & Respõs.

Digitized by Google

eam amplectatur pœnitens, non erit contra charitatem administratio Sacramenti cum tali opinione. Deniq; quia Summus Pontifex potest iudicare hoc esse curę Episcoporum, scil. vt ipsi inuigilent cõtra tales opiniones in suis Diœcesibus, & ideò non eas exterminare.

388 Respondeo quartò: Lòquendo de valore Sacramenti quoad materiam, & formam, illicitum est sequi opinionem probabilem relicta sententia certa. E. g. si quis relicta forma certa baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* vellet baptizare sub hac forma incerta, & de qua est opinio, scil. *Ego te baptizo in nomine Genitoris &c.* 4. Conlus.

389 Ratio est. Quia operaretur contra reuerentiam debitam Sacramento, & contra charitatem debitam suscipienti. Ratio.

390 Vlterius, quia esset valdè imprudens in materia tàm graui relicta sententia certa, sequi opinionem probabilem, & incertam. Est hæc sentẽtia communis Theologorum, ni fallor. Maior difficultas est, quando hinc inde sunt opiniones, & vna est altera probabilior, & certior. Confirm.

391 Et respondeo quinto. Quando est hinc inde opinio de materia, & forma Sacramentorũ in eorũ administratione, vtendum est ea materia, vel forma, quam determinat, vel ex cõmuni consuetudine vtitur Ecclesia. Hæc est regula certa, quæ communiter traditur à Theologis. 5. Concl.

392 Ratio est. Quia determinatio, vel consuetudo communis Ecclesiæ vim habet præcepti. Ratio

393 Respondeo sextò: Præscindẽdo ab vsu Ecclesiæ, peccat mortaliter minister Sacramentorum contra charitatem, si sequatur opinionem probabilem, siuè probabiliorem minus tutam, relicta tutiore, & certiore in eorum administratione. Imò si sit minister ex officio, vt Parochus, peccat contra iustitiam. Ità Merol. loc. cit. n. 128. & alii. 6. Concl.

394 Ratio primæ partis est. Quia exponeretur periculo salus proximi suscipientis Sacramentum, & præcipuè si esset Sacramentũ baptismi, vel pœnitentiæ. Ratio quoad 1. Partem.

395 Ratio autem secundæ partis est. Quia suscipiens in eo casu Sacramentum habet ius, vt administretur illi eo certiori modo, quo potest fieri; & minister ex iustitia ad hoc tenetur. Ratio quoad 2 partem.

396 Limitatur hæc sententia, & septima responsio. Quando non adesset aliqua necessitas, vt E. g. si non adesset aqua naturalis, sed aqua congelata, vel alia huiusmodi, quæ existimatur sufficiens materia baptismi; posset quis in ea licitè baptizare. Similiter si esset aliquis, qui comminaretur mortem, nisi quis sequeretur opinionem probabilem, relicta probabiliori, posset quis illud facere.

397 Respõdeo 7. Quãdo est hinc indè opinio de materia, & forma Sacramentorum, & minister in administratione eorum sequitur opinionem probabilem relicta probabiliori, siue certiori, etiam peccat contra religionem, siue reuerentiam debitam Sacramentis. 7. Concl.

398 Probatur primo, quia Sacramentum ex virtute religionis habet ius, vt reuerenter tractetur, & qui illud exponeret periculo irritationis, non reuerenter illud tractaret. 1. Ratio

399 Confirmatur. Quia quando nulla adest necessitas, videtur esse præceptum ex iure naturali diuino, vt eo tutiori modo tractẽtur Sacramenta, quo est possibile propter eorum sanctitatem. Hanc sententiam sequitur Merol. vbi supra, & alii plurimi apud ipsum n. 124. Confirm. Mer olla

400 Respondeo vltimò. Existentibus duabus opinionibus, quarum vna sit in fauorem valoris Sacramenti, altera in fauorem suscipientis eligenda est potius illa, quæ est in fauorem suscipientis, dummodo sit tuta, & probabilis. Vltima Concl.

401 Ratio est. Quia Sacramenta instituta sunt à Christo Domino in remedium suscipientium. Ità Montes. disp. 29. q. 5. n. 245. Ratio.

Digitized by Google

402 Contra noſtram ſententiam eſt ſententia Sancij, qui in ſuis ſelectis diſputationibus diſput. 44. indiſcriminatim ait, quod quando in Sacramentis ſolum dantur pro vtraque parte opiniones, & non pro alia parte inuenitur ſententia certa in fauorem valoris Sacramenti, poteſt aliquis licitè vti opinione minùs probabili relicta probabiliori, neque tunc erit peccatum contra religionem, neque contra charitatem, neque contra iuſtitiam.

Sententia oppoſita Sancij.

403 Vaſq. diſp. 63. cap. 2. & 3. dicit, quod ſi quis ſequatur opinionē minus tutam in prædicto caſu non peccat contra religionem, ſed contra charitatem.

Vaſquez.

404 Monteſ. vero diſp. 29. num. 243. tenet, quod poteſt quis ſequi opinionem probabiliorem, quamuis minus tutam. Et exemplificat hoc in eo, qui accedit ad Sacramentum pœnitentiæ cum attritione exiſtimata attritione, quæ ſecūdum communiorem, & probabiliorem ſententiam eſt ſufficiens materia, quamuis, ſit minus tuta. Alij etiā indifferēter dicunt, quod poteſt quis ſequi opinionem probabilem relicta probabiliori, & tutiori.

Monteſ.

405 Quomodocumq; ſit, probatur hæc ſentētia primò. Quia in quacumque alia materia fas eſt ſequi opinionem probabilem relicta probabiliori: Ergo in materia Sacramentorum.

1. Argum. huius sēt.

406 Reſpondetur negan. conſ. Ratio diſparitatis eſt. Quia hic agitur de irritatione Sacramenti, & de ſalute proximi, quæ duæ res grauiſſimæ ſunt.

Reſpōſio.

407 Probatur ſecundò. Quia neq; iniuria irrogatur Sacramento, neque exponitur periculo ſalus proximi. Quia vtrique opinioni poteſt ſubeſſe falſum.

2. Argum. & reſpōſ.

408 Reſpondetur neg. antecedēs. Ad probationē dicitur, quod quamuis vtriq; opinioni poſſit ſubeſſe falſum, nihilominus quantum eſt ex ſe, vnuſquiſq; tenetur ſequi certiorem, & tutiorem partem, vt in hac materia dicatur prudenter, rationabiliter, & charitatiuè operari.

409 Confirmatur hæc ratio. Quia quamuis miniſter ſequendo opinionem probabiliorem aliquantulum certiùs agat, hoc non eſt de præcepto, ſed conſilio: nàm iſta maior certitudo non excludit dubium. Vndè non poteſt inducere præceptum.

Confirm. & reſp.

410 Reſpōdetur, quod hæc maior certitudo in prædicto caſu inducit præceptum.

411 Tertiò. Quia aliquādo opinio probabilior poteſt eſſe potiùs falſa, quā opinio probabilis. Nā eſt ſententia probabilior, quæ practicè cenſet eſſe abſoluendum eum, qui tantùm ſigna doloris dedit, & teneri Sacerdotē ad hunc abſoluendum. Similiter attritio exiſtimata attritio ſecundum probabiliorem, & communiorē opinionem eſt ſufficiens materia penitētiæ, & nihilominus non eſt adeò tuta.

3. Argum.

412 Reſpondetur, quod nos hic ſumimus opinionem probabiliorem pro tutiori. Si enim ſit probabilior, & non ſit tutior, non eſt ſequenda, ſed probabilis, & magis tuta.

Reſpōſio.

413 Sed reſpondeamus ſpecialiter ad argumentum de attritione. Eſt ergo argumentum: Licitum eſt adminiſtrare Sacramentum pœnitentiæ cū ſola attritione exiſtimata attritione; & tamen hæc opinio eſt minùs tuta.

4. Argum.

414 Vaſquez, quem ſequtus eſt Sanch. in ſum. lib. 1. cap. 9. num. 34. & Merol. loc. cit. reſpondit huic argumento, quod attritio ſe tenet ex parte ſuſcipientis, non verò ex parte miniſtri, & ideò ſi ipſe ſuſcipiens vult ſuſcipere Sacramentum cum tali materia, poteſt Sacerdos illud ſic ei miniſtrare; & ideò damnum ſuum erit, ſi Sacramentum non ei proderit ob inualiditatem. Addunt tamen Sanch. & Merol. quod non liceret Sacerdoti in articulo mortis hoc modo illud miniſtrare propter periculum damnationis æternæ.

Reſpōſio Vaſq & Meroll.

415 Miror certè, quomodò tales authores hanc adhibeant ſolutionē. Impugnatur enim primò, quia Sacerdos videns pœnitentem accedere ad Sacramentum cum tali diſpoſitione, quan-

Impugnatur 1. hæc reſponſio.

Digitized by Google

quantum est ex parte sua administrat illud ei cum illa minus tuta materia. At curare debet ipse quantum est ex se semper administrare illud eo certiori modo, quo debet, alioquin lederetur virtus religionis, vt dictum est suprà pro nostra sententia. Et confirmatur hæc impugnatio. Quia Sacerdos videns pœnitentem cum tali dispositione, ipse quãtum est ex se, eligit sentẽtiam minus tutam. Ergo, &c.

Secundò.

416 Secundò. Quia si ex ipso Vasquez quantum est ex se Sacerdos ne lędat charitatem, debet sequi opinionem tutiorem in administratione Sacramẽtorum: Ergo etiam ipse pœnitens ex charitate ergà se ipsum tenetur accedere cum materia certiori.

Tertiò.

417 Tertiò impugnatur id, quod addunt Sanch. & Merol. quia si non potest pœnitens cum tali dispositione absolui in articulo mortis: Ergo nec etiam extra art. mortis. Probatur consequentia, quamuis sit maximum damnum, damnatio æterna, nihilominus etiam est grauissimum in vita nõ recipere beneficium gratiæ, & viuere in peccato, si semel à parte rei confessio sic facta esset informis.

Verior solutio 4. argum.

418 Respõdetur ergò meliùs huic argumento ex nostra sententia, quod scilicet confessarius debet curare, vt iste eliciat actum contritionis, vel attritionis existimatæ cõtritionis. Quod vtique potest quilibet ex gratia Dei. Quod si detur casus, quod iste non possit, tunc absoluendus est existimãdo hanc opinionem, tanquam communem, & ferè certam.

2. Sentẽt. oppositæ Petri Lorcæ.

419 Aliam sententiam docet Petrus de Lorca, vt refert Montes. loc. cit. num. 234. quod in Sacramentis, quæ non sunt de necessitate salutis, vt est Sacramentum Cõfirmationis, Matrimonij; Extremæ vnctionis, &c. Licitum est sequi opinionem probabilem. Addit vlterius, quod in administratione Eucharistiæ, quæ est necessaria ad conseruationem vitæ spiritualis, & magnum fructũ gratiæ causat, & in administratione pœnitentiæ, quæ post peccatum est necessaria, debet quis semper sequi opinionẽ probabiliorem, & tutiorem. Excusaretur tamen (ait ipse) aliquis à peccato si in administratione horum duorum Sacramentorũ bis, vel ter sequeretur opinionem minus tutam.

1. Ratio huius sẽt.

420 Ratio ipsius quoad primum dictum est. Quia non multum damnũ ex nullitate illorum Sacramentorum sequeretur.

2. Ratio.

421 Ratio secundi dicti est. Quia cum illa sacramenta sint iterabilia, damnum posset reparari. Hanc sentẽtiam sequutus est Diana 2. p. tract. 13. resol. 2.

Diana.

422 Sed certè hæc sententia non mihi probatur, quia semper violaretur religio, & charitas, vt dictum est.

Respond. ad 1. rationem.

423 Vndè ad primam rationem dicitur, quod magnum damnum est non recipere fructus eorum Sacramentorum ex imprudentia ministri, & maxima irreuerentia illorum exponere ea periculo irritationis.

Resp. ad 2.

424 Ad secundam rationem dicitur, quod nõ propterea sequitur damnum non esse illatum, quamuis reparabile sit. Addo, quod si potest quis semel, & bis licitè administrare cum opinione minùs tuta, cur non decem, & centies? Et hæc sufficiant de hac difficultate.

LECTIO V.

An iudex possit iudicare secundum opinionem probabilem relicta probabiliori?

Animad.

425 NOtandum est, quod ex duplici capite potest oriri varietas opinionum magis, vel minus probabilium: Vnum est ex parte facti E. g. si lis sit inter duos, & vnus maioribus, & efficacioribus testimonijs, vel instrumẽtis, aut Scripturis probet sibi ius competere, quam alter: Alterum est ex parte iuris E. g. quia ius, siuè lex aliqua ex probabi-

Digitized by Google

liori opinione magis fauet vni, quàm alteri; siuè quia aliter lex aliqua interpretatur secundum vnam opinionem Doctorum, & aliter secundum alteram aliorum Doctorum magis, vel minùs, vel æquè probabiliter. His notatis

426 Respondeo primò. Si varietas opinionum erit ex parte facti in causa ciuili, tenetur Iudex sequi opinionem probabiliorem, siue fauere parti habenti meliores probationes pro se. Ità Merol. disp. 3. de consc. cap. 4. dub. 3. n. 136. vbi dicit hanc esse communem sententiam Theologorum.

1. Concl.

Merolla.

427 Probatur primò. Quia Iudex tenetur iudicare secundum merita causæ. Secundò. Quia ex iustitia distributiua tenetur fauere ei, qui maius ius habet.

Ratio.

428 Limitatur hæc responsio: Nisi pro parte, pro qua sunt debiliores probationes non sit possessio. Quia tunc ius possessionis præualet efficacioribus probationibus.

Limitatio

429 Respondeo secundò. Si varietas opinionum, vel probationum erit in causa criminali fauendum est Reo, etiam si habeat minùs efficaces probationes. Ità Merol. loc. cit. Salon. Sayr. & alii.

2. Concl.

Merolla, Salon, & Sayrus.

430 Prima ratio est. Quia ex regulis iuris, quando iura partium sunt obscura, licitum est declinare in fauorem Rei: At hic iura sunt obscura, cum pars Rei sit probabilis.

1. Ratio.

431 Secunda. Quia in criminalibus ad damnandum Reum, debent esse probationes luce meridiana clariores: At in isto casu probationes accusatoris sunt obscuræ, quamuis probabiliores propter probabilitatẽ probationum Rei: Ergo &c. An verò iudex teneatur in isto casu declinare in fauorem Rei, an verò possit. Salon. & Sayr dicunt non teneri. Sed probabilior est sententia Salas, & Merol. hìc, qui dicunt teneri. Quia nemo dãnandus est ad certam pœnam nisi pro certa causa.

2. Ratio.

431 Respondeo tertiò. Si varietas probationum ex parte facti in causa ciuili erit æqualis; hoc est si probationes ex vtraque parte erunt æquales, tenetur iudex diuidere rem inter illas; si res diuisibilis est; si autem indiuisibilis, tenetur dare alteri partem prætii, vel alio modo litigantes cõponere. Ità Ban. 2. 2. q. 63. nu. 4. & alii, quos refert, & sequitur Merol. loc. cit. n. 172.

3. Concl.

432 Ratio est. Quia vbi sũt æquales probationes, sunt æqualia iura. Limitatur etiam hæc responsio, quando alteri parti fauet possessio. Quia tunc hæc præferenda est.

Ratio.

433 Contra hanc tertiam responsionem est Sancius in Select. disp. 44. n. 51. citans pro se alium Sanch. in Sum. cap. 9. n. 44. vbi nihil dicit de hac re, sed remittit se ad alios auctores. Ait enim quod in dicto casu datur electio iudici. Quia sicut licitum est inter duos æquè dignos vni conferre dignitatem, vel beneficium: ità &c. sed respondetur quod dispar est ratio; quia beneficium non potest diuidi inter duos.

Sententia opposita Sancij.

434 Respondeo quartò. Si varietas opinionum est ex parte iuris, tenetur iudex sequi opinionem probabiliorem. Ità Sanch. in summa lib. 1. cap. 9. n. 47. Sotus, Val. & alij apud ipsum.

4 Concl.

435 Ratio est. Quia iudex est cõstitutus à Republica, vt causas dirimat secũdũ iura: Ergo semper debet ferre sentẽtiam in fauorem ipsius, cui magis iura fauent.

1. Ratio.

436 Secundò. Quia alioqui esset acceptio personarum: nam est acceptio personarum conferre beneficium digno, relicto digniori.

2. Ratio.

437 Tertiò: Quia semper iudex ex iustitia distributiua tenetur iudicare secundum merita causæ, & secundum iura vniuscuiusque.

3. Ratio.

438 Oppositam sententiam tenẽt Medina hic, Arag. 2. 2. q. 63. art. 4. Salon. & alij, apud ipsum Sanch. loc. cit: & ipsemet Sanch. reputat eam probabilem; quod scilicet possit iudex sequi opinionem minùs probabilem

Sententia opposita Medinæ, Arag. Sanchez.

Digitized by Google

bilem. Quia nec temerè; nec irrationabiliter ageret.

439 Respondetur, quod ex speciali ratione hic iudex aliquo modo irrationabiliter ageret, cum teneatur ex iustitia distributiua, & officio ei fauere, cui magis iura fauent.

440 Respondeo quintò. Si varie- 5. Concl. tas opinionum se tenet ex parte iuris, & sunt æquè probabiles, tenetur iudex componere partes, & diuidere rem inter illas, neque iudici datur electio, vt potius vni faueat, quam alteri. Ità Bagn. vbi sup. & plures auctores apud Meroll. loc. cit. n. 166. vbi hanc sententiam reputat probabiliorem. Ratio est eadē ac superior Quia videtur esse æquale ius partiū. Bagnez.

441 Contra hanc responsionem Sententia opposita Merollæ. est Meroll. loc. cit. vbi dicit esse probabile, quod iudici detur electio in isto casu, & omnes auctores, qui dicunt posse sequi opinionem probabilem relicta probabiliori. Imò addit Sanch. loc. cit. quod potest iudex modo sequi vnam opinionem, & modò alteram, & modò fauere vni parti, & modò alteri contrariæ; dummodò abfit scandalum. Hanc sententiam ego etiam reputo probabilem, sed probabilior est nostra responsio vtpotè magis fundata in iustitia distributiua, & officio iudicis, qui ad id electus est à Republica, vel Principe, vt iudicet secundùm iura.

442 Probatur autem hæc senten- Ratio huius sentē. tia. Quia ex vi iustitiæ distributiuæ, & officij sui non debet magis vni, quam alteri fauere, quando est æquale ius vtriusque: Ergo liberum est ei cui magis fauere voluerit. Nam non est hic personarum acceptio, neque violatur iustitia distributiua.

443 Respondetur, quod hæc ra- Respõsio. tio potius concludit nostram sententia, vt scilicet debeat ferre sentẽtiam pro æquali parte.

LECTIO VI.

An licitum sit aduocato tueri causam secundùm opinionem minùs probabilem relicta opinione probabiliori?

444 IN hac difficultate suppo- nuntur duo tamquam certa: Primum est aduocatum non posse defendere causam manifestè iniustã. quia ageret contra iustitiam: Secundum est, quod si adhibita sufficienti diligentia ad deprehendendum iniustitiam causæ, res remanet dubia, quia scil. sunt opiniones variæ, & contrariæ de ea, potest licitè aduocatus eam defendere. Quia aduocatus proponit, vel potest proponere rationes sui clientis, vt melius à iudice expendan ur. Ità Montes. Vasq. Lorc. & alij Theologi fere communiter. Maior difficultas est, quando pro altera parte est opinio probabilior, siue de iure, siue de facto, siue in causa sanguinis, siue in causa ciuili. Animad. Montes. Lorca. Vasq.

445 Et respondeo breuiter primò. Quando sunt pro vtraque parte opiniones æquè probabiles, potest 1. Concl. aduocatus alterutram partem licitè defendere, dūmodò certiorem faciat suum clientem partem suam esse probabilem, non certam.

446 Ratio est. Quia tunc prudenter, & rationabiliter operaretur. Vlterius quia cum iura sunt æqualia vtriusque, nulli iniuriam faceret. Ità communiter Theologj. Ratio.

447 Respondeo secundò: Quando sunt pro vtraque parte opiniones, 2. Concl. quarum vna est altera probabilior, potest Aduocatus licitè tueri partem habentem pro se opinionem minus probabilem, siuè sit in causa sanguinis, siuè in causa amissionis omnium bonorum. Est ista sententia ferè cõmunis omnium Theologorum contra Sotum quem infrà referam. Eam tuen-

Digitized by Google

Montes. Vasquez, Merolla. Sanchez. tuentur Montes. Vasq. & alij hic Merolla. disp. 3. de consc. cap. 4. dub. 1. Corollar. 6. n. 53. Sanch. in sum. lib. 1. cap. 10. n. 51. & alij.

Ratio. 448 Ratio est. Quia officium Aduocati nō est rem definire, sed tantum proponere iura, & rationes sui clientis, vt iudex ipsis expensis sententiam ferat.

449 Limitant hanc sententiam aliqui, nisi opinio cui fauet Aduocatus esset comuni praxi reprobata, vel adeò leuiter probabilis, vt rarò, vel nunquam in eam iudices inclinēt.

450 Sed certè hæc limitatio mihi videtur superflua. Quia in isto casu haberetur opinio tanquam improbabilis.

Sententia oppositа Soti. 451 Contrariam sententiam docuit Sot. lib. 5. de iust. q. 8. art. 3. vbi dixit, quod quādo agitur de causa sāguinis, honoris, vel amissionis omniū bonorum, non licet aduocato fauere actori contra Reum sequendo opinionem minùs probabilem. In aliis verò causis minoris momenti (ait ipse) posse aduocatum defendere suum clientem secūdum opinionem minus probabilem. Differentia, quam assignat ipse inter hæc duo dicta, est, quia in dubiis melior est cōditio possidentis. Neque in dubio Reus est cōdemnandus. Sed certa hæc ratio militat in vtroque casu vt communiter aduertunt Doctores.

Salas, Arag. Bagnez, Toletus. 452 Hanc sententiam sequuti sūt Sal. Aragon. Bagn. Tolet. & alii apud Meroll. loc. cit. Et ego quidem existimo illam piam, & optimum consilium esset quemlibet Aduocatum nō suscipere defensionem alicuius causæ in qua specialiter agitur de vita, honore, vel magna iactura bonorum alicuius pauperis Rei, pro quo stat opinio probabilior. Quidquid autem sit de hoc.

Ratio huius sentētiæ. 453 Probatur hæc sententia. Quia iudex non potest licitè dicere sententiam secundum opinionem minus probabilem: Ergo neque aduocatus illam procurare.

454 Respondtur neg, consequentiam. Ratio disparitatis est: Quia Iudex tenetur ex officio, & iustitia distributiua iudicare secundum iura, & leges probabiliores: Aduocatus autē tantum ex officio suo habet proponere rationes sui clientis; imò ipse non procurat sententiam iudicis secundū opinionem minùs probabilem, sed tantum simpliciter proponit leges, & rationes sui clientis, vt iudex illas expēdat, quæ quandoque possunt esse probabiliores. Respōsio.

LECTIO VII.

An possit medicus in curationibus sequi opinionem probabilem relicta probabiliori?

Animad. 455 PLura distinguenda sunt pro resolutione huius difficultatis: Primum. Aut est desperata salus infirmi, aut non est desperata: secundum. Vel habetur remedium certè salutiferum; vel remediū, de quo sunt opiniones: an sit salutiferum, vel nociuum: Tertium potest esse casus, quod remedium sit certè salutiferum, sed opinio, an sit magis, vel minùs salutiferum, ac aliud.

1. Concl. & eius Ratio. 456 Respondeo primò. Vniuersaliter loquendo, quādo adest remedium certum, non licitum adhibere remedium incertum, siue opinabile. Ità communiter Theologi. Ratio est. Quia satis imprudenter, & irrationabiliter ageret medicus in casu tanti momenti, in quo agitur de salute infirmi, eligendo remedium incertum pro certo.

2. Concl. 457 Respondeo secundò. Quando salus ęgroti non est omninò desperata, & non adest remedium certè salutiferum, nec etiam licitum est illi prębere remedium, de quo est dubium: an sit obfuturum, vel profuturum. Ità Ang. Siluester Nauar. Azor. Sayr. & alii communiter apud Meroll. disp. 3. de consc. cap. 4. dub. 1. Corol. 5. n. 189.

458 Ra-

Digitized by Google

Ratio. 458 Ratio est. Quia in dubiis tutior pars est eligenda: sed tutior pars videtur in eo casu cõmittere ægrotũ diuinæ prouidẽtiæ, quã nouo periculo salutis exponere, remedio incerto, quod probabiliter existimatur noxiũ. Hinc infertur grauiter peccare medicos, qui exhibent medicamenta dubia infirmis ad experiendum eorum vim.

3. Concl. & eius Ratio. 459 Respondeo tertiò. Si certum est medicamentum non nociturum, sed dubitatur: an sit infirmo profuturum, non solum illud potest, sed tenetur exhibere. Ita Meroll. loc. cit. & Valent. apud ipsum. Ratio est. Quia prudentia id dictat, & sic benè saluti infirmi prospicitur.

4. Concl. 460 Respondeo quartò. Quando salus infirmi est desperata, & nullum adest remedium certè salutiferum, sed aliquod, de quo est dubium; an sit nociuum, vel salutare, potest medicus licitè illud infirmo exhibere. Ità Sanch. in Sum. lib. 1. cap. 9. n. 39. Val. 2. 2. disp. 3. q. 10. p. 2. Bonac. de peccatis disp. 2. q. 4. p. 9. nu. 23. qui dicit medicum ad id teneri.

1. Ratio. 461 Prima ratio. Quia prudentius agit, & vtilius gerit negotium salutis infirmi illud applicando, quàm non applicando; Nam fieri potest, vt virtute talis remedii ab infirmitate liberetur, quod si non applicetur, nulla est spes salutis.

2. Ratio. 462 Secunda ratio est. Quia tutius est illud applicare, quàm non applicare, nam eo non applicato, mors est certa, & eo applicato, est spes vitæ.

Confirm. 463 Confirmatur. Quia si mors sequatur, est præter intentionem, & potius tribuenda est causæ naturali, quàm remedio applicato. Et in isto casu ait Sanch. intelligitur illud Galeni: *Interfice audacter.*

464 Addo vlterius, quod conueniens esset hoc notificare infirmo, & ex eius beneplacito applicare tale remedium. Quamuis enim non sit infirmus Dominus vitæ suæ, habet tamẽ maximum ius ad eam sibi conseruandam.

Sententia opposita Azorij, Salas, Vasq. 465 Contra hanc responsionem est Azor. lib. 2. inst. moral. cap. 17. q. 11. Salas sect. 14. n. 136. Vasq. & alii apud Sanch. loc. cit. nu. 39. qui dicunt id non esse licitum.

1. Argum. 466 Ratio est. Quia si non applicetur remedium dubium, mors infirmi subsequuta non tribuetur culpæ medici, sed violentiæ morbi. Si verò applicetur, exponitur periculo vitæ ægri, qui forsan eo non applicato, vel restitueretur pristinæ sanitati, vel diutiùs viueret.

Respõsio. 467 Respõdetur, quod potest aliquo modo tribui culpæ medici mors secuta, qui habebat illud remedium cum aliqua spe vitæ, & non illud applicauit. Ad id autem, quod additur secũdo loco, dico, quod omninò per accidens, & præter intẽtionẽ exponitur periculo vita infirmi.

2. Argum. 468 Secunda ratio. Quia in dubiis tutior pars est eligenda: sed tutior pars est non applicare illud remediũ, quia exponitur nouo periculo vitæ ægri.

Respõsio. 469 Ad hanc rationem patet responsio ex secunda ratione nostra, etenim nocendi periculum modicum est, quia ad summum posset accelerare mortem, & spes iuuandi magna, nam esset de recuperatione vitæ.

5. Concl. 470 Respondeo quinto: Quando salus infirmi non est desperata, nec adest vllum remedium certum, sed tantum remedium aliquod, de quo est varietas opinionum, an sit noxiũ, vel salutare; semper eligenda est opinio probabilior. Ità Meroll. Sanch. Bonac. locis citatis, & alii. Verum Sanch. dicit, quod esset peccatum cõtra charitatem eligere opinionẽ minùs probabilem in isto casu. Bonac. dicit quod esset peccatum cõtra charitatem, & contra iustitiam, quod & ego etiam dico.

Merolla. Sanchez Bonacina.

1. Ratio. 471 Ratio prima est. Quia satis imprudenter ageret medicus in re tanti momenti exponere periculo vitam infirmi, sequẽdo opinionem minus probabilem relicta probabiliori.

472 Secunda. Quia tenetur fungi offi-

Digitized by Google

2. Ratio. officio suo, quantum potest cum minimo damno proximi, & periculo.

473 Tertia. Quia vnusquisque te-
3. Ratio. netur ex charitate, & iustitia, ne ex sua opinione, vel actione damnum alteri sequatur.

474 Contra hanc sententiam est
Sententia opposita. Montes. hic disp. 29. q. 5. nu. 214.
Montes. Arag. Sal. Sancius, & alii, apud Me-
Arag. roll. loc. cit. qui dicunt esse licitum
Salas. medico in prædicto casu sequi opi-
Sancij. nionẽ probabilẽ relicta probabiliori.

475 Ratio est. Quia prudenter,&
Argum. & resp. rationabiliter operaretur medicus. Respondetur, quod in isto casu, in quo currit præceptum charitatis, & iustitiæ de tuẽda vita proximi, si omni meliori modo, quo potest nõ operaretur, non operaretur prudenter,& rationabiliter.

476 Respondeo vltimo. Quando
Vltima Concluſ. sunt opiniones de aliquo remedio: an magis, vel minùs prosit, tunc medicus potest sequi opinionem probabilem relicta probabiliori. Et in hoc casu videtur habere locum opinio præcedens Montes. & aliorum.

477 Et ratio est. Quia nullum in-
Ratio. dè damnum oritur infirmo, vel saltim leuissimum erit.

LECTIO VIII.

An medicus sequendo opinionem probabilem licitè possit dari prægnãti pharmacum, siuè potionẽ, cum periculo abortus.

478 PRo huius difficultatis ex-
Animad. plicatione supponendũ est, quod sunt in arte medicinæ duæ opiniones oppositæ de animatione fœtus in vtero matris: Vna, quæ dicit marem animari die quadragesimo; fœminam verò intra diem octuagesi-
Hypocr. mum: Altera verò, quam tradit Hyppocrates lib. de natura fœtus dicit marem animari à die trigesimo vsque ad quadragesimum quintum, ità vt in die quadragesimo quinto completur animatio; fœminam verò animari, à die trigesimoquinto vsque ad quinquagesimũ, aliis relictis opinionibus non ità cõmuniter receptis. Est ergo difficultas. An medicus sequendo vnam ex his duabus receptis opinionibus, possit dare sine peccato mortali pharmacum prægnanti cum periculo abortus.

479 Et respondeo primò: Si certum est fœtum non esse animatum, licitè potest fieri. Ità Nauarr. in Man. cap. 25. n. 62. Sanch. de matrim. lib. 9. disp. 20. n. 9. & alii, apud ipsũ Sãch.

480 Ratio est. Quia maius est ius matris ad tuendam vitam propriam, quàm ius vitæ embrionis. Nam præualet vita matris vitæ embrionis, qui non dũ est animatus anima rationali.

481 Vlteriùs ex duobus malis minùs est eligendum: sed minùs malum est conseruare vitam matris cum pericolo fœtus, quam velle conseruare fœtum, qui adhuc non viuit vita rationali cum periculo matris.

482 *Dices* non sunt facienda ma-
Obiect.& Respõs. la, vt indè sequantur bona: Ergo nõ debet offendi fœtus, vt saluetur mater. Respondetur quod axioma prædictum intelligitur, quando reuera malum perseuerat. In casu autem nostro malum non perseuerat, quia non est volita mors fœtus simpliciter, sed propter salutem matris, quo fine honestatur. Sicut non potest quis velle absciſſionem bracchii, vel alicuius membri simpliciter, quia malum est, sed propter saluandam vitam potest; quia tunc honestatur hoc fine.

483 Respondeo secundò, quando
2. Concl. fœtus est animatus anima rationali, vel de hoc dubitatur: nullo modo hoc licitum est.

484 Ratio est. Quia non est licitũ sequi opinionem probabilem cum damno proximi irreparabili: At esset damnum irreparabile, quod indè sequeretur fœtui; nimirũ mors æterna: quia periret sine baptismo, quod damnum maius est, quam mors temporalis matris.

485 Limitatur autem hæc respõ-
Ratio. sio,

Digitized by Google

Limitatio huius cõclusionis.

sio, quando est spes baptizãdi infantem post mortem matris, abscindẽdo eius vterum. Nàm si iudicatur, quod simul cum matre morietur fœtus, vel ante eius mortem, licitum est dare matri huiusmodi pharmaca non *directè* tendentia ad expulsionem fœtus, sed *indirectè*. Quia nullus directè potest intendere occisionem innocentis. Ita Filiuc. tract.29. num.4. & alij.

Sententia opposita. Sanchez.

487 Contra hanc secundam responsionem est Sanch. lib. 9. de matrim.disp.20.num.12.& seq. Vbi ait, quod non potest medicus applicare remedia *directè* tendentia ad expulsionem fœtus, sed solum *indirectè*; hoc est *directè* ad salutem matris, quamuis *indirectè* sint damnosa fœtui, cuiusmodi est sectio venæ, potio medicinæ ad euacuãdum corpus, &c. Multas ibi adducit rationes, quæ faciunt suam sententiam probabilem. Consule ipsum.

LECTIO APPENDIX.

An ex iuxtà causa liceat Vxoratis sterilitatem aliquomodo procurare?

488 REspondetur negatiuè. Ita Sanch. de matrim. lib.9.disp.20.num.28. & 10. Diana 1.p.tract.14.resol.90.& plures auctores apud ipsum,& est communis sententia.

489 Ratio fundamẽtalis est. Quia est contra naturam impedire prolis generationem, & contra primarium finem matrimonij.

490 Oppositam sententiam docet vnus Torreblãca apud ipsũ Dian. loc.cit. dicens, quod quando est periculum abortus, vitę matris in pariẽdo, vel alia causa honesta, licitum est.

491 Ratio huius sententiæ prima esse potest, quia licet procurare abortum fœtus non animati, ad cõseruãdam vitam prægnantis, vel matris. Ergo, &c.

492 Respondetur neg.cons. Quià tunc periculum est præsentaneum, & fœtus censetur quodamodo aggressor. At in isto casu periculum est distans, & alia via ei occurri potest. Secundò respondetur, quod in isto casu aufertur adęquate finis generationis, & matrimonij, non vero in illo.

LECTIO VIII.

An Rex vnus possit ex opinione probabili relicta probabiliori licitè mouere bellũ aduersus alium Regem?

493 HÆc difficultas habet propriam sedem 2.2. q.40. ad cuius explicationem multa distinguunt Doctores. Consulãtur ipsi ibi, & hic. Ego breuiter resoluam illam.

494 Respondeo primò. Quando alter Rex possidet Regnum, non potest Rex alter mouere bellum ad illud sibi conquirendum, quamuis habeat pro se opinionem probabiliorẽ. Ita Mõtes. Vasq.& alij hic. Et est magis communis hæc sententia. 1. Concl.

495 Ratio est. Quia melior est cõditio possidentis. Præterea quia bellum est actus iustitiæ vindicatiuæ, ex quo certò multa sequuntur damna innocentum, vt stupra, prædationes, violationes cultus diuini, &c. Sed nõ potest prò culpa incerta quis inferre pœnam certam: Ergo, &c. Ratio.

496 Respondeo secundò. Quãdo neuter Rex possidet Regnum, nec etiã liçitum est alteri inferre bellum, quãuis habeat opinionem probabiliorem. 2. Concl.

497 Ratio est eadem, ac præcedẽtis responsionis, secunda in ordine, nimirum: Quia bellum est actus iustitiæ punitiuæ. Deberent ergo dirimere litem, committendo illam iudicibus ex communi consensu electis. Videantur Doct. hic, & loc.cit. ex 2.2.& Ratio.

Digitized by Google

ſpecialiter Merol. diſp. 3. de conſ. cap. 4. dub. 3. coroll. 6. num. 204.

LECTIO IX.

Vtrum licitum ſit ſubdito non obedire Prælato, ſi dubitet, vel opinetur rem præceptam non eſſe licitam, vel excedere ſuam poteſtatem, vel non eſſe legitimum ſuperiorem?

498 IN triplici ſenſu poteſt moueri hæc difficultas: In primò ſi ſubditus dubitet, vel opinetur: an id, quod præcipitur, ſit licitum, teneatur obedire: In ſecũdò; ſi dubitet: an excedat poteſtatẽ ſuperioris: Intertiò; Si dubitet: an ſit legitimè electus. Et quo ad omnes ſenſus breuiter explicabitur. Pro qua difficultate videndus eſt Monteſ. hic diſp. 29. q 5 § 4. à num. 188. vſque ad num. 191. incluſiuè. Vaſq. etiam hic diſp. 62. cap. 6. Merol. diſp. 3. de conſc. cap. 4. dub. 1. Coroll. 7. & dub. 2. coroll. 8. Sãch. in ſum. lib. 6. cap. 3. vbi diffusè eam tractat. Alter Sanch. in ſelect. diſp. 33. num. 32. & ſequentibus, & alij auct. cit. ab iſtis auctoribus.

Animad. Monteſ. Vaſquez. Merolla, Sanchez.

499 Reſpondeo primò. Si ſubditus dubitet: an id, quod præcipitur, ſit licitum, vel non; vel an excedat facultatem ſuperioris præcipientis, vel an ſit legitimus ſuperior, ſiuè canonicè electus, dummodò ſit in poſſeſſione ſuæ dignitatis, vel officij tenetur obedire. Ita Sanch. loc. cit. num. 3. 4. & 29.

1. Concl.

500 Ratio fundamẽtalis eſt. Quia Superior poſſidet ſuam poteſtatem iubendi: Sed in caſu dubij melior eſt conditio poſſidentis: Neque vllus poteſt ſua poſſeſſione ſpoliari, donec certus ſit aduerſarius de iure ſuo: Ergo, &c.

1. Ratio.

501 Secundò. Quia non tenetur Superior ſemper ea, quæ certò, & euidẽter ſunt licita iubere, ſed quæ prudenter iudicantur licita.

2. Ratio

502 Tertiò. Quia ſubditus, vt teneatur ad obedientiam, non opus eſt, vt certò, & euidenter cognoſcat iuſſa eſſe licita; ſed ſufficit, vt euidenter cognoſcat ea non iniuſta, & illicita.

3. Ratio.

503 Eſt autem notandum, quod dixi ſubditum obligari ad obediendum, quando dubitat: an Superior ſit *legitimus*, dũmodò ſit in poſſeſſione. Quia ſi ipſe non eſt in poſſeſſione, & dubitatur: an ſit *legitimè* electus, vel habeat aliquod impedimentum ſimile, poteſt licitè impediri à poſſeſſione. Quia tunc non militat pro ipſo poſſeſſio. Ita Sanch. loc. cit.

Animad. Sanchez.

504 Addo etiam cum Vaſq. loc. cit. quod in caſu dubij ſubditus non præcisè ratione poſſeſſionis, quæ militat pro Superiore, ſolum tenetur obedire, vt vult Sãch. Sed etiam, quia debet ſibi formare iudicium practicũ, quod dictat ſibi licitum eſſe obedire, & deponere deberet dubiũ; Vel ab intrinſeco adinueniendo aliquã rationem, vel ab extrinſeco iudicando, Superiorẽ eſſe doctũ, prudentẽ, & id, quod prẽcipit præcipere ex cõſilio ſano. Saltem poſſet ſibi hanc rationẽ formare ad deponendum dubium, ſcilicet Superior meus eſt in poſſeſſione iubendi, in dubijs melior eſt cõditio poſſidentis, & præſumptio ſemper eſt in fauorem ipſius: Ergo. Vndè ſi non deponeret dubium, meo videri nullo modo poſſet licitè exequi præceptum, quãdo dubitaret: an eſſet licita, vel illicita res præcepta.

2. Anim.

505 Reſpondeo ſecundò. Etiam ſi ſubditus in caſibus prædictis habeat opinionem probabiliorem pro ſe, ſcilicet quia res iuſſa ſit illicita, vel ſupra facultatẽ ſuperioris, vel quod non ſit legitimus ſuperior, tenetur obedire. Ita Monteſ. Vaſq. locis citatis, & alij. Quamuis Vaſq. diſcordet à nobis quo ad hoc, ſcilicet quod quãdo eſt opinio pro ſubdito dictans aliquem non eſſe legitimum ſuperiorem,

2. Concl.

Vaſq. Monteſ.

Digitized by Google

rem, quod non teneatur obedire. In qua re non mihi videtur loqui consequenter, cum nullam rationem disparitatis afferat.

506 Probatur autem in vniuersũ
1. Ratio. nostra responsio hac vnica ratione, qua vtitur etiam Montes. Quia licitũ est sequi opinionem probabilem ex vna parte, ex alia parte tenemur obedire, siue vrget præceptum superioris, qui iudicatur sequi opinionem probabilem, vel esse pium, & doctũ: Ergo iudicium prudentiale dictat, vt in isto casu obediamus.

507 Secundò. Quia superior ha-
2. Ratio. bet opinionem probabilem pro se, vt supponitur, sicut, & subditus; vlterius habet ius præcipiendi, siue est in possessione præcipiendi: Ergo subditus tenetur obedire.

509 Tertiò (loquendo specialiter de regularibus) Quænam confu-
3. Ratio. sio (obsecro) esset, & quodnàm scandalum in vna communitate; Si Superior vellet persistere in sua opinione ad præcipiendum, & subditus in sua ad non obediendum?

510 Hoc non videtur adeò incõ-
Euasio Sãcii. ueniens Sancio: nàm ait, quod posset se iustificare subditus dicendo, quod habeat opinionem probabilem pro se ad non obediendum, & sic cessaret omne scandalum, & confusio.

Præclusio 511 Sed ipse non fuit Regularis, & ideò pro nihilo reputauit hoc inconueniens, quippè nullum habens de eo experimentum. Quod quidem semper perseuerat, facta quacumque excusatione ex parte subditi, & turbaretur ordo, & tranquillitas domus, & Superiores nimis coarctarentur in sua potestate, vtpotè semper obligati ad præcipiendum id, quod certè, & euidenter licitum est, & daretur occasio subditis imperfectis, quamuis doctis, facilè non obediendi.

512 Contrariam sententiam latè
Sententia opposita. defendit Sancius in suis selectis di-
Sancij. sputationibus disp. 33. num. 32. &
Diana. sequentibus, dicens subditum non cõ-
Sanchez. stringi obedire, quoties opinio aliqua asseruerit ipsum non teneri parere, siue illicitum esse, quod præcipitur: Quam sententiam transcribit Diana p. 2. tract. 13. res. 10. & ferè approbat, quamuis dicat sententiam nostram communiorem, & probabiliorem: Eandem sentẽtiam tuetur alter Sãch. in sum. lib. 6. cap. 3. num. 7. quem immeritò impugnat Sãcius loc. cit. quasi esset nostræ sententiæ n. 6. nam in hoc num. 6. loquitur de opinione, siue iudicio solo ipsius subditi, quod idem est ferè cum dubio non vero de opinione probabili aliorum Doctorum, quæ staret à parte subditi. Hanc sententiam multi alij Doctores sequuntur, quĩ videri possunt apud præcitatos Doctores. Et meo videri probabilis est. Sed nostra probabilior, & securior, & religiosior.

513 Prima ratio pro hac senten-
1. Argum. & respõs. tia est. Quia licitum est sequi opinionem probabilem, vel probabiliorem: Ergo, &c.

514 Respondetur nõ esse licitum in prædicto casu ob multa inconuenientia, quę indè possunt oriri, & quia nulla opinio præualet absolutè certitudini possessionis potestatis superioris præcipientis.

515 Secunda ratio Sancij. Pœni-
2. Argum. tens potest licitè non obedire Confessario ductus opinione probabili; imò Confessarius tenetur se accomodare opinioni pœnitentis, quamuis minus probabili: Ergo subditus quilibet, &c.

516 Respondetur, quod quamuis
Respõs. confessarius in foro conscientiæ sit superior pœnitentis, non est tanta dependentia inter eos, ac inter subditũ astrictum voto obedientiæ, & suum Prælatũ. Nàm pœnitens nõ est astrictus ex voto ad obediendum confessario, sicut subditus suo Superiori. Vlterius dependentia pœnitentis à confessario est solum ad vtilitatem ipsius pœnitentis; dependentia autem subditi à Prælato est non solum ad vtilitatẽ ipsius subditi, sed ad bonum commune Religionis.

517 Tertia ratio Sancij. Reus ex
3. Argum. & respõs. opinione probabili non tenetur fateri cri-

ri crimen semiplenè probatum iudici iuridicè interroganti, & præcipiēti: Ergo,&c.

518 Respondetur hoc ideò esse propter damnum, quod indè sibi maximè resultaret. Nàm nullus tenetur sequi opinionem probabiliorē relicta probabili, quando ex ea oritur damnum notabile, vel sibi, vel proximo. Quod idem dicimus si casus similis occurreret inter subditum, & Prælatum.

519 Addo, quod est opinio probabilior D. Tho. & Thomistarum, Reū in causa sanguinis iuridicè interrogatum teneri fateri crimen suum semiplenè probatum. 2.Respōs.

520 Quarta ratio Sancij. Subditus non est obligatus secundum opinionem probabilem ad soluendum tributum Regi, quando est opinio, quod sit iniustum. 4.Argum.

521 Respondetur primò hinc oriretur damnum marsupio ipsius subditi. Secundò, quia non est tanta dependentia inter subditum, & Regem. Tertiò, quia est opinio probabilior, quod sit obligatus ad illud soluendum. 1.Respōs.

522 Quinta ratio Sancij. Nullum est præceptum, quod subditus relicta propria opinione teneatur sequi opinionem Prælati: cum nullus in vniuersum tenetur ex præcepto relinquere propriam opinionem, & sequi alienam: neque enim in iure canonico, neq; in Decalogo inuenitur istud præceptum. 5.Argum.

523 Respondetur, quod præceptū sit obediendi. Vlterius istud præceptum reducitur ad dictamen prudentiale. Hæ sunt rationes Sancij, excepta prima. Est ratio alterius Sanch. in sum. meo videri difficilior, quamuis male impugnetur, vt dixi, à primo Sācio, tanquam patrono nostræ sententiæ. Et est quæ sequitur. Respōsio.

524 Sextà ratio. Dùm subditus ex opinione probabili iudicat illicitum esse id, quod Prælatus præcipit; vel excedere suam potestatem; reuocatur in dubium possessio Superioritatis; sed ex alia parte ipse subditus possidet suam libertatem obediendi, vel non obediendi: Ergo non tenetur obedire. Probatur consequētia, quia deberet esse certa possessio superioritatis ex parte Prælati: cum in dubijs melior sit conditio possidentis. 6.Argum.

525 Respondetur breuiter, quod assensus opinatiuus subditi non reddit illum certum, quod id, quod præcipitur à Superiore fit illicitum, vel supra suam potestatem. Vndè non est sufficiens ad spoliandum superiorem sua certa possessione. Quæ est doctrina ipsiusmet Sanch. loc. cit. num 6. cui videtur contradicere nu. 7. sequenti, vndè sūpta est eius ratio. Addo, quod hæc ratio potest retorqueri contra ipsum. Nàm opinio probabilis adducit in dubium possessionem: sed ex parte superioris est etiam opinio probabilis, qua ductus præcipit, vt supponitur: Ergo adducitur in dubium possessio libertatis subditi: Ergo,&c. Respōsio.

LECTIO VNICA.

De conscientia scrupulosa.

Ex quibus causis oriātur scrupuli: an sit licitum operari cum conscientia scrupulosa, & quæ sint remedia scrupulorum?

526 REspondeo primò ad primam partem quæsiti. Plures esse causas scrupulorum, sed illas numerabo, quæ magis in promptu sunt. Prima causa est ignorantia. Ex eo enim; quod quis nesciat discernere facilè inter bonum, & malum, & quid sibi faciendum sit in praxi, redditur scrupulosus, & anceps. Secunda est melancholia, quæ suggerit speculationes quasdam vanas, & superfluas dictantes ibi malum esse, vbi verè ma- 1. Concl.

Digitized by Google

rè malum non est. Solent enim melancholici esse speculatiui. Ex qua causa oritur, quod in alieno negotio facilè, & sinè formidine iudicare soleant, non verò in proprio. Tertia est nimia maceratio, & afflictio corporis & præcipuè ieiunium, & vigilia, quæ ità cerebrum exiccãt, vt illud conturbent, & præbent non leues occasiones scrupulorum. Quarta est superbia quædam, qua statim volunt fieri alij sanctiores, & tenere quemdam modum viuendi à communi satis distinctum, Quinta est suggestio Diaboli ad impediendum profectum spiritualem, & inhabilitandum hominem ad debita officia pietatis, vel charitatis, vel aliarum virtutum. Et sexta est permissio diuina, vt anima reddatur humilis, & contineatur in diuino timore. Aliæ causæ possunt videri apud Theologos hìc, & Summistas Verb. *Scrup.* vel *scrupulosi.*

527 Respondeo secundò. Secundæ parti quæsiti: Licitum est operari cum conscientia scrupulosa, siuè non deposito scrupulo. Est communis sẽtentia Theologorum hìc, & alibi. 2. Concl.

528 Prima ratio est. Quia sufficit ad rectè operandum opinio probabilis, sed scrupulus dictans aliquid esse peccatum, non aufert opinionem probabilem contrariam, nam oritur ex leuibus fundamentis: Ergo &c. 1. Ratio.

529 Secunda ratio est. Quia præsentaneum remedium, quod omnes Doctores tradunt, est contemnere scrupulos. Hinc dixit Gerson 2. p. tract. de præparat. ad Missã. Alphab. 37. lict. S. Debent scrupulosi audaciter contra tales scrupulos operari, & credere Superiorum consilio, aliàs numquam pacem habebunt. 2. Ratio.

530 Tertia. Quia multi Doct. apud Sancium in selectis disp. 41. n. 7. in fine dicunt ex præcepto teneri scrupulosos, operari cõtra scrupulos quãdo ex eis notabile dãnũ saluti immineret, vel retraherẽtur à confessione, & cõmunione, vel aliis operibus sub præcepto obligantibus. 3. Ratio.

531 Quarta. Quia iuxtà aliquos Doctores apud eumdem Sãcium loc. cit. tenetur scrupulosus obedire confessario, vel Superiori, cui semel curam animæ suæ commisit contra propriam opinionem; quamuis iudicet opinionem confessarii, vel Superioris falsam. Tunc enim potest habere hoc dictamen, quamuis hoc illicitum sit iuxtà meam opinionem, est tamẽ licitum iuxtà opinionem mei confessarij, vel superioris, & sic iuxtà hanc opinionem probabiliter licitè operor. Vndè non pecco. 4. Ratio.

532 Vltima ratio. Quia nimis ardua esset ad cœlum via, si ex qualibet formidine peccati quis vellet se retrahere ab opere, quod probabiliter quis licitum iudicat: Nam ingenium humanum non est adeò perspicax, vt omnium rerum veritates, ità assequatur, quin remaneat in eo aliqua formido partis oppositæ. 5. Ratio

533 Demum placet addere aliam rationem Victoriæ q. 130. dicentis Deum non esse Sophistam, nec quærere laqueos. Ad quid ergo scrupulosus? Occurrit mihi talis cogitatio, nescio si consensi, potui consentire, feci illud, poterat ex eo sequi illud peccatum &c. Quæ omnia cauillationes sunt, & Sophismata: Ergo &c. Vltima Ratio.

534 Dicet aliquis scrupulosus: Mei non sunt scrupuli, saltem non cognosco eos esse scrupulos, sed existimo ilios dubia, ac proinde non possum operari licitè iis nõ depositis. Obiectio.

535 Huic obiectioni communiter respondent Doctores, quod se committat iudicio confessarii, vel Superioris, & omninò sequatur eius regulam. Respõsio.

536 Contrariam sententiam inruinam scrupulosorum docuerunt Rodriq. t. 2. Sum. cap. 51. nu. 3. & Lopez 1. par. instruct. consc. cas. 3. nimirum, quod deponendus sit scrupulus, vt quis licitè operetur. Sententia opposita Rodriq. Lopez.

537 Ratio est. Quia ad licitam operationem est necessarius saltem assensus opinabilis honestatis operis: sed vrgente scrupulo, non adest hìc assensus: Ergo. Respondetur neg. minorem, Ratio huius sentẽtiæ, & eius enodatio.

Digitized by Google

norem, vt patet ex noſtra prima ratione.

538 Reſpondeo tertiò. Multa eſſe remedia ſcrupúlorum. Primũ eſt generale, vt attendatur cauſa, ex qua oriuntur, & ipſa auferatur. Secundũ, vt fundantur preces ad Deum. Tertium, vt contemnantur ſcrupuli. Quartum, vt confeſſarius non admittat facilè ſcrupulos, & dubia pœnitentis ſcrupuloſi; vel audiat ipſius cõfeſſionem, & dimittat ſine abſolutione, vel quãdoque nullo modo ipſum audiat. 3. Cõncl.

539 Quintũ remediũ omnium optimum exiſtimo, vt ipſe ſcrupuloſus credat confeſſario, vel ſuperiori, vel alteri viro docto, & pio, cuius ductum ſequitur. Tunc enim poteſt ſibi formare hoc dictamen: Qui ſequitur opinionem alicuius viri docti, & pij, non peccat: Ego in iſto opere ſequor opinionẽ huius mei confeſſarii &c. Ergo non pecco. Sufficit enim vt rationabiliter operer, vt non peccem: Eorum rationi, vel auctoritati fretus rationabiliter operor. Ergo nõ pecco.

540 Sextum, vt confeſſarius nullo modo permittat eum repetere confeſſiones præteritas: nam nunquam certè quieſcet. Septimum, vt ei ſuadeat nil eſſe mortale, niſi hoc iudicauerit abſque vlla formidine eſſe tale, vel adeò ſit de eo certus, vt iure iurãdo poſſit illud affirmare. Plura alia remedia, & exempla uide apud Doct. hic, & ſingulariter apud Peſantium & Sanch. in ſelectis diſputat. 41. per totum vbi hanc materiam eruditè, & piè tractat. Peſantin. Sanchez.

541 Eſt autem aduertendum prædicta remedia deſeruire ſcrupuloſis, qui conſcientiæ ſuæ exactam curam gerunt: ijs autem, qui futuris peccatis cauendis parum, aut nihil inuigilant, ſed totum negotium eorum eſt: an omnia peccata præterita confeſſi fuerint, an benè, vel malè, alia remedia poſſunt adhiberi. Animad.

542 Primum eſt, vt ſi confeſſarius animaduertat eos debita diligentia coſeſſos fuiſſe peccata præterita, non vlterius permittat eos cõfiteri. Secũdum, vt frequenter confiteantur, nã ex frequenti confeſſione facilè recordantur peccatorum commiſſorum. Tertium, vt excitentur ad timorem peccatorum, & Dei; nam anxietas præteritorũ peccatorũ non benè cõfeſſorum ſolet quandoq; eſſe effectus, ſiuè pœna negligẽtiæ, qua nõ cauentur peccata præſentia, vel futura. Et hæc ſufficiant de præſenti tractatu.

ARTICVLVS VII.

Vtrum voluntatis bonitas, in his, quæ ſunt ad finem pendeat ex intentione finis?

543 SVpponit D. Th. quod electio mediorum dupliciter conſiderari poteſt: vno modo, vt conſequitur intentionem finis, vt dum quis vult ieiunare propter Deũ: alio modò, vt antecedit, vt dum quis vult ieiunare, & poſtea actu diſtincto dicit ſe velle ieiunare propter Deum.

544 Reſpõdet primò. Electio mediorum primo modo ſumpta eſt bona, vel mala dependenter ex intentione finis. Ratio eſt. Quia intentio finis eſt cauſa illius.

545 Reſpondet ſecundò. Electio mediorum, vt antecedit intentionem finis, quo ſenſu propriè non eſt electio; non eſt bona, vel mala ex intẽtione finis. Ratio eſt, quia non depẽdet ex ea.

546 Reſpondet tertiò, quod electio mediorum quatenùs reiteratur in actu ſequenti intentionis, eſt bona, vel mala ex intentione finis. Ratio eſt. Quia tunc pendet ex intentione finis.

547 In reſponſione ad 2. ait D Th. quod electio non poteſt dici bona, ſi intentio mala ſit cauſa volendi. E. g. ſi quis vellet dare eleemoſynam propter inanem gloriam. Ratio eſt.

Quia

Digitized by Google

Quia vellet bonum sub ratione mali. Dicit secundò, quod si intentio sit consequens, potuit esse prius bona electio, vel nolitio medij, sed quando reiteratur ex malo fine, fit mala. Ratio est. Quia per intentionem sequētem non deprauatur ille primus actus electionis, qui iam præcessit.

548 In responsione ad 3. confirmat optimè eandem doctrinam dicens, quod vt voluntas sit bona, debet esse semper boni sub ratione boni, idest quod velit bonum propter bonum. Ex quo sequitur, quod si electio sit mali propter bonum finem, semper erit mala. Siue sit boni propter malum finem, semper erit mala, quia malum ex quocumque defectu.

LECTIO I.

Vtrum intentio boni finis reddatur mala ex mala electione?

549 INhac re vnum tamquam certum supponitur apud omnes Theologos, nimirum quod electio aliàs bona semper vitietur ex praua intentione, vt cum quis audit Missam ex inani gloria. Tota difficultas ad id reuocatur: An possit intentio bona vitiari ex mala electione, vt cum quis furatur ad dandam eleemosynam. 1. Anim.

550 Quæ difficultas, vt radicitus explicetur, sciendum est, quod intētio finis dupliciter considerari potest: Vno modo absque vllo ordine ad media, secundùm quam considerationem potiùs dicitur simplex volitio obiecti. Et hæc voluntas, si erit boni obiecti, semper erit bona, cum ex se nullum importet ordinem ad media: Altero modo potest considerari cum ordine ad media, siue prout est ratio volendi media, & hoc tripliciter: Primò cum ordine ad media in communi, & in confusò, neque determinando medium bonum, neque malū: secundo modo cum ordine ad media siuè bona, siuè mala. Et tertiò cum ordine ad aliquod medium determinatè malum; vt si quis vellet furari ad dandum eleemosynam. His præmissis. 2. Anim.

551 Respondeo primò. Intentio finis boni cum ordine ad media in communi, & in confusò non descendendo ad particulare medium, semper est bona. 1. Concl.

552 Ratio est. Quia finis est bonus. Est doctrina communis supra tradita. Ratio.

553 Respondeo secundò. Intentio finis boni acquirendi per media, siuè bona, siuè mala, semper est mala. Ratio est. Quia in obiecto ipsius includitur malum, siuè ordo ad aliquod malum. Patet exemplo, quia si quis vellet dare eleemosynam, siuè ex proprijs, siuè alienis bonis, esset in hac intentione ordo ad aliquod malum, nimirum ad auferendum alienum. Ità Montes. Vasq. & alii hìc. 2. Concl. Ratio. Montes. Vasq.

554 Respondeo tertiò: Intentio finis cum ordine ad aliquod medium determinatè malum; vt si vellet furari, vt daret eleemosynam, est mala. Probatur. Quia finis in hoc casu, quāuis sit materialiter bonus, est tamen formaliter malus; nam est ratio volendi malum, nempe eligendi malum medium. Ità Montes. Vasq. Aluar. & alij Theologi hìc. 3. Concl. & eius Ratio.

556 Contrariam sententiam tenet Med. in hoc art. sequens Almayn. tr. 3. Moral. cap. 18. ad 2. Ait enim, quod electio dupliciter potest consequi ad intentionem finis: Vno modo necessariò; quia non est tantum nisi vnicū medium, per quod obtineri possit finis: Alio modo non necessariò, quia scil. sunt plura media ad consequendum finem intentum. Si electio consideratur primo modo, dicit, quod non potest esse intentio finis bona, & electio mala propter necessariam cōnexionem ad inuicem. Si electio cōsideratur secundo modo, potest esse intentio finis bona, & electio mala. Sententia opposita Almayn.

558 Pro-

Digitized by Google

1. Argum. & resp.

557 Probatur primò. Quia talis intentio iam præcessit: Ergo non vitiatur ex praua electione. Respondetur, quod si præcessit absque vllo ordine ad electionem malam, fuit bona: at si postea reiteratur, & imperat malam electionem, redditur mala propter rationem allatam in tertia responsione.

2. Argum.

558 Probatur secundò. Quia falsitas consequentis non tollit veritatẽ antecedẽtis, siuè falsitas conclusionis nõ reddit falsũ principiũ, ex quo fuit illata: Ergo neque malitia electionis vitiabit intentionem rectam.

Respõsio.

559 Respondetur neg. conſ. Et ratio disparitatis est. Quia medium malum habet rationem voliti respectu intentionis: at conclusio formaliter non habet rationem obiecti respectu assensus principiorum, vel præmissarum. Addo, quod per bonam consequentiam formaliter numquam ex principijs veris infertur conclusio falsa.

LECTIO II.

Vtrum electionis malitia minuatur ex intentione boni finis?

Cõclusio, & prob. ex S. Aug.

560 REsponsio est affirmatiua & communis. Probatur primò ex D. Aug. contra Mend. cap. 8. vbi ait, quod furtum ex misericordia sit leuius peccatum, quam ex cupiditate.

Probatur 2. ratione.

561 Secundò. Quia dum quis furatur E. g. vt det eleemosynam, est ibi vna malitia, scil. obiecti, vel medij: At si furaretur ex alio prauo fine E. g. ad fornicandum, esset ibi duplex malitia, scil. obiecti, & finis: Ergo semper minuitur malitia electionis ex bono fine.

Probatur tertio.

562 Tertiò; Quia dum quis furatur ad dandum eleemosynam, est ei minùs voluntarium furtum, *per se* loquendo, quàm si simpliciter furaretur absque vllo fine extrinseco: Ergo minuitur eius malitia. Consequentia est certa; quia minùs voluntarium minuit malitiam. Ant. probatur primò *vniuersaliter* loquendo, quia est magis voluntaria intentio, quàm electio, cum electio sit propter intentionem finis. Secundò, quia is videtur magis affectus ad finem extrinsecum, quam ad obiectum furti.

Obiect. & enodatio.

563 Dices contra hanc rationem: Ergo minus graue erit furtum propter fornicationem, quàm propter seipsum. Respondetur neg. conſ. Quia in isto casu sunt duæ malitiæ; in casu autem solius furti esset vna malitia.

Réplica, & resp.

564 Vrgebis: saltẽ minuitur peccatum furti in isto casu, quia non est volitum propter se, sed propter fornicationem. Respondetur neg. etiam consequentiam, quia malitia fornicationis redundat in furtum.

Sententia oppositа Lorcæ.

565 Oppositam sentẽtiam tenuerunt aliqui Doctores Parisienses, vt testatur Almaynus apud Montes. hic, eamque sequutus est Lorc. disp. 42. memb. 3. concl. 1. qui dixerunt malitiam electionis nullo modo minui ex bonitate intentionis.

1. Argum. ex D. Aug

566 Probatur primò ex *D.* Aug. lib. 50. hom. hom. 7. vbi loquẽs de eo, qui furatur, vt det eleemosynam, ait: si totum tribuat pauperibus, quod abstulerat, addit potiùs peccatum, quã minuat.

Respõsio.

567 Respondetur, quod Sanctus Aug. dixit hoc eo sensu, quia ex distributione facta pauperibus, fieret impotens ad restituendum.

2. Argum.

568 Secundò probatur. Quia sequeretur, quod posset auferri totaliter malitia electionis, si minueretur ex bonitate intentionis, nam quo maior esset bonitas intentionis, eo esset minor malitia electionis: Ergo &c.

Respõsio.

569 Respondetur neg. seq. quia non potest in totum auferri ratio obiectiua malæ electionis, nec ratio voluntarii ab ipsa electione. Imò iste fuit error Cass. collat. 17. cap. 19. qui dixit finem quandoque in tãtum crescère in bonitate, vt auferret totaliter malitiam electionis, siuè redderet licitam

Digitized by Google

citam electionem, quæ de sui natura esset mala.

570 Probatur tertiò. Quia intētio finis boni nullam bonitatem communicat malæ electioni: alioqui esset simul bona, & mala. Respōdetur, quod intentio finis boni nō dicitur minuere malitiam prauæ electionis, quia communicat ei aliquam bonitatem, sed quia non est adeò mala electio, sicut esset, si volita propter alium finē malum. Vel quia non adeò est volūtaria, ac si esset propter solam suam rationem obiectiuam.

LECTIO III.

Vtrum eadem electio possit simul esse bona, & mala per ordinem ad duos fines vnum bonum, & alterum malum?

571 HAnc difficultatem solus Montes. & Vasq. hic tractant, quæ mihi videtur superflua, cum facilis sit, & constet ex dictis, & clarè ex responsione ad 2. & 3. huius artic.

572 Resolutio est negatiua. Quia quælibet ratio mali vitiat totū actū. Cum bonum ex integra causa. Vlterius quia ex D. Th. vt voluntas sit bona, semper debet esse boni sub ratione boni.

Cōclusio, & eius Ratio.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum quantitas bonitatis, vel malitiæ in voluntate sequatur quātitatem boni, vel mali in intentione?

573 IN hoc ar. supponit primo D. Th. quod duplex quantitas bonitatis, vel malitiæ potest considerari: Vna, quæ se tenet ex parte obiecti: quia scil. quis vult magis bonum, vel agit: Altera ex parte actus, siuè agentis, quia scil. *intensè* vult, vel agit.

574 Supponit secundò, quod potest esse sermo de actu interiori, & exteriori.

575 Respondet primò. Si erit sermo de quantitate bonitatis ex parte obiecti: quātitas actus (intellige electionis) tùm interioris, tùm exterioris non sequitur quantitatem intentionis. Ex parte actus exterioris probat hoc S. Th. dupliciter. Primò. Quia potest contingere, quod obiectū actus exterioris ordinatū ad finem intentum non sit illi proportionatum. Sicut si quis daret decem libras, non posset consequi suam intentionem, si intenderet emere rem valentem centum libras. Secundò. Quia actus exterior potest impediri, nè consequatur finem intentum. Vt si quis vellet ire Romā, & impediretur in via.

576 Ex parte autem actus, siuè electionis interioris ait S. Th. quod vno solum modo potest contingere, quod quantitas eius non sequatur quantitatem intētionis. Probat. Quia voluntas per actum electionis potest velle aliquod obiectum, siuè medium non proportionatum fini intento. Vndè voluntas, siuè electio huius medij, vel obiecti non erit tantum bona ex parte obiecti, quantum est intentio. Quia potest velle consequi aliquod bonum per aliquod medium, quod non sit dignum tanto bono. Addit S. Th. quod etiam in isto casu aliquo modo redundat quantitas intentionis in electionem. Quia est ratio eius.

577 Respondet secundò D. Th. quod si erit sermo de quantitate bonitatis, vel malitiæ ex parte actus, siuè agentis: quantitas intentionis ipsius intentionis redundat in electionem, tùm internam, tùm externam. Ratio est ex supradictis; quia ipsa quodamodo se habet vt forma ad vtramque.

578 Plura dicunt Montes. & Vasq. atque alij pro explicatione huius art.

Digitized by Google

qui si attentè legatur, nullas patitur difficultates, & ex eius doctrina benè intellecta omnes difficultates euanescunt. Vndè sine vlla discussione relinquitur.

ARTICVLVS. IX.

Vtrum bonitas voluntatis pendeat ex conformitate ad voluntatē Diuinam?

579 REspondet *D.* Th. quod vt voluntas hominis sit bona, requiritur, quod conformetur voluntati Diuinæ. Ratio est, Quia vnumquodque in tantum est rectum, & bonum, inquātum attingit ad propriam mensuram: sed voluntas Diuina est prima mensura omnium volūtatum: Ergo &c. Maior est certa. Minor probatur. Quia primum, & Summum bonum quod est vltimus finis voluntatis humanæ, est obiectum primum connaturale, & *per se* Diuinæ voluntatis.

ARTICVLVS X.

Vtrum necessarium sit voluntatem humanam conformari voluntati Diuinæ in volito, ad hoc, quod sit bona?

580 REspondet primò D. Th. quod voluntas humana tenetur conformari Diuinæ volūtati in volito formaliter. Ratio est. Quia tenetur velle bonum *Diuinum*, & commune, quod est sua bonitas. Sicut ratio volēdi cuiuscumque boni particularis debet esse bonum Diuinum, siuè vltimus finis.

581 Respondet secundò, quod voluntas humana non tenetur conformari Diuinæ voluntati in volito materialiter. Ratio est. Quia potest creatura aliquādo velle aliquod bonum particulare, quod secundùm rationem particularem sit bonum, & proportionatū propriæ naturæ, quāuis secundùm rationem vniuersalem non sit bonum. E. g. Vxor latronis potest optare vitam proprii viri, quatenus est bonum particulare suæ familiæ; non verò, secundùm rationem boni communis, cui est nociuus.

582 Respondet tertiò: quod voluntas humana, secundùm quod non conformatur ei in volito materialiter, conformatur ei secundùm rationem causæ efficientis. Ratio est. Quia inclinationem, quæ sequitur bonum particulare, habet à Deo, sicut à causa effectiua.

583 Respondet vltimò, quod cōformitas voluntatis humanæ cum Diuina voluntate secundùm rationē causæ formalis, scil. vt homo velit aliquid ex charitate, sicut Deus vult, reducitur ad conformitatem formalem, quæ attēditur ex ordine ad vltimum finem. Nam vltimus finis est propriū obiectum charitatis.

LECTIO VNICA.

An teneamur conformare volūtatem nostram voluntati Diuinæ?

584 NOtandū est primò, quod quatuor modis potest voluntas nostra conformari *Diuinæ* voluntati, vt constat ex *D.* Tho. in hoc art. Primo in genere causæ materialis, quatenùs vult idē, quod Diuina voluntas: Secundò in genere causæ formalis, quatenùs per formam, & habitum charitatis velimus omnia, quæ operamur, sicut Deus per formam, & habitum charitatis vult omnia, quæ operatur: Tertiò in genere causæ finalis, vt scil. ex eodem fine vniuersali, & cōmuni Diuinæ bonitatis, quo *Deus* vult omnia, velimus etiā nos illa: Quartò in genere cau- 1. Anim.

sæ

sæ efficientis, quatenùs ea volumus, quæ *D*eus uult nos uelle.

585 Secundò notandum est Dei
2. Anim. uoluntatem esse duplicem: Vnam beneplaciti: alterã signi. Voluntas beneplaciti dicitur illa, qua *D*eus positiuè uult aliquid, & ei placet. Et diuiditur in antecedentem: & consequentẽ: siuè efficacem: uel inefficacem. Voluntas autem signi dicitur illa, qua Deus significat se uelle aliquid, cum illud non uelit. Et est quintuplex, siuè quinque sunt signa *D*iuinæ uolũtatis. Præceptum; Prohibitio; Permissio; Consilium; Et operatio. Ità Theologi p. p. cum *D*. Th. q. 19. ar. 11. & 12. De uolũtate signi hìc non loquimur. Nam certum est primò, quod teneamur conformare nos præcepto actu positiuo, quando currit eius obligatio. Secundò certum est, nos teneri conformari prohibitioni. Quia debemus abstinere ab eo, quod nobis prohibitum est. Tertiò certum est, nos nõ teneri ad conformandum consilio. Quia consilium non obligat. De uoluntate signi, quod est permissio, est aliqua difficultas. Et dico primò quod quoad obiectum scil. peccatum non debemus uelle illam. Hoc est certum, quia peccatum malum est. Dico secũdò loquendo de ipsa permissione secundum se, scil. de subtractione gratiæ, potest nobis displicere. Quia D. Petrus contristatus est non solum de peccato futuro, sed etiam de eo, quod permissus sit cadere. Quid autem dicendum sit de uoluntate signi, quod est operatio, patebit ex his, quæ breuiter dicemus de uoluntate beneplaciti. His præmissis incipiamus à certioribus.

586. Respondeo primò. Certum
1. Concl. & Ratio. est, non esse nos obligatos ad conformandum uoluntatem nostram Diuinæ uoluntati in genere causæ formalis, ut scil. uelimus omnia ex charitate, quemadmodum Deus omnia, quæ uult, uult ex charitate sui. Ratio est. Quia non semper tenemur operari ex charitate, nam quamuis nihil possimus uelle contra charitatẽ, nihilominus nõ semper tenemur uelle, & operari ex charitate. Quia receptũ charitatis non obligat ad sẽper.

587 Respondeo secundò. Non te-
2. Concl. & 1. ratio ex Script. nemur conformare uolutantem nostram Diuinæ uoluntati in genere causæ materialis, seù quoad uolitum materiale. Patet ex multis locis Sacræ Scripturæ. Primò ex illo *D*auid psal. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*, & tamen Dauid sciebat uoluntatem *D*ei esse, ut ipse uiueret. Similiter ex Iob. *Tædet animam meam uitæ meæ*. Ex *D*. Paulo ad Philip. 1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo*.

588 Secundò probatur ratione D.
2. Ratio ex D. Th. Th. Quia idem uolitum materialiter, quamuis respectu Diuinæ uoluntatis possit habere rationem conuenientis; respectu tamen uoluntatis humanæ potest habere, & aliquando de facto habet rationem disconuenientis, ut est mors Patris, quæ respectu filii habet rationem disconuenientis, & respectu Diuinæ prouidentiæ rationem conuenientis. Confirmatur. Quia uult Deus nobis displicere mortem Patris ex uirtute pietatis.

589 Respondeo tertiò. Tenemur
3. Concl. conformare uoluntatem nostram *D*iuinæ uoluntati in genere causæ formalis, siuè quoad volitum formale. Ità D. Th. in hoc art. Montes. & alii Thomistæ. Et est communis.

590 Probatur primò ex *D*. Aug.
4. Ratioues. hìc relato à Montes. & Vasq. cap. 4. Quia impium est uelle aliquid contra *D*iuinam prouidentiam. Secundò. Quia finis Diuinæ uoluntatis, siuè ratio formalis, qua *D*eus uult omnia, est sua bonitas: sed hæc *D*iuina bonitas est conueniens cuicumque creaturæ: Ergo nulli potest displicere de illa. Minor probatur. Quia quæcunque creatura ordinatur ad *D*iuinam bonitatem, siuè est volita ratione *D*iuinæ bonitatis. Tertiò. Quia debemus dirigere omnes actus nostros in Deum, siuè *implicitè*, siuè *explicitè*.

591 Respondeo vltimò. Homo
4. Concl. & eius Ratio. velit, nolit, conformatur Diuinæ uo-

luntati in genere cauſæ efficientis. Ità D. Th. p. p. q. 19. & alibi. Ratio eſt Quia nihil velle poteſt, niſi quod ipſe vult, vel permittit eum velle. Vlterius, quia ſi fugit vnũ ordinem Diuinæ prouidentiæ, relabitur in alium. Hæc autem certa ſunt. Difficultas eſt: An aliquando liceat, vel poſſit facere contra iſtam Diuinam voluntatẽ? Non quidem quando eſt præſens. Quia *voluntati eius quis reſiſtit?* Sed in caſu, quo *D*eus reuelaret alicui ſuam voluntatem, antequam ſit: Sicut *D*iuo Petro reuelauit peccatum ſuum, antequam eſſet, ſiuè reuelauit ei, quod permiſſurus eſſet eum cadere. De qua re multa diſputant hìc Vaſquez. Monteſ. & Vaſq. quæ mihi videntur Monteſ. ſuperflua. Poſſunt videri apud ipſos.

592 Ego breuiter dico cum *D.* D. Tho. Tho. quod in omnibus ſequenda ſit *D*iuina voluntas quoad volitum formale; non vero quoad volitum materiale. Ex quo principio facilè,& breuiter poſſunt decidi quæcumque longa diſputatione dicunt ipſi.

593 Contrariam ſententiam tenet Gabriel hìc apud Monteſ. & Vaſq. dicens, teneri nos conformare noſtrã voluntatem *D*iuinæ voluntati quoad volitum materiale. Limitat autem ipſe hanc ſuam ſententiam: Dummodò non conſtet nobis, quod voluntas ſua ſit, vt velimus contrarium eius, quod ipſe vult. Sententia oppoſita Gabrielis.

594 Et hoc conſtare poteſt dupliciter. Primò per reuelationem: ſecũdò aliundè, & ex natura rei. Vt cum Deus vult mortem Patris, vult etiam filium velle contrarium huius ex pietate. Hanc ſententiam cum aliis limitationibus ſequuti ſunt alii Theologi apud *D*octores cit. Fundamentum huius ſententiæ eſt. Quia quodcumque vult *D*eus, rectiſſimum eſt. Reſpondetur quod ita eſt, ſed poteſt appræhendi ſub ratione diſconuenientis, & ſic diſplicere; non verò quatenus Deo conueniens, & placitum eſt. Enodatio.

QVAESTIO XX.

De bonitate, & malitia exteriorum actuum humanorum in ſex art. diuiſa.

ARTICVLVS I.

Vtrum bonitas, vel malitia per prius ſit in actu voluntatis, vel in actu exteriori?

1 PRæmittit S. Th. quod actus exterior dupliciter conſiderari poteſt: vno modo *ſecundum ſe*, & in ratione obiecti. Siuè ut expreſſis uerbis ait ipſe D. Th. ſecundùm genus ſuum, & ſecundùm circumſtantias in eo conſideratas. Sicut dare eleemoſynam ſeruatis debitis circumſtantijs, eſt bonum ex genere ſuo: Alio modo poteſt conſiderari actus exterior ex ordine ad finem.

2 Reſpondet primò *D*. Th. Ratio boni, vel mali, quam habet actus exterior ex ordine ad finem, per priùs inuenitur in actu voluntatis, ſcilicet in actu interiori, & ex eo deriuatur ad actum exteriorem. Ratio eſt. Quia finis eſt proprium obiectum voluntatis, ſiue actus interioris.

3 Reſpondet ſecundò. Si actus exterior conſideretur *ſecundum ſe*, & in ratione obiecti, vel ſecundũ quod eſt in ordinatione rationis, prior eſt bonitas, vel malitia illius, quã bonitas, vel malitia actus interioris. Ratio eſt.

Quia

Digitized by Google

Quia bonitas, vel malitia, quam habet actus exterior *secundum se* propter debitam materiam, & debitas circumstantias, non deriuatur à voluntate, sed magis à ratione.

4 Respondet tertiò. Si actus exterior *secundum se* consideratus sumatur, vt est in ordine executionis, bonitas, vel malitia ipsius sequitur bonitatem, vel malitiam actus interioris. Ratio est. Quia actus interior in hoc ordine est principium ipsius.

ARTICVLVS II.

Vtrum tota bonitas, & malitia exterioris actus dependeat ex bonitate voluntatis?

5 IN hoc art. etiã D.Th. prẽmit. tit id, quod in prẽcedẽti art. præmiserat, scilicet, quod in actu exteriori potest considerari duplex bonitas, vel malitia: Vna secundùm debitam materiam, & circumstantias. Alia secundùm ordinẽ ad finem. His præmissis.

6 Respondet primò. Quod bonitas, vel malitia actus exterioris secundùm ordinem ad finem tota pendet ex voluntate, siue actu interiori. Patet ex dictis præcedenti art.

7 Respondit secundò. Quod bonitas, vel malitia actus exterioris, quæ est ex debita materia, vel circũstantijs, pendet ex ratione, & ex hac pendet bonitas, vel malitia voluntatis, seu actus interioris secundùm quod in ipsa fertur. Patet etiam ex dictis præcedenti art.

8 Respondet tertiò. Actus exterior sumptus per ordinem ad finem, erit bonus, si actus interior, à quo pendet, erit bonus ex obiecto proprio, & fine. Quia bonum ex integra causa.

9 Respondet quartò. Actus exterior erit malus, si volũtas, vel actus interior, à quo pendet, erit malus, vel ex intentione finis, vel ex actu volito. Quia malum ex quocumque defectu.

10 In responsione ad primum ait D.Th. quod voluntas bona significata per arborem bonam iuxta illud Matth. 7. *Non potest arbor bona, &c.* accipitur secundùm quod est bona ex actu volito, & fine intento.

ARTICVLVS III.

Vtrum bonitas, & malitia sit eadem exterioris, & interioris actus.

11 SVpponit primò D. Tho. quod actus interior, & exterior in genere moris sũt vnus actus.

12 Supponit secundo, quod quãdoq; actus, qui est vnus subiecto, siue vnus numero habet plures bonitates, vel malitias, & quãdoque vnam. His suppositis.

13 Respondet primò, & ponit vnam conclusionem in communi, nimirum, quod quandoque est eadem bonitas, vel malitia actus interioris, & exterioris (subintellige quando habent vnam bonitatem, vel malitiã) quandoque est alia, & alia (subintellige quando habent plures bonitates, vel malitias) Patet hæc respõsio ex duobus suppositis.

14 Respondet secundò. Quando actus exterior est bonus, vel malus solum ex ordine ad finem, tunc omninò est eadem bonitas actus interioris, & exterioris. Probat exemplo potionis amaræ. Nàm in potione amara eadẽ est bonitas sanitatis, ad quam ordinatur, & ipsius potionis: quia nõ habet aliam bonitatem, nisi finis, qui est ipsa sanitas.

15 Re-

Digitized by Google

15 Respondet tertiò. Quando actus exterior habet bonitatem, vel malitiam *secundum se*, scilicet secundùm materiam, vel circumstantias; tunc bonitas actus exterioris est vna, & bonitas voluntatis, siue actus interioris, quæ est ex fine, est alia. Probat exemplo potionis dulcis, vel saporosæ. Nàm medicina dulcis, vel saporosa habet rationem boni delectabilis præter hoc, quod est sanatiua: Ergo bonitas, vel malitia actus exterioris *secundum se* est alia à bonitate, vel malitia actus interioris, quæ sumitur ex fine.

16 Vult breuiter dicere D. Tho. in his duabus responsionibus, quod quando actus exterior est purũ medium, non habet aliam bonitatem, vel malitiam, quam finis actus interioris. Quando verò non est purum medium, sed finis intermedius, habet aliam bonitatem, vel malitiam distinctam à fine actus interioris.

17 Concludit ultimò. D. Th. quod bonitas finis ex voluntate, siue actu interiori redundat in actum exteriorem, & bonitas materiæ, & circumstantiarum redundat in actum volũtatis, siuè actum interiorem. Quantũ ad hanc doctrinam se remittit ad artic. 1.

18 In responsione ad tertium ait D. Thom. quod quando aliquid ex vno deriuatur in aliud, sicut ex causa vniuoca in effectum, tunc aliud est, quod est in vno, & aliud, quod in altero, vt patet in calido, quod calefacit aliud: alius est enim calor calefaciẽtis, & alius calor calefacti. Quando verò aliquid deriuatur ex vno in alterum, sicut ex causa analoga, tunc idem est in vno, ac in altero, vt patet de sanitate, quæ ex animali deriuatur ad medicinã, & vrinã: nõ enim est alia sanitas animalis, & medicinę, vel vrinæ. Ita bonitas finis, quæ per actum interiorem deriuatur in exteriorem, eadem est. Quia deriuatur tanquam ex causa analoga, & secundum proportionem, vel ordinem ipsius actus exterioris ad finem.

LECTIO I.

Vtrum bonitas formalis actualis intrinsecè sit in actu exteriori, & independenter ab actu interiori, an verò intrinsecè sit in actu interiori, & ab eo deriuetur in actũ exteriorem.

19 PRO huius difficultatis explicatione, quæ satis inuoluta est, notandum est primò, quod duplex sit bonitas, vt supra diximus, cum ageremus de bonitate in communi: Vna obiectiua: Altera formalis. Hic loquimur de bonitate formali. 1. Anim.

20 Secundò notandum est, quod hic nomine actus exterioris intelligimus quemcumque actum elicitum à potentijs distinctis à voluntate, siuè sit potentia executiua, siuè appetitus sensitiuus, siuè potentia intellectiua. Nomine verò actus interioris intelligimus quemcumq; actum ipsius voluntatis. 2 Anim.

21 Notandum est tertiò cum D. Th. in istis art. quod actus exterior dupliciter comparari potest ad actũ interiorem; vno modo, vt *obiectum*: alio modo, vt *effectus*, & vt pendens in exercitio, & in ratione liberi ab actu interiori, siue imperio voluntatis. 3. Anim.

22 Vltimò notandum est, quod possumus loqui de bonitate, quæ sumitur ex fine, & de bonitate, quæ sumitur ex obiecto. Vt cum volumus eleemosynam ex fine charitatis. His notatis. 4. Anim.

23 Respondeo primò. Bonitas, quæ sumitur ex fine *intrinsecè*, & *formaliter* reperitur in actu interiori, & ex eo deriuatur in actum exteriorẽ. Idem dicitur de malitia. Est hæc responsio clara D. Tho. art. 1. & est communis. 1. Concl.

24 Ra-

Digitized by Google

Ratio. 24 Ratio est. Quia finis est obiectum voluntatis, siuè actus interioris. Maior difficultas est de bonitate, quæ sumitur ex obiecto actus exterioris, vt est subleuatio miseriæ alienæ respectu eleemosynæ. Vndè.

2. Concl. 15 Respondeo secundò. Si actus exterior cõsideretur, vt *effectus* actus interioris, vel vt ab eo pendens in exercitio, bonitas prius est in actu interiori *formaliter*, & *intrinsecè*, & ex eo deriuatur in actum exteriorem. Ita Montes. Vasq. & alij super hunc art.

Probatur 1. ex D. Tho. 26 Probatur primò test. D. Tho. in hoc art. 1. & singulariter ad tertiũ, vbi ait, quod bonitas actus voluntatis (intellige actus interioris) est forma exterioris actus, sicut in causa agente existens. Ea ratione, quia voluntas, siuè actus interior comparatur ad actum exteriorem, sicut causa efficiens.

Probatur 2. ratione. 27 Secundò probatur ratione. Quia actus exterior est liber quatenus subiacet actui interiori, & ipse actus interior est formaliter liber: Ergo actus interior est formaliter bonus, & ab eo deriuatur bonitas in actum exteriorem: nàm bonitas præsupponit libertatem.

Probatur tertio. 28 Tertiò probatur ratione D. Th. in hoc art. Quia actus interior est causa actus exterioris.

3. Concl. 29 Respondeo tertiò: Hæc bonitas, quæ ab actu interiori deriuatur in actum exteriorem. In actu exteriori membrorum exteriorum, uel potentiæ executiuæ non inhæret *formaliter*, & *intrinsecè*. In actu autem appetitus sensitiui, uel potentiæ intellectiuæ, probabile est, quod inhæreat *formaliter*, & *intrinsecè*, per participationem tamen ab ipsa uoluntate. Hæc responsio quoad primam partem est Aluar. hìc disp. 89. n. 5. Quoad primam, & secundam partem est Montes. etiam hic disp. 18. q. 1. n. 21. De qua infra latius, Deo dante, in materia de peccatis.

Aluarez. Montes.

30 Pro nunc breuiter probatur quoad primam partem. Primò, quia ex *D.* Th. in hoc art. 3. ad 3. bonitas actus interioris deriuatur in actum exteriorem sicut à causa analoga. Probatur 1. quoad 1. partem.

31 Secundò. Quia actus exterior est liber *extrinsecè* per denominationem extrinsecam, sumptam à libertate intrinseca actus interioris. Nam ex D. Th. sup. q. 17. art. 1. ad 2. libertas *formaliter*, & *subiectiuè* est in uoluntate. Probatur secundò.

32 Tertiò. Quia si actus exterior haberet bonitatem, uel malitiam intrinsecam, posset dari saltem de potentia *Dei* aliquis actus exterior bonus, uel malus independenter ab actu interiori. Et sic actus amentium, uel ebriorum possent esse boni, uel mali, quod est falsum. Quoad secundam partem. Probatur primò. Quia actus appetitus sensitiui, & intellectus dicuntur liberi per participationem ab ipsa uoluntate. Probatur tertiò. Probatur 2. quoad secũdam partem.

33 Secundò, quia ex D. Th. & communi sententia Thomistarum infra q. 56. a. 4. in appetitu sensitiuo, ut subsit rationi, & uoluntati subiectantur *formaliter* uirtutes, & quæ sũt tales essentialiter, scil. temperantia, & fortitudo, & in intellectu subiectatur prudentia, quæ etiam dicitur uirtus moralis ex parte materiæ: Ergo actus harum uirtutum possunt dici *formaliter* liberi, non à seipsis, neque ratione potentiarum, à quibus eliciũtur, sed per ordinem ad actus uoluntatis: Ergo *formaliter*, & *intrinsecè* boni bonitate sibi communicata ab actu uoluntatis. Sed de his latius loc. cit. An autem actus exterior, cum sit bonus *extrinsecè*, dicatur *formaliter* bonus, uel non? difficultas nullius utilitatis. Probatur secundò.

34 *Dico* nihilominùs cũ Aluar. loc. cit. & *Durand.* apud ipsum, quòd possit dici *formaliter* bonus. Primò. Quia *Deus* dicitur formaliter Dominus à relatione, quæ est in creatura realiter. Secundò. Quia columna denominatur *formaliter* dextera, à dexteritate animalis. Tertiò. Quia in uniuersum, ut aliquid dicatur *formaliter* tale, satis est, ut denominetur ab ali- Difficultas incidens resoluitur.

Digitized by Google

aliqua forma, quâuis alteri inhæreat.

35 Reſpondeo quartò. Si actus exterior comparetur ad actum interiorem, vt *obiectum*, etiam bonitas *formalis*, & *actualis extrinſecè* conuenit actui exteriori, & *intrinſecè* actui *interiori*. Ratio eſt. Quia vt ſupra diximus, bonitas *formalis intrinſecè* inhæret actui, & *extrinſecè* in obiecto: Ergo non poteſt bonitas *intrinſecè* conuenire actui exteriori, vt *obiecto*, & *extrinſecè* actui interiori terminato ad ipſum. Confirmatur. Quia obiectum *terminatiuè* dicitur bonũ, vel malum. Secundò ſpecialiter probatur hæc reſponſio contra Caiet. qui, vt infra referam, tenet, quod bonitas *formaliter*, & *intrinſecè* eſt in actu exteriori tanquam in obiecto, & *extrinſecè* in actu interiori tanquam in cauſa ipſius. Sicut ſanitas *intrinſecè* eſt in animali, & *extrinſecè*, & tamquam in cauſa in medicina. Quia duas habitudines importat actus interior ad actum exteriorem: vnam tanquam ad *obiectum*, alteram tãquã ad *effectũ*; & prior eſt habitudo ad ipsũ tãquam *ad obiectum*, quàm habitudo ad eum tanquam *ad effectum*: Sed in illo priori actus interior eſt bonus *intrinſecè*, neque habet ſecundum hanc formalitatem, rationẽ cauſæ reſpectu actus exterioris: quia ipſe actus exterior, vt *obiectũ* eſt cauſa *formalis extrinſecè*, vel *finalis* reſpectũ ipſius, Ergo &c.

4. Concl.

Ratio.

2. Ratio.

36 Reſpondeo vltimò. Si actus exterior conſideretur *ſecundum ſe*, & ſecundum debitam materiam, vel circumſtantias, vt loquitur D. Tho. in ordine ad regulas rationis; poteſt dici bonus *formaliter*, & *intrinſecè*. Ità Aluar. loc. cit. Ferr. 3. cont. gent. cap. 10. & alij. Et fortaſſe hoc voluit Caiet. Probatur hac vnica ratione fũdamentali. Quia actus exterior habet bonitatem, vel malitiam ex proprio obiecto, quod *ſecundum ſe* eſt conforme, vel difforme rationi: Ergo erit *intrinſecè*, & *formaliter* bonus, vel malus. Probatur conſequentia. Quia vnicuique actui eſt intrinſeca habitudo ad proprium obiectum.

5. Concl.

Ratio.

37 Verùm eſt aduertendum, quod hæc habitudo actus exterioris ad ſuũ obiectum iuxtà regulas rationis præcisè, non extrahit eum à bonitate obiectiua: nam vt dicatur in rigore *formaliter*, & *intrinſecè* bonus non ſufficit, vt dicat habitudinem ad habitam materiam vtcumque, ſed requiritur, vt dicat habitudinem ad debitam materiam, vt volitam; quam habitudinem non habet, niſi ab actu interiori. Ità Monteſ. loc. cit. nu. 22.

Animad.

38 Contrariam ſententiam docet Caiet. in hoc art. 2. in ſolutione ſecundi, & quarti dubij, quæ ipſe mouet ſuper dictum art. nimirum, quod actus exterior in quantum actus *denominatiuè* bonificat actum interiorẽ, ipſum autem actum exteriorem eſſe *formaliter*, & *intrinſecè* bonum.

Sententia oppoſita. Caiet.

39 Fundamentum, quod innuit huius ſuæ ſententiæ, eſt. Quia bonitas actus interioris, quam habet ex fine *denominatiuè* bonificat exteriorem: Ergo bonitas actus exterioris, quam habet ex debita materia, & circumſtantijs *denominatiuè* bonificat actum interiorem. Reſpondetur neg. conſ. Quia bonitas actus exterioris, vt bonificet actum interiorem, debet eſſe volita, & eo ipſo quod eſt volita, bonificat *intrinſecè*, non autem *denominatiuè*.

1. Argum.

40 Secundò poteſt probari ex D. Th. quia medicina ex eo, quod eſt cauſa ſanitatis animalis *extrinſecè*, dicitur ſana: Ergo actus interior, ex eo quod eſt cauſa actus exterioris, *extrinſece* debet dici bonus eius bonitate. Reſpondetur neg. conſ. Et ratio diſparitatis prima eſt; quia prius actus exterior habet rationem obiecti reſpectu actus interioris, & poſtmodum actus interior cauſat actum exteriorem: at in eo priori eſt bonus bonitate intrinſeca per ordinem ad actũ exteriorem tanquam ad *obiectum*. Secunda diſparitas eſt. Quia medicina non eſt capax ſanitatis formaliter, cũ ſanitas formaliter cõſiſtat in proportione, & temperamento humorum animalis. Sed actus interior eſt capax bonitatis, cũ ſit formaliter liber.

2. Argum. ex D. Th.

41 Ter-

Digitized by Google

3. Argum. 41 Tertiò, quia dum quis vult aliquem actum exteriorem misericordiæ, vt largiri eleemosynam propter finem charitatis, bonitas misericordiæ, quæ est in illo actu externo, non bonificat *intrinsece* intentionem charitatis. Respondeo, quòd bonificat, & auget bonitatem charitatis *intrinsece accidentaliter*, sicut è contra actus misericordiæ magis bonificatur ex fine charitatis.

4. Argum. & respós. 42 Vltimò probari potest hæc sententia. Quia actus exterior bonus est, qui per se primò præcipitur, vt honorare parentes, & actus exterior malus, qui primò, & per se prohibetur: Ergo *intrinsece* habent boniratem, vel malitiam. Respondetur, quod prohibentur hi actus, vt voliti.

LECTIO II.

Vtrum malitia actualis prius sit in actu exteriori, quam interiori?

43 HÆc difficultas remanet decisa ex præcedenti lectione, nam eodem modo philosophandum est de malitia actus exterioris, ac eius bonitate. Sed proponitur singulariter propter Vasq; qui sẽtit nobiscum de bonitate actus exterioris contra Caiet. & discordat quantum ad malitiam sequens Caiet.

Cõclusio. 44 Respõdeo ergo breuiter, quod malitia actualis, siuè consistat in aliquo positiuo, siuè in aliquo priuatiuo *formaliter*, & *intrinsece* reperitur in actu interiori, & *extrinsece* in actu exteriori. Et omninò eodẽ modo philosophandum est de malitia, ac de bonitate actus exterioris. Ità communiter Thomistæ, excepto Vasq. contra Caiet.

Probatur 1. D. Th. 45 Probatur primò ex *D.* Th; qui in his tribus art. eodem modo Theologizat de bonitate, ac malitia actus exterioris. Rursus omnibus rationibus, quibus statuimus in præcedenti lectione doctrinam de bonitate ipsius actus exterioris.

Probatur 2. ratione. 46 Secundò specialiter. Quia eodem modo libertas est fundamentum bonitatis, ac malitiæ.

3. Prob. 47 Tertiò specialiter cõtra Vasq. qui tenet bonitatem actualem (vt statim dicam) reperiri *intrinsece* in actu interiori, & *extrinsece* in actu exteriori, malitiã uerò è contra, *intrinsece* reperiri in actu exteriori, & *extrinsece* in interiori. Quia contraria sunt in eodem subiecto: sed bonitas, & malitia sunt contraria, siuè *priuatiue* siuè *positiue*: Ergo si bonitas est primariò, & *intrinsece* in actu interiori, malitia quatenùs aufert eam bonitatem, etiã erit *intrinsece* in actu interiori. Adducunt quamdam responsionem huic rationi, quæ nullius subsistentiæ mihi videtur. Dicunt enim quod obiectum peccati est *per accidens* volitum; obiectum actus honesti est *per se* volitum; Vndè hæc duo bonitas, & malitia non possunt se expellere ex eodẽ subiecto. Sed contra. Quia quamuis obiectum peccati sit *per accidens* volitum, nihilominus malitia actualis semper ex ipso redundat *intrinsece* in actum.

1. Euasio Vasquez.

2. Euasio. 48 Deindè potest responderi ex doctrina Vasq. quod actus exterior malus *primariò*, & *per se* prohibitus sit subiectum distinctum à subiecto bonitatis; vndè non possunt se mutuò expellere bonitas, & malitia.

Præclusio 49 Sed cõtra: Nam hoc est, quod contendit argumentum, malitia enim est priuatio, uel negatio, uel destructio, vel ablatio rectitudinis. Vocetur quomodo placet: Ergo ibi debet reperiri, vbi natura sua reperitur rectitudo, uel bonitas. Reperitur boniras in actu interiori; Ergo &c.

Confirm. 50 Vlterius hæc ablatio rectitudinis, quæ reperitur *intrinsecè* in actu exteriori, deberet auferre rectitudinẽ, quam exigeret alius actus exterior contrarius: Non datur ex sententia Vasq. actus exterior, qui sit *intrinsecè* bonus. Ergo, &c.

Digitized by Google

51 *Demum* impugnatur Vasq. quia ex sententia sua datur actus, qui potest trãsire de malo in bonum: Si ergo actus exterior est *intrinsecè*, & *primariò* malus, potest etiam transire in *intrinsecè* bonum. 2. Cõfirm.

52 Contrariam sententiam tenet Vasq. disp. 73. cap. 5. & 6. vbi ait: Actionem exteriorem esse *primariò*, & *per se* malam malitia, quam habet ex ordine ad obiectum, & circumstãtias formaliter; hoc est tanquã actionem moralem capacem meriti, & pœnæ. Et hanc malitiam *secundariò* deriuari in actionem interiorem; Malitiam verò, quam habet ex fine *primariò*, & *intrinsecè* conuenire actioni interiori, & ex ea deriuari in actionẽ exteriorem. Hęc sententia quoad primam partem est nobis contraria, & eam probat duabus rationibus. Sententia opposita Vasq.

53 Prima ratio, quam ipse vocat optimam, est. Quia illa actio est *primariò*, & ratione sui mala, quæ *primariò*, & *per se* prohibetur: Sed actio mala, vt est homicidium, E.g. furtum, &c. est, quæ *primariò*, & *per se* prohibetur: Ergo. 1. Argum.

54 Respondetur, quod omnes hæ actiones prohibentur, vt volitæ, & informatæ per actum interiorem. Alioquin actio externa omninò inuoluntaria, & *per accidens* sequuta, esset mala moraliter, & punienda. Respõsio.

55 Vrgebit quisnos in fauorem Vasq. Quia illæ actiones externæ, quæ sunt malæ, quia prohibitæ lege humana, sunt *primariò*, & *per se* prohibitę, quia lex humana non pòtest prohibere actus internos. Replica.

56 Respondetur primò, quod hæc difficultas tractanda est in materia de legibus, Deo dante: An lex humana possit prohibere actus internos. Pro nunc dico breuiter, quod *indirectè* potest prohibere illos. 1. Respõs.

57 Vlterius dico, admisso, quod lex humana, nec *indirectè* possit prohibere actus internos, tunc illa actio externa esset prohibita, præcisè quatenus difformis regulis rationis, & vt sic haberet puram rationem obiecti, vt in præcedẽti lectione dictũ est. 2. Respõs.

58 Secunda ratio est. Quia actio exterior est *primariò*, & *per se* dissentanea regulis rationis: Ergo *primariò*, & *per se* mala. Antecedens probatur. Quia ideò affectus internus furandi. V.g. est malus, quia actio externa furtiua est mala. 2. Argum.

59 Respondetur, quod hæc causalis non importat, nisi tantum causalitatem extrinsecam obiectiuam. 1. Resp.

60 Secundò respondeo, quod hæc causalis etiam est vera in genere causæ efficientis. Quia affectus furandi est malus, ideò furtum est malum. 2. Resp.

61 Tertiò respondeo. Quia præceptum diuinum etiam *primario* prohibet actus internos, vt constat ex nono, & decimo præcepto Decalogi. *Denique* Vasq. nititur hanc suam sẽtentiam ex mente D. Tho. in his art. confirmare, quæ luce meridiana clarius stat à parte nostra. 3. Resp.

62 Addit etiam cap. 7. Vasquez, quod non sit eodem modo de bonitate, & malitia philosophandum. Vndè dicit, quod bonitas *primario*, & *per se* conuenit actui interiori, *secundariò*, & *deriuatiuè* actui exteriori. Et vtitur sua ratione familiari. Quia vt actus sit honestus, debet esse volitus *per se*, & propter ipsam honestatem; sed reuera non consequenter philosophatur, vt patet ex vltima nostra ratione.

LECTIO III.

Vtrum actus exterior, vt obiectum actus interioris habeat eandẽ numero bonitatem, vel malitiam cum ipso actu exteriori?

63 Difficultas in eo consistit: An quando quis vult furtum, vel eleemosynam, actus exterior furti habeat eandem numero malitiam cum voluntate furandi, vel elee-

Digitized by Google

eleemosyna eandem numero bonitatem cum voluntate, siuè actu interno dandi eleemosynam.

64 Et responsio est affirmatiua.

Conclusio & eius 1. Ratio. Est communis inter Thomistas. Probatur primò ratione à priori. Quia bonitas, vel malitia, vt suprà dictum est, sumitur per ordinem ad regulas rationis; sed in prædicto casu eadem numero est conformitas, vel difformitas ad regulas rationis, & actus interioris, & exterioris: Ergo.

2. Ratio. 65 Secundò. Quia ex D. Th. actus interior comparatur ad exteriorem, tanquam forma ad materiam. Ergo, &c.

3. Ratio. 66 Tertiò. Quia ex eod. D. Th. q. seq. a. 2. actus exterior eatenus est dignus laude, vel vituperio, quatenus procedit in exercitio ab actu interiori.

4. Ratio. 67 Quartò. Quia actus exterior est liber, & voluntarius, vt pendet ab actu interiori. Et quamuis hæc ratio displiceat Mont. qui ait, quod etiã si in actu exteriori esset noua libertas; nihilominùs non esset in eo noua malitia, quia noua malitia sumitur per ordinem ad nouam, siuè distinctam regulam rationis: nihilominùs etiam est optima: quia nõ sufficit solus ordo ad regulas rationis ad constituendũ actum bonum, vel malum, sed requiritur pro fundamẽto, vel conditione libertas. Cum autem in actu exteriori ex se nulla sit libertas nisi dependenter ab actu interiori, ideò non habet distinctam bonitatem, vel malitiam.

5. Ratio. 68 Vltima ratio. Quia viri timoratæ conscientiæ in confessione non se accusant seorsim de actu exteriori, & interiori, quando peccatum perficitur in opere exteriori.

Sententia opposita Gabrielis, Gregorij, D. Bonau. 69 Oppositam sententiam docuit Scotus quodlib. 18. §. de tertio, Gabriel, Greg. & D. Bonau. apud Montes. hic. disp. 28. q. 3. qui diuersis fundamentis probant hanc sententiam.

Primum Argum. Scoti. 70 Fundamentum Scoti est. Quia distincta est integritas actus exterioris, & interioris: Ergo distincta bonitas. Consequẽtia est certa apud ipsũ, quia bonitas vniuscuiusque rei consistit in integritate ipsius. Antecedens probatur. Quia actus exterior integratur ex obiecto, & circumstantijs; actus autem interior ex solo obiecto.

Respõsio. 71 Respondetur breuiter, quod ex obiecto, & circumstantijs actus exterioris integratur etiam obiectum actus interioris, cum actus exterior. sic sumptus, sit obiectum actus interioris.

2 Argum. Gabrielis. 72 Fundamentum Gab. est. Quia tota ratio, cur sit eadem bonitas, vel malitia actus interioris, & exterioris est, quia bonitas actus exterioris pẽdet à bonitate actus interioris: Sed hæc ratio est nulla: quia etiam veritas conclusionis pendet à veritate principiorum, & nihilominus sunt distinctæ.

1. Respõs. 73 Respondetur, quod sit dispar ratio. Quia veritas sumitur ex habitudine prædicati ad subiectum, & ex conformitate actus ad rem: in conclusione autem quamuis pendeat à principijs, est ista diuersa habitudo: At bonitas actualis sumitur ex ordine ad regulas rationis, præsuppositâ libertate. In actu autem exteriori quamuis sit ordo ad regulas rationis, nulla est peculiaris libertas. Et ideò non habet bonitatem distinctam.

2. Respõs. 74 Addo, quod admisso, quod haberet peculiarem libertatem, ac proinde peculiarem bonitatem; nihilominus esse incompleta respectu bonitatis actus interioris, cum qua componeret vnam integram bonitatem. Nàm actus interior se habet, vt forma respectu actus exterioris; Quod nequit dici de assensu principiorum respectu assensus conclusionum.

2. Argum. Gregorij, & resp. 75 Fundamentum Greg. est. Quia actus interior, & exterior sunt duo actus, quorum vnus non est alius. Respondetur, quod in esse moris sunt vnus.

4. Argum. D. Bonau. 77 Fundamentum D. Bonau. est. Quia actus exterior, & interior dicũtur duo actus habentes malitiam: Ergo possunt dici duo peccata. Probatur consequentia, quia quando

Digitized by Google

forma ſumitur *adiectiue*, multiplicatur iuxtà multiplicationem ſuppoſitorum, quamuis ſit vna numero, vt patet in diuinis. Poſſunt enim dici tres omnipotentes, tres miſericordes, &c. ſumpta omnipotentia, vel miſericordia *adiectiue*, quia redditur iſte ſenſus. Sunt tres perſonæ, ſiuè tria ſuppoſita habentia miſericordiam, omnipotentiam, &c. Ergo à pari ſumpta malitia *adiectiue* poſſunt dici duo peccata, ſiuè duo ſuppoſita, ſcilicet actus exterior, & interior habentia malitiam.

77 Reſpondetur primò, quod totus iſte diſcurſus non aliud concludit, niſi quod ſint duo actus in eſſe materiæ habentes vnam malitiam, quod vltrò concedimus. 1. Reſp.

78 Secundò, quod malitia formaliter inèſt tantum vni ſuppoſito, ſcilicet actui interiori, & ideò propriè, & in rigore non habet rationem adiacentis, ac proindè nequit multiplicari; vt patet de ſanitate, quæ cum inſit formaliter animali, non verò vrinæ, medicinæ, &c. Non poteſt multiplicari. 2. Reſp.

79 Tertiò, conceſſo, quod malitia ſignificet formam per modum adiacentis vtriq;e actui, nec etiam poſſunt dici duo peccata, quia actus interior, & exterior ſunt vnum moraliter, ſiue vnum vnitate ordinis, ſicut ligna, & lapides, quæ dicuntur vna domus. Vel etiam, quia ſunt duo ſubiecta partialia componentia vnũ totale, & completum. 3. Reſp.

ARTICVLVS IV.

Vtrum actus exterior aliquid addat de bonitate, & malitia ſupra actum interiorem?

79 REſpondet primò S. Tho. Si loquamur de bonitate exterioris actus, quam habet ex bonitate finis; tunc actus exterior nil addit ad bonitatem actus interioris, niſi contingat ipſam voluntatem, ſecundùm ſe fieri meliorem in bonis, vel peiorem in malis. Hæc reſponſio ſupponitur tanquam certa à D. Tho. ex dictis art. 3. Et etiam ex ipſis terminis conſtat. Explicat autem D. Th. quomodo voluntas poteſt fieri ſecũdum ſe melior in bonis, vel peior in malis, & dicit hoc contingere tripliciter: Primò reiterando voluntatem, ſiuè actum internum voluntatis; puta cum aliquis vult facere aliquid bono, vel malo fine, & tunc non facit, poſtmodum etiam vult, & facit. Vndè fit duplex bonum, vel duplex malum: Secundò per extenſionem, vt ſi quis cõtinuet motum voluntatis, quouſque opus perficiat; tunc enim voluntas eſt diuturnior in bono, vel malo, & ſecundùm hoc eſt peior, vel melior: Tertiò ſecundum intenſionem, vt ſi aliqui actus exteriores propter aliquẽ finem fiant magis *intensè*, vel *remiſsè*.

80 Reſpondet ſecundò: Si loquamur de bonitate actus exterioris, quã habet ſecundùm materiam, & debitas circumſtantias, ſic comparatur ad voluntatem vt terminus, & finis, & hoc modo addit ad bonitatem, vel malitiam voluntatis. (Intellige actus interioris.) Ratio eſt. Quia omnis inclinatio, vel motus perficitur in hoc, quod conſequitur finem, vel attingit terminum. Vndè non eſt perfecta (intellige efficax) voluntas, niſi ſit talis, quæ opportunitate data operetur.

81 Reſpondet tertiò. Si voluntas ſit perfecta, ideſt efficax, ità vt operaretur, ſi poſſet, & exequeretur actũ exteriorem, & non exequitur, quia non poteſt, vel impeditur; talis defectus actus exterioris non minuit bonitatem, vel malitiam actus interioris, & ex conſequenti non tollit aliquid de præmio, vel pœna. Ratio eſt. Quia talis defectus, vel impedimentum eſt ſimpliciter inuoluntarium. Confirmat clarius hanc rationẽ. Quia non tollitur aliquid de præmio, vel de pœna, ſi homo inuoluntariè ſimpliciter deficiat ad faciendum bonũ, vel malum.

LE-

Digitized by Google

LECTIO VNICA.

Vtrum actus exterior addat bonitatem, vel malitiam supra actum interiorem efficacem?

82 PRo explicatione tituli difficultatis notandum est primò, quod loquimur de actu exteriori quatenùs bono, vel malo ex obiecto, & proprijs circumstantijs præciso ordine ad finem ipsius actus interioris. Secundò notandum est, quod loquimur de ipso actu exteriori, vt comparatur per modum obiecti ad actum interiorem, & pendet ab eo in genere causæ efficientis. Et tertiò quod est sermo in casu tertiæ responsionis D. Th. quando scil. actus interior non potest exequi, propter impedimentum, vel impossibilitatem, actum externum.

1. Anim.

83 Et respondeo. Actum externũ in prædicto casu nullam addere bonitatem, vel malitiam actui interno efficaci: Ità D. Th. hìc & communiter Theologi hìc, excepto Scoto, vt infrà referam. Probatur primò ex illo. Gen. 22. Quia feciſti rem hanc, & nõ pepercisti filio tuo. Itẽ ex illo Matth. 7. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Secundò probatur ex *D.* Aug. lib. 1. de lib. arb. cap. 3. vbi clarè docet: Non minus reum esse aliquem, si optet concubere cum coniuge aliena, & id faceret, si ei potestas daretur, quàm si in ipso facto deprehenderetur. Tertiò probatur ratione in præcedenti lectione adducta: quia actus exterior cum non sit ex se liber, & voluntarius, nisi dependenter ab actu interno, nullam habet bonitatẽ, vel malitiam intrinsecam. Et confirmatur ratione D. Th. in hoc art. Quia impedimentum, vel impossibilitas ad exequendum actum externũ est prorsus inuoluntaria.

84 Contrariam sententiam tenet Scotus quodlib. 18. ar. 3. asserens actum exteriorem addere aliquã bonitatem, vel malitiam supra actum interiorem quantumuis efficacem. Probatur primò, quia *D.* Aug. lib. 13. de Trin. cap. 5 ait: Mala voluntate, vel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua malæ voluntatis desiderium impletur. Respõdetur quod ex mente Aug. dicitur miserior, qui opere externo implet desiderium malæ voluntatis primò, quia actus interior fit intensior, & etiam extensior. Secundò quia prior actus interior fortasse erat inefficax, postmodum repetitur, & fit efficax.

85 Secundò probatur, quia datur gratia consequens ad actus exteriores ex Sac. Scrip. Trid. sess. 6. cap. 16. & PP. Ergo signum est, quod habent bonitatem propriam.

86 Respondetur quod ista gratia datur multoties, nè desistat actus interior efficax ab executione operis externi. Nã propter difficultates, quæ suboriuntur in executione operis externi, multi cessant à bono opere.

87 Tertiò probatur, quia martyrio exeterno correspondet peculiare præmium, nimirum aureola, sicut etiã Doctoratui, & Virginitati, quod non correspondet solis actibus internis. Huic argumẽto respondet Med. quod præmium essentiale erit æquale cæteris paribus ob solam voluntatem internam efficacem martyrij, & executionẽ externam: præmium autem accidentale non habebit, qui non subijt martyrium externum ex defectu obiecti, quia non est obiectũ, quo frui accidentaliter potest martyr internus, & non externus. Et ità dicitur de duabus alijs aureolis *Doctoratus*, & Virginitatis. Est optima responsio. Secundò respondet Aluar. Quod hæc aureola sit speciale priuilegium Martyrij, & non aliorum actuum externorum. Probat ipse, quia voluntas quantumuis efficax recipiendi Sacramentum pœnitentiæ, siuè potiùs Sacramentum pœnitentiæ internè solũ

suſce-

ſuceptum, non confert gratiam ex opere operato: ſuſceptū verò externè cōfert gratiā ex opere operato. Quia Deus iſtud priuilegium conceſſit iſti actui externo, ſic etiā dicitur de Martyrio, de Doctoratu, & de Virginitate.

88 Quartò, quia ſequeretur ex oppoſita ſententia non teneri quemlibet ad manifeſtandum actum externum in confeſſione. Sed ſufficeret tātum explicare actum internūm efficacem. Reſpondetur, quod ſit explicandus actus exterior in confeſſione, primo ad dignoſcendum, an actus interior reuera fuerit efficax, vel multoties fuerit repetitus. Secundò ad adhibendam debitam medicinam. Tertiò ad obligandum fortaſſe ad reſtitutionem, vel an pœnitens incurrerit aliquam cenſuram. Quartò, & eſt ratio a priori, quia præcepta prohibitiua eorum peccatorum, quæ opere externo conſumuntur, dantur in ordine ſingulariter ad ipsū actū externū.

89 Quintò, quia daretur occaſio non exequendi actus virtutum externos. Reſpondetur neg. ant. Primò, quia, vt dictū eſt, præcepta dātur ſingulariter in ordine ad actus externos virtutum. Secundò, quia actus internus coniunctus externo eſt ſingulariter efficax, imò magis efficaciter elicitur: ſinè vt ait D. Th. in ipſo opere externo perficitur.

90 Vltimò quia damnantur errores Petri Abaylardi, qui dixit aliquem non fieri peiorem, vel meliorem propter opera externa. Reſpōdetur, quod error iſtius fuit non de actibus externis præciſè, ſed coniunctis actibus internis.

ARTICVLVS V.

Vtrum euentus ſequens aliquid addat de bonitate, vel malitia ad exteriorem actum?

91 NOtat primò D. Th. quod euentus ſequens, aut eſt præcogitatus, aut non. Hoc notato.

92 Reſpōdet primò, quod ſi euētus ſequens eſt præcogitatus, addit bonitatem, vel malitiam actui. Ratio eſt, quia dum aliquis cogitat, quod ex opere ſuo multa mala poſſunt ſequi, nec propterea dimittit actum, apparet voluntas eius magis inordinata.

93 Reſpondet ſecundò: Si euentus ſequens non ſit præcogitatus, & eſt ex eis, qui per ſe ſequūtur ad actū, & vt in pluribus, addit bonitatem, vel malitiam actui. Ratio eſt, quia melior eſt actus ex ſuo genere, ex quo ſequi poſſunt plura bona, & peior, ex quo ſequi poſſunt plura mala.

94 Reſpondet tertiò. Si euentus ſequens non ſit præcogitatus, & per accidens ſequitur ad actum, & vt in paucioribus, non addit bonitatem, vel malitiam actus. Ratio eſt, quia non datur iudicium de re aliqua ſecundū illud, quod eſt per accidens, ſed ſolū ſecundùm illud, quod eſt per ſe.

ARTICVLVS VI.

Vtrum idem actus exterior poſsit eſſe bonus, & malus?

95 REſpondet primò D. Th. quod vnus, & idē actus in genere moris impoſſibile eſt, quod ſit ſimul bonus, & malus bonitate, & malitia morali. Hanc reſponſionem ſupponit D. Th. tanquam certam. Nihilominus probatur in argumento ſed contra. Quia contraria non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto. Sed bonū & malum ſunt contraria, Ergo &c.

96 Reſpondet ſecundò: Idē actus in eſſe naturæ poteſt eſſe ſucceſſiuè bonus, vel malus in eſſe moris. Ratio eſt, quia eadem ambulatio in eſſe naturæ quæ ex priori voluntate erat bona, fieri poteſt mala, ſi continuetur, & varietur voluntas. Confirmatur, quia eadem ſuperficies in genere quantitatis poteſt eſſe multiplex in genere coloris, ſi ſecundùm partem ſit alba, & ſecundùm aliam nigra.

QVÆ-

Digitized by Google

QVAESTIO XXI.

De ijs, quæ cõsequuntur actus humanos ratione bonitatis, & malitiæ in quatuor art. diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum actus humanus in quantum est bonus, vel malus habeat rationem rectitudinis, vel peccati?

97 REsponsio D. Th. est. Actus humanus ex hoc, quod est bonus, vel malus, habet rationem rectitudinis, vel peccati. Ratio est, quia actus dicitur bonus moraliter ex hoc, quod dicit debitum ordinem ad regulas rationis, & malus moraliter ex hoc, quod recedit ab ordine rationis. Sed rectitudo consistit in isto debito ordine ad regulas rationis, & peccatum in obliquatione, vel recessu ab ordine rationis: Ergo &c.

ARTICVLVS II.

Vtrum actus humanus in quantum est bonus, vel malus habeat rationem laudabilis, vel culpabilis?

98 REspondet D. Th. Bonum, vel malum in solis actibus voluntarijs constituit rationem laudis, vel culpæ. Ratio est, quia laudari, vel culpari nil aliud est, quàm imputari alicui malitiam, vel bonitatem sui actus. Sed actus imputatur agenti, quando est in potestate ipsius, siuè est ipsi voluntarius. Ergo &c.

99 Super istos duos art. nihil occurrit dicendum, solum notãdum est, quod malum sit superiùs ad peccatũ. Nam malum importat priuationem boni in quocunque subiecto: Peccatum autem importat priuationem boni in actu tantum. Vlterius peccatum est superius ad culpam: Quia peccatum dicit priuationem boni in actu, siuè physico, siuè morali, & voluntario: culpa autem imputationem agenti morali ipsius actus mali; quãuis cõfundantur à Theologis, & vnũ accipitur pro alio. Vndè prius est, quod sit actus malus, siuè peccatum, & postea quod imputetur ad culpam, & consequenter quis vituperetur, vel puniatur.

100 E cõtra etiam bonum est superiùs ad rectum, nam bonum reperitur in quocunque subiecto, cui non deest perfectio sibi debita: rectum verò tantum in actu. Vndè actus visionis non dicitur bonus, sed rectus. Similiter rectum est superiùs ad virtuosum, siuè actum studiosum: nam rectum inuenitur in actibus, qui non sunt morales; virtuosum autem in actibus qui sunt morales. Vlteriùs ad actum virtuosum sequitur imputabilitas ad laudem, siuè laus, quia laus est tantùm de actibus moralibus

101 Est etiam notandum secundò, quod hæc tria in eodem actu morali, scil. malum, peccatum, & culpa sunt idem, & differunt tãtum ratione, vt iam constat ex dictis. Similiter in eodem actu morali idem sunt bonum, rectum, & studiosum, siuè virtuosum. Ità colligitur ex D. Th.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

Vtrum actus humanus in quantum est bonus, vel malus habeat rationem meriti, vel demeriti.

102 TRia breuiter dicit D. Th. in hoc art. recapitulando etiam doctrinam præcedentem. Primum est, quod actus bonus, vel malus habet rationem laudabilis, vel culpabilis, secundùm quod est in potestate voluntatis. Secundùm quod habet rationem rectitudinis, & peccati secundùm ordinem ad finem. Tertium, quod habet rationem meriti, vel demeriti, secundùm retributionem iustitiæ ad alterum. Ratio huius vltimi dicti est. Quia vnusquisque est pars Reipublicæ, & dum operatur benè, vel malè, operatur ad profectũ, vel damnum alterius, & consequenter in ordine ad retributionem iustitiæ, quæ est ad alterum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum actus humanus in quantum est bonus, vel malus habeat rationem meriti, vel demeriti apud Deum.

103 REspõsio D. Th. est quod actus humani habent rationem meriti, vel demeriti per cõparationem ad Deum. Primò quia Deus est vltimus finis: Ergo ad ipsum referuntur actus nostri. Secundò quia est rector, & gubernator totius vniuersi. Et tertiò quia alioqui sequeretur, quod non haberet curam de actibus humanis.

104 Respondet D. Thom. in hoc articulo, quodomnis actus humanus inquantum est bonus, vel malus habet rationem meriti, vel demeriti apud Deum. Ratio ipsius S. D. est. Quia intantum actus humani boni habent rationem meriti apud Deum, & actus mali rationem demeriti, inquantum cedunt in bonum, vel nocumentum alicuius personæ particularis, aut communitatis, sed quocumque modo sint actus, spectat ad Deum pro eis retributio: Ergo omnis actus bonus, vel malus habet rationem meriti, vel demeriti apud Deum. Minor probatur. Nam si actus diriguntur in Deum tanquam ad vltimum finem, vt persona particularis est, cuiq; fit obsequium, quãdo ordinantur ad ipsum, vt sunt actus boni, & fit iniuria, quando non ordinantur ad Deum, vt sunt actus peccaminosi, & pro ipsis spectat ad ipsum Deum retribuere, siuè bonum, siuè malum. Si verò actus cedant in bonum communitatis huius vniuersi, vt sunt actus boni, & si actus cedant in nocumentum huius vniuersi, vt sũt omnes actus mali, cũ Deus sit rector, & gubernator huius vniuersitatis, spectat ad ipsum retribuere, siuè bonum, siuè malum pro differentia actuum. Sed hæc conclusio, quod scil. actus humanus bonus habet rationẽ meriti apud Deum, intelligenda est, modo adsint aliæ conditiones ad meritum requisiæ, & ideò intelligenda est quantum est ex ipsa ratione actus boni, nam vt notat S. Th. in hoc art. ad tertium, de factó dantur multi actus boni, qui nõ sunt meritorij apud Deum, non defectu bonitatis moralis actus, sed defectu status gratiæ operantis, & influxus charitatis requisiti ad merendum. Sed de hoc fusiùs, & clariùs in quæstione 114. dicetur.

Et hæc pro hoc tomo sufficiant, vtinam cedãt in laudem Omnipotentis Dei, Beatissimæ Virginis, ac Sanctissimæ Matris Nostræ Teresiæ.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

RERVM NOTABILIVM,

Quæ in hoc Secundo Tractatu continentur.

Numerus Paginam; A. Primam. B. Secundam Columnam Designant.

A.

ACcidens qualiter sit perfectiuũ substantiæ. 99. a. Quomodo sit illa superius. ib. Actio humana est à libero arbitrio. 4. a. Omnis actio humana est propter finem. 4. b. Actionum hominis diuisio. 5. b. Actiones intellectiuæ, & volitiuæ, aliæ physicæ; aliæ morales. ibid. Actiones vegetatiuæ, & sensitiuæ in homine non sunt propriè actiones humanæ. 6. a. Volitiones, & intellectiones in esse physico quomodo sint actiones humanæ. ibid. Quænam sit actio humana simpliciter talis. ibid. Discrimen inter actionem hominis, & humanam. 6. b. & 8. a. Actiones ebriorum quomodo possint esse humanæ. 7. a. Actiones puerorum, & amentium non sunt propriè humanæ. ibid. Prima actio intellectus quomodo dicatur actio humana. ibid. Intentio finis, siuè intermedij, siuè primarij est actio humana. 7. b. Visio, & Amor Dei in Patria sunt actiones humanæ in causa. ibid. Actiones hominis, quæ dicantur. 8. a. Actio humana: alia elicita: alia imperata. ibid. Actio humana imperata sumpta, vt vltimus finis non est propter finem. 9. a. Actiones hominis non sunt propter finem. ibid. Actiones Dei aliæ necessariæ, aliæ liberæ. 29. Necessariæ aliæ essentiales, aliæ notionales. ibid. Actiones Dei liberæ, quæ dicantur. ibid. Actiones Dei necessariæ nõ sũt propter finem, vt habet rationem causæ. 20. b. Actio vt sit simpliciter propter finem, quid requirit. 30. b. Actiones Dei liberæ quomodo sint propter finem. 31. a. Agere propter finem proprium est hominis. 34. a. Actio, passio, & motus quomodo inter se distinguantur. 40. b. Actio vt actio specificatur à suo principio actiuo. ibid. actio vitalis specificatur à suo principio vitali. 41. a. distinguitur essentialiter ab actione non vitali. 47. b. Actiones animæ vegetatiuæ, vt sunt à solo Deo, & vt sunt etiam ab homine sunt specie distinctæ. ibid. Actio nõ potest specificari efficienter à principio, & formaliter à termino. 42. a. Quomodo intelligendus sit D. Th. quod actio specificetur à termino. 42. b. Actio sumpta formaliter, vt passio à quo specificetur. 43. a. Differentia inter potentiam, & habitum ex vna parte, & actionem ex alia. 43. b. Actiones hominis dupliciter possunt referri in Deum. 68. b. Actio hominis ex appetitu naturali, & electiuo procedere potest. ibid. Omnis actio humana excepta peccaminosa est propter Deum, vt vltimũ finem. 69. a. 70. b.

Actus elicitus non potest esse vltimus finis. 14. a. Actus elicitus voluntatis non est formale obiectum illius. ibid. Actus imperatus quomodo sit vltimus finis. 15. a. Actus voluntatis: alij necessarij: alij liberi. 36. a. Actus necessarij, & liberi in duplici differentia. ibid. Actus voluntatis alij circà finem, alij circà media. 36. b. Actus humani sumi possunt per modum actionis, & passionis. 39. a. Actus humanus, vt actio specificatur à fine. ibid. à quo specificetur sumptus vt passio. ibid. Vnus humanus actus numero ordinatur ad plures fines, & quomodo. 39. b. Sumptus in esse naturæ potest ordinari ad plures fines morales. ibid. Idem actus specie in esse moris est multiplex in esse naturæ. ibid. actus dupliciter discontinuari potest. 67. b. Idem actus quomodo possit respicere duos vltimos fines. 71. a. Actus beatifici qualiter sint destruibiles. 146. a. Actus necessarij, & liberi discrimen explicatur. 160. a. Vterque multipliciter diuiditur. idid. Actus liberi ex subreptione appetitus circa malum sunt peccata venialia. ibid. Actus perfectè necessarius est perfectè voluntarius. ibid. Actus imperati voluntatis in duplici differẽtia. 180. a. Actus voluntatis quotupliciter possit respicere finem. 234. b. Actus efficax tendens in finem, vt est ratio volendi media, est virtualiter volitio mediorum. 235. a. Actus voluntatis alij efficaces: alij inefficaces. 239. b. ad actum inefficacem sufficit simplex appre-

Digitized by Google

henſio obiecti. ibid. ad actum efficacem requiritur iudicium practicum, & perfectum. 240. a. actus voluntatis circa finem alter ſimpliciter primus totius vitæ; alter primus in aliqua ſerie. 249. b. actus voluntatis conditionatus in duplici diſcrimine. 267. b. actus, quo voluntas fertur in impoſſibile per ſe ſub conditione, eſt conditionatus ex parte obiecti. ibid. Poteſt eſſe conditionatus ex parte actus circa impoſſibile per ſe. ibid. Circa impoſsibile per accidens eſt conditionatus ex parte obiecti. 268. a. actus, quo voluntas fertur in impoſsibile non eſt efficax. ibid. actus conditionatus ex parte obiecti poteſt eſſe capax meriti, & demeriti. ibid. actus intellectus ſpeculatiui, & practici explicantur. 287. a. actus voluntatis poteſt eſſe imperatus. 297. a. Primus actus voluntatis non imperatur. ibid. actus intellectus quoad exercitium quomodo imperetur. ibid. Quomodo actus appetitus ſenſitiui ſubiaceat imperio rationis. 298. b. actus animæ vegetabilis non ſubſtat imperio rationis. ibid. In quo ſenſu actus exteriorum membrorum ſubdantur imperio rationis. ib. Actus humanus quomodo poſſit habere duas malitias. 322. a. & b. Poteſt habere duplicem bonitatem, & quomodo. 323. a. & 324. a. & b. Actus voluntatis reflexus habet ſpeciem moralitatis ex actu directè volito. 327. a. actus imperatus participat moralitatem ex fine actus imperantis. ibid. actus reflexus à quo habeat primariam moralitatem. 327. b. Poteſt dari actus indifferens ſecundùm ſpeciem. 328. b. Non poteſt eſſe indifferens in indiuiduo ſi ſit deliberatus per ſe loquendo. 329. b. Per accidens poteſt eſſe talis. 330. b. Ex quo præcepto obligemur ad dirigendos noſtros actus in finem moraliter bonum. 331. b. Obſeruantia huius præcepti ad quam virtutem pertineat. ibid. Cum ignorantia inuincibili actus indifferens in indiuiduo eſſet ſolum materialiter malus, 332. a. Quodnam peccatum ſit operari ſine debito fine. ibid. actus de non libero poteſt tranſire in liberum. 339. b. Poteſt fieri de non bono bonus, & de non malo malus. 340. b. Poteſt eſſe ſucceſsiuè bonus, & malus. 341. a. Non variatur quoad ſubſtantiam per variationem cognitionis. ibid. Quãdo varietur quoad ſubſtantiam. ibid. Quomodo actus interior voluntatis ſumat moralitatem ex obiecto, & circumſtantijs. 344. a. & b. Qualiter circumſtantiæ modi, & temporis nõ varient ſpeciem actus moralis. 345. a. actuum voluntatis, & intellectus ſeries, & ordo explicatur. 294. b. & 295. a. & b. actus exterior quomodo habeat eandem numero malitiam cum actu interiori. 403. a. & b. Comparatur ad interiorem, vt materia ad formam. ibid. In quo ſenſu addat bonitatem, vel malitiam ſupra actum interiorem. 404. b. Nullam addit bonitatem, vel malitiam ſupra actum internum efficacẽ. 405. a. & b. Qua ratione teneamur explicare in confeſsione actus externos. 406. a.

Aduocatus non poteſt defendere cauſam manifeſtè iniuſtam. 381. b Quando ſunt opiniones æquè probabiles poteſt alterutram partem licitè defendere. ibid. Poteſt ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, & in quibus caſibus. ibid.

Agens agere debet propter finẽ. 28. a. agere propter finem eſt propriũ hominis. 34. a.

Amicitia beneuolentiæ eſt maior amicitia concupiſcentiæ. 18. a.

Amor amicitiæ erga Deum non pertinet eſſentialiter ad noſtram beatitudinem formalem. 89. a. amoris duplex conſideratio. 109. a. amor conſideratus in ſuo eſſe generico non diſtinguitur à fruitione. ibid. in eſſe ſpecifico conſideratus diſtinguitur realiter ab illa. ibid. Eſt cauſa delectationis, ſeu fruitionis. ibid. Qualiter amor, deſideriũ, & fruitio ſint eiuſdẽ ſpeciei. ibid. Amor erga beatitudinem in communi eſt perfectè voluntarius. 160. b. Hocidem dicitur de amore beatifico. ibid. Idem de amore, quo Deus diligit ſe ipſum, & quo producitur Spiritus ſanctus. 161. a. amor erga Deum in Patriâ eſt perfectior amore eiuſdem in via. 163. b. Sequens cognitionem perfectam eſt perfectior amore neceſſario ſequente cognitionem imperfectam. ibid. amor ſupernaturalis, ſiuè habeatur in ecſtaſi, ſiuè extra non poteſt haberi ſine cognitione obiecti. 238. a.

Angelus non cognoſcit per conuerſionem ad phantaſmata. 95. a. Quomodo comprehendat intellectum humanum. 142. a. Quomodo dicatur deſtructibilis. 146. a. Quarè in primo inſtanti non potuit peccare. 256. a.

Animæ Sanctorum ſunt beatæ ante diem Iudicij. 129. b. anima rationalis eſt naturâ ſua incorruptibilis. 144. a. Quomodo dicat appetitum naturalem ad reunionem cum corpore. 153. b. Qualiter appetat naturaliter viuere conformiter rectæ rationi. ibid.

Animatio fœtus in vtero matris quo tempore fiat. 384. a.

Appe-

Digitized by Google

Appetibile quid, & quotuplex. 11. b. Appetile, & bonum quomodo sint idem. ibid. aliud per se, aliud per accidens. 264. b.
Appetens bonitatem creatam, implicitè appetit increatam. 69. b.
Appetitus naturalis alter innatus, alter elicitus. 150. b. appetitus materiæ primæ ad omnes formas explicatur. 151. a. appetitus innati intellectus, & voluntatis explicantur. ibid. appetitus innatus duplex. ibid. Explicatur natura appetitus eliciti. ibid. Datur in homine ad beatitudinem naturalem in communi appetitus innatus. 151. b. Quæliber potentia hominis habet appetitum innatum ad suos proprios actus. ibid. Datur in homine ad beatitudinem in particulari appetitus innatus. ibid. ad beatitudinem in communi datur etiam appetitus elicitus. 152. a. Ille appetitus est necessarius quoad specificationem, nō autem quoad exercitium. ibid. appetitus innatus est ad formam connaturalem, & proportionatam. 152. b. Supponit instrumenta naturalia ad consequendum finem. 152. b. Appetitus elicitus, alius efficax, alius inefficax. 155. b. Natura vtriusque explicatur. ibid. Vterque dupliciter potest dici naturalis. ibid. Non datur in homine appetitus elicitus naturalis efficax ad visionem beatam. ibid. Inefficax, & conditionatus dari potest. ibid. Hic appetitus non est necessarius quoad specificationem. 156. a. Neque est necessarius quoad exercitium. 157. a. ad Deum clarè visibilem, etiam vt est author naturæ non datur in homine appetitus elicitus efficax naturalis. 157. b. Appetitus alius totius hominis; alius particularis. 187. a. Id, quod est violētum appetitui totius hominis, non est tale respectu appetitus particularis. 187. b. appetitus beatitudinis in damnatis quomodo dicatur absolutus. 169. b. Quomodo appetitus animæ separatæ ad corpus dicatur absolutus. ibid.
Apprehensio bonitatis non potest esse ratio formalis, finalizandi. 22. b. Nec ratio formalis sub qua. 23. a. & b. Est conditio necessaria, ad hoc vt finis moueat. 23. b. Quomodo diuersitas apprehensionum conducat ad diuersitatem obiecti appetitus. 24. b.
Assensus principiorum est virtualis assensus conclusionum. 234. a.
Astra non possunt prædicere actus nostros liberos. 248. b. Quomodo ex astris possint cognosci propriæ hominum inclinationes. ibid.
Axioma illud, propter quod, vnumquodque tale, & illud magis, quomodo debeat intelligi. 236. a.

B.

BEatitudo nostra non consistit in diuitijs. 73. a. Non in honoribus ibid. Non in fama, seù gloria ibid. Non in potestate ibid. Excludit omne malum. 74. a. Non consistit in bonis corporis. ibid. Non in voluptate. 74. b. Non in aliquo bono animæ. 75. a. Quomodo bonum animæ pertineat ad beatitudinem. ibid. Non consistit beatitudo in bono creato. 75. b. Beatitudo hominis sumpta pro re adepta est aliquod increatum. 76. a. Sumpta formaliter, & de facto est aliquod creatum. ibid. Beatitudo obiectiua est sūmū bonū creaturę. 77. b. Beatitudo formalis est adeptio summi boni. ibid. Non consistit essentialiter in illapsu Dei in anima. 79. a. Neque in immensitate. ibid. Non in aliquo accidēte in actu primo medio inter Deū, & animam. ibid. b. Consistit tamen in aliquo actu secundo, seù operatione. ibid. Qualiter dicatur gratia consūmata. 80. a. Non potest consistere in aliquo habitu, vel potentia. ibid. b. Quomodo gratia habitualis pertineat ad beatitudinem nostrā formalem. 81. a. Est beatitudo operatio actiuè procedens à nobis. 81. b. Non potest produci à Deo in beato merè passiuè se habente. 83. a. Discrimen inter beatitudinem formalem, & subsistentiam, & existentiam. ibid. Non consistit ex æquo in actu intellectus, & voluntatis. 86. a. Est cōsecutio vltimi finis. ibid. Assequi vltimum finem verè, & propriè competit intellectui. 87. a. actus voluntatis pertinet ad integritatem nostræ beatitudinis formalis. ibid. & 89. b. Consistit essentialiter, & in recto in Visione Clara Dei. 89. a. Beatitudo essentialis est actus intellectus cum cōnotatione actus voluntatis; & quomodo. 92. b. & 93. b. Est cognitio non solum apprehensiua, sed etiam iudicatiua. 94. b. Quale sit hoc iudicium. 95. a. Beatitudo hominis duplex. Perfecta, & imperfecta. 98. a. Quid beatitudo perfecta, & quid imperfecta. ibid. Beatitudo perfecta non consistit in cognitione scientiarum speculatiuarum. ibid. b. Imperfecta verò, seu huius vitæ in tali cognitione. ibid. Beatitudo nostra supernaturalis tria requirit, & quæ sint. 119. a. Beatitudo huius vitæ requirit corpus. 129. b. Beatitudo alterius vitæ nō necessariò requirit corpus. 130. a. Benè tamen ad melius esse. ibid. anima separata resum-

Digitized by Google

resumpto corpore crescit in sua beatitudine extensiuè, non intensiuè. ibid. ad beatitudinē huius vitæ requiritur bona dispositio corporis. 131. a. Beatitudo perfecta alterius vitæ requirit bonam dispositionē corporis ad melius esse antecedenter, & consequenter. ibid. Beatitudo huius vitæ requirit aliqua exteriora bona, secus beatitudo alterius vitæ. 138. b. ad illam requiritur societas amicorum, ad istam solum ad melius esse. 139. a. Beatitudinis supernaturalis possibilitas non potest solo lumine naturali demonstrari. 140. a. & b. Intellectus creatus adiutus lumine fidei poterit demonstrare. ibid. Excitatus eodem lumine probabiliter cōcludere. 141. a. Quædam ad hæc spectantia expenduntur. ibid. Beatitudo alterius vitæ obiectiua est indiuisibilis. 142. b. Beatitudo formalis est maior, vel minor. ibid. perfecta beatitudo alterius vitæ non potest in hac vita perfectè haberi. ibid. imperfecta beatitudo huius vitæ est amissibilis. 43. a. Beatitudo perfecta, & vltima non potest à creatura per sua naturalia acquiri. 149. a. Nō potest cōferri per actionē alicuius creaturæ. ibid. Secus imperfecta huius vitæ. ibid. De via ordinaria homo consequitur beatitudinem vltimam per bona opera. 149. b. Differentia inter hominem, & Angelum quoad consecutionem vltimæ beatitudinis. 150. a. Beatitudo quandoque appetitur per modum consecutionis, quandoque verò per modum remotionis mali. 266. b. Beatitudo formalis est actus vitalis. 77. a. Non potest de potētia absoluta esse increata. ibid.

Beati si viderent Deum visione increata, æqualiter viderent. 77. a. Non denominatur homo beatus a visione increata. ibid. Beatus non comprehendit Deum. 77. b. Deum comprehenderet, si videret visione increata. ibid. Quarè non comprehendit Deum, dum illi vnitur Diuina essentia, vt species intelligibilis. ibid. Beatus non dicitur perfectè talis, si restet illi aliquid desiderandum. 100. a. Nō potest videre Diuinam Essentiam sine personis, vel vnā personam sine alia. 100. b. Si essentiam sine personis videret, nō esset perfectè beatus. ibid. Quomodo possit vna persona terminare naturam creatam, non autem vna videri sine alia. 101. a. Potest cessare per Diuinam potentiam ab actu amoris, & gaudij. 125. a. Non potest de facto, & ab intrinseco. ibid. Beatitudo illius erit ex Dei dispositione perpetua. ibid. Est beatus impeccabilis ab intrinseco. 124. b. Quomodo beatus maneret liber circa aliquod præceptum à Deo 125. a. Non potest odio habere Deum, & qua ratione. ibid. b. remanet impeccabilis ex vi visionis præcisè, etiam si ab eo auferatur actus amoris erga Deum. 126. a. Beatus resurget cum eodem numero corpore. 131. b. resurgēt corpora perfecta quoad naturalia. ibid. Hoc idem de corporibus damnatorum. 132. a. omnes beati resurgent in ætate iuuenili. ibid. Non tamen omnes in æquali statura, & quantitate. ibid. Non erit æqualis pulcritudo in omnibus. 132. b resurget vnusquisque in suo proprio sexu. ibid. Non erit in Patria confusio in via visionis. ibid.

Bonitas alia absoluta, alia relatiua, & quid vtraq; fit. 38. a. est ratio cōstitutiua causæ finalis in actu primo. ibid. b. Bonitas Diuina quomodo sit finis respectu Dei. 32. a.

Bonitas, & malitia moralis sunt entia realia. 306. a. Bonitas moralis actus humani non consistit formaliter in collectione obiecti, finis, & circumstantiarū. 311. a. vt actus moralis sit bonus, quid requirat. ibid. b. Bonitas moralis actus humani in quo consistat. ibid. Differentia inter bonitatem naturalem, & moralem. 312. b. Bonitas actus moralis eliciti non est ens rationis. ibid. Nec denominatio extrinseca. 313. a. Est modus realis relatiuus transcendentalis. 314. b. Terminus bonitatis moralis est obiectum conforme regulis rationis. 315. a. Prima bonitas, & malitia actus humani sumitur ex obiecto. ibid. b. Sumitur ex circumstantijs. 316. b. Sumitur etiam ex fine. 317. a. Quadruplex bonitas est in actu humano. ibid. actus humanus tendens in obiectum honestū implicite ordinatur ad Deum. 318. a. Non potest esse simul bonus, & malus ex diuersis principijs. ibid. Bonitas, & malitia actus humani sunt species actus moralis 319. b. Quomodo prius sit in actu voluntatis, quam in actu exteriori. 396. a. & b. Qualiter bonitas, & malitia actus exterioris dependeat ab actu interiori. 397. a. & b. Quomodo bonitas, & malitia actus exterioris sit eadem cum actu interiori. ibid. & 398. a. Quomodo bonitas, vel malitia formalis actus interioris deriuetur in exteriorem. 398. b. 399. a. & b. 400. a. & b. & 401. a. & b.

Bonum quomodo definiatur. 11. a. Bonum, & finis quomodo distinguantur. ibid. b. Bonum est obiectum volūtatis. 4. b. & 11. b. aliud positiuum. 18. b. Aliud verū, aliud apparens. 19. a. aliud honestum, aliud vtile, aliud delectabile. ibid. Bonum delectabile quomodo sumatur. ibid. b. Bonum hone-

Digitized by Google

neſtum habet rationem finis. ibid. delectabile poteſt habere rationem finis. 20. a. Vtile qua tale non habet rationem finis. ibid. Bonũ propter ſe appetibile, ſiuè verũ, ſiuè apparens conſtituit cauſam finalem. 20. b. Bonum delectabile quomodo appetatur ratione boni honeſti, & habeat rationem finis. ibid. Vtile quomodo poſſit habere rationem finis. 21. a. Bonum indifferens, quid ſit. 22. a. Bonum tranſcendentale quid, & quomodo habeat rationem finis. ibid. Bonum indifferens non habet rationem finis. ibid. Bonum minus reſpectu maioris quomodo habeat rationem mali. 274. a. Bonum, & malum opponuntur tanquam forma, & priuatio in priuari. 328. b. in naturalibus opponuntur priuatiuè, in moralibus contrariè. 329. a. Quomodo in moralibus opponantur etiam priuatiuè. ibid. Bonum, & malum ſunt differentiæ accidentales actus exterioris imperati in eſſe naturæ. 338. b. Hoc idem dicitur reſpectu actus interioris conſiderati in eſſe naturæ. ibid. Quomodo ſint differentiæ per ſe actus interioris. ibid.

C.

CArentia Viſionis beatæ eſt pœna eſſentialis damnati. 90. a.

Cauſa finalis in quolibet prædicamento reperitur excepta relatione. 21. a. obiecta voluntati eſt cauſa in actu primo. 26. a. Cauſa efficiens, alia vniuoca, alia æquiuoca. 40. a. earum diſcrimina explicãtur. ibid.

Cauſalitas finis eſt motio metaphorica. 25. b. Nõ conſiſtit in exhibitione ſui inuitando ad eius amorem. ibid. Non in aliquo reali impreſſo voluntati antecedenter ad volitionẽ. 26. a. Eſt eademmet actio volũtatis prout à fine. ibid. Cauſalitas, & effectus finis quomodo diſtinguãtur. 27. a. Non eſt aliquod intentionale. ib. b. Quomodo cauſalitas finis explicetur à Caietano. ib.

Charitas eadem in via, & in Patria. 23. a.

Chriſtus, etſi perfectiſſimè liber non habet potentiam peccandi. 125. b.

Claritas corporis glorioſi in quo conſiſtat. 136. a. Redundat in corpus ad gloriã animæ. ibid. Eſt intrinſeca corpori glorioſo. 137. b. Erit maior, vel minor iuxtà menſuram gloriæ animæ. 138. a.

Circumſtantia actus humani quid, & quotuplex. 222. b. & 223. a. & b. Circumſtantiæ mutantes ſpeciem, & non mutantes, quæ. ibid. Regulæ ad dignoſcendas circũſtantias mutantes ſpeciem. ibid. & 224. a. Eſt accidens actus humani. ibid. In quo ſenſu eſt eſſentialis actui humano in eſſe moris. ibid. b. Eſt accidens actus humani conſiderati in eſſe naturæ. 225. a. Qualiter circumſtantiæ modi, & temporis non mutent ſpeciem actus moralis. 345. a. Quomodo circumſtantiæ non mutantes ſpeciem tranſeant in obiectum actus interioris. ibid. b.

Quæ circumſtantiæ maneant in ratione circumſtantiæ. 333. b. Circumſtantia addens nouam ſpeciem actui dicit peculiarẽ ordinem ad regulas rationis. 334. a. Circumſtantia dans actui ſecũdam ſpeciem quomodo comparetur ad moralitatem deſumptam ex obiecto. 335. a. Non omnis circumſtantia augens bonitatem, & malitiam in actu, variat ſpeciem actus moralis. 336. a. Poteſt tamen augere, & minuere. ibid. Circumſtantia, alia generalis, alia particularis. 337. a. Circumſtantia generalis, ad hoc, vt det ſpecialem ſpeciem actui morali, quid exigat. 337. b. Quid dicẽdum de circumſtantijs particularibus. ib.

Concupiſcentia quid. 211. b. Non cauſat inuoluntarium. ibid. Concupiſcentia antecedens minuit voluntarium perfectum. 212. b. Si omninò auferret vſum rationis, tolleret totaliter voluntarium. ibid. Minuit cognitionem offuſcando intellectum. 214. a. Minuit quoque rationem liberi. ibid. Materialiter loquendo auget voluntarium. 215. b. Quomodo poſſit non cauſare inuoluntarium, & augere volũtarium. 216. a.

Comprehenſio, vt eſt dos animæ, quid ſit. 119. b.

Cognitio ſpeculatiua, & practica quid. 96. a. Cognitio practica quotuplex ſit. ibid. Beatitudo formalis in quo ſenſu ſit cognitio practica. ibid. Eſt principaliter cognitio ſpeculatiua, ſecundariò practica. 96. b. Quomodo dirigat operationes voluntatis. 97. a. Cognitio ſcientiarum ſe extendit ad ea, ad quæ deuenitur per ſenſus. 99. a. Hoc habet cognitio huius vitæ. ibid. b. Cognitio ſubſtantiarum ſeparatarum non pertinet ad beatitudinem noſtrã perfectam. 99. b. Benè tamen ad imperfectam huius vitæ. ibid. Cognitio clara Dei eſt noſtra perfecta beatitudo. ibid. Cognitio intuitiua quid. 100. a. Non exigit obiectum præſens ſecundùm locum, & tempus. ibid. pro præſenti ſtatu id exigit. ibid. b. Cognitio quidditatiua non ſemper eſt intuitiua. ibid. Quid ad cognitionem intuitiuam per ſe requiratur. ibid. Cognitio finis alia perfecta, alia imperfecta, & quid vtraque ſit. 162. b. Cognitio intellectus nõ concurrit efficienter ad actum voluntatis. 241. b.

Con-

Digitized by Google

Concurſus Dei ad operationem creaturæ quomodo dicatur illi debitus. 185. a.
Conſcientia quomodo definiatur. 347. b. Eſt actus, non habitus ſynderis. 348. a. Qua ratione conſcientia dicatur bona, vel mala. ibid. Quotuplex ſit conſcientia. ibid. b. Conſcientia recta quomodo definiatur. 349. a. Quid ſit conſcientia erronea. ibid. Erronea aliquando procedit ex ignorantia inuincibili, aliquando ex vincibili. ibid. b. Quid ſit conſcientia dubia, probabilis, & ſcrupuloſa. ibid. Conſcientia vera, & recta quomodo obliget ad ſui ſequelam. 350. a. Qui operatur contra conſcientiam rectam, quot peccata committat. ibid. Quando conſcientia iudicat aliquod obiectum illicitum in confuſo, quodnàm peccatum ſit operari contra illam. 351. b. Ad hoc, vt quis peccet, quomodo debeat perſeuerare iudicium conſcientiæ. 352. a. Non poteſt Deus facere, vt quis ſine peccato operetur contra propriam conſcientiam. ibid. b. Conſcientia erronea vincibilis in quo conſiſtat. 353. b. Quid ſit conſcientia erronea inuincibilis. ibid. Agere contra conſcientiam erroneam eſt peccatum. ib. Obligatio non operandi contra conſcientiam erroneam ex quo oriatur. 354. a. Ad quam ſpeciem pertineat peccatum contra conſcientiam erroneam. ibid. Operans cõtra conſcientiam erroneam, quot peccata committat. ibid. Quando deponitur cõſcientia erronea nullum peccatum committitur. 354. b. Quomodo deponenda ſit conſcientia erronea, vt opus factum contra eam excuſetur à culpa. 355. a. & b. Deponens ex ſuo libito conſcientiam peccaret. 356. a Operari ſecundùm conſcientiã erroneam, quando ſit peccatum. 357. a. & b. Quodnam ſit maius peccatum agere contra conſcientiam erroneam, vel illam ſequi. 358. b. Conſcientia erronea, ſiuè vincibilis, ſiuè inuincibilis obligat. 359. a. Quomodo vnuſquiſque teneatur deponere cõſcientiam erroneam vincibilem. 360. a. Si conſcientia ſit erronea inuincibiliter potius debemus ſequi illam, quam præceptum Prælati. ibid. b. Contrarium eſt dicendum, ſi conſcientia ſit vincibiliter erronea. ibid. Si conſcientia erronea perſeueret magis ipſa obligat, quam præceptũ Prælati. 361. a. Cõſcientia dubia alia practica, alia ſpeculatiua. 362. a. magis habenda eſt ratio conſcientiæ practicæ, quàm ſpeculatiuæ. ibid. Operari cum conſcientia dubia practica eſt peccatum. ibid. ad quã ſpeciem tale peccatum pertineat. ibid. Operari cum cõſcientia dubia ſpeculatiua non eſt peccatum. 362. b. Cõſcientia ſcrupuloſa ex quibus capitibus oriatur. 388. b. Licitum eſt operari cum conſcientia ſcrupuloſa. 389. a. Scrupuloſus tenetur agere contra ſcrupulos, quando notabile damnũ ex eis illi imminet. ibid. Tenetur obedire Confeſſario, vel Superiori contra propriã conſcientiam. ibid. b. Remedia pro ſcrupulis aſſignantur. 390. a. & b.
Conſenſus eſt actus appetitus. 278. a. Non reperitur propriè in brutis. ibid. De fine non eſt conſenſus, ſed de medijs propriè loquendo. 278. b. Quomodo diſtinguatur ab electione. 279. a. Pertinet ad partem ſuperiorem animæ. ibid. b.
Conſilium eſt iniquiſitio de medijs. 275. a. Quomodo reperiatur in Deo. ibid. Cõſiliũ non eſt de fine, ſed de medijs. ibid. Poteſt eſſe de fine ordinato ad alium finem. 275. b. Eſt de rebus, quæ aguntur à nobis. ibid. Eſt de dubijs, nõ autem certis. 276. a. Non eſt de rebus minimis. ibid. Procedit ordine reſolutorio. ibid. Non procedit in infinitum in actu. ibid. b. Conſilium non reperitur in Angelis. 277. a.
Conſultatio nõ requiritur neceſſariò ad omnem actum liberum. 256. b.
Corpus glorioſum habebit aliquam ſupernaturalem perfectionem in Patria. 133. a. Explicatur quid ſit iſta perfectio redundans in corpus Beati. ibid. Corpus glorioſum ex vi ſolius ſubtilitatis non poteſt ſine nouo miraculo penetrare aliud corpus. 136. b. Concurſus Dei preſtò adeſt, cum voluerit aliud corpus penetrare. ibid. Quamuis poſſit penetrare, de facto non penetrabit alia corpora glorioſa. 137. a. Differentia inter humanitatem Chriſti Domini cum virtute ad facienda miracula, & glorioſum corpus cum virtute ad penetrandum. ibid. b. Corpus glorioſũ erit clarum ex lumine intrinſeco. ibid.
Corruptibilitas quid ſit. 144. a. Corruptibile, & deſtruibile quomodo differant. ibid.
Creatura rationalis ex ſe mouetur in finem. 28. a. Irrationalis verò ab alio. ibid. Creatura cognitione carens quomodo agat propter finem. 35. a. & b. habet creatura duplicem inclinationem; vnam ad bonum proprium: alteram ad obediẽdum Deo, & ad bonũ totius. 189. a. Deus, vt agens particulare poteſt creaturæ inferre violentiam. ibid. b. Vt agens vniuerſale non infert violẽtiã. 290. a. Quælibet creatura ſubordinatur Deo creatori. ibid. Quod operatur Deus, vt agẽs vniuerſale eſt ſecũdũ quid violẽtũ creaturæ. ibid.

Delec-

Digitized by Google

D.

DElectatio non est vltimus finis voluntatis. 14. b. alia spiritualis, alia sensibilis. 117. a. Delectatio sensibilis dupliciter appeti potest. ibid. Delectatio spiritualis est propter se appetibilis. ibid. b. Magis appetibilis est operatio, quam delectatio, quæ consequitur. ibid. Non est peccatum appetere operationes propter delectationes spirituales. ibid. Delectatio sensibilis sequens ad operationem licitam quomodo sit appetibilis. 118. a. Est honesta ex operatione, ad quam sequitur. ibid. Actus coniugalis propter solam delectationem sensibilem est peccatum veniale. ibid. Delectatio sensibilis est propter se appetibilis à brutis. ibid. Est finis appetitus bruti. ibid.

Deus operatur propter finem, vt dicit rationem obiecti, & termini. 29. b. Non operatur propter finem, vt habet rationem causæ. ibid. b. Non habet causam finalem sui ipsius, nec constitutam à se, nec ab alio. 30. a. Deus dupliciter considerari potest, & vt author naturæ, & vt author gratiæ. 62. b. In nullo ordine consideratus potest constituere homini plures vltimos fines simul. ibid. Nec disiunctiuè, nec vnum vltimum finem totalem aggregatum ex duabus rebus. 63. a. Quomodo Deus vniri possit cum anima nostra. 78. b. Includitur in quocunque bono particulari. 126. a. Omnia particularia bona ordinatur ad ipsum. ibid. b. Beatus omnia bona particularia vult propter Deum, nec potest velle alio modo. 126. b. & 127. a. Qua ratione Deus produxit hunc Mundũ, cum potuit producere alios perfectiores. 274. b. Nõ potest videri, vt est in se absq; lumine gloriæ. 152. b.

Diuina bonitas quomodo sit finis respectu Dei. 32. a.

Diuitiæ, aliæ naturales; aliæ artificiales 73. a.

Dominium, aliud naturale, aliud morale. 306. a.

Dos animæ gloriosæ quid sit. 119. b. Tres sunt dotes animæ. 120. a. Sunt termini motuum, quibus anima in via fertur in Deum. ibid. Correspondent actibus virtutum Theologicarum. ibid. Charitas, seù actus dilectionis non est dos. 120. b. Actus charitatis Patriæ, etsi necessarius, quarè non debeat dici dos. 121. a. Securitas non amittendi Deum non est dos. ibid. Visio, Comprehensio, & delectatio quarè sint dotes animæ gloriosæ. ibid. Cõprehensio, quomodo in præsenti accipiatur. ibid. Qualiter visio beata habeat rationem dotis. 121. b. Qualiter comprehensio habeat rationem dotis. ibid. Quomodo delectatio habet rationem dotis. ibid. Quid addat ratio dotis supra operationes enumeratas. 122. a. Præmia accidentaria beati non sunt propriè dotes. ibid. Operationes prædictæ non habent in Angelis rationem dotis. ibid. Nec in Christo. ibid. Lumen Gloriæ, & Charitas non sunt dotes. 122. b. Explicatur dos corporis glorioſi. 133. a. Dotes corporis glorioſi sunt quatuor, & quæ. 134. a. Aliqua ad hæc spectantia expenduntur. ibid. & 135. a. Dos impatibilitatis quid. ibid. Dos agilitatis in quo consistat. ibid. b. Quid sit dos subtilitatis. ibid. Dicitur à virtute penetrandi. 136. a. In quo consistat claritas corporis glorioſi. ibid. Redũdat in corpus ex gloria animæ. ibid.

Dubium aliud practicum, aliud speculatiuũ. 362. a. Quid sit vtrumque ibid. Aliud iuris, aliud facti. 362. b. Quomodo in dubijs tutior pars sit eligenda. 363. a. Qualiter dubia debeamus in meliorem partem interpretari. ibid. & 364. a. In dubijs pertinentibus ad materiam iustitiæ melior est conditio possidentis. ibid. b. Habet locũ solum in possessore bonæ fidei. ibid. Quomodo in materia aliarum virtutum in dubijs melior sit conditio possidentis. 365. b. & 366. a. & b. Plures casus hic spectantes deciduntur. ibid. Dubius de homicidio qua ratione non sit immunis ab irregularitate. 361. a.

E.

EFfectus per accidens sequuti ad omissionem ex quibus capitibus sumant rationem voluntarij, & culpæ. 172. b. Reducuntur per se ad aliam causam. ibid. Effectus positiuus sequens per accidens ad omissionem quomodo pendeat ab illa. 173. a. Effectus sequuti ad actum voluntarium alij positiui, alij negatiui. 174. a. Alij per se pendent ab aliqua causa, alij per accidens. ibid. Quid requiratur ad hoc vt effectus siuè positiuus, siuè negatiuus sequens aliquam causam positiuam dicatur indirectè voluntarius physicè ibid. b. Quid ad hoc vt imputetur ad culpam. 175. a. Multi casus hìc spectantes resoluuntur. ibid.

Electio formalis mediorum est virtualiter intentio finis. 235. b. Est acceptio vnius præ alio. 272. b. Consequitur ad consiliũ. ibid.

Digitized by Google

ibid. Electio deordinata præfert bonum apparens vero bono. 273. a. Electio, quæ alias est bona, vitiatur ex praua intentione. 391. a. Electionis malitia minuitur ex intentione boni finis. 392. a. In quo sensu malitia electionis minuatur à bonitate intentionis. 393. a. Non potest electio esse simul bona, & mala. ibid.

Essentia Diuina non potest videri, vt est in se sine attributis, & personis. 100. b. Non distinguitur ex natura rei ab illis. ibid. Si per impossibile reperiretur in vna persona solum, quomodo esset sufficiens ad beãdum hominem. 101. b.

Euentus positiuus sequens ad omissionem ad hoc vt sit voluntarius alicui, quid requirat. 171. a. Quomodo addat bonitatem, vel malitiam actui. 406. b.

F.

FElicitas, seù beatitudo supernaturalis huius vitæ quotuplex sit. 102. b. Si sumatur per modum meriti consistit in actu charitatis. 103. a. Accepta per modum inchoationis cõsistit in actu intellectus supponente rectitudinem charitatis. ibid. Beatitudo huius vitæ principaliter consistit in contemplatione, secundariò in operatione intellectus practici. ibid. Sumptæ per modum inchoationis est participatio beatitudinis alterius vitæ. ibid. Consistit in quadam spe firma beatitudinis alterius vitæ. 103. b. Est actus fidei formatæ, vel doni sapientiæ. ibid. Probabilius consistit in quadam dulcissima contemplatione Dei. ibid. Quid sit talis contemplatio. ib. Felicitas nostra naturalis, altera formalis, altera obiectiua. 104. a. Beatitudinis formalis consideratio duplex. ibid. Deus, vt finis naturalis, est beatitudo obiectiua naturalis. ibid. Datur beatitudo naturalis formalis. ibid. Est assecutio propriæ perfectionis naturalis. 104. b. Sumpta dispositiuè quæ sit. ibid. Perfectissima operatio intellectus est nostra felicitas formalis naturalis. 105. a. In hac vita nullus potest esse perfectè beatus etiam beatitudine naturali. ibid. Beatitudo naturalis huius vitæ quomodo sit initium beatitudinis alterius vitæ. ibid. b. Præsupponit rectitudinem naturalem voluntatis. ibid. Cõsequimur illam viribus naturæ. 106. a. Delectatio, seù fruitio concomitatur beatitudinem. 107. a.

Finis, alter nudè, alter vestitè sumptus. 8. a. & b. Operari propter finem quid sit. 10. a. Finis est obiectum voluntatis. 12. a. Finis, & boni duplex consideratio. ibid. b. Finis in actu signato, & exercito quid importent. 13. a. Finis vltimus quibus modis accipiatur. ibid. b. Quæ nam sit definitio finis. 15. b. Quomodo finis *cui*, & *cuius gratia* comparentur inter se. ibid. Finis multiplex diuisio. ibid. & 16. a. Finis proximus veram habet rationem finis. ibid. Quam bonitatem habeant finis vltimus, proximus, & medium. ibid. Finis formalis, & obiectiuus integrant vnam causam finalem. ibid. b. Quomodo comparentur ad inuicem finis formalis, & obiectiuus. ibid. Finis *cui*, & cuius gratia habent veram rationem causæ finalis. 17. a. Ex vtroque componitur vnus finis totalis. ibid. Finis. *cui* comparatus ad agens, & seorsim sumptus est principalior. ibid. Finis respectu bruti est apprehensus, respectu insensibilium non apprehensus. 28. a. Finis respectu hominis se mouentis in illum debet esse cognitus à se, non autem quando mouetur ab alio. 28. b. Quid dicat finis consideratus, secundùm habitudinem causæ, & quid secundùm habitudinem puri obiecti. 29. a. Quatuor modi operandi propter finem expenduntur. 33. a. Quomodo bruta agant propter finem. 34. a. & b. & 35. a. Finis alius vltimus, alius non vltimus. 36. a. Finis vltimus duplex. ibid. Finis vltimus in communi quomodo exerceat suam causalitatem respectu primi actus voluntatis. 37. a. Finis vltimus in particulari exercet suam causalitatem respectu fruitionis beatæ. ibid. Finis non vltimus in particulari non exercet causalitatem respectu actus primò primi. 37. b. Respectu intentionis, & amoris erga seipsum exercet suam causalitatem. ib. Finis non vltimus mouet ad electionem mediorum. 38. a. Finis cognoscitur ab homine sub ratione finis, non autem à brutis. ibid. b. Ad hoc vt finis moueat ad intentionem sui sufficit cognitio sui ipsius. ibid. In finibus per se subordinatis in ordine intentionis debet dari finis vltimus. 44. b. In ordine executionis vnũ primum medium. ibid. In finibus, & medijs per accidens subordinatis dari potest processus in infinitum. ibid. Finis intermedius, seù proximus, & medium quomodo differant. 47. a. Finis vltimus in particulari humanæ vitæ est Deus. 47. b. Datur vnus finis simpliciter, & in communi. 48. a. Finis vltimus totalis; alius formalis, & in communi, alius materialis, & in particulari. 50. b. Finis vltimus totalis quinã sit. 51. a. Finis vltimus actionis humanæ sum-

Digitized by Google

sumptus in vniuersali debet esse vnus. ibid. Potest homo successiuè constituere sibi, plures vltimos fines particulares, & quomodo. ibid. Sequens rationem errantem non potest sibi constituere sibi plures vltimos fines totales nec copulatiuè, nec disiunctiuè. 52. a. Finis vltimus peccantis mortaliter quisnam sit. 53. b. & 54. a. Peccantis venialiter vltimus finis est Deus, quomodo hoc fiat, & plura ad hæc spectantia. ibid. Angelus in primo instanti, & puer dum nascitur quomodo dicantur auersi à Deo fine naturali. 34. b. Nemo peccans mortaliter constituit suum vltimum finem in creatura. 55. b. Varij modi dicendi impugnantur. ibid. & 57. a. Peccans pluribus peccatis mortalibus vnico actu, quomodo habeat vnum vltimum finem. 58. a. Varij modi explicandi vltimũ finem peccantis venialiter impugnantur. 59. a. & b. Quinam sit finis vltimus peccãtis venialiter rectè expenditur. 60. b. & 61. a. & b. Ordinatio actionis ad vltimum finem quotuplex sit. 64. b. Non est necessè, vt omnia, quæ vult homo, velit expressè propter vltimum finem in communi. 65. a. vult tamen virtualiter, & implicitè. ibid. Debet probabiliter præcedere expressa volitio vltimi finis. ibid. b. Occisio sui ipsius, & peccatum mortale quomodo ordinentur ad vltimum finem in communi. 67. a. Expressa volitio vltimi finis manet virtualiter in volitionibus bonorum particularium. 67. b. Finis vltimus in communi est idem in omnibus, non autem sumptus in particulari. 72. a. Finis *cuius*, & *quo* discrimen explicatur. ibid. Quomodo omnes creaturæ conueniant in ratione vltimi finis. ibid. Finis quomodo specificet simplicem volitionem, intentionem, & fruitionem. 260. a.

Fruitio, seù delectatio non pertinet essentialiter ad beatitudinem nostram formalem. 89. a. Est actus elicitus voluntatis. 107. a. & b. Est circa finem vltimo expectatum. ibid. Causaliter pertinet ad intellectum, formaliter ad voluntatem. 108. a. Est quies voluntatis in bono possesso. ibid. Nõ causatur actiuè ab obiecto in voluntate merè passiuè se habente. ibid. Fruitio beatifica duplex. 110. a. Habet pro obiecto adæquato Deum clarè visum. ibid. b. Deus clarè visus, & visio constituunt vnam rationem finis adæquati. 111. a. Fruitio, qua Beatus fruitur Deo clarè viso, vt sibi bono procedit ab habitu charitatis. 113. a. Respectu fruitionis amicitiæ Visio Dei est conditio sine qua non. 112. a. Respectu fruitionis concupiscentiæ est ratio formalis obiectiua. ibid. Fruitio Beata quomodo possit haberi in Patria, sine habitu charitatis. 114. b. Sequitur ex natura sua ad Visionem beatam absque influxus charitatis. ibid. Fruitio secnndùm rationẽ perfectam conuenit solum creaturæ rationali. 258. b. Fruitio finis imperfecta conuenit etiam brutis. ibid. Perfecta, & completa est tantum vltimi finis. 259. a. Finis non vltimi est incompleta, & imperfecta. ibid. Nullo modo est de medijs. ibid. Perfecta, & completa est solum de fine realiter habito. ibid. b. Imperfecta est de fine habito intentionaliter. ibid.

G.

GRatia, & charitas in via sunt incorruptibiles; in Patria incorruptibiles. 145. b. Sequitur gratia ad Visionem beatam, tãquam proprietas. 129. a.

H.

HAbitus charitatis se extendit ad amorẽ concupiscentiæ. 114. b. Habitus existentes in voluntate augent voluntarium. 216. b. Habitus morales generantur per actus morales. 306. b.

Homo habet non repugnantiam ad claram Visionem Dei. 152. b. Non tamen habet ad illam appetitum innatum. ibid. Nec potentiam naturalem. 153. b. In statu naturæ integræ non potuit per primum actum peccare. 256. a. Non tenetur eligere statum meliorem. 273. b. Dum operatur deliberatè debet operari propter finem consonum suæ naturæ. 330. b.

I.

IGnorantia quid, & quotuplex. 217. b. Ignorantia antecedens in quo conueniat cum consequente, & in quo differat. 218. a. Consequens sequitur vnum actum, & antecedit alium voluntatis. ibid. Antecedens quibus nominibus appelletur. 218. b. Similiter & ignorantia consequens. ib. Quænam dicatur ignorantia crassa, & supina. ibid. Aliæ diuisiones ignorantiæ assignantur. 218. b. & 219. a. Ignorantia antecedens causat inuoluntarium simpliciter. ibid. Quamuis sit quid negatiuum, potest esse causa effectus positiui. ibid. b. Ignorantia concomitans, nec causat voluntarium, nec inuoluntarium. ibid. Facit tamen non voluntariũ. 220. a. Ignorantia

Digitized by Google

consequens facit voluntarium simpliciter, & inuoluntarium secundùm quid. ibid. Differentia inter ignorantiam, & inaduertentiam, seù obliuionem. ibid.

Impeccabilitas in beato ex quo oriatur. 127. b. Excludit etiam peccatũ veniale. 128. a.

Imperiũ duplex: Aliud rigorosum: aliud non rigorosum. 285. b. Non rigorosè acceptũ est actus elicitus voluntatis. ibid. Sumptũ rigorosè est actus elicitus intellectus. 286. a. rigorosè sumptum nõ debet necessariò exprimi modo imperatiuo. ibid. Prærequirit essentialiter actum voluntatis. ibid. ad quem actum intellectus reducatur. ibid. b. Est actus distinctus ab actu iudicij practico. 287. a. Quomodo in Deo reperiatur actus imperij. 288. a. In homine ad proprios actus requiritur imperium. ibid. Nõ est necessarium ad omnes actus voluntatis. ibid. b. Requiritur solum ad vsum actiuum. ibid. Est necessarium tùm quoad specificationem, quam quoad exercitium. 289. a. Datur ad mouendum voluntatem immediatè, potentias inferiores mediatè. ibid. Discrimen inter orationem, & imperium. ibid. b. Imperium nõ competit brutis. 290. a. Potest dari actus imperij præcedens electionem, intentionem (excepta simpliciter prima) & ad alios actus. 291. a. Non tamen est necessarium, vt tales actus præcedet ibid. Imperium de facto subsequitur electionem, & antecedit vsum. 291. b. Posita electione efficaci necessariò sequitur actus imperij. 292. a. Inter electionem, & imperium non mediat alius actus. 292. b. Imperium aliud perfectũ, aliud imperfectum. 294. a ad imperium perfectum necessariò sequitur vsus, & qua necessitate. ibid. ad imperfectum non necessariò sequitur vsus. ibid. Imperium, & actus imperatus quomodo sint vnus actus, humanus 297. a.

Impossibile duplex: per se; & per accidens. 264. a. Natura vtriusque explicatur. ibid. Impossibile existimatum possibile potest appeti à voluntate. ibid. Impossibile per se non potest per se appeti. 265. a. Potest appeti per accidens. ibid. Impossibile per accidens, & facta suppositione potest appeti. ibid.

Intellectus intelligens non potest esse separatus ab anima. 84. a. Est simpliciter perfectior voluntate, hæc autem secundum quid perfectior illo. 92. a. Obiectum intellectus creati est ens abstrahens à naturali, & supernaturali. 141. b. Intellectus est capax visionis Dei per essentiam. ibid. Quomodo comprehendatur ab Angelo. 142. a. Etiam si sit capax Visionis Dei, vt est in se, quare non dicat appetitum innatum ad illam. 154. b. Non est formaliter liber nec quoad exercitium, nec quoad specificationem. 256. b. Quomodo sit liber radicaliter. ib. Nõ assentitur falso. 297. a. Potest plura per modum vnius intelligere. 323. b. Veritas, & falsitas sunt differentiæ accidentales actus intellectus. 339. a.

Intentio finis, siuè in termedij, siuè primarij est actio humana. 7. b. Maior intentio finis quomodo augeat voluntarium in electione mediorum. 216. a. distinguitur specie ab electione. 235. a. Quomodo intẽtio, & electio possint esse vnus actus numero. 234. b. & 235. a. Intentio propriè est actus voluntatis. 260. a. Semper est de fine, siuè vltimo, siuè intermedio. ibid. Potest esse circa duos fines inter se ordinatos, non autem non ordinatos. ibid. b. Quomodo bruta intendant finem. 261. b. Intentio boni finis, quomodo sit bona, vel mala ex electiõne bona, vel mala mediorum. 391. b. Est magis voluntaria, quã electio. 392. b.

Inuoluntarium quid, & quotuplex. 177. b. Quomodo differat à violento. ibid. Quæ fiunt ex metu qualiter sint mixta ex volũtario, & inuoluntario. 192. a. Quid requiratur ad hoc, vt aliquid, quod fit ex metu, sit mixtum ex voluntario, & inuoluntario. 193. a. Quæ fiunt ex metu sunt secundùm quid inuoluntaria. ibid. b.

Iudex quomodo debeat se gerere in iudicãdo, quando sunt plures opiniones probabiles. 380. a. & b.

Iudicium perfectum quid. 240. a. Dupliciter potest dici practicum. ibid. Hoc iudicium requisitum ad actum efficacem voluntatis non debet esse necessariò actus imperij. 241. a.

L.

Lex elicitiuè, & essentialiter est actus intellectus præsupponens actum voluntatis. 287. a. Lex humana non obligat cum periculo alicuius grauis mali. 206. a. Hoc idem de lege Diuina positiua. ibid. b. Quãdo lex humana obligat cum periculo mali grauis. ibid. & 207. a. Plures casus decidũtur. ibid. Lex Diuina, alia Positiua; alia Naturalis. 208. a. Qualiter adultus teneatur suscipere baptismum. ibid. b. Lex Diuina positiua obligat per accidens cum periculo mali grauis. ibid. Lex humana potest indirectè prohibere actus internos. 402. a. Lex Diuina primariò prohibet actus internos. ibid.

Liber-

Digitized by Google

Libertas non est denominatio extrinseca in actu. 314. a.
Lumen Gloriæ est tota virtus proxima Visionis Beatæ. 82. a. Est perfectius habitu charitatis. 92. a. Est natura sua incorruptibile. 145. b. Qua ratione petat semper cõseruari in esse. 145. a.

M.

MAcula peccati quid importet. 128. a.
Malum quomodo possit esse obiectũ voluntatis. 13. a.
Martyrio externo quarè correspondeat aureola, non autem interno. 405. b. Idem de Doctoratu, & Virginitate. ibidem.
Medicus non potest licitè adhibere infirmo remedium probabile relicto medio certo. 383. b. Quando salus infirmi non est desperata, non est licitum Medico adhibere remedium dubium. ibid. In quo casu possit Medicus adhibere medium dubium pro salute ægroti. 383. a. Debet semper eligere opinionem probabiliorem circà adhibitionem mediorum, quando salus infirmi non est desperata. 383. b. In quo casu possit sequi opinionem probabilem relicta probabiliori. 384. a.
Medium quomodo sit obiectum voluntatis. 13. a. Media ad consequendam visionem beatam sunt supernaturalia, & gratuita. 153. a. Medium formaliter vt medium quã bonitatem habeat, & quomodo moueat voluntatem ad actum. 228. b. & 229. b. Quomodo specificet actũ electionis. 230. a. Habet bonitatem relatiuam ad finem. 230. b.
Metus quomodo definiatur. 195. b. Multiplex metus diuisio. 196. a. Conditiones requisitæ ad metum cadentem in constantem virum explicantur. 196. b. & 197. a. Metus cadentis in constantem virum duplex consideratio. ibid. Metus cadens in constantẽ virum consideratus ex parte subiecti quid requirat. 108. a. Quid exigat consideratus ex parte obiecti. ibid. Qualiter metus rescindat matrimonium. ibid. Metus cadens in constantem virum per ordinem ad quid debeat dici talis. 198. b. Non requiritur ad metum cadentem in constantem virum, vt mala timeantur in propria persona. 199. a. Mala sufficientia ad causandum metum cadentem in constantem virum explicantur. 200. a. & b. Metus reuerentialis quid sit. 201. a. In quibus talis metus reperitur. ibid. b. Quid requiritur ad hoc, vt metus reuerentialis dicatur cadens in constantem virum ad irritandos contractus. ibid. & 202. a. & b. Quomodo metus reuerentialis sit sufficiens ad irritandos contractus consensu præsumpto celebratos. 203. a. Quando non est sufficiens. ibid. b. Professio tacita annullatur per solum metum reuerentialem. ibid. Extorta per metum grauem sunt in foro conscientiæ restituenda. 204. a. Extorta per metum leuem, vt per causam sine qua non, sunt in foro conscientiæ restituenda. ibid. Qualiter esset valida promissio dãdi pecunias pauperi, vt Deus ab aliquo periculo liberet, etiam si talis promissio fiat ex metu. 204. b. Qua ratione leges non concedant rescissionem contractus celebrati ex metu leui. 205. a. Quomodo matrimonium celebratum ex metu leui sit validum de Iure Ecclesiastico. ibid. Votum emissum ex metu leui non est inualidum. ibid. b. Emissum verò ex metu graui est inualidum Iure Ecclesiastico. ibid. Metus alicuius mali grauis excusat à transgressione legis humanæ. 206. a. Differentia inter legislatorẽ humanum, & Diuinum. ibid. Quinam cõtractus celebrati ex metu sint inualidi. 194. b. Quot actus concurrant ad ea, quæ fiunt ex metu. 195. a.
Mysteria nostræ fidei sunt euidenter credibilia. 142. a. Non sunt euidenter possibilia. ibid. Euidentia credibilitatis. quid. ibid. Discrimen inter euidentiam credibilitatis, & possibilitatis. ibid.
Moralitas vndè deriuetur. 300. b. Quomodo definiatur. ibid. Quotupliciter accipiatur. 301. a. Nomen Morale ad quid principaliter sit impositũ. ib. Datur in actibus humanis moralitas. 302. a. Consistit in cõformitate, vel difformitate ad regulas rationis. ib. Esse morale reperitur in actibus humanis, obiectis, circũstãtijs, legibus, ac habitibus, & quomodo. 303. a. b. Non est idẽ formaliter cũ libertate actus. 304. a. Est tamen identicè idem. 305. a. Non comparatur ad libertatem tanquam species ad genus. ibid. Libertas est fundamẽtum moralitatis. 305. b. Moralitas facit formaliter actum humanum imputabilem, libertas solum fundamentaliter. 306. a. Non est denominatio extrinseca in actu libero. 307. a. Neque ens rationis. 308. b. Est modus quidam realis respectiuus. 309. a. Sumitur per ordinem ad voluntatem, vt subiectam regulis rationis. ibid. b. Quomodo sumatur etiam per ordinem ad obiectum. 310. a. Obiectum morale actus humani formaliter variatur variata lege. ibid. Moralitas obiectiua quid addat supra obiectum

Digitized by Google

tum voluntatis. 311. a. Moralitas desumpta ex fine quomodo comparetur ad eam, quæ est ex obiecto, & econtra. 321. a. Quænam sit prima, & essentialis moralitas in actu imperato. 326. a. Quænam sit prima actus imperantis. ibid.

N.

NEcessitas alia quoad specificationem; alia quoad exercitium. 151. b. Voluntas necessitatur quoad specificationem à suo obiecto adæquato. 156. a. Non à Visione Dei, vt est in se, si sumatur in hac via. ibid.

O.

OBiectum adæquatum, & attributionis huius partis Theologicæ est Deus, vt vltimus finis. 1. a. Obiectum, quod attribuitur, est actus rationalis creaturæ. ibid. Conditiones ad obiectum attributionis requisitæ assignantur. 1. b. Hæc pars Summæ agens de hoc obiecto est practica. 2. a. Deus, vt vltimus finis rationalis creaturæ quomodo sit obiectum practicum. ibid. b. Consideratus secundùm se est obiectum speculatiuum. ibid. Obiectum voluntatis est bonum. 4. b. Obiectum tristitiæ dānatorum est Deus non visus. 12. a. Spei Deus clarè videndus. ibid. b. Fruitionis Deus clarè visus. ibid. Obiectum adæquatum intellectus est ens abstrahens à naturali, & supernaturali. 141. b. Obiectum non adæquans totam potentiam habet quandam rationem mali. 156. b. Quamuis Deus clarè contineat omne bonum non est obiectum adæquatum voluntatis in hac vita. ibid. Obiectum motiuum, & adæquatū simplicis actus voluntatis est finis. 229. a. Obiectum cognitum concurrit in genere causæ finalis ad specificationem actus voluntatis. 242. a. Qua ratione à D. Thom. vocetur principium actiuum actus voluntatis. ibid. b.

Omissio quomodo sit effectus alicuius causæ positiuæ. 169. a. Qualiter sit causa indirecta effectus positiui. ibid. Vt omissio sit voluntatia non requiritur præceptum non omittendi actum. ibid. Vt imputetur ad culpam, tale præceptum requiritur. ibid. b. Conditiones ad omissionem culpabilē expenduntur. ibid. Quomodo omissio reducatur in voluntatem tanquam in causā physicam. 170. b. Quomodo tanquam in causam moralem. ibid. Per omissionem actus qualiter voluntas mutetur. ibid. Omissio mali secundùm se non est meritoria, nec demeritoria. ibid. Quomodo dicatur méritoria. ibid.

Operationes partis sensitiuæ quomodo dicantur pertinere ad nostram beatitudinē. 84. b. & 85. a.

Opinio quid sit. 368. a. Quomodo differat à scientia, & à dubio. ibid. Est duplex: Speculatiua, & practica. ibid. Opinionis probabilis definitio traditur. 368. b. Quot cōditiones requirat. ibid. Quid sit opinio probabilior. 369. a. Quotuplex sit opinio probabilis, alia ab intrinseco, alia ab extrinseco. ibid. Quomodo distinguatur à conscientia probabili. ibid. Quænam dicatur pars tutior in probabilibus. ibid. Non dicitur ex eo præcisè, quia probabilior. ibid. Quænam dicatur opinio communis. 370. a. Qualiter recedere possimus ab opinione communi. ibid. b. Scholaris sequens opinionem sui Magistri sequitur opinionem probabilem. ibid. Licitum est sequi opinionem probabilem practicam relicta probabiliori. 371. a. Tenetur subditus sequi opinionem probabilem sui Prælati cōtra propriam, etsi probabiliorem. 371. b. Confessarius potest sequi opinionem probabilem pœnitentis relicta probabiliori. ibid. In quibus casibus ad hoc teneatur Confessarius. 372. a. Licitum est præbere consilium alicui iuxta opinionem probabilem relicta probaliori. ibid. In quibus casibus hoc limitetur. ibid. Possumus à fortiori sequi opinionem relicta æquè probabili. ibid. b. Opinio speculatiuè probabilis potest licitè sustineri. 373. b. Ista non est immediata regula nostrarum actionum. ibid. Non possumus in praxi sequi opinionem speculatiuè probabilem relicta probabiliori. ibid. Plures casus ad hæc spectātes deciduntur. 374. a. Quando sit licitum ex opinione speculatiuè probabili in praxi operari. ibid. Regulæ ad dignoscendum, quando ex opinione speculatiuè probabili licitum sit in praxi operari. ibid. b. Quando in materia Sacramentorum licitum sit sequi opinionem probabilem relicta probabiliori. 376. a. & b. Illicitum est sequi opinionem probabilem relicta sententia certa in materia Sacramentorum, loquendo de valore Sacramenti quoad materiā, & formam. 377. a. Quale peccatum committat Minister administrans Sacramentum cum tali opinione. ibid. Ex duabus opinionibus eligenda est illa, quæ facit in fauorem suscipientis Sacramentum. ibid. Quomodo debeat se gerere Confessarius in absolutione pœnitentis accedentis cum attritione existimata. 379. a.

Opus

Digitized by Google

Opus virtuosum, vt sit honestum, quot cõditiones requirat. 325. a. Opus otiosum, est moraliter malum. 330. a.

P.

PAter Æternus in illo signo originis quomodo intelligatur Beatus. 101. a. & b.
Peccatum duo dicit, & entitatem subſtratam malitiæ, & malitiam ipsam. 68. b. Quomodo auertat à Deo. 71. a. Entitas physica peccati natura sua ordinatur in Deum. ibid. Non potest esse in voluntate sine defectu in intellectu. 127. a. Peccatum commissionis quomodo differat à peccato omissionis. 168. a.
Personæ Diuinæ dicunt inter se prioritatem originis. 101. b. sunt obiectum per se primum visionis beatæ. 102. a. Quomodo sint tria bona, tres omnipotentes, tres misericordes &c. 63. b. & 404. a.
Potentia obedientialis passiua in quo consistat. 152. b. Potentia quomodo dicat appetitum innatum ad suum obiectum specificatiuum 154. b. & 155. a. Potentia intellectiua, alia naturalis, alia obedientialis. ibid. Ad quæ obiecta vtraque se extendat. ibid. Quælibet potentia secundùm se patitur violentiam in cessatione sui actus. 186. b. In eliciendo actum, nullam patitur violentiam. ibid. Cum voluntas patitur violentiam quoad actus imperatos, qualiter aliæ potentiæ non patiuntur violentiam in suis actibus. 187. a. Potentia loco motiua est distincta ab intellectu, & volũtate in homine, à phantasia, & appetitu sensitiuo in brutis. 244. b.
Præceptum quomodo præsupponat actum voluntarium. 172. b. Præceptum Diuinum naturale; aliud affirmatiuum; aliud negatiuum. 209. a. Malum contra præceptum negatiuum, aliud intrinsecè; aliud extrinsecè. 209. b. Malum intrinsecè, & extrinsecè in duplici discrimine. 210. a. Præcepta affirmatiua non obligant semper cum periculo damni grauis. ibid. Præcepta negatiua quando obligent cum periculo dãni grauis. ibid. Plura ad hæc spectantia deciduntur. ibid. b.
Priuatio duplex: alia in priuato esse; alia in priuari. 328. b. Inter primam, & habitum non datur medium, benè inter secundam. ibid.

Q.

QVantitas bonitatis, vel malitiæ altera ex parte obiecti, altera ex parte actus. 393. b. Quomodo quantitas bonitatis, vel malitiæ in voluntate sequatur quantitatem boni, & mali in intentione. ibid.

R.

REx non possidens Regnum non potest mouere bellum aduersus alium Regem sequendo opinionem probabilem relicta probabiliori. 385. b. Quando neuter possidet Regnum non licet alteri mouere bellum etiam cum opinione probabiliori. ibid.

S.

SAcrilegium est circumstantia mutans speciem actus humani, & moralis. 337. a.
Scandalum, vt sit speciale peccatum, quid requirat. 322. a. Quomodo sit diuersæ speciei ab actu, quem afficit. 337. a.
Species impressa creata repræsentans Deum, vt est in se dari nequit, probabiliter species expressa est dabilis. 78. a.
Spes non remanet in Patria. 144. a.
Sterilitas vxoris non potest licitè procurari. 385. a. Discrimen inter procurationem abortus, & sterilitatis. ibid.
Subditus tenetur obedire Prælato existenti in possessione sui officij, etiam si dubitet, an id, quod præcipitur, sit licitum. 386. a. Extenditur hoc etiam ad subditum habẽtem opinionem probabiliorem. ibid. b. Qua ratione subditus non teneatur soluere tributum Regi, quando est opinio, quod sit iniustum. 388. a. Ex quo præcepto teneatur subditus sequi opinionem sui Prælati, relinquendo propriam. ibid. Opinio probabilis subditi nõ est sufficiens ad spoliandum Prælatum certa possessione sui officij. ibid. b.

T.

TRistitia est effectiuè à voluntate. 108. b. in Beatis est tristitia sine angore, in nobis cum angore. ibid.

V.

VErbum creatum non potest produci à solo Deo. 83. b. Quot munera exerceat. ibid. Differentia inter terminum nutritionis, & verbum. 84. a. Verbum Diuinum est productiuum Spiritus sancti, non sic Verbum creatum respectu actus amoris. 343. a.
Verbum otiosum quid. 68. a. Discrimen inter peccatum mortale, & verbum otiosũ quoad carentiam finis honesti. ibid. Est malum moraliter. 329. a.
Violẽtia est causa inuoluntarij. 191. a. Violentia duplex. ibid. Violentum, & coactum in idem coincidunt. 176. b. Quid sit violentũ. ibid. Tres conditiones pro violento assignantur. ibid. Dupliciter potest aliquid violentari. 177. a Violẽtum dicitur etiam, quod est contra inclinationem naturalem. ibid. b.

Vi-

Digitized by Google

Visio, & Amor Dei in Patria sunt actiones humanæ in causa. 7. b. Visio beatifica est supernaturalis quoad substantiam. 82. a. Procedit à Deo, vt à causa prima, à creatura, vt à causa secunda. ibid. b. Nō potest beatus cessare à Visione beata. ibid. Visio beata nō est similitudo Dei. 78. a. Est perfectior amore beatifico. 91. a. In quo sēsu amor sit aliquo modo visione perfectior. ibid. ad Visionem beatam sequitur impeccabilitas. ibid. b. Aufertur per illam peccatum, tàm quoad actū, quam quoad maculam. ibid. Qua ratione macula peccati excludatur per Visionem. ibid. & 92. a. & b. Visio beata est principaliter speculatiua, secundariò practica. 96. b. Quomodo dirigat operationes voluntatis. 97. a. & b. Nō datur duplex Visio beata, vna practica, altera speculatiua. 98. a. Est principalior delectatione sequente ad illam. 116. b. Est gratia consummata, & amicitia cum Deo. 128. b. Natura sua est incorruptibilis. 144. a. Visio quam habuit de Deo Beatissima Virgo in via, qua ratione dicebatur perpetua. 145. b. Non habet ex natura sua, quod perpetuò duret, sed exigit durare. 146. a. Eadem essentialiter est Visio durās in perpetuum, & vna sola hora. ibid. b. Esset vera beatitudo, etiam si vna sola hora duraret. 147 a. Perpetuitas sequitur tanquam passio ad Visionem beatam. ibid. Beatitudo vndequaque perfecta debet sēper durare. ibid. b. Quomodo Visio beata sit inamissibilis. 148. a. De ratione Visionis est, vt possit excludere omnem metum. ib. b. Sine actuali perpetuitate esset bonum completum essentialiter, non integraliter. ibid. Visio beata est vltimus finis hominis superexcedēs, & improportionatus. 154. a.

Vnio vt est à materia est causalitas illius, vt est à forma, est causalitas formæ. 26. b. Vnio hypostatica excludit ex se ipsa omne peccatum. 129. a.

Volitio efficax compatitur simul cum nolitione inefficaci, 192. b.

Voluntarium vndè deriuetur. 158. a. Duplex est. ibid. b. Quodnam propriè dicatur voluntarium. ibid. Actus eliciti, & imperati voluntatis quomodo dicantur voluntarij. ibid. Voluntarij definitio exponitur. 159. a. Alia definitio voluntarij reprobatur. ib. Qua ratione actus intellectus non dicatur volūtarius. ibid. b. Assensus scientificus non dicitur propriè volūtarius. ib. Voluntariū perfectum conuenit actui perfectè necessario. 60. a. Amor erga beatitudinem in communi, & amor beatificus sunt perfectè volūtarij. ibid. Amor beatificus etsi necessarius procedit perfectè à principio intrinseco. 161. a. Amor, quo Deus diligit se ipsum, & quo procedit Spiritus sanctus sūt perfectè voluntarij. ibid. Perfectum voluntarium non conuertitur cum libero. ibid. b. Voluntarium perfectum reperitur solum in creatura rationali. 163. a. In brutis datur voluntarium imperfectum. ibid. Volūtarium perfectum quomodo ab imperfecto differat. ibid. Voluntarij perfecti diuisio exponitur. ibid. b. Voluntarium necessariū perfectum est perfectius voluntario libero perfecto. ibid. Volūtarium liberum sequēs cognitionem perfectam est perfectius necessario sequente cognitionem imperfectam. 163. b. Duo requisita ad voluntarium expenduntur. 164. a. Quomodo ex parte subiecti voluntarium liberum sit perfectius necessario. 164. b. Voluntarium aliud directum, aliud indirectum. 165. b. Aliud explicitum, seù expressum, aliud implicitū, seù tacitum. ibid. Voluntarij interpretatiui natura explicatur. 166. a. Rursus voluntarium aliud actuale, aliud virtuale, aliud habituale. ibid. Voluntarium directum non potest esse sine actu intellectus. ibid. b. Nec sine actu expresso voluntatis. 167. a. Indirectum non potest esse sine aduertentia rationis. 167. b. Potest esse sine actu voluntatis. ibid. Volitum, & voluntarium quomodo differant. 173. a. Salus nauis periclitantis quomodo sit voluntaria illam gubernanti. ibid. b.

Voluntas deliberata quid. 6. a. Alia expressa, & formalis, alia virtualis, & interpretatiua. ibid. b. Voluntas non potest ferri in incognitum. 22. b. Trahitur ab obiecto ad differentiam intellectus, qui trahit ad se obiectum. ibid. Quomodo versetur circa malum. 19. a. Non potest esse in carentibus ratione. 28. b. Non eget habitu distincto ad amandum proprium suppositum. 114. a. Differentia quoad hoc inter volūtatem, & intellectum. ibid. Amat necessariò Deū in Patria. 116. a. In via liberè ibid. Diuersa applicatio obiecti sufficit ad variandum actus voluntatis. ibid. Nō potest voluntas pati violentiam à causa creata quantum ad actus elicitos. 178. a. A solo Deo causatur per creationem. ibid. Non potest à Deo pati violentiam quoad actus elicitos. ibid. b. Est inclinatio in actu primo in bonum. ibid. Etsi necessitatem circà aliquod obiectum, non tamen pateretur violentiā. 179. a. Quibus modis potest necesitari à Deo circà aliquid. ibid. Si prædeterminaretur

Digitized by Google

retur à Deo circa obiectum minus congruum relicto magis congruo, non pateretur violentiam. ibid.b. Peccatum quare non est illi simpliciter violentum. 180. a. Voluntas vt natura, & vt libera quid. ibid. b. Sumpta vt natura duplicem habet inclinationem. ibid. Qualiter possit pati violentiam à causa creata quoad actus imperatos. 181. a. & b. Quomodo quoad eosdē actus imperatos possit pati violentiam à Deo. ibid. & 182. a. & b. Potest pati violētiam in cessatione ab actu, si ei non proponatur obiectum. 183. a. Patitur violentiam per subtractionem Diuini concursus ad suum actum. 184. a. Subtracto concursu Dei manet in illa innata inclinatio ad operandum. ibid. Non potest pati violentiam in receptione alicuius habitus respectu appetitus innati. 185. b. Benè tamen respectu appetitus eliciti. 186. a. Respectu appetitus innati non patitur violentiam quoad spoliationē habitus, respectu verò appetitus eliciti violentiam patitur. ibid. Actu prosecutionis non potest velle, nisi bonum. 226. b. actu fugæ nō potest odisse bonum. 227. a. Qui peccat ex malitia, quomodo appetat bonum. ibid. In voluntate non datur actus, qui neque sit circà finem, nec circà media. 231. b Voluntas distincto actu fertur in finem secundùm se, & in media. 233. a. Si finis sumatur, vt est ratio volendi media, eodem actu fertur in finem, & in media. ibid. Prima volitio quomodo procedat à voluntate. 238. b. Volūtas sine intellectu, maneret sine volitione. 239. a. Cognitio obiecti est conditio essentialiter requisita ad actum voluntatis. ib. Mouet voluntas intellectum, & cæteras potentias inferiores quoad exercitium actus. 243. b. Non producit in illis aliquod intrinsecum, nec cum eis elicit operationes. 244. a. Nō mouet intellectum, & alias potentias cognoscitiuas ad omnes actus. 245. a. Mouet appetitum sensitiuum politicè, non dispoticè. ibid. Non mouet potētias animæ negatiuè. ib. b. Mouet dispoticè potentiam loco motiuam. ib. Ex parte obiecti appetitus sensitiuus mouet voluntatē. 247. a. Voluntas mouet seipsam. ib. b. Mouetur ab obiecto quoad specificationē ib. Quomodo Corpus Cæleste dicatur mouere voluntatem. 248. a. & b. Volūtas mouetur circà finem reducendo se ad electionem mediorū ex deliberatione, & cōsilio. 249. b. Mouetur à Deo specialiter ad primum actum circà finē. 250. a. Primus actus eius nō est à solo Deo efficaciter. 251. a. Primus actus potest esse liber. ibid. b. Nō mouetur necessariò quoad exercitium circa beatitudinem in communi. 253. b. Neq; circa Deum cognitum per fidem. ib. In Patria necessitatur quoad exercitium amoris Dei. 254. a. A quo proueniat ista necessitas. ib. Primus actus voluntatis circa beatitudinem in communi non est necessarius quoad exercitium. 255 b. Idem de beatitudine in particulari huius vitæ. ib. Primus actus simpliciter totius vitæ non potest esse necessarius quoad exercitiū. 256. a. Voluntas est libera formaliter. 257. a. Necessariò mouetur ab appetitu sensitiuo, si passio totaliter absorbeat vsum rationis. 257. b. Si solum obnubiletur vsus rationis non necesitatur ab appetitu sensitiuo. ib. Potest ferri in suum obiectum actu conditionato. 268. b. & 269. a. Voluntas Dei antecedens quo pacto dicatur conditionata. ib. Posita intentione efficaci finis quomodo necesitetur ad eligendum medium, si sit vnicum tantum. 270. b. Non potest relicto æquali medio eligere aliud æquale, vel minus vtile relicto vtiliori. 271. b. Etiā si sit formaliter libera, determinatur semper ad id, quod est magis conueniens 274. a. Potest intendere plures fines per modū vnius. 323. b. Reflectit supra suos actus elicitos, & illos imperare potest per actus reflexos. 366. b. Pēdet in sua bonitate à ratione tanquam a regula. 346. a. Dependet etiam à lege æterna. ibid.

Voluntas Diuina duplex, alia beneplaciti, alia signi. 395. a. Voluntatis beneplaciti multiplicitas. ib. Voluntas signi diuiditur, ib. Quomodo obligemur conformare voluntatem nostram Diuinæ. 395. a. & b.

Voluptas quid, & quotuplex. 74. b. Nulla voluptas est beatitudo hominis. ib. Quomodo voluptas appetatur. ibid.

Vsus propriè est actus volūtatis. 280. a. Quomodo pertineat ad rationem, & ad alias potentias. ib. Vsus multiplex acceptio. ib. Vsus actiuus, & passiuus quid. b. Vsus actiuus est actus elicitus voluntatis. ibid. Vsus passiuus est in potentijs exeqentibus imperium voluntatis. 281. b. Quomodo vsus actiuus distinguatur ab electione. ibid. Vsus propriè non conuenit brutis. 282. a. Est de his, quæ sunt ad finem ibid. De fine vltimo formaliter non datur vsus. 282. b. De fine ordinato ad alium potest dari vsus. ibid. Vsus in quo sensu sequatur electionem 283. a. Quomodo præcedat electionem. ibid. b. Quomodo vsus actiuus possit à Deo separari ab vsu passiuo. 284. b. Vsus largè sumptus quomodo dicatur præcedere actum imperij. 293. a.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA CORRIGE.

PAg. 4.b.Obiecti visibili.obiecti visibilis. 15.a. Djcẽda.Dicendũ.ib. sine.siuè. 17.a.Visio Dei Visionem Dei. 24. b. Doctrina D. Th. Doctrinæ D. Th. 39. a. Secunda Conclusione. secunda Conclusio. 46. a. habeat tantam. habeat tantùm. 49. b. Quo est proximius.quod est proximius. ibid. Quo est remotius. quod est remotius. 64. a. Primò est. Prima est. 73. a. respondetur. respondet. ibid. ordinantur ad artificiales. ad naturales. 74. b. voluptatem specialem. spiritualem. 75. b. appositus humanus appetitus. 83. a. positiuè se habente passiuè. 85. b. quam actum. quem actum. 82. a. Et firmat. Et firmat.90. a. Primò feruntur. Præferũtur. 92. b. foueretur. frueretur. 95. b. vel passiuo. vel practico. ibid. cum promissio. cum primo. ibid. b. miseria peccati. macula peccati. 108. b. satis debilis. satis debiles. 109. b. Diffinitiuæ accidentales. differentiæ. 110. a. In esse amoris. in esse moris. 119. b.Propter Visionem. præter Visionem. Indirctè. indirectè. 191. b. In casu.in causa. 208. b. Compulsos. compulsus. 218. a. malitia. malitiæ. 224. Rectoribus. Rethoribus. 227. b. nostra volitionẽ. nostram volitionem.228.b. Conclusionem. Conclusionum. 245. a. Motu rapto.motus rapti. 264. a. Naturæ integrè. integræ. 269. a. vti sumus. vsi sumus. 272. b. hac solutionem. hanc solutionem. 285. b. Primam se mouens. Primum se mouens. 285. b. actum rationis. actum voluntatis. 286. a. huius entiæ. huius essentiæ.ibid. sibi debitum. sibi debitam. ibid. regulas motionis. regulas rationis. 304. b. alia Conformatio. alia Confirmatio. 309. b. actio immunes. actio immanens. 313. b. etiam solam. esse solam. ibid. Important tamen. important tantum. 316. a Contra hunc Doctorem. contra hanc doctrinam. ibid. b. aptus humani.actus humani. 318. a. dua dubia. duo dubia. ibid. Non potest esse. potest esse. 321. a. per accedens. per accidens. 322. b. In conuentarijs. in commentarijs. 324. b. aptiuus medium. aptius medium. 325. b. Ex obiecta. ex obiecto. 328. b. apponuntur. opponuntur. ibid. b. amissio operis. omissio operis. 337. b. vt si volitæ. vt sint volitæ. 374. b. quæ probabiles. æquè probabiles. 395. b. receptum charitatis. Præceptum charitatis.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google